COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA

CURA ET STUDIO

SALVATORIS PALLOTTINI

S. THEOLOGIAE DOCTORIS, IN ROMANA CURIA ADVOCATI, PENES EAMDEM SACRAM CONGREGATIONEM MATRIMONIORUM, SACRARUM ORDINATIONUM, PROFESSIONUM RELIGIOSARUM DEFENSORIS EX OFFICIO SUPPLICUM LIBELLORUM ET COMMISSIONUM, QUAE BREVIBUS APOSTOLICIS LITTERIS ANNULO PISCATORIS OBSIGNATIS CONFECTAE AD ECCLESIASTICOS IUDICES EXTERIS IN REGNIS MORANTES MITTUNTUR, REVISORIS, ET CONCILII VATICANI NOTARII.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY 1962

TOMUS X.

ALMA COLLEGE 262.211 LIBRARY P179 Alma, California

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXIII.

37249

BX
1831
C65
v.10
1868

Liber hic cum aliis iam in lucem editis Tipographica proprietate gaudet ad legum vigentium normam etiam in aliud idioma translatus.

COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA.

EXAMINATORES ET IUDICES SYNODALES

1. Tridentina Synodus, postquam in sess. 24 cap. 18 praemiserat, animarum saluti maxime expedire, ut a dignis et idoneis Parochis regerentur, edixit, vacantes parochiales Ecclesias illis dumtaxat ab Episcopo conferendas, qui in experimento seu examine coram Episcopo aut Vicario Generali aliisque Examinatoribus non paucioribus, quam tribus instituendo, fuerint approbati et idonei renunciati. Iussit praeterea: – Examinatores autem singulis annis in Diaecesana Synodo ab Episcopo vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant et ab ea probentur, advenienteque vacatione cuiuslibet Ecclesiae, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex praedictis illis sex eligat. Sint vero hi Examinatores Magistri seu Doctores aut Licentiati in Theologia aut iure Canonico, vel alii Clerici seu Regulares etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Secularium, qui ad id videbuntur magis idonei – *in Caesenaten. die 24 Novembris 1770* §. *Tridentina* §. *Iussit.*

2. Hinc Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum in Cap. 18 sess. 24 de reformatione, disponens de Examinatoribus in Synodo Diaecesana eligendis, loqui in terminis pro Parochialium vacantium concursu et examine faciendo *in Algaren. lib. 1 Decretorum pag. 86 a tergo.*

3. Sex itaque Examinatores ad minus ab Episcopo vel eius Vicario in Synodo proponi debent, non tamen vetitum est, plures eligi; quin imo plures dubio procul proponi possunt, Barbosa ad Concil. Trid. Cap. 18 sess. 24 n. 85. Propositi tamen ab Episcopo, a maiori parte eorum, qui Synodo intersunt, probandi sunt, secus alii ab Episcopo erunt pro-

ponendi, qui a maiori parte acceptantur. Acceptatio autem haec potest fieri per suffragia tum publica, tum secreta *in Caesenaten. die 24 Novembris 1770 §. Sex.*

4. Siquidem Sacra Congregatio ita Patriarchae Venetiarum die 11 iulii 1592 respondit: – Amplitudini tuae super Examinatoribus, in Synodo approbandis, sic respondit Congregatio Cardinalium Sacri Concilii interpretum, nempe Examinatores, qui ab amplitudine tua propositi fuerint Synodo, tam per vota secreta, quam aperta posse probari. Itaque Amplitudo tua eum modum in probatione servari faciat, quem magis expedire iudicaverit –, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 4 cap. 7 n. 3 *in Caesenaten. die 24 Novembris 1770 §. Sex.*

5. Qua de re Sacra Congregatio rursus declaravit, electionem Examinatorum Synodalium fieri posse etiam per vota non secreta *in Fulginaten. die 3 Decembris 1644 lib. 17 Decretorum pag. 404.*

6. Unde valida quoque est electio Examinatorum, etiamsi Diaecesana Synodus una die fuerit expedita, adeoque haud nullus censeri potest concursus coram huiusmodi Examinatoribus expletus *in Marturanen. die 22 Ianuarii 1757* (1).

7. Nominatio autem Examinatorum Synodalium privative ad Episcopum spectat *in Savonen. die 19 Februarii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 399.*

8. Hinc singulis annis debent probari Examinatores in Diaecesana Synodo ab Ordinario seu Vicario, Sede Episcopali vacante, ex quibus tres ab Ordinario eligentur et secum congregabuntur ad singularum Parochialium vacantium examen perficiendum *in Caurien. anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 111.*

9. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, non posse ab Episcopo adhiberi alios Examinatores praeter deputatos in Synodo Diaecesana in concursibus Parochialium vacantium *in Toletana mense Martii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 112.*

10. Unde Episcopus nequit adhibere ac eligere Examinatores extra Synodum, omissis iis in Synodo deputatis *in Toletana mense Martii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 112.*

11. Nam Episcopus haud potest extra Synodum Examinatores deputare et approbare pro examinibus faciendis ad Parochiales vacantes *in Zamoren. mense Decembris 1583 lib. 5 Decretorum pag. 86.*

12. Amplia, etiamsi electi in Synodo deficiant, vel sint impediti *in Segobricen. mense Decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 90.*

13. Idcirco non potest Episcopus loco Regularis Examinatoris in Synodo deputati et absentis subrogare alium Regularem etiam eiusdem Ordinis *in Aesina Nullitatis concursus die 25 Maii 1641 lib. 16 Decretorum pag. 121.*

14. Qua de re Garcias de Benef. part. 9 Cap. 2 n.11 haec habet: – In una Patavina Sacra Congregatio censuit, quod Episcopus, qui non constituit Examinatores in Synodo, sed ex se ipso deputavit, vel quia priores erant mortui, vel quia nulla aderat facultas congregandi Synodum, nempe propter pestem, nulliter providet de Parochialibus, licet quandoque Summus Pontifex mandaverit, istos tolerari, iniungendo, ut quamprimum facta Synodo novi eligantur Examinatores, et quod provisi per concursum cum Examinatoribus, ab Episcopo solo deputatis, novas provisiones impetrent, vel denuo legitime examinati et approbati ab Episcopo de iisdem Parochialibus provideantur, si in mensibus Ordinarii vacaverint –. Idemque tradunt Barbosa ad Concil. Trid. cap. 18 sess. 24 de reform. n. 101, et de Parochis cap. 2 n. 69, Pax Iord. lucubr. tom. 2 lib. 10 tit. 8 n. 147 *in Visen. Parochialis die 9 Augusti 1732 §. Postremo*

15. Hinc Examinatores Synodales in singulis Diaecesibus aeque principaliter unitis deputandos esse, ambigi nequit; quandoquidem proposito dubio: – An in Diaecesi, in qua sunt duae Cathedrales unitae, sint deputandi in qualibet Civitate Examinatores Synodales distincti ab illis, qui deputantur in altera Civitate? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Valven. et Sulmonen. die 3 Septembris 1650.*

16. Idcirco Episcopus, dum res sit de duabus Cathedralibus aeque principaliter unitis, potest quidem habere concursum in

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Concursus*, §. I, n. 325, Tom. VI.

Civitate et Diaecesi, in qua moratur, sed tenetur adhibere Examinatores Civitatis et Diaecesis, in qua Ecclesia parochialis existit; his quippe in terminis Sacra Congregatio declaravit: – Concursus fieri debere cum Examinatoribus Synodalibus Civitatis Castellanae vel Hortanae, in qua existit Ecclesia parochialis vacans, non tamen Episcopum commorantem in una ex dictis Civitatibus teneri se personaliter transferre ad alteram Civitatem et Diaecesim, sed posse dictos concursus facere in Civitate et Diaecesi, in qua moratur, adhibitis tamen Examinatoribus Civitatis et Diaecesis, in qua Ecclesia parochialis existit – *in Civitatis Castellanae die 24 Novembris 1639.*

17. Haec ipsamet quaestio de Ecclesiis Frequentina et Avellinensi aeque principaliter unitis proposita fuit in sacra Rota in Frequentina Nullitatis concursus 13 iunii 1635 coram Coccino inter impressas in ordine 2138, et pro nullitate concursus prodiit iudicium ut praesertim videre est sub numero 17: – An, cum huiusmodi Parochialis sit in Diaecesi Frequentina, potuerint adhiberi Examinatores Synodales Avellini, negative fuit responsum, quia examen debet fieri ab Examinatoribus in Synodo deputatis etc., ideo adhiberi debuerunt Examinatores Civitatis Frequentinae; quod est adeo verum, ut, si cum Examinatoribus conveniat etiam unus Examinator non Synodalis, concursus sit nullus – *in Tuscanen. Concursus die 16 Martii 1771* §. *Haec.*

18. Quando igitur duae Cathedrales Ecclesiae sunt aeque principaliter unitae, examen concurrentium faciendum est privative ab Examinatoribus Synodalibus Civitatis et Diaecesis, in qua existit Ecclesia parochialis vacans, nec non et ipse Cancellarius eiusdem Civitatis et Diaecesis ad effectum recipiendi dictum examen intervenire et privative se rogare debet Cancellarius Episcopalis dictae Civitatis, Episcopus tamen non passim, sed raro et aequa ex causa et in arduis tantum et gravioribus negotiis adhibere potest Notarium sibi benevisum *in Tuscanen. Concursus die 16 Martii 1771.*

19. Enimvero sacrum Rotae Auditorium in Tuscanen. seu Viterbien. Praecedentiae die 19 decembris 1614 coram Cavalerio inter eius impressas in ordine 330 iam definierat, Ecclesiam Viterbiensem et Tuscanensem esse aeque principaliter unitam. Vacato autem Archipresbiteratu Ecclesiae Cathedralis S. Iacobi Civitatis Tuscanensis, cui actualis animarum cura incumbebat, Vicarius Apostolicus ius sibi esse censuit ineundi concursum in Civitate Viterbii et coram Examinatoribus pro eadem Civitate electis. Capitulum Tuscanense vero contendit, ex eo quod Examinatores pro Civitate et Diaecesi Tuscanensi in postrema Synodo electi septem adhuc numero essent superstites, ab his examen peragendum esse, ne vitium subiret nullitatis, de Nigr. de vacat. Benef. lib. 1 cap. 48 n. 26, et Rot. coram Coccino decis. 2138 n. 17. Nec obesse dixit, concursus annis 1737 et 1751 initos fuisse ab Examinatoribus Viterbiensibus, cum evenire id potuerit ex deficientia necessarii numeri Examinatorum Tuscanensium; ceterum eos actus, ut intrinsece nullos et irritos, esse prorsus spernendos. Unde conclusit, quod sicuti concursus a Vicario Generali Tuscanensi et coram ipso convocandus erat, ita eiusdem quoque Cancellarius privative intervenire et acta concursus conscribere deberet; maxime quia ita semper servatum, et quidem iusta ratione, ne constitutio unionis eluderetur. Vicarius Apostolicus in sua relatione anceps admodum erat, an Ecclesia Tuscanensis aeque principaliter unita esset Ecclesiae Viterbiensi. Probavit tamen, ex antecedentibus statibus Episcopos pro eorum arbitrio concursus Ecclesiarum Tuscanensium modo in Civitate Viterbii, modo in altera Tuscanensi indixisse. Insuper pro eorum arbitrio modo Tuscanenses, modo Viterbienses Examinatores Synodales, et etiam pluries utrosque simul ad concursus cum beneviso Cancellario evocasse. Conclusit idcirco, sibi liberum esse Examinatores et Cancellarium vel ex una, vel ex altera, vel etiam ex utraque Diaecesi seligere et vocare.

20. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – II. An examen concurrentium sit faciendum privative ab Examinatoribus Synodalibus Tuscanellae in casu etc. III. An ad effectum recipiendi dictum examen intervenire et privative se rogare debeat Cancellarius Episcopalis dictae Civitatis in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit,

concursum habendum esse coram Vicario Apostolico et in loco eius arbitrio destinando, respondit: - Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative – *in Tuscanen. Concursus die 16 Martii 1771.*

21. Proposito tamen exinde dubio: – VII. An acta examinis habendi coram Episcopo in Civitate Viterbii pro collatione Parochialium aliarumque Dignitatum Tuscanensium conficienda sint a Cancellario Episcopali Tuscanensi, seu potius ab alio quocumque arbitrio Episcopi, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16 martii 1771 quoad tertium dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad septimum, praevio recessu a decisis sub die 16 martii 1771, Episcopum posse adhibere in conficiendis actis alterutrius Ecclesiae quemlibet ex Notariis sibi benevisum, iuxta tamen resolutionem in Hortana diei 8 iunii 1624, ita tamen, quod si acta conficiantur a Cancellario Viterbiensi pro Diaecesi Tuscanensi teneatur ille vel authographum vel copiam authenticam, soluta dumtaxat mercede scripturae, tradere Cancellario Tuscanensi, in Cancellaria Tuscanensi servandam, et vicissim ad idem teneatur Cancellarius Tuscanensis, qui acta conficiat ad Diaecesim Viterbiensem spectantia - *in Viterbien. seu Tuscanen. die 11 Ianuarii 1783.*

22. Siquidem quoad Hortanam, de qua loquitur Sacra Congregatio, proposito dubio: – V. An Episcopus volens in Civitate Castellana agnoscere Causas Civitatis Hortanae et illius Diaecesis, et sic e contra, possit per se ipsum illas cognoscere, scribente Notario, quem maluerit, nec solum processus Causarum, verum etiam visitationum? –, responsum tulit: – Ad quintum, Episcopum in una ex dictis Civitatibus existentem posse per seipsum cognoscere Causas alterius Civitatis vel Diaecesis, adhibito Notario sibi beneviso tam in processibus conficiendis, quam in actis visitationis conscribendis; sed tamen debere eum habere rationem, ut id non passim, sed raro et aequa ex causa fiat et in arduis tantum et gravioribus negotiis, ne constitutio unionis eludatur – *in Civitatis Castellanae et Hortanae die 8 Iunii 1624 lib. 12 Decretorum pag. 173.*

23. Nunquam autem Laici et Clerici coniugati exercere possunt officium Examinatorum Synodalium; quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, neque Laicos neque Clericos coniugatos posse nec debere fungi munere Examinatorum Synodalium *in Seguntina mense Aprilis 1596 lib.8 Decretorum pag.71.*

24. Qua de re Examinatores Synodales necessario sunt eligendi Magistri seu Doctores vel Licentiati in S. Theologia aut iure Canonico si extent, alioquin alii Clerici magis idonei reperti *in Dubium anno 1624 lib. 12 Decretorum pag. 183.*

25. Unde potest fieri et sustineri electio, si electi non Doctores nec Licentiati sint magis idonei *in Fulginaten. die 18 Novembris 1645 lib. 17 Decretorum pag. 526.*

26. Nam tametsi Concilium Tridentinum desideret, Examinatores deputandos gradum aliquem iam obtinuisse in sacra Theologia vel iure Canonico, Episcopi tamen arbitrio remittit, ut, qui etiam nullo gradu est insignitus, proponi possit. Quare etiamsi plures in Diaecesi reperiantur Doctoratus Laurea decorati, si nihilominus Episcopus eos minus peritos existimet, poterit cum Synodi approbatione aliis sive Secularibus, sive Regularibus, qui sine Doctoratu doctiores reputantur, Examinatoris officium committere, Fagnan. in Cap. *Inter ceteras* de rescriptis n. 45 *in Caesenaten. die 24 Novembris 1770* §. *Haud.*

27. Siquidem Benedictus XIV de synod. diaeces. lib. 4 cap. 7 n. 4 concludit: – Quamvis Tridentinum desideret, ut deputandi ad huiusmodi munus gradum aliquem in sacra Theologia vel iure Canonico sint consequuti; attamen arbitrio Episcopi permittit, etiam qui nullo gradu est condecoratus, proponere *in Montis Alti quoad Examinatores Synodales die 23 Iulii 1803* §. *Ceterum.*

28. Idcirco irrationabilis est Capituli dissensus, ex eo quod Archiepiscopus in Examinatores Synodales proposuerit Viros ex Ordine Mendicantium nec Laureatos in sacra Theologia aut iure Canonico, cum tamen aliunde constet, eos tum ratione scientiae, tum idoneitatis dignos esse, ut munere Examinatorum fungantur *in Bracharen. quoad Examinatores Synodales die 10 Martii et die 14 Aprilis 1804.*

29. Enimvero ex Rescripto Sacrae Congregationis sub die 29 novembris 1800 da-

ta est facultas Archiepiscopo Bracharensi, ut extra Synodum viginti quatuor Praeexaminatores eligere posset, – accedente consensu Capituli –. Inter electos aderant P. Alves tertii Ordinis S. Francisci P. Ioachim de Feira et P. Emanuel d'Aquas Sanctas ex Minorum Observantium Familia, P. Ioseph Correa et P. Antonius a Conceptione, qui Congregationi Oratorii erant adscripti. Hos Capitulum nedum reprobavit, sed etiam preces dedit Sacrae Congregationi, ne sua auctoritate probarentur, si Archiepiscopus a denegato Capituli consensu reclamaret. Sed precibus huiusmodi rescriptum fuit die 16 maii 1801: – Habebitur ratio in adventu recursus –. Reclamante porro Archiepiscopo ab irrationabili dissensu Capituli exquisita fuit informatio, audito Capitulo super causis denegati consensus. Capitulum has causas patefacere recusavit Archiepiscopo, sed Sacrae Congregationi in scriptis transmisit, quae aliae erant iuris, quia scilicet erant ex Ordine Mendicantium, ex quo Examinatores seligi non solebant, vel quia non erant Laureati in sacra Theologia aut iure Canonico; aliae erant facti, quia respiciebant defectum scientiae et idoneitatis. Archiepiscopus contra ostendit, Examinatores a se propositos dignos esse, qui hoc munere fungerentur. Nec obesse subdidit, quod iidem essent ex Ordine Mendicantium, cum isti includerentur in Decreto 18 sess. 24 Concilii Tridentini: atque defectus Doctoratus tanti non esse videbatur, ut idcirco repelli deberent, cum arbitrio Episcopi permissum sit, – etiam, qui nullo gradu est condecoratus, proponere –, ut iisdem verbis tradit Benedictus XIV de synod. diaeces. lib. 4 Cap. 7 n. 3. Nuncius Apostolicus Lusitaniae, qui in suo voto afferebat hinc inde rationes, censuit, – ex hactenus dictis atque ex aliis peculiaribus informationibus a Viris omni exceptione maioribus mihi traditis super qualitatibus Examinatorum exclusorum irrationabilis Capituli dissensus mihi esse videtur –. Proposito hinc dubio: – An constet de irrationabili dissensu Capituli, ita ut, eo minime obstante, electio P. Emanuelis Alves P. Ioachim de Feira P. Emanuelis d'Aquas Sanctas P. Iosephi Correa et P. Antonii a Conceptione sit probanda in casu etc. –, Sacra Congregatio die 10 martii 1804 responsum dedit: – Affirmative in omnibus –. Reproposito mox dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Bracharen. quoad Examinatores Synodales die 14 Aprilis 1804.*

30. Quod si de idoneitate non constet, et sint tantum Doctores in philosophia, reiicienda est Examinatorum electio; quandoquidem Sacra Congregatio haudquaquam concedere censuit facultatem Episcopo deputandi in locum Synodalium deficientium vel per mortem vel per longam absentiam aliquos Examinatores, qui erant Doctores in philosophia tantum *in Pisauren. Examinatorum Synodalium die 2 Maii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 244.*

31. Quum autem nominatur Persona, quae in dignitate officioque sit, ad quod nonnisi idoneus eligi solet et debet, validam censendam esse nominationem tradunt Gavant. in prax. synod. diaeces. part. 1 cap. 31 de examin. §. 5 et part. 4 cap. 9 n. 16, Ledesm. in summ. part. 2 tract. 7 conclus. 7, Tancred. de relig. tract. 2 lib. 4 disp. 7 quaest. 12, Diana oper. moral. tom. 3 tract. 3 resol. 96 per totum, et in summa verb. Examinare, et definivit Rota coram Molin. decis. 267 n. 3 tom. 1 *in Policastren. Parochialis die 28 Augusti 1745* §. *Adversus.*

32. Explorati tamen iuris est, electiones Examinatorum fieri debere individua certarum Personarum nominatione, non vero generali Dignitatis alicuius nomine, cum evenire possit, ut, qui dignitate praestat, nec scientia tamen nec morum probitate praecellat, quae duo necessaria sunt in Examinatoribus Synodalibus, ut uno consensu tradunt Pontificii Iuris Interpretes, et pluries etiam definivit Sacra Congregatio, ut est apud Garz. de Benef. part. 9 cap. 2 n. 334, Barbos. ad Concil. Trid. cap. 18 sess. 24 n. 86, et de Paroch. part. 1 cap. 2 n. 56, Massobr. in prax. haben. concurs. requis. 11 dub. 3 n. 2 et n. 5 cum aliis per Rotam coram Molin. decis. 267 n. 2 vol. 1, et quoad Vicarium Generalem apud Nicol. lucubr. iur. can. vol. 1 litt. C. tit. 18 de concess. praeben. *in Policastren. Parochialis die 28 Augusti 1745* §. *Nullitatem.*

33. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, deputationem Examinatorum Synodalium sub nomine Dignitatum in genere esse nullam *in Pennen. die 14 Augusti 1640 lib. 16 Decretorum pag. 417.*

34. Quod si contraria adsit consuetudo ac bona fides nec non alia rerum adiuncta concurrant, saltem ad cautelam convalidatur concursus; quandoquidem quum in postrema Synodo Diaecesana Policastrensi habita anno 1675 inter Examinatores Sinodales deputatus fuerit Vicarius Generalis pro tempore, cumque in concursu ultra duos loco Synodalium electos ab Episcopo, facultate illi data ab Sacra Congregatione, affuerit Vicarius Generalis ab Episcopo non electus, Sacra Congregatio concursum quidem convalidavit ad cautelam, sed simul scribendum mandavit Episcopo, Vicarium Generalem non posse deinceps Synodalis Examinatoris munus exercere, nisi proprio expresso nomine ad illud iterum deputetur: concurrebat quippe in casu de quo agebatur, Curiae illius praxis a praedecessoribus Episcopis servata; – in omnibus enim concursibus ad Ecclesias parochiales, quae vacabant, indictis, Vicarius Generalis pro tempore iure electionis factae in ultima Synodo Examinatoris partes sustinuit, quae consuetudo et praxis ius facit, etiamsi communis error sit, ut rescripsit hoc Sacrum Tribunal in Causa Cordien. die 8 maii 1684, quam refert Monacellius in form. tom. 4 in addit. ad 1 tom. tit. 5 form. 3 n. 15 pag. 6, et diserte probavit Rota dicta decis. 267 coram Molin. n. 4, ideoque bonam fidem, quae procul dubio oritur ex hac praxi et consuetudine, locum facere sanationi, quam postulat Xaverius, qui nullitati huic, si adesset, nullam operam dedit, et quod magis est, cum ab Episcopo et a Vicario Generali dolus omnis abfuerit, qui veterem sequentes consuetudinem nihil peccarunt, ideoque facile concedenda sanatio sit, ut pluries eas concessisse hoc Sacrum Tribunal tradit Rota decis. 133 n. 25 coram Kaunitz – (1) *in Policastren. Parochialis die 28 Augusti 1745* §. *Adversus* (2).

35. Hinc Examinatores, in Synodo legiti-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Concursus*, §. I, n. 329 ad 332, Tom. VI.

(2) Benedictus XIV in lib. 4 cap. 7 n. 5 de synod. diaeces. ait: – De hac controversia, teste Garcia de Benef. part. 9 cap. 2 in responsione ad dubium 22 n. 339 et seqq., actum fuit in Sacra Congregatione Concilii in una Toletana anno 1594 et decisum, sub generali Auditorum Consilii Archiepiscopalis in Synodales Examinatores illos solum fuisse comprehensos, qui Auditorum Officium tunc temporis gerebant, non vero eorumdem soccessores; eidemque decisioni adstipulatam fuisse Romanam Rotam idem Garcias n. 341 et seqq. refert –. Exinde laudatus Benedictus XIV loquens de resolutione edita in praedicta Policastren. 18 Septembris 1745 ita disserit: – Sacra Congregatio die 18 septembris 1745 concursum convalidavit ad cautelam, sed simul scribendum dixit Episcopo, Vicarium Generalem non posse deinceps Synodalis Examinatoris munus exercere, nisi proprio expresso nomine ad illud iterum deputetur. Ideo autem concursus fuit ad cautelam convalidatus, quia non desunt Doctores, qui opinantur, Examinatorum electionem, factam sub appellativo nomine Dignitatis seu Officii, ne quoad illos quidem sustineri, qui electionis tempore Dignitatem seu officium obtinent; et licet Sacra Congregatio in praedicta Toletana oppositum censuerit, noluit tamen hanc quaestionem refricare iterumque decidere –. At huiusmodi rationes haud rerum veritati cohaerere videntur. Primum enim animadvertendum est, Benedictum XIV latuisse alteram Sacrae Congregationis resolutionem editam in supra relata Pennen. die 14 augusti 1640; quandoquidem si hanc, praeter Toletanam anni 1594, rescivisset, convalidationem ad cautelam desumere abstinuisset ex eo, quod non desunt Doctores, qui contrarium tenent; multoque minus dixisset, quod – licet Sacra Congregatio in praedicta Toletana oppositum censuerit, noluit tamen hanc quaestionem refricare iterumque decidere. Etenim Sacra Congregatio, post resolutionem editam anno 1594 in Toletana, iterum quaestionem refricavit iterumque decidit in Pennen. die 14 augusti 1640. Mens itaquae Sacrae Congregationis eadem semper fuit: nam ratio, cur in praefata Policastren. die 18 septembris 1745 concursum convalidavit ad cautelam, manifesta erumpit ex ipsa facti specie, scilicet quia ibi concurrebat consuetudo septuaginta annorum, nempe ab anno 1675 ad annum 1745, nec non bona fides tum Xaverii concurrentis ad Parochialem consequendam, tum Episcopi, qui concursum instituit, tum etiam ipsius Vicarii Generalis, qui ei adfuit.

Insuper in dicto concursu alii duo Examinatores non erant illi, qui in postrema Synodo fuerunt deputati, sed ab Episcopo ipso electi ex facultate Sacrae Congregationis: unde quum intercesserit Episcopi ministerium, qui eos de facto elegit, consequens est, quod Episcopus ipse etiam Vicarium Generalem designare debuerit, cum alios duos deputavit. Unde si non expresse, tacite saltem etiam Vicarium Generalem deputavit ex facultate sibi tradita a Sacra Congregatione. Nam sit etiam, quod Episcopus deputaverit Vi-

me electi, adhuc in officio permanent, etiamsi Episcopus diem supremum obierit; quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, Officium Examinatorum non expirare per mortem Episcopi *in Dubium ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

36. Nam Examinatores Synodales durant, donec alii in Synodo deputati fuerint, si tamen extent adhuc numero sex *in Capuana anno 1600 lib. 9 Decretorum pag. 112.*

37. Si vero anno elapso ab eorum electione in Synodo celebrata aliqui ex eis mortui fuerint, ita ut sex non supersint, omnium expirat officium *in Savonen. die 5 Februarii 1593 lib. 7 Decretorum pag. 91.*

Item *in Caurien. anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 111; in Dubium mense Novembris 1617 lib. 11 Decretorum pag. 205.*

38. Quapropter elapso etiam anno a celebratione Synodus sunt adhibendi in concursibus faciendis, si sex sunt superstites, privative quoad electos cum Indulto Summi Pontificis ex suppositione, quod primi non possent legitime concursibus interesse *in Imolen. Examinatorum Synodalium die 10 Decembris 1695 lib. 45 Decretorum..*

39. Aliquibus vero mortuis intra annum eorum electionis, tota facultas examinandi devolvitur ad superstites, etiamsi unus tantum superesset, eo tamen anno durante *in Caurien. anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 111.*

40. Si autem omnes electi in Synodo intra annum eorum electionis mortui fuerint, Episcopus subrogare debet alios non pauciores sex ex antiquis, si qui fuerint, tot vero ad hunc numerum senarium perficiendum non extantibus, eligere debet illos, qui fuerint, et supplere numerum senarium cum aliis a Capitulo probatis. Nemine vero ex antiquis superstite, tunc omnes novos Examinatores probitate ac scientia idoneos, qui a Capitulo approbati sint, debet substituere. Ita respondit ex mente Sanctissimi S. Congregatio *in Civitaten. die 3 Iulii 1593 lib. 7 Decretorum pag. 116.*

41. Hinc Examinatorum Synodalium modo supra expresso deputatorum officium expirabit, cum primum advenerit tempus novam Synodum congregandi *in Civitaten. die 3 Iulii 1593 lib. 7 Decretorum pag. 116.*

42. Patet igitur, quod officium Examinatorum protrahitur ad novam usque Synodum, quae intra unius anni spatium ad Tridentini normam esset celebranda, et in qua aut iidem, aut alii de novo deputandi forent. Si autem vel omnes vel aliqui ex designatis in postrema Synodo, decurrente anno, moriantur, aut e Diaecesi decedant, tunc si sex saltem ex designatis remaneant, eo casu cum numerum adhuc exaequent a Tridentino statutum, istorum opera Episcopus utetur, nec alios in demortuorum vel absentium locum substituere poterit. Sin vero sextus eorum numerus sit imminutus, tunc Clementis VIII Decreto Episcopis data facultas est alios subrogandi cum approbatione Capituli, modo una simul cum superstitibus ex electis in Synodo non excedant numerum a Tridentina Synodo memoratum, Garz. de Benef. part. 9 cap. 2 n. 72, Fagnan. in Cap. *Cum sit* de aetat. et qualit. n. 54 *in Caesenaten. die 24 Novembris 1770* §. *Officium.*

43. Verum anno a postrema Synodo praeterlapso cessat officium Examinatorum, qui intra eiusdem anni intervallum in demortuorum seu absentium locum forte fuerint ab Episcopo suffecti, secus vero est munus eorum, qui in ultima Synodo electi fuerint, quorum officium perseverat usque ad futuram Synodum, dummodo sex illorum superstites sint, ita tamen, ut integro haud remanente senario numero ex electis in Synodo, omnium officium expiret. Hinc elapso

carium Generalem vi electionis factae in postrema Synodo anni 1675, quod tamen expresse in facti specie non habetur, Episcopus nihilominus in promptu simul habebat facultatem sibi traditam a Sacra Congregatione. Idcirco quum intentio Episcopi esset, ut validum instituerat Concursum, hinc et intentio eius implicite fuit, ut si non valeret deputatio Vicarii Generalis vi electionis factae in Synodo, valeret vi deputationis factae ex facultate sibi a Sacra Congregatione tradita. His propterea attentis nec non consuetudine et bona fide, validus forte videbatur concursus; et hanc ob causam Sacra Congregatio eum convalidavit ad cautelam.

Qua de re mirabilis semper emicat sapientia Sacrae Congregationis, quin umquam contradictio habeatur; sed oportet habere prae oculis omnes resolutiones easque intimius inspicere, si huiusmodi sapientia conspici velit.

anno et non existentibus sex Examinatorum in Synodo electis, necesse est, ut Episcopus vel novam Synodum cogat, vel facultatem petat a Sacra Congregatione novos deputandi Examinatores extra Synodum, quorum officium decernit duraturum dumtaxat ad annum, quo elapso, iterum ad preces Episcopi illos in munere confirmat, quod et deinceps semper in annum iisdem prorogat *in Cassanen. Concursus die 16 Decembris 1719* §. *Excipit.*

Item *in Caesenaten. die 24 Novembris 1770* §. *Verum.*

44. Receptum hinc ex usu est, in vim facultatis a Sacra Congregatione concessae eligendi Examinatores Synodales annum incipere a die electionis, quod ex ipso Literarum tenore apparet, quae habent: – Impertiuntur facultatem eligendi de consensu Capituli sex Examinatores Synodales ad annum duraturos –; praefixus enim terminus durationi electorum apponitur, qui aliter integrum annum non perdurarent *in Melevitana Parochialis die 14 Aprilis 1764* §. *Sed.*

45. Dubium itaque non videretur esse Examinatorum durationem saltem incipere ad annum ab ipsa electione, quae cum consensu Capituli fiat. Dubium tamen esset, an possint Episcopi, post acceptas Literas, ea facultate tempore, quo lubet, uti, ne ita eludatur mens Sacrae Congregationis, quae eam tribuit, donec cogatur Synodus, quae anno quolibet ex Concilio cogi debet, et quae alias cogeretur nunquam *in Melevitana Parochialis die 15 Septembris 1764* §. *De.*

46. Idcirco in facto ponderabatur, quod Literae facultatis datae erant Episcopo Melevitano die 28 februarii 1761. Electio cum consensu Capituli facta est die 10 mensis aprilis 1762. Si electio facta extitisset mense aprili vel etiam mense maio eiusdem anni 1761, fortasse legitima dicenda esset, ob maritimum iter ab Urbe ad Melitensem Insulam, cum maris viae certi mensuram itineris habere nequeant. Multo magis, quia post diem 28 februarii insecuta Congregatio habita est die 11 aprilis. Literae autem, etsi paullo ante datae essent, tamen diem praecedentis Congregationis habuissent. Considerabatur itaque, num etsi retardaretur electio, attamen dummodo intra annum a die acceptarum Literarum fiat, licet Examinatores a die electionis annum durationis non habeant, legitimi dicendi sint pro eo anni tempore, quod a die electionis, quae fieri debebat, excurrit. Hoc casu, posito, quod mense maio anno 1761 forsitan eligi potuissent, licet electi postea, tamen usque ad mensem maium anni 1762, quo concursus habitus est, eos perdurasse dicendum esset. His igitur perpensis, Sacra Congregatio censuit, perdurasse adhuc facultatem praefato Episcopo Melevitano concessam eligendi Examinatores extra Synodum cum consensu Capituli, adeoque validum renunciavit concursum, quem antea nullum ediderat *in Melevitana die 2 Iunii et die 15 Septembris 1764* (1).

47. Horum autem Examinatorum electio a Sacra Congregatione committitur Episcopis una cum Capituli approbatione vel consensu: quare hac accepta facultate, Episcopus sex eligit Examinatores omnibus praeditos qualitatibus a Tridentino requisitis, eosque Capitulo proponit, ut huius approbatio ac consensus superaccedat. Verum si Capitulum illos, quamvis ceteroquin idoneos, approbare recusaverit, existimat Pignatellius consult. 119 tom. 1, habendos nihilominus esse pro approbatis, quia Capitulum tenetur ex iustitia illos approbare, et consensus ex iustitia praestandus, cum iniuste denegatur, habetur pro praestito, Surd. decis. 220 n. 54 *in Caesenaten. die 24 Novembris 1770* §. *Horum.*

48. Iamvero quatenus Episcopus proposuit Examinatoribus his praeditis qualitatibus, quas Tridentinum requirit, ex iustitia a Capitulo consensus praestandus est, et si iniuste denegatur, habetur pro praestito, ut tradit Valenz. consil. 113 n. 25, Mantic. decis. 226 n. 9: quo fit, ut, iniuste dissentientibus Canonicis, Examinatores habeantur tamquam legitime deputati, ut ad Cap. *Nullius* de iurepatronatus tradit Andreucc. de tuend. pace et concord. inter Episcop. et Capit. part. 4 cap. 1 §. 2 n. 198, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 4 cap. 7 §. 10 *in Montis Alti quoad Examinatores Synodales die 23 Iulii 1803* §. *Quatenus.*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Concursus*, §. I, n. 277 ad 279, Tom. VI..

49. Ne tamen, excitata quaestione circa denegati consensus iustitiam, interim dubium oriatur de validitate ineundorum concursuum, tutius ideo erit, ut Episcopus a Sacra Congregatione Concilii petat supplementum consensus, quem Capitulum sine causa denegavit. Hinc Sacra Congregatio die 20 septembris 1645 in una Messanen. nominationem seu electionem Examinatorum, quam iniuste Capitulum approbare detrectaverat, ratam habuit, Pignatell. consult. 119 per totum tom. 1 *in Caesenaten. die 24 Novembris 1770* §. *Ne.*

50. Nam si Capitulum irrationabiliter reiiciat Examinatores Synodales, quos Episcopus elegerit, Sacra Congregatio procul dubio confirmandos esse respondit *in Caesenaten. die 15 Decembris 1770.*

51. Siquidem ex quatuor et quadraginta Synodalibus Examinatoribus in postrema Caesenatensi Synodo anni 1738 electis iam inter mortales vix duodecim supererant. Istorum tum senectus, tum mala aliquorum valetudo pronum reddiderunt anno 1767 s. m. Clementem XIII Episcopi votis, ut novos cum consensu Capituli eligere posset Examinatores, iuxta praescriptum Sacri Concilii Tridentini. Episcopus igitur Pontificia hac indulgentia suffultus, sex selectos Viros Capitulo proposuit; sed Capitulum, privato habito scrutinio, tres tantum approbavit, reliquos reiecit, nempe Franciscum Todini Canonicum Poenitentiarium Vincentium Saverni Parochum SS. Ioannis Evangelistae et Severi dictae Civitatis et Patrem Iosephum Muccioli Ordinis S. Francisci Conventualium. De negata istorum confirmatione graviter conquestus est Episcopus apud Sacram Congregationem, quae licet Capitulo praefiniendum iusserit terminum ad iura sua deducenda, eo tamen rem protelante, quaestio diu siluit. Interim idcirco opus fuit, ut saepius Episcopo potestas fieret novos ad breve tempus eligendi Examinatores, ne de validitate agendorum concursuum novae lites exurgerent. Imperio tandem Sacrae Congregationis, Capitulum adfuit ac contendit, electionem Examinatorum non privative ad Episcopum spectare, sed in Synodo cumulative cum Clero, et extra Synodum coniunctim cum Capitulo habendam esse: utriusque autem consensum adeo pro forma requiri, ut alias electio nulla sit, initique concursus cum Examinatoribus, praeter eam formam electis, sunt prorsus irriti. Porro nec Capitulum teneri ad sui dissensus causas proferendas, vel saltem eius consensum non posse suppleri, nisi de irrationabilitate constet; rem vero longe abesse ab huiusmodi hypothesi. Ex numero pluribus Examinatoribus in postrema Synodo electis adhuc octo superesse sanae mentis, optimae valetudinis, in Civitate assidue morantes, et undique idoneos habendos. Summa ideo liberalitate tres tantum ex sex propositis Viris fuisse a Capitulo reiectos, cum vetita sit electio novorum Examinatorum extra Synodum, quoties sex Synodales adhuc supersunt. Addidit, Viros reiectos adeo familiaritate et amicitia Episcopo devinctos esse, ut pro eorum arbitrio Diaecesim regerent actionesque Episcopi ad eorum libitum moderarentur, et hac de causa universae Diaecesi invisos esse ac suspectos. De eorum denique doctrina moribus et prudentia Capitulum non satis contentum se profitebatur ex iis, quae inter monumenta Causae commiscebantur. Quare conclusit, iure ac merito non fuisse approbatos, vel tamquam non idoneos, vel saltem tamquam suspectos, Ugolin. de offic. et potest. Episcop. Cap. 50 §. 5 n. 3.

52. Promotor Fiscalis vero dixit, claram apertamque Episcopo favere iuris praesumptionem, quod idoneos Viros selegerit, unde Capitulum cogebatur, causas undique iustas urgentesque sui dissensus praeferre: inania vero esse, quae vel de defectu necessitatis novos eligendi Examinatores, vel de eorumdem inidoneitate opponebantur. Superstites siquidem Examinatores Synodales, senectute viribus fractos, vel nonnisi difficillime summoque cum incommodo obeundo eis concredito muneri interesse posse: plures etiam ex eis a Diaecesi absentes sive ad tempus, sive in perpetuum morari; hinc vix unum vel alterum superesse, qui vocari posset, saepiusque etiam ob eorumdem deficientiam debuisse concursus differri. Apertam ideo adegisse necessitatem, ut novi eligerentur Examinatores, hancque recognovisse Capitulum, quod tres ex selectis approbavit, atque hanc confirmasse Sacram Congregationem, quae hac pendente quaestione pluries electionem novorum

Examinatorum ad breve tempus indulgere debuit, ut urgentibus concursibus consultum foret. Ex mera pariter aemulatione notari doctrinam probitatem moresque virorum selectorum. Franciscum Todini post plurima suorum studiorum specimina varias rexisse parochiales Ecclesias, publicas conciones ac orationes saepius habuisse, doctoratum obtinuisse in sacra Theelogia; ei ob praeclara eiusdem merita tum ad cathedram philosophiae in Universitate Caesenatensi, tum ad Canonicatum Poenitentiarium Cathedralis summo omnium plausu evectum fuisse. Vincentium vero Saverni Parochum SS. Ioannis Evangelistae et Severi eiusdem Civitatis doctrina pietate optimisque moribus adeo praecellere, ut tota Diaecesis summa veneratione ac obsequio ipsum prosequeretur et coleret. Demum Patrem Iosephum Muccioli, post plurimas obtentas in suo Ordine cathedras pluresque assequutos honorificos gradus, in publicum metaphisicae Lectorem Universitatis Caesenatensis selectum fuisse. Non zelo itaque boni publici vel iusta causa, sed mera aemulatione tam probatos ac idoneos Viros fuisse a Capitulo reiectos. Dissensum idcirco Capituli adeo irrationabilem ac iniustum posthabendum esse, et prout alias fieri consuevit, eiusdem consensum a Sacra Congregatione supplendum esse, Pignatell. consult. 119 per totum tom. 1.

53. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Examinatores Synodales ab Episcopo electi et a Capitulo reprobati sint confirmandi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Caesenaten. die 15 Decembris 1770.*

54. Quapropter quum Capitulum tres ex ex Examinatoribus ab Episcopo propositis reprobaverit ex informata conscientia, atque causas reprobationis sub specie christianae charitatis reticere censuerit, sed Episcopus eos probaverit dignissimos, Sacra Congregatio declaravit, constare de irrationabili iudicio Capituli, ita ut non obstante eius dissensu electio ipsorum in Examinatores Synodales esset probanda *in Montis Alti quoad Examinatores Synodales die 23 Iulii 1803.*

55. Enimvero in postrema Synodo Diaecesana anno 1776 a defuncto Marcucci Antistite Montis Alti celebrata octoginta Examinatores Synodales ex utroque Clero electi fuere. Sed tanta temporis diuturnitate multi occubuerunt, iamque supererant triginta, quorum undeviginti extra Diaecesim morabantur, octo ingravescentibus annis muneri obeundo erant impares, unus morbo laborabat. Quo fiebat, ut duo tantum essent Examinatores, nec proinde concursus ad Paraecias haberi possent, nisi modernus Episcopus impetrasset facultates deputandi Examinatores Prosynodales de consensu Capituli. Sex proposuit Episcopus, ex quibus Capitulum tres reprobavit, scilicet Archipresbiterum Siquilini Canonicum Theologum Aloisium Octaviani, qui duo erant de gremio Capituli, et Presbiterum Aloisium Masucci Canonicum Collegiatae et Vicarium Foraneum Oppidi Castineani. Ratus Episcopus, iniustum esse dissensum huiusmodi, rem detulit ad Sacram Congregationem, ut suam auctoritatem interponeret. Iniunctum est Capitulo, ut in scriptis referret causas, cur Examinatores reprobaverit. Capitulum vero folium in scriptis transmisit, quo profitebatur, in eorum exclusione Deum prae oculis habuisse, ita ut iustis de causis dumtaxat *ex informata conscientia* ipsos reprobasse, quin huiusmodi causas pandere posset, cum vinculum charitatis urgeret, ne quidquam contra proximum praesertim ecclesiasticae militiae adscriptum ageret. Episcopus contra dignissimos probavit ex transmissis documentis eos, quos Capitulum reprobavit. His igitur perpensis, proposito dubio: – An constet de irrationabili iudicio Capituli, ita ut non obstante eius dissensu electio Marci Siquilini Aloisii Octaviani et Aloisii Masucci in Examinatores Synodales sit probanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus – *in Montis Alti quoad Examinatores Synodales die 23 Iulii 1803.*

56. Quin imo Sacra Congregatio ex causis Sanctitati suae bene notis concessit Episcopo eligere sex Examinatores extra Synodum absque consensu Capituli *in Parmen. die 23 Augusti 1636 lib. 15 Decretorum pag. 396.*

57. Quod si elapsus sit annus, quo nominatus ab Episcopo et forte a Capitulo irrationabiliter reiectus exercere potuerit Exa-

minatoris munus, Sacra Congregatio supervacaneum censet definire, an is ad Episcopi instantiam sit confirmandus, ac ea propter a discussione supersedet *in Aversana Electionis Examinatoris die 2 Maii 1739.*

58. Siquidem noscens Aversanus Antistes plures ex Synodalibus Examinatoribus in postrema Diaecesana Synodo electis obiisse, nimioque propterea onere superstites Examinatores gravari, praevia Sacrae Congregationis licentia, habitoque Capituli consensu, sex alios extra Synodum deputavit; mox vero, impetrata facultate binos alios addendi sub eadem, quae moris est, formula, quod accederet consensus Capituli, huic sub diem 25 martii 1738 convocato duos Presbiteros, nempe Alexandrum Micillo de Iuliano Parochum Diaecesanum, et Caietanum Perusini Presbiterum Neapolitanum, in eum finem proposuit, sed prior tantum fuit approbatus, reiecto altero sub obtentu, quod iste, veluti exterus, non esset Canonicis notus, quodque Episcopus noluerit trium aut quatuor dierum tempus concedere, intra quod Canonici, nullam dicti Presbiteri cognitionem habentes, possent de illius doctrina et qualitatibus instrui. Hanc rerum seriem tam proprio, quam asserto nomine maioris partis Capituli, exponens Dominicus Forgioni Cantor Cathedralis Ecclesiae, supplicavit, ut ipse ceterique Canonici ab electione huiusmodi Advenarum dispensarentur, ne propriam traderent conscientiam, ad effectum non incidendi in Episcopi indignationem. Contra vero Promotor Fiscalis contendit, sanandam esse praefati Perusini electionem, cum ex novem supra decem votis is novem sibi propitios retulerit, atque nedum Episcopus, sed et Archiepiscopus Neapolitanus Perusinium doctrina moribusque valde praestantem renunciarent. Nam praeter notata per Pignatellium in consult. 119 per totum tom. 1, ibi etiam habetur Rescriptum Sacrae Congregationis die 20 septembris 1645 in una Messanen., quo eadem similem nominationem seu electionem Examinatorum Synodalium, quam Capitulum detrectaverat approbare, convalidavit. His autem perpensis, proposito dubio: – An nominatio Sacerdotis Caietani Perusini in Examinatorem Synodalem facta ab Ordinario sit confirmanda, non obstante dissensu decem ex novem supram decem Canonicis in Capitulo intervenientibus et suffragium ferentibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Non proposita, attento lapsu anni – (1) *in Aversana Electionis Examinatori Synodalis die 2 Maii 1739.*

59. Examinatores Synodales autem fideliter munus exequuturos, postposita quacumque humana affectione, iurare tenentur *in Comaclen. Professionis Fidei die 24 Augusti 1822* §. *Idipsum.*

60. Unde si Examinatores nullo unquam tempore iusiurandum praestiterint, haud legitimi censentur, et ideo concursus est nullus, Massobr. de Synod. requis. 14 dub. 1 et 2, Barbos. de Paroch. part. 1 cap. 2 n. 76, et S. Congregatio in Bisinianen. 12 decembris 1628, et in Illerden. Concursus 14 martii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 66 *in Mileten. Concursus die 23 Iunii 1753* §. *Causa.*

Item *in Bisinianen. Parochialis die 3 Aprilis 1756* §. *Indicto.*

61. Ceterum Examinatores Synodales obligati ad praestandum iuramentum de fideliter adimplendo munus suum, sufficit, quod illud praestent ante examen, ad illius validitatem *in Nullius die 11 Maii 1630 lib. 14 Decretorum pag. 287.*

62. Hinc non possunt ab Episcopo adhiberi in examinibus pro concursibus Parochialium vacantium peragendis Examinatores Synodales de crimine adulterii condemnati, concurrente reiudicata *in Vasionen. die 4 Decembris 1627 lib. 13 Decretorum pag. 354.*

63. Neque Examinatores adhibendi, qui sunt alicui ex Concurrentibus consanguinei, vel alia ratione suspecti *in Bracharen. mense Septembris 1603 lib. 10 Decretorum pag. 66.*

64. Idcirco cogendos non esse Presbiteros concurrentes sistere se coram Examinatoribus, quos iuste in suspectum allegaverint, firmant adducti per Massobr. in Prax. haben. Concurs. ad Parochial. requisit. 5 dub.

(1) Unde Benedictus XIV in Synod. Diaeces. lib. 4 cap. 7 n. 10 inquit: – Quum perpensum fuerit, iam tum elapsum fuisse annum, quo praefatus Sacerdos (scilicet Caietanus Perusinus) exercere potuisset Examinatoris munus iuxta ea, quae supra diximus, Sacra Congregatio supervacaneum duxit Causam definire, ab eiusque propterea discussione supersedit –.

3 n. 1, Gonzal. ad Regul. 8 Cancell. gloss. 9 §. 1 n. 186, Pax Iordan. de re Benef. lib. 10 tit. 8 n. 190 tom. 3 *in Capuana Concursus die 21 Novembris 1739* §. *In.*

65. Oportet tamen, ut adsit causa legitime probata; proposito enim dubio: – III. An Ioseph de Cirro potuerit duos ex ipsis Examinatoribus, ut supra, allegare suspectos, adeo ut per Vicarium sit deferendum huiusmodi suspicioni? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, sine causa legitime probata non potuisse – *in Lucerina Concursus die 26 Novembris 1661 lib. 22 Decretorum pag. 724.*

66. Unde Examinatores nonnisi vocati ab Episcopo seu illius Vicario accedere debent, non obstante praetensa consuetudine in contrarium *in Ianuen. die 14 Augusti 1632 lib. 14 Decretorum pag. 659.*

67. Possunt tamen cogi saltem tres poenis etiam censurarum ad interessendum concursibus *in Urbaniae die 24 Iulii 1643 lib. 17 Decretorum pag. 216.*

68. Hinc Examinatores Synodales adhibendi in concursibus Parochialium vacantium ex praescripto Sacri Concilii Tridentini in cap. 18 sess. 24 de reformatione non debent praecise esse tantum tres, sed ad minus tres *in Dubium ad dictum Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

69. Quin imo iidem numero sunt adhibendi Examinatores synodales tam in concursibus Parochialium pinguium, quam tenuium; nec minus, quam tres, iuxta mentem sacri Concilii Tridentini in Cap. 18 sess. 24 de reformatione *in Cremonen. lib. 1 Decretorum pag. 75.*

70. Compertum autem est, onus esse Examinatorum non explorandi tantum scientiam uniuscuiusque ex concurrentibus, uti monet Pax Iordan. elucubr. can. tom. 2 lib. 10 cap. 8 n. 174, sed ipsos teneri quoque inquirere de moribus aetate prudentia aliisque animi dotibus, et, iuxta probatum eiusmodi praerogativarum concursum, quemlibet dignum et idoneum renunciare, ad tradita per Garziam de Benef. part. 5 cap. 7, Ventrigl. in prax. eccles. part. 2 annot. 5 §. 1 11 46, Lotter. de re Benef. lib. 2 quaest. 31 n. 98, et alii adducti per Rotam decis. 299 a n. 1 coram Cavalerio, et resolvit Sacra Congregatio in Urbinaten. anno 1601 et 23 iunii 1605 lib. 9. Decretorum pag. 142 lib. 10 pag. 119, et in Hydruntina 19 iunii 1638 lib. 16 Decretorum pag. 47 *in Caputaquen. Concursus die 10 Iunii 1741* §. *Prior.*

Item *in Policastren. Parochialis die 28 Augusti 1745* §. *Altera; in Pinnen. Theologalis die 23 Augusti 1760* §. *Quantum; in Melevitana Parochialis die 14 Aprilis 1764* §. *Secundum; in Bisinianen. Concursus Parochialis die 22 Iunii 1833* §. *Ostendit.*

71. Neminem enim latet, a Benedicto XIV declarari in Constitutione 68 tom. 1, – Examinatores suo deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent, qui prae aliis essent idonei et commendabiles probitate morum laboribus praestito antea Ecclesiae obsequio ceterisque dotibus –, quas parochialis curae atque disciplinae ratio requirit. Qui proinde si mancum id genus iudicium ederent, nullius roboris id foret, et Ecclesiae parochialis collationem, quae exinde decerneretur, irritam atque inanem pluries Sacra Congregatio edixit, ut in Suessana Parochialis 12 februarii 1757, in Aquinaten. Parochialis 19 ianuarii 1765, et Rota in Cassanen. Parochialis 28 iunii 1754 §. 4 coram Migazzi, Lotter. de re Benef. lib. 2 quaest. 31 n. 98, Massobr, in prax. haben. concurs. requis. 7 dub. 1 n. 2 *in Policastren. Parochialis die 28 Augusti 1745* §. *Altera.*

Item *in Pinnen. Theologalis die 23 Augusti 1760* §. *Quantum; in Bisinianen. Concursus Paraeciae die 22 Iunii 1833* §. *Qui; in Spoletana Concursus die 8 Aprilis 1848* §. *At.*

72. Unde fit locus iuri devolutionis ad S. Sedem ex cognitissima Sancti Pii V Constitutione, cuius initium est: *In conferendis*, et praxi Datariae Apostolicae, de qua Corrad. in prax. Benef. lib. 3 cap. 4 n. 26, nullamque indulgeri posse sanationem, cum concursus, non servata lege et forma a Tridentino tradita, nullus sit in substantia, et ob id eius vitium nulla queat medicina sanari *in Policastren. Parochialis die 28 Augusti 1745* §. *Altera.*

73. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, Examinatores, adhibitos in concursibus Parochialium vacantium, debere dare vota de

idoneitate cuiuscumque examinati ac de omnibus illius qualitatibus tam quoad mores, quam quoad scientiam, itaut formae praescriptae a Sacro Concilio Tridentino non satisfaciant, si aliquem esse idoneum tantum quoad aliquam qualitatem, non autem quoad omnes, vel se remittant Episcopo vel Sedi Apostolicae *in Hydruntina die 19 Iunii 1638 lib. 16 Decretorum pag. 47.*

74. Idcirco relatione eorum, qua unus ex approbatis idoneus quoad scientiam tantum, non vero quoad vitam et mores renunciatus fuit, non est satisfactum Decreto Concilii in Cap. 18 sess. 24 de reformatione *in Urbinaten. anno 1601 lib. 9 Decretorum pag. 142.*

Item *die 23 Iunii 1605 lib. 10 Decretorum pag. 119.*

75. Examinatores vero possunt sua suffragia secum communicare, vel ea seorsim ferre; nec interest, utrum secreto, an palam ferantur, cum nihil de hac re fuerit a Tridentino sancitum. Possunt etiam de moribus aliisque postulantium qualitatibus simul vel de singulis eorum distincta dare suffragia, Fagnan. in Cap. *Eam* de aetat. et qualit. n. 16 et 17; quo fieret, ut, collatis tandem suffragiis, maiora eadem in alterum ex adprobatis et minora in alterum ut plurimum inferantur, atque inde in actis describatur, eos vel primo vel secundo vel inferiori loco probatos fuisse. Si itaque honesta huiusmodi suffragatione pateat ex ipso suffragiorum numero, quinam dignior ab ipsis censeatur, constat, verbis id eos posse portendere, quin de concursus vi ambigere fas sit, dummodo liberum de electione iudicium ac ius omne plene reservetur Episcopo. Hinc non desunt, qui arbitrantur, partes Examinatorum esse referre Episcopo, nedum quis dignus ex concurrentibus, sed etiam quis dignior sit, ut ait Barbosa in Trid. sess. 24 cap. 18 n. 114, et Garcias de Benef. part. 9 cap. 2 n. 109 *in Bisinianen. Concursus Parochialis die 22 Iunii 1833* §. *Id.*

76. Itaque Examinatores, peracto examine, magis expedire videtur, quod palam inter se sententiam suam dicant, et deinde vocato Notario praecipiant, ut in actis simpliciter scribat, Titium fuisse approbatum, vel Seium reprobatum *in Cremonen. lib. 1 Decretorum pag. 75.*

77. Nec possunt se ingerere ultra officium approbandi reprobandi et examinandi *in Lauden. Concursus die 10 Septembris 1672 lib. 26 Decretorum pag. 490.*

78. Examinatores enim Synodales in Concursibus Parochialium vacantium adhibiti debent renunciare tantum, quod idonei reperti fuerint; non autem quis eorum dignior, cum hoc Episcopi iudicio relinquatur *in Abulen. mense Decembris 1593 lib. 7 Decretotum pag. 139.*

79. Unde Sacra Congregatio anno 1573 ab Episcopo Patavino ad hunc modum interrogata: – Licet clare Concilium Tridentinum Cap. 18 sess. 24 loquatur, nihilominos Examinatores Patavini praetendunt, ad eos etiam spectare eligere magis idoneum ex illis, qui fuerint approbati in examine concursus ad Parochiales vacantes, et non ad Episcopum, contra clara verba ipsius Concilii. Quare, nomine Ordinarii Patavini, Dominationibus Vestris Illustrissimis humiliter supplicatur, ut suis literis ipsi Vicario Generali et Examinatoribus explicite declarent, quaenam in casu supradicto fuerit Concilii sententia –. Sacra Congregatio respondit: – Id ad eos non spectare – *in Patavina lib. 1 Decretorum pag. 110.*

80. Idque Sacra Congregatio pluries subinde declaravit, scilicet electionem dignioris ex approbatis ab Examinatoribus spectare ad Episcopum *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

Item *in Conchen. anno 1598 lib. 9 Decretorum pag. 59.*

81. Quin imo si Examinatores sint pares aut singulares in votis suis, Episcopus vel eius Vicarius habet votum decisivum; proposito enim dubio: – Utrum Episcopus vel Vicarius haberent votum decisivum in approbando examinatos ab Examinatoribus? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Habere, si Examinatores fuerint pares aut singulares in votis suis *anno 1573 lib. 1 Decretorum pag. 158.*

82. Amplia, etiam in vacatione Ecclesiarum parochialium iurispatronatus ecclesiastici ad Patronum spectat electio dignioris ex approbatis ab Examinatoribus Synodalibus; quandoquidem Abbas Sancti Cucufati Diaecesis Barchinonensis anno 1573 exposuit,

Examinatores sibi ius usurpare renuntiandi digniorem inter eos, quos approbaverant, scilicet: – Examinatores Synodales non ferebant tantum iudicium super idoneitate concurrentium, sed apertum iudicium ferebant super maiori idoneitate inter eos, quos approbaverat idoneos; supplicavitque (Abbas) Cardinalibus Congregationis, ut dignarentur, suae indemnitati providendo, ordinare Episcopo, ut faceret, quod Examinatores in huiusmodi Beneficiis patronatus ecclesiastici approbarent tantum idoneos, et relinqueretur locus Patrono eligendi digniorem, quem ipse Episcopus instituere debet et tenetur –. Sacra Congregatio censuit, – non pertinere ad Examinatores iudicare, quis magis idoneus sit, et si Parochialis sit iurispatronatus ecclesiastici et institutio spectet ad Episcopum, facultatem iudicandi digniorem inter idoneos approbatos ab Examinatoribus spectare ad Patronum ecclesiasticum, et Episcopum teneri instituere eum, quem dictus Patronus digniorem iudicaverit et ipsi Episcopo praesentaverit – *in Barchinonen. lib. 1 Decretorum pag. 167.*

83. Hinc Examinatores Synodales in concursibus Parochialium iurispatronatus ex pluribus praesentatis a Patrono non possunt unum tantum approbare, sed plures, ne tollatur Patrono competens electio *in Atrebaten. ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

84. Verum examinatus et approbatus, sed postpositus, potest provocare ad novum examen praeelectum coram Iudice appellationis, etiam antequam per alia documenta doceat de irrationabili iudicio Episcopi, et hanc esse intelligentiam Constitutionis S. Pii V respondit Sacra Congregatio *in Montis Regalis anno 1606 lib. 11 Decretorum pag. 11.*

85. Sacra Congregatio autem respondit, iudicium Examinatorum non fuisse irrationabile reprobando examinatum pro Parochiali ob defectum literaturae et ob diffamationem quoad omnes, non obstante, quod dictus examinatus allegaret diffamationem ex parte sublatam, et ex parte non probatam *in Ravennaten. Concursus die 14 Aprilis 1696 lib. 46 Decretorum.*

86. Hinc examinatus et approbatus in concursu ad parochialem vacantem, remittitur Emo Urbis Vicarios examinandus pro ordinibus suscipiendis *in Marsicana Ordinis die 26 Novembris 1695 lib. 45 Decretorum.*

87. At nullum potest ab Episcopo constitui stipendium Examinatoribus Synodalibus, et ideo Decretum Synodi Diaecesanae, quo eis illud statuitur, esse nullum et abolendum censuit Sacra Congregatio *in Salernitana lib. 2 Decretorum pag. 252 et 306* (1).

88. Nec ipsi Examinatores possunt aliquid recipere ab eis, quibus tamquam approbatis collatum fuit Beneficium, citra vitium simoniae, etiam peracto iam examine *in Aurien. lib. 2 Decretorum pag. 193.*

89. Secus enim facientes puniendi sunt arbitrio Episcopi *in Gerunden. Extorsionum mense Martii 1588 lib. 5 Decretorum pag. 104.*

90. Amplia, etiam non obstante quacumque consuetudine immemorabili *in Civitaten. die 24 Septembris 1592 lib.7 Decretorumpag. 70.*

91. Quapropter licet adesset consuetudo per plura etiam Concilia provincialia approbata, qua occasione examinis in concursu et collationis Parochialium Examinatores Synodales et Officiales Curiae Episcopalis aliqua percipiebant emolumenta, Sacra Congregatio resolvit, quoad Praesides et Examinatores nulla deberi emolumenta, in reliquis et quoad restitutionem emolumentorum, seu eorumdem depositum iam a Parocho factum, rem ad Emum Praefectum remisit iuxta mentem *in Iacen. die 14 Ianuarii 1758.*

(1) Benedictus XIV in lib. 4 de synod. diaeces. cap. 7 n. 11 refert statutum Concilii Provincialis Toletani, quo aliqua merces Examinatoribus Synodalibus constituebatur; sed illud merito reprobat, atque addit: – Quapropter cum de simili statuto, edito in Concilio Provinciali Compostellano, relatum olim fuisset ad Sacram Congregationem Concilii, haec illud adversari censuit menti Tridentini: proposito enim ab Episcopo Abulensi sequenti dubio: « In Episcopatu Abulensi et tota Provincia Compostellana ex Decreto Concilii Provincialis Compostellani, post Concilium Tridentinum facti, datur stipendium Examinatoribus Synodalibus ex fructibus Parochialium, ad quas fit examen, dubitatur, an possit hoc dari, stante Decreto Sancti Concilii Tridentini sess. 24 de reformatione cap. 18?» Sacra Congregatio responsum dedit: « Non posse »; quod narrat Garcias de Benef. part. 5 cap. 7. n. 11 –.

92. Siquidem consuetudo erat in pluribus Hispaniarum Diaecesibus et praesertim Toletana Compostellana et Iacensi, quam plura Provincialia Concilia approbarunt, sed quam neque improbabat, neque approbabat Benedictus XIV in aureo suo opere de synod. diaeces. lib. 4 cap. 7 n. 11, damnavit vero Sacra Congregatio in Abulen., quam refert Garcias, ut in omnibus Beneficiis curam animarum adnexam habentibus, quae per concursum conferuntur, quilibet provisus solvere teneretur certam pecuniarum quantitatem tam Examinatoribus Synodalibus, quam Curiae Episcopalis Officialibus, sive nomine stipendii, sive largitatis. Quantitas haec in Diaecesi Iacensi erat librarum 145 et solidorum quatuor: ex his capiebant Examinatores Synodales octo solidos, qui faciebant obulos quadraginta monetae Romanae. Qui vero Iacensi Ecclesiae ultimo loco praefuit Episcopus legem condidit, qua statuit, ut, vacantibus pluribus Ecclesiis parochialibus, unicum fieret examen concurrentium, protracto solum longius ab Examinatoribus examine, sed nihil detrahendo de taxa, quae solvi deberet a Provisis, ac si non unum, sed plures essent concursus, plura examina. Indicto igitur uno ex his concursibus ad plures vacantes parochiales Ecclesias, provisus fuit inter alios Sacerdos Antonius la Forcada, qui, solventibus aliis Provisis, seu ut vocabant, Oppositoribus, taxatam quantitatem unus solvere renuit, vetante Tridentino, Examinatores quicquam accipere. Officialibus Curiae Episcopalis debitum esse stipendium fatebatur, sed pro virili dividendum esse inter Oppositores, non vero integre a singulis esse praestandum, deposuitque integram summam, protestatione emissa, se aditurum Iudices: inde facta partiali consignatione depositi, preces obtulit Sacrae Congregationi, a qua auditus, qui tunc Ecclesiae Iacensi praeerat, vetustissimam esse respondit consuetudinem, quae si forte tolleretur, periculum esse, ne unus quidem reperiretur, qui vellet Examinatoris Synodalis munus subire. Hinc Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis disputavit, servandam esse consuetudinem, quae Tridentini dispositioni non adversatur, cum Tridentinum prospicere voluerit, ne symoniae vitio locus esset: hic autem praestaretur quantitas taxata largitionis nomine vel stipendii titulo: abesse symoniam, cum abesset pactum praecedens, et ideo id probatum fuisse a Conciliis provincialibus, et consuetudinem hanc servandam esse defendant magni nominis Doctores, Petr. Navarr. de restit. lib. 2 cap. 2 n. 188, Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3 alleg. 60 n. 53, Ledesm. in summ. part. 2 tract. 7 cap. 1 conclus. 7, Castropal. tom. 1 tract. 17 n. 5, Zerol. in prax. Episcop. part. 1 verb. Parochia §. 2 dub. 13, aliique. Hinc frustra peti a Parocho la Forcada restitutionem depositi, cum ea, quae ipse vellet, virilis distributio stipendii Officialium Curiae Episcopalis inter Oppositores locum habere non posset, quia unicum esse examen constitutum quidem fuerit lege praecedentis Episcopi Iacensis gratia concurrentium, non vero in detrimentum Examinatorum Synodalium et Officialium Curiae Episcopalis, quibus auctus fuit labor, et ideo expresse declaratum fuerit, abesse omne eorum damnum, quod ut abesset, necesse erat, in uno concurso unoque examine plures esse considerandos concursus plura examina.

93. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quae emolumenta debeantur occasione examinis in concursu et collationis Ecclesiarum parochialium in casu etc. II. An et quae emolumenta sint restituenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, quoad Praesides et Examinatores, Negative; in reliquis ad Emum Praefectum iuxta mentem. Ad secundum, ad eumdem Emum Praefectum – *in Iacen. die 14 Ianuarii 1758.*

94. Si tamen nollent gratis officium exercere, potest Episcopus aliquid praemii de suo illis dare, cum prohibitio Concilii, ne aliquid recipiant tam ante, quam post citra vitium simoniae, intelligenda est ab iis, qui Examinantur et qui Beneficia obtinere volunt. Ita censuit Sacra Congregatio, approbante Sanctissimo eius sententiam *in Urgellen. ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100* (1).

95. Haec quoad Examinatores Synodales:

(1) Reliqua habes in Verb. *Concursus*, Tom. VI.

sed praeterea Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 10 de reformatione loquens de Iudicum Synodalium electione, quibus Causae in partibus delegentur, statuit: – Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem et quandoque ob locorum longinquitatem, Personarum notitia, quibus Causae mandantur, usque adeo haberi non potest; hincque interdum Iudicibus, non undequaque idoneis, Causae in partibus delegantur, statuit Sancta Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus aut Diaecesanis aliquot Personas, quae qualitates iuxta Constitutionem Bonifacii VIII, quae incipit: *Statutum,* et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum iis etiam posthac Causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum usque ad futuram Provincialem aut Diaecesanam Synodum, ita ut habeat quaeque Diaecesis quatuor saltem aut etiam plures probatas Personas ac ut supra qualificatas, quibus huiusmodi Causae a quolibet Legato vel Nuntio atque etiam a Sede Apostolica committantur, alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quaecumque aliorum Iudicum, aliis quam his factae, surreptitiae censeantur – *in Regien. Iudicum Prosynodalium die 12 Aprilis 1843* §. *Concilium.*

96. Enimvero Bonifacius VIII in Cap. *Statutum* de rescriptis iam sanxerat: – Statutum, quod circa Iudices a Sede Apostolica deputandos nuper edidimus, cum quaedam contenta in eo, quae pro communi utilitate credebantur inducta, sicut experientia docuit, tendere dignoscantur ad noxam, sanctione praesenti, quam irrefragabiliter observari mandamus, suadente utilitate in melius duximus reformandum. Sancimus igitur, ut nullis, nisi Dignitate praeditis aut Personatum obtinentibus seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, Causae auctoritate Literarum Sedis Apostolicae vel Legatorum eius de cetero committantur, nec audiantur alibi, quam in Civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commode copia Peritorum haberi –. Et suum Decretum ita conclusit: – Quicquid autem contra praemissa vel eorum aliquod contigerit attentari, sit ipso iure nullum et inane – *in Regien. Iudicum Prosynodalium die 12 Aprilis 1843* §. *Bonifacius.*

97. Super hoc Capite casum effigens Glossa resolvit: – Nota, quae Personae capaces sunt iurisdictionis seu delegationis Apostolicae; quia solum illae Personae, quae constitutae sunt in dignitate vel personatu vel quae obtinent Canonicatum in Ecclesia Cathedrali. Sed quomodo cognoscemus, quod aliquis habeat Personatum vel Dignitatem? Declarat Panormitanus in Cap. *De multa* de praebendis, ubi dicit, quod recurrendum est ad consuetudinem; ut si sit consuetudo, quod talis habeat praeeminentiam et iurisdictionem, tunc dicitur habere Dignitatem; si autem sit consuetudo, quod talis habeat praeeminentiam et non iurisdictionem, tunc dicitur habere Personatum, et non Dignitatem. Nota insuper, quod Canonicus Ecclesiae Collegiatae, quantumcumque illa Ecclesia sit notabilis, non est capax Apostolicae iurisdictionis, et sic est correctum Cap. *Praesenti,* de quo mentio fit in hoc capite – *in Regien. Iudicum Prosynodalium die 12 Aprilis 1843* §. *Super.*

98. Hodie igitur dari non possunt Iudices Synodales, qui instituti sint in Collegiatis etiam honorabilibus, imo nec qui instituti in Cathedralibus, nisi sint Canonici vel Personatus vel Dignitates. Nam dictum Caput *Statutum* procedit per dispositionem negativam praecipiendo, ut – Nullis, nisi dignitate praeditis seu etc. –, quae sane excludit omnes alias Personas praeter expressas, Pignatell. tom. 4 cons. 158 a n. 1, Passerin. super dicto Capite n. 33 *in Regien. Iudicum Prosynodalium die 12 Aprilis 1843* §. *Hodie.*

99. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, – simplices Parochos Sacerdotes Clericos et Doctores in Iudices Synodales eligi non posse; Protonotarios vero Apostolicos posse, concurrente alia qualitate requisita a Capite *Statutum* de rescriptis in 6 – *in Savonen. die 19 Februarii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 339 a tergo.*

100. Unde Canonicos Ecclesiae Collegiatae eligi non posse in Iudices Synodales expresse tradunt Rosa de execut. Litt. Apost. part. 2

cap. 3 n. 7, Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3 allegat. 106 n. 12, Massobr. de synod. diaeces. cap. 4 dub. 10 n. 5 et 2, Pignatell. tom. 4 consult. 158, qui refert ita resolutum a Sacra Congregatione Concilii *in Regien. Iudicum Prosynodalium die 12 Aprilis 1843* §. *Hodie*.

101. Siquidem Sacra Congregatio resolvit, – Canonicum Collegiatae Ecclesiae eligi non posse in Iudicem Synodalem – *in Nullius anno 1624 lib. 12 Decretorum pag. 183 a tergo*.

102. Immo Barbosa de Canon. cap. 13 n. 10 cum pluribus, quos citat, intelligit etiam in casu, quo Canonicus Collegiatae sit peritissimus, et addit Passerin. in Cap. *Statutum* de rescript. in 6 n. 33 longe peritior, quam sit quilibet alius existens in Cathedrali. Advertendum tamen monet idem Passerinius, eos, qui in Collegiatis insignibus seu honorabilibus obtinent Dignitatem vel Personatum fieri posse Delegatos Papae, Gomez n. 87 post Glossam in Clem. 2 verb. delegatus de rescriptis, et ibidem Imola; sufficit enim, ut in eligendo reperiatur disiunctive una ex qualitatibus praescriptis, scilicet ut sit vel Canonicus in Cathedrali, vel sit Dignitas vel Personatus, iuxta Glossam supra relatam, et firmat Passerinius *in Regien. Iudicum Prosynodalibus die 12 Aprilis 1843* §. *Hodie*.

103. Nec obesse videtur contraria consuetudo resultans ex deputationibus alias factis contra Bonifacii sanctionem, attento praesertim Decreto irritanti, quo sanctio munitur, nec non attenta praecipue ipsa ratione legis, quae tum ob honorem Sedis Apostolicae, ne eius Auctoritas in Ministro inferiore vilipendatur, tum ob utilitatem impetrantium, ut peritos et dignos habeant Exequutores, statuit occurrere malis, quae ex eo eveniebant, quod – interdum Iudicibus non undequaque idoneis Causae in partibus delegarentur –; et ideo Constitutionem Bonifacii firmavit, quem ipse Bonifacius antecedens reformando statutum – irrefragabiliter – observari mandaverat, suadente utilitate *in Regien. Iudicum Prosynodalium die 12 Aprilis 1843* §. *De*.

104. Qui vero tempore commissionis reperiebatur constitutus in dignitate seu Canonicatum in Ecclesia Cathedrali obtinens resignaverit, potest adhuc Causam sibi commissam cognoscere; quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, Causam a Sede Apostolica commissam Iudici Synodali, qui erat Canonicus Cantor Cathedralis, etiam resignato Cantoratu, debere ab eodem cognosci, non vero a Resignatario *in Brundusina mense Iunii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 267*.

105. Unde Canonicus, dimisso etiam Canonicatu, remanet iudex Synodalis quoad Causas ceptas et commissas, dum erat Canonicus *in Interamnen. die 15 Decembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 207*.

106. Itaque cognitiones Causarum committendae quidem ad formam Concilii Tridentini, sed Episcopi tenentur Sedi Apostolicae manifestare nomina Iudicum in Synodo deputatorum, ne ad eas rudes et crassi deputentur *in Portallegren. die 17 Novembris 1725*.

107. Iamvero exposuit Episcopus Portallegrensis, quod cum frequentissimae essent cognitiones Causarum, quae a Sede Apostolica intra Portugalliae Regnum subditasque Provincias committebantur, infinitus excrevit numerus eorum, qui ambitione lucrique cupidine allecti se Prothonotarios Apostolicos extra numerum Participantium vel per Datariam vel per Cardinales Legatos vel per Episcopos Pontificio solio assistentes vel tandem per Ducem Sfortiam creari procurabant, ut sic ad commissiones praedictas obtinendas habilitarentur, vel ab aliis Personis in ecclesiastica Dignitate constitutis, et quibus pariter huiusmodi Apostolicae commissiones dirigebantur, subdelegari possent, ex quo non pauca derivabant inconvenientia, tum scandali, tum praeiudicii litigantium et iustitiae, et demum vilipendii Commissariorum Apostolicorum; conclusitque exorando, ut huius furfuris Personis commissiones amplius non dirigerentur, nec eaedem assumi possent ab Apostolicis Commissariis in subdelegatos, sed quod in posterum Causae non committerentur, nisi vel Iudicibus Synodalibus electis in aliqua Synodo Diaecesana vel Provinciali, vel saltem Personis ab Ordinario examinatis et approbatis tamquam idoneis ad haec munera exercenda. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad Emum Praefectum cum

Emo Pro-Datario (1) – *in Portallegren. die 17 Novembris 1725.*

108. Quum itaque in relatione status Ecclesiae ab Archiepiscopo Bracharensi anno 1714 ad Sacram Congregationem transmissa postulatum, secundo loco propositum, erat conceptum sequentibus verbis, – ut Causas aliaque iustitiae Rescripta solis Iudicibus Synodalibus et non aliis deinceps Sancta Sedes committere pro gratia dignetur, obviandi causa, ut inquit, perturbationibus, et ad iustitiae rectam administrationem –. Proposito vero dubio: – II. An et quomodo sit consulendum quoad secundum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, nihil innovandum – *in Bracharen. Dubiorum die 26 Ianuarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

109. Unde in primo Concilio Provinciali celebrato anno 1586 a Card. Gabrielle Paleotto Archiepiscopo Bononiae statutum fuit, ut in Synodo Provinciali et Diaecesana designarentur Iudices Synodales, et unusquisque Episcopus eorum nominationes statim ad S. Pontificem transmitteret; sed huiusmodi transmissiones ad S. Pontificem factae nullum aliud exemplum reperiri videtur, quam illud relatum apud Card. Bellarminum ad illud Cap. 10 sess. 25, ex quo potissimum factum est, ut haec conciliaris dispositio ab aula recesserit, teste Barbosa ad dictum Cap. 10 n. 25: – Decretum hoc de committendis Causis solis Iudicibus Synodalibus respectu Papae in usu non est, cum adeo frequenter ipse committere soleat Causas aliis Personis tam in dignitate ecclesiastica constitutis, quam deputatis in Synodo, sed id verisimiliter ex eo procedit, sive quia sit supra Concilium, sive quod Diaecesani Episcopi ex sua parte etiam non curent, ad Summum Pontificem transmitti nominationes et designationes Iudicum a Synodo factas, quod tamen iuxta hoc Decretum facere tenentur, et sic Papa ex quadam quasi necessitate iustitiae administrandae Decretum non observet – *in Portallegren. die 17 Novembris 1725* §. *In.*

110. Consilium autem Capituli ab Episcopo est requirendum, licet illud non teneatur sequi, quoties sit irrationabile, cum vult subrogare alium Iudicem Synodalem in locum defuncti vel diuturna absentia deficientis *in Dubium ad Cap. 10 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

111. Nam Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum in cap. 10 sess. 25 de reformatione disponens, posse Episcopos subrogare alium in locum Iudicis Synodalis defuncti habere locum in diuturna absentia, quae morti aequiparatur *in Dubium ad Cap. 10 sess. 25 de reformatione Posit. 151 pag. 3 et 16.*

Item *in Florentina lib. 2 Decretorum pag. 238 a tergo.*

112. Quod si per plures annos non fuerit celebrata Synodus Provincialis aut Diaecesana, indulgetur facultas Archiepiscopo substituendi alium, si quis interim mori contigerit; quandoquidem relata dispositione Concilii Tridentini in Cap. 10 sess. 25 de reformatione – occurrit in his terminis casus in Diaecesi, in qua per plures annos non fuit celebrata Synodus Provincialis aut Diaecesana. Propterea Emus Archiepiscopus dubius de facultate, si aliquis interim mori contigerit, substituendi alium in eius locum, reverenter recurrit ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, an valeat uti dicta facultate substituendi alium, etsi Synodus tam Provincialis, quam Diaecesana non fuerit infra tempus a Concilio praescriptum sess. 24 cap. 2 de reformatione celebrata. Unde expetitur sapientissimum oraculum EE. VV., ut declaretur: – An et quomodo valeat Emus Archiepiscopus procedere ad substitutionem Iudicum Synodalium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - In casu, de quo agitur, detur Emo Archiepiscopo fa-

(1) Scilicet rescripsit, a D. Card. Praefecto serio agendum esse cum Card. Pro-Datario, ut a suis Administris adamussim servari mandaret Tridentini sanctionem, sed si Episcopi nomina Iudicum in Synodo deputatorum Sedi Apostolicae non manifestant, sibi imputare debent, quod commissiones ad minus Peritos quandoque dirigantur; Officiales enim Sanctae Sedis divinare non possunt, quinam in hac aut in illa Diaecesi idonei sint, ac propterea Apostolicas Literas ad eos dirigunt, aliquo specioso titulo condecoratos, quamvis non ignorent, sub specioso tituli cortice homines aliquando latere satis rudes et crassos, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 4 cap. 5 n. 6.

cultas substituendi cum consilio Capituli – *in Ianuen. Dubium Iudicum Synodalium die 1 Iunii 1709 lib. 59 Decretorum.*

113. At Episcopus, utens facultate a Sacra Congregatione sibi tradita, non potest eligere in Iudices Prosynodales, nisi Canonicos Cathedralis Ecclesiae ac Dignitates et Personatus in aliis Ecclesiis, alias Capitulum iure ac merito in id consilium praestare renuit, cum adamussim servari debeat dispositio Bonifacii VIII et Concilii Tridentini, etiamsi contrariam vigere consuetudinem sustineatur *in Regien. Iudicum Prosynodalium die 9 Septembris 1843.*

114. Siquidem cum Episcopus Regiensis, utens facultate ab Sacra Congregatione sibi tradita, duodecim spectabiliores Viros e gremio tum Capituli Cathedralis, tum Collegiatae S. Prosperi, quorum aliqui nulla dignitatis aut personatus nota erant distincti, ac aliunde a Clero assumptos in Prosynodales Iudices, adlegerit, eorumque notulam ad Capitulum suum transmiserit, eiusdem consilium, ut sibi mandatum fuerat, exquisiturus, Capitulum in voto fuit, nonnullos ex designatis non esse admittendos, utpote destitutos qualitatibus a Bonifacio VIII a Tridentina Synodo atque a Benedicto XIV ad tale munus requisitis. Hinc Episcopus ab evulgando Iudicum indice prudenter abstinuit. Anceps vero, an rite, ut eius sententia erat, se gesserit, dubitavit, num in casu teneretur Capituli consilium amplecti, an vero sufficeret, illud exquisivisse; ac postulavit, qua ratione se gerere in hoc negotio deberet. Capitulum enim contendit, Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 10 de reformatione ad eas se retulisse qualitates quoad Iudices Prosynodales, quas Bonifacius VIII praescripsit; adeoque non potuisse Episcopum deligere, nisi Cathedralis Ecclesiae Canonicos vel ex Collegiatis dignitate aut personatu praeditos, de quibus Pontifex ille loquitur. Contra Episcopus Regiensis animadvertit cum Benedicto XIV in Constitutione *Quamvis paternae*, Tridentinas qualitates ita esse accipiendas, – ut non desit in Persona ad hoc munus assumenda altera potissimum requi ita qualitas doctrinae et idoneitatis, in qua summa negotii est constituta –. Unde Episcopus ita argumentari censuit: – Cum igitur consentiat Capitulum, Personas a me delectas omnes esse spectabiles et aestimatione dignas, nonne quod praecipue praescribitur a praedictis Constitutionibus et Tridentino accurate sub oculis habui? Praetermisi quidem aliquot ex Ecclesiae Cathedralis Canonicis, sed non inconsulto; et Emae VV. Rmae ultro docebunt, incongruum quandoque fore nimis ad unguem verba legis perscrutari, non perpenso legis spiritu –. Perpendit subinde Episcopus, quadam veluti consuetudine hanc electionis libertatem, dummodo caderet in Viros doctrina praestantes, firmatam in ea regione fuisse; etenim dixit: – Hinc factum est, ut in postrema Synodo Regiensi et in altera nuper coacta ab Antistite Messanensis Diaeceseos, praeter aliquot Cathedralis Canonicos, in albo Iudicum Prosynodalium sine metu adscripti fuerint et alii Viri, alioquin ad id apti, idque contigisse in pluribus etiam particularium Diaecesium Conciliis palam innotescit. Demum, ut recusatum Capituli assensum electioni a se expletae obstare non posse conficeret, allegavit pariter Benedictum XIV de synod. diaeces. lib. 4 cap. 5 n. 5, ubi ait, teneri quidem Episcopum exquirere Capituli consilium, sed non illud amplecti, nisi in iis tantum, de quibus id speciatim nominatimque cautum est, quae exceptio non demonstrabatur in casu. Perpendendum tamen erat, num de asserta consuetudine reapse constaret, et cuius efficaciae esse posset contra dispositionem Bonifacii VIII ac Tridentinam Decreto irritanti munitam. Insuper etsi verum esset, Episcopum amplecti non teneri Capituli consilium, sane tamen ratio dictabat, non posse Episcopum a consilio Capituli deflectere, quod legibus esset conforme; tunc enim deflecteret a legibus, quas sequi tenebatur.

115. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo substineatur electio Iudicum Prosynodalium ab Episcopo facta in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit; – Affirmative quoad Canonicos Cathedralis ac Dignitates et Personatus in aliis Ecclesiis – *in Regien. Iudicum Prosynodalium die 9 Septembris 1843.*

116. Examinatores autem et Iudices Prosynodales Convisitatores eorumque Secretarius haud tenentur ad fidei professionem emittendam, nisi adsit contraria consuetudo

vel lex Synodalis *in Comaclen. Professionis Fidei die 24 Augusti 1822.*

117. Iamvero dubium Promotor Fiscalis Comaclensis Sacrae Congregationi in supplici libello dirimendum proposuit, an scilicet Examinatores et Iudices Prosynodales Convisitatores et Secretarius, quos adhibebat Episcopus in pastorali lustratione, tenerentur emittere Fidei professionem, et an hanc deberent toties emittere, quoties in eodem munere confirmabantur. Nulla vero iuris dispositio huiusmodi obligationem inducebat: nam Concilium Tridentinum nihil aliud Examinatoribus imponit, quam ut – iurent omnes ad Sancta Dei Evangelia, se quacumque humana affectione posthabita, fideliter munus exequuturos –. Bulla Pii IV incipien. *Iniunctum* nullam de iis facit mentionem, licet ille Summus Pontifex exactum conficiat cathalogum eorum, quos ad fidei professionem emittendam per Literas suas adigebat. Idipsum videbatur de Iudicibus Prosynodalibus: nam Concilium Tridentinum disserens de Iudicum Synodalium qualitatibus sess. 25 cap. 10 de reformatione, ut ii in Synodis eligerentur idonei ad Causas in gradu appellationis sibi delegandas a S. Sede sapienter iudicandas, eis onus emittendae professionis fidei non imponit. Benedictus XIV Encyclicam dedit epistolam, quae 28 est in tom. I Bullarii, qua Patriarchis Archiepiscopis Episcopis methodum indicavit eligendi Iudices Synodales tum in Synodo, tum extra, et tamen Pontifex ille nihil in iis Literis de fidei professione per eos emittenda constituit. Nec etiam Doctores de huiusmodi obligatione loquuntur. Quoad consuetudinem in facto erat, nullam in Diaecesi Comaclensi fidei professionem de more eosdem emittere, sed quoad primos emittere eos tantum iuramentum fidelitatis. Propositis hinc dubiis: – I. An Examinatores et Iudices Prosynodales Convisitatores eorumque Secretarius teneantur ad fidei professionem emittendam in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An teneantur eamdem fidei professionem renovare, quoties confirmantur in munere in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative, nisi adsit contraria consuetudo vel lex Synodalis – *in Comaclen. Professionis fidei die 24 Augusti 1822.*

EXCOMMUNICATIONIS CENSURA

1. Innocentius III in Concilio Lateranensi IV celebrato anno 1215 relato in Cap. 48 de sententia excommunicationis definivit: – Sacro approbante Concilio, prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione praemissa, et personis praesentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare praesumat: quod si contra praesumpserit, etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiae per mensem unum sibi noverit interdictum, alia nihilominus poena mulctandus, si visum fuerit expedire – *in Savonen. die 14 Septembris 1782* §. *Innocentius.*

2. Exinde Innocentius IV in Concilio Lugdunensi anno 1245 relato in Cap. 1 de sententia excommunicationis statuit: – Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, caute provideat Iudex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis. Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero huiusmodi scripturae teneatur Excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel literas testimoniales confici, sigillo authentico consignatas. Si quis autem Iudicum huiusmodi Constitutionis temerarius extisterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiae et divinis officiis noverit se suspensum. Superior vero, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem excommunicato ad expensas et omne interesse condemnet, et alias puniat

animadversione condigna, ut poena docente discant Iudices, quam grave sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare – *in Savonen. die 14 Septembris 1782* §. *Innocentius.*

3. Unde inter causas, quae ab incurrendis censuris excusant, potissime recensetur ignorantia sive iuris, sive facti, dummodo crassa aut supina non sit. De ignorantia iuris loquitur Bonifacius VIII in Cap. *Ut animarum* de constit. in 6: – Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina –. De ignorantia vero facti Alexander III in Cap. *Si vero* 4 de sententia excommunicationis: – Si vero aliquis in Clericum nutrientem comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico praesentari conspectui, nec etiam excommunicatione nodari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit. Vel si hoc dubium fuerit, propria manu dumtaxat praestiterit iuramentum, quod eum esse Clericum ignorasset – *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *Verum.*

4. An autem et quando a censuris excuset defectus doli fraudis et contemptus ac bona fides, late tradit Card. Petra in comm. ad Const. 5 Pauli II sect. 4 n. 35, et Rot. coram Molines decis. 284 per totum *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *An.*

5. Quapropter, nisi gravis extet causa, haud subsistere potest excommunicatio *in Salisburgen. Censurarum et Praecedentiae die 11 Maii 1709 lib. 59 Decretorum* (1).

6. Unde iusta haud causa subsistente, nemo incidit in excommunicationem, quandoquidem quum Massarii Castri Milonis Iovini se esse in possessione ius deputandi ac amovendi Capellanum Ecclesiae S. Mariae probaverint, nulliter Episcopus in eos tulit excommunicationem, ex eo quod officio administratorum fungentes dictum Capellanum amoverunt; his enim in terminis proposito dubio: – III. An Massarii exercentes officium administratorum de mense octobris anni 1735 declarari debeant incursi in censuras ab Episcopo comminatas contra turbantes seu removentes dictum Ferri ab officio Capellani? –, Sacra Congregatio die 19 ianuarii 1737 responsum dedit: – Negative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis in omnibus, et amplius – *in Civitatis Plebis die 29 Martii 1738.*

7. Idcirco excommunicatio hinc inde lata absque gravi ac legitima causa non sustinetur; quandoquidem quum assertus Conservator privilegiorum Religionis Hierosolymitanae praetendens, Ecclesiam S. Ioannis Baptistae prope et extra moenia Civitatis Foggiae sitam, in qua vigebant laicorum Confraternitates, exemptam esse ab Ordinario Troiano et subiectam iurisdictioni Religionis, excommunicationem tulisset adversus Martinum de Arco eiusque Collegas, deputatum ab Episcopo occasione electionis Officialium dictae Confraternitatis, ex eo quod noluerant suis parere mandatis, ac e contra praefatus Episcopus excommunicatione plectere censuisset Carminum de Sanctis aliosque Officiales, ob renitentiam reddendarum rationum hereditatis Ioannis Baptistae Lombardi memoratae Confraternitati relictae, propositis dubiis: – IX. An censurae latae et gesta per Donatum Piccardellum uti Conservatorem privilegiorum Religionis Hierosolymitanae contra Martinum de Arco et alios in casu etc. X. An substineantur aliae censurae latae et respective gesta per Curiam Episcopalem contra Carminum de Sanctis et alios? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum et decimum, Negative/– *in Troiana Iurisdictionis die 24 Augusti 1709 lib. 59 Decretorum.*

8. Qua de re nec sustinetur excommunicatio, ipso facto ab iis incurrenda, qui non emunt codicem Constitutionum Synodalium, soluto pretio quinque carolenorum; his enim in terminis proposito dubio: – XII. An substineatur poena ipso facto incurrenda, hoc est suspensionis a celebratione Missae quoad Sacerdotes, et excommunicationis quoad Clericos et constitutos in sacris, sub qua demandata fuit emptio Codicis Constitutionum Synodalium, soluto pretio carolenorum quinque? –, Sacra Congregatio responsum tulit:

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 51 et 52, Tom. IX.

– Ad decimum secundum, Negative – *in Larinen. Decretorum Synodalium die 30 Augusti 1732.*

9. Hinc Oeconomi et Gubernatores Ecclesiarum a Civitate electi approbari ab Episcopo et iuramentum de fideliter administrando praestare debent, nec non iidem Gubernatores seu Oeconomi tenentur quidem reddere rationem eorum administrationis Episcopo, quin tamen in faciendis legitimis sumptibus requiratur licentia Ordinarii, sed nulla renunciatur excommunicatio ab Episcopo lata in dictos Oeconomos et Administratores, ex eo quod intra terminum trium mensium ipsis statutum in Curia ecclesiastica libros rationum non exhibuerint *in Aliphana Administrationis piorum Locorum die 18 Iulii 1705 lib. 55 Decretorum.*

10. Iamvero – in visitatione, quam nuperrime instituit Episcopus, inter cetera comperiit, quod reditus Ecclesiarum S. Catharinae et S. Mariae Novae ab Universitate illis antiquitus assignati ex incuria vel culpa Administratorum in destinatos usus erogati non fuerant, et ab Administratoribus ipsis, qui rationem nunquam reddiderant, in maxima quantitate retinebantur, quodque dicta Ecclesia S. Catharinae e terraemotu olim penitus eversa reaedificari ceperat, sed a pluribus annis inceptae reaedificationis opus negligebatur, hospitale eidem annexum pro Peregrinis in hospitium recipiendis ad eum statum redactum erat, ut portis fenestrisque careret, nec Peregrinis excipiendis paratum instructumque esset, sed inferiores illius aedes pro custodiendis animalibus locarentur: altera vero Ecclesia S. Mariae Novae omnibus pene sacris supellectilibus denudata ab antecessoribus Episcopis in visitatione saepius interdicta fuerat, sicuti plures Testes examinati deposuerunt, et ex antecedentium visitationum actis apparuit. Propterea Decretis Antecessorum suorum in visitatione similiter factis idem Episcopus inhaerendo iterum decrevit, quod ab Oeconomis et Administratoribus supradictarum Ecclesiarum, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, libri rationum intra terminum trium mensium in Curia ecclesiastica exhiberentur, confirmando praeceptum alias iniunctum, ne ultra summam scutorum duorum absque ipsius licentia impendere ipsi praesumerent. Et insuper innovando Edictum alias evulgatum, prohibuit, ne Oeconomi novi eligi aut veteres confirmari possint, nisi propriae administrationis rationem illi prius reddidissent, et nisi ab ipso Episcopo deinde approbarentur, iuramentumque de fideliter administrando praestarent, prout speciali Constitutione in Synodo Provinciali per Emum et Rmum D. Cardinalem Ursinum Metropolitanum condita expresse cavetur, et responsis suis pro casuum contingentia redditis haec ipsa Sacra Congregatio identidem sanxit. Licet autem Administratores et Oeconomi praefati a Decretis huiusmodi appellationem ad A. C. interposuerint, nihilominus R. P. D. Auditor Sanctissimi Causam remisit ad hanc Sacram Congregationem, in qua infrascriptis dubiis pro rei veritate compositis EE. VV. respondere dignabuntur: – I. An Oeconomi et Gubernatores Ecclesiarum S. Catharinae et S. Mariae Novae a Civitate electi ab Episcopo approbari et iuramentum de fideliter administrando praestare debeant? II. An iidem Gubernatores seu Oeconomi teneantur reddere rationem eorum administrationis Episcopo? III. An in faciendis legitimis sumptibus etiam extraordinariis pro bonificatione melioratione et reparatione bonorum Ecclesiarum excedentibus ducatos duos requiratur licentia Ordinarii? IV. An censurae sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative. Ad quartum, censuras esse nullas; et amplius in omnibus – *in Aliphana Administrationis piorum Locorum die 18 Iulii 1705 lib. 55 Decretorum.*

11. Multo minus igitur excommunicatio, quam Episcopus iniuste tulit, substinetur; quandoquidem quum Episcopus S. Marci mandans, ut heredes Presbiteri Ioannis Novelli et Ioannis Mariae Iordani Terrae Belviderii traderent superpelliceum et breviarium eiusdem defuncti Presbiteri sub poena excommunicationis intra terminum trium dierum, quo elapso, illos declaraverit excommunicatos, propositio dubio: – II. An censurae latae contra heredes Ioannis Mariae Iordani et Ioannis Novelli substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, haud

licere Episcopo exigere a praefatis heredibus breviarium et superpelliceum, responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Sancti Marci Exactionum die 31 Iulii 1706 lib. 56 Decretorum.*

12. Insuper et ex defectu legitimae citationis et contumaciae haud substinetur excommunicatio; quandoquidem quum Episcopus Ferentinus, praemissa citatione, qua veteres Officiales et Administratores Confraternitatum et Locorum piorum Terrae Proxeudi monebantur ad docendum, quod rationem administrationis suae reddidissent, supellectilia libros scripturas ceteraque omnia bona ad easdem Confraternitates spectantia novis Officialibus tradidissent, quodque isti de bene ac fideliter administrando iuramentum praestitissent, die 9 ianuarii decreverit, quod nisi dicti Officiales ad primam se paruisse Curiae mandatis docuissent, eos in excommunicationem in Edicto die 27 decembris edito comminatam incurrisse declarasset, idemque die 15 dicti mensis per intimationem edixerit, nisi per totam sequentem diem 16 de paritione similiter constitisset, denique die 19 eosdem veteres Officiales excommunicatos vitandosque pronunciaverit, proposito dubio: – An censurae substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Ferentina Censurarum die 8 Augusti 1705 lib. 55 Decretorum* (1).

13. Unde ne dubium quidem, quod nequaquam sustineatur, nulla monitione seu citatione praehabita, excommunicatio, qua Episcopus irretivit Franciscum de Bona, armata manu impedientem Cursorem Curiae Episcopalis sequestrandi animalia ad Avunculum eius D. Felicem de Soda spectantia, qui poenas ab Episcopo impositas solvere nolebat;

(1) Necessariae sunt itaque monitiones, ut de contumacia constare valeat: unde Summus Pontifex Pius VI die 19 martii 1792 Literas monitoriales expediri mandavit, quibus sexaginta dies pro secunda et alii sexaginta dies pro tertia monitione assignabantur Episcopis consecratoribus et adsistentibus pseudo-Episcopis consecratis ac intrusis eorumque Vicariis Episcopis iuratis Parochis intrusis Vicariis ceterisque Presbiteris ab Episcopis intrusis delegatis in Regno Galliarum.

Tenor dictarum Literarum hic est: – I. Sacrilegos Episcoporum intrusorum consecratores seu assistentes Carolum Mauritium Episcopum Augustodunensem, Ioannem Baptistam Episcopum Babylonis, et Iosephum Episcopum Liddae, qui, quemadmodum funestissimi schismatis auctores, ob primas, quas facere sunt ausi pseudo-Episcoporum consecrationes, ceteris omnibus atrocitate crîminis praeiverunt, ita aequum est, ut primi omnium moneantur et ad debitam emendationem excitentur. II. Omnes pseudo-Episcopos intrusos, qui absque electione ordinatione et missione legitima Episcopales Sedes cum veteris, tum novae et illegitimae erectionis invaserunt, quarum pleraeque a legitimis occupantur Praesulibus, quae vacuae erant, per Vicarios Capitulares regebantur, ad leges a Tridentino Concilio praescriptas. III. Archiepiscopum Senonensem Episcopum Aurelianensem Episcopum Vivariensem et Petrum Franciscum Marcellum Senonensis Archiepiscopi coadiutorem, quorum primi tres, etsi canonice Episcopatum acceperint, ausi sunt tamen alienarum Ecclesiarum Diaecesium partes invadere, et partes suarum Diaecesium relinquere, iuxta Conventus nationalis Decreta; omnes autem, quemadmodum etiam Episcopi consecratores seu assistentes cunctique Episcopi intrusi, veriti non sunt se subiicere civili Constitutioni Cleri per civicum Sacramentum pure et simpliciter praestitum, quod nos in Literis diei 13 aprilis datis errorum omnium venenatum fontem et originem esse declaravimus. IV. Parochos et alios quovis nomine curam animarum exercentes in titulo, qui praeterquam quod sacrilego illo se iureiurando polluerunt, sive integras invaserunt Parochias tam veteris, quam novae et illegitimae erectionis, sive earum partes per institutionem nulliter receptam vel ab intrusis Episcopis, vel ab Archiepiscopo Senonensi et ab Archiepiscopo Aurelianensi et Vivariensi legitimis quidem, sed civico iuramento obstrictis, extra pristinos fines respectivarum Diaecesium, etiamsi aliqui ex ipsis rite antea ad parochiale munus assumpti fuissent. V. Denique Vicarios omnes aliosque Presbiteros quocumque nomine appellantur, ad iurisdictionis actus exercendos, vel ad munia ecclesiastica obeunda delegatos sive approbatos ab intrusis Episcopis, qui in alios transferre nequeunt ius, quod ipsi non habent. Quos omnes ita monitos, nisi nobis constiterit, intra praefinitum illud temporis spatium, quod superius assignavimus, pro suo quemque crimine, debita, ut par est, emendatione Ecclesiae satisfecisse; tum sane etsi dolebimus et deflebimus et plangemus et visceribus dissecabimur, ut qui privemur propriis membris, tamen non ita dolebimus, S. Ioann. Chrysost. homil. 11 cap. 4, Epist. ad Ephes. tom. 11 pag. 87 edit. Paris. 1734, quin in causa tam gravi, pro criminum acerbitate, pro delinquentium multitudine, pro contagionis periculo, eo tandem deveniamus, quod Apostolicae servitutis et canonicae providentiae ratio a nobis postulat, ut scilicet excommunicationis sententiam in eos feramus, eosque edicamus atque mandemus ab Ecclesiae communione segregatos et tamquam schismaticos pervicaces habendos et vitandos esse declaremus –.

his enim in terminis proposito dubio: – II. An censurae latae contra Franciscum de Bona sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Insulana Edicti et Censurarum die 14 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum* (1).

14. Qua de re Sacra Congregatio primum validam dixit excommunicationem a Vicario Generali latam contra assertum Conservatorem Regularium ad tuendam iurisdictionem, sed inde censuit recedendum esse a decisis, quia constitit, quod praefatus Vicarius – die 19 octobris hora 12 ante solis ortum absque citatione personali, sed domi dimissa copia et exequuta antecedenti die Dominico hora 24 excommunicatum declaravit – praedictum assertum Conservatorem, qui propterea recessum a decisis postulavit, ex facto melius dilucidato. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Recedendum a decisis quoad censuras latas a Vicario tantum – *in Lauden. die 4 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum* (2).

15. Idcirco excommunicationes, iniuste vel forma sacrorum Canonum praetermissa latae, non sustinentur ac nullae declarantur *in Capuana seu Calven. Iurisdictionis die 7 Septembris 1737* (3).

16. Patet igitur, quod excommunicatio per Ordinarium lata, haud forma ac dispositione sacrorum Canonum servata, non sustinetur, sed ex integro procedere tenetur, servatis servandis; siquidem quum Dominicus Perrone Curatus Abbas, Ecclesias parochiales SS. Sixti et Baccaritii deserens, Neapolis, ut in Alchimiae lapisve Philosophorum confectione laboraret, commoraretur, Vicarius Generalis praevia monitione illum nec redeuntem nec sese praesentantem excommunicavit, privavitque Beneficio Curato, et ad omnes restituendos perceptos in sua absentia fructus damnavit. At praefatus Abbas Decretum invalidum esse dixit, cum praecesserint quidem nonnullae citationes comminatoriae poenarum, quae in eodem Decreto continebantur, sed nulla praemissa fuerit citatio ad sententiam omnino necessaria, ut Beneficiatus penes suam Ecclesiam residere negligens possit Beneficio privari, atque Vicarius Generalis destitutus speciali facultate privationem indicere nequiverit. Iniustum dein censuit Decretum; quia ipse non erat vere et proprie Parochus, cum habitualem tantum curam animarum haberet; quia discesserat, praevia Archiepiscopi licentia; et quia praeter privationem Vicarius Generalis eum maiori excommunicatione innodatum declaravit, iussitque affigi cedulones, cum tamen Parochi ceterique Beneficiati, a suis Ecclesiis vel Beneficiis absentes, per fructuum subtractionem aut eorumdem Beneficiorum privationem, vel denique per ecclesiasticas censuras ad ibi residendum compelli debeant, non autem possint una simul dictae poenae adversus eos adhiberi. Unde proposito dubio: – An Decretum Curiae Archiepiscopalis tam quoad excommunicationem, quam quoad restitutionem fructuum et privationem Abbatiae Curatae sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ordinarius procedat ex integro, servatis servandis – *in Consentina Privationis et Censurarum die 1 Decembris 1736.*

17. Quin imo licet Vicarius Generalis Curiae Episcopalis Suffraganeae plura perperam ac etiam nequiter egisset, non propterea excommunicatio in eum, forma Sacrorum Canonum praetermissa, per Curiam Metropolitanam lata, eiusque declaratoria sustinetur, mandavit tamen Sacra Congregatio, ut praefatus Vicarius Generalis moneretur, iuxta mentem *in Compostellana seu Lucen. Censurarum die 24 Aprilis 1751.*

18. Enimvero cum Petrus Rivera de Quiroga Parochus S. Iuliani de la Vega et S. Mariae de Rubin impar videretur ob senectutem muneri suo obeundo, Angelus Gomez Anguiano Vicarius Generalis Lucensis, quem Provisorem vocabant, die 22 mensis octobris anno 1746 ei praecepit, ut Sacerdotem nominaret, qui vice sua curam animarum exerceret, idque se facere et iubere Provisor dixit,

(1) Late speciem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 66 et 67, Tom. IX.

(2) Species et resolutio Causae huius quoad primam propositionem ac resolutionem prostant in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 21, Tom. IX.

(3) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Absolutio*, §. IV, n. 35 ad 38, Tom. I.

ut exequeretur Decretum ab Episcopo latum in visitatione. Parochus duos nominavit Sacerdotes, qui facultatem potestatemque haberent excipiendi confessiones sacramentales, nempe Antonium de Camba et Marcum Lopez. At Provisor, spreta nominatione facta a Parocho, eoque non audito, die 11 novembris eodem anno deputavit Vicarium Curatum Sacerdotem Iosephum Pineiro, eique assignavit stipendium ducatorum sexaginta et dimidiae partis obventionum, quae dicebantur *del piè dell' Altare*. Provocavit illico Parochus ad Metropolitanam Curiam Compostellanam, et Literas ab ea obtinuit citatoriales et inhibitoriales, sed metuens a Provisore Lucensi eas non edidit, petiitque a Provisore, ut, amoto Sacerdote Iosepho Pineiro, alterum ex Sacerdotibus, quos iterum nominavit, Vicarium Curatum deputaret. Semel iterum tertio postulavit id Parochus iure optimo appellans, nisi id fieret, et petens Literas testimoniales appellationis et Decreti, si quod latum fuisset: frustra tamen; Provisor enim nullum tulit Decretum, neque appellationem reiecit, sed ira percitus mandavit, ut Parochus sese in Civitate Lucensi sisteret, et continuo Promotor Fiscalis Parochum senem capularem de criminibus carnis accusavit. Paruit Parochus, venitque in Civitatem Lucensem, eique illico indictum est a Provisore, ut Urbem illam loco carcerum haberet, dum Testes criminum perquirerentur a Pineiro Vicario Curato, qui a Promotore constitutus fuerat in Causa criminali. In his angustiis Parochus opem praesidiumque quaesivit ex Literis citatoriis et inhibitorialibus Curiae Metropolitanae, quas obtinuerat, sed non ediderat. Licet autem Provisor Lucensis iis detulerit et obtemperare sese paratum ostenderit, Parocho tamen indixit, ut vel se in carceribus constitueret, vel intra circulum unius diei satisdaret de habendo Civitatem loco carcerum. Rediit itaque Parochus ad Curiam Metropolitanam, et lamentabili historia narrata obtinuit, ut expedirentur Literae compulsoriales in Causa civili deputationis Vicarii Curati, et citatoriales ac inhibitoriales in Causa criminali, adiecta tamen conditione, ut in carceribus remaneret, donec de criminali Causa cognosceretur. Atque his pariter Literis obedientiam praestare se paratum esse dixit Provisor Lucensis, petiitque Parochus, ut pristinae libertati restitueretur: sed, postulatione hac neque admissa neque reiecta, Parochus morae impatiens sese e Civitate Lucensi arrepta fuga subduxit, recepitque in Urbem Compostellae, petiitque a Iudice Metropolitano, ut Provisorem Lucensem compelleret ad acta transmittenda, quibus de utraque Causa cognosceretur. Annuit Vicarius Generalis Metropolitanus, data Parocho Civitate pro carceribus. Novis inde Literis a Curia Metropolitana datis, Provisor Lucensis pariturum respondit, paruitque; nam traditum fuit integrum actorum exemplar. Causa acta est, contumace semper Promotore Fiscali Lucensi, qui in ius vocatus venire noluit. Lata tandem fuit a Iudice Metropolitano sententia, qua in Causa civili pronunciatum fuit, Parochum esse redintegrandum ad exercitium curae animarum, et removendum esse Sacerdotem Iosephum Pineiro, eique substituendum esse alterum ex Sacerdotibus a Parocho nominatis. In Causa vero criminali mandavit Iudex, acta tradi Promotori Fiscali, qui, sua interesset, opponeret atque ageret, interim vero ius esse Parocho domum suam repetendi, praestita cautione de se repraesentando ad omne Iudicis mandatum.

19. Auctoritatem rei iudicatae accepit haec Iudicis Metropolitani sententia, cum nullus appellasset. Expeditis itaque Literis exequutorialibus, iniunctum fuit Provisori aliisque Officialibus Curiae Lucensis sub poena excommunicationis, ut rem iudicatam exequerentur, neque Parochum de impictis criminibus inquietarent. Pariturum sese more suo Provisor Lucensis respondit, sed ad eos, qui aderant, conversus minatus est, Parochum in carceres coniicere, ubi animam emisisset, nisi consensum praestaret deputationi Iosephi Pineiro in Vicarium Curatum et appellationi renunciaret. Rescivit id Parochus, et sibi cavens extra Diaecesim Lucensem vagabatur, novam quaerens opem praesidiumque a Curia Metropolitana. Aliae igitur ab eadem datae fuerunt Literae, quibus iniuncta fuit Provisori Lucensi et Iosepho Pineiro exequutio Decretorum, quae lata fuerant secundum Parochum – sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, sic ut,

absque ulla monitione, quatenus denuo parere detrectassent, declarari possent excommunicati, mediante affixione et publicatione cedulonum –. At hae Literae nihil Parocho profuerunt; praecepit enim Provisor, ut domus et bona Parochi venundarentur. Confugit Parochus ad asylum Curiae Metropolitanae, petens purgationem attentatorum, et Curia Metropolitana tertio Literas dedit, quibus iniungebatur exequutio rei iudicatae sub poena excommunicationis latae sententiae, neve Provisor ulla ratione offenderet Tabellionem, qui ad Civitatem Lucensem veniret, ut easdem Literas exequeretur. Quum autem Tabellio a Curia Metropolitana missus transiret per Parochiam *de la Vega* reperiit Ministros atque Apparitores Curiae Episcopalis Lucensis, qui domum et bona Parochi vendebant. Edita igitur commissione Curiae Metropolitanae vetuit iis, ne id agerent: perventus inde in Civitatem Lucensem, et mandatis Metropolitani exhibitis Provisori, in carceres indignissime coniectus fuit et compedibus vinctus, idemque fatum paulo post obtigit Parocho, qui fretus Literis Curiae Metropolitanae in Civitatem Lucensem venerat. Haec ubi ad Archiepiscopum Compostellanum delata fuerunt, victa patientia, qua diu nimis usus fuerat in hominem sibi nimis arrogantem, quique famoso libello Suffraganeos omnes ad seditionem incendere ausus fuerat, ad vindicandum ius Metropoliticum laesamque auctoritatem Archiepiscopalem Executores misit in Civitatem Lucensem, ut, praevia monitione, Provisorem excommunicatum denunciarent, affixis cedulonibus per loca publica Civitatis. Adventu Exequutorum latitare cepit Provisor, declinaturus personalem citationem: necesse itaque fuit, eumdem domi citare; unde eo etiam excessit illius audacia, ut carceres minitari ausus fuerit – omnibus, qui expedirentur a domino Metropolitano, et cum eomet, si auderet personaliter venire ad faciendas aliquas diligentias –, ideoque Commissarii Archiepiscopi Provisorem publice excommunicatum declararunt, affixis cedulonibus in publicis locis. Nihil commotus Provisor, spreta declaratoria excommunicationis, iurisdictionem exercere, choro interesse, et Sacra agere ausus est, ius sibi dicens etiam de censuris magno scandalo universae Compostellanae Provinciae. Frustra censurae aggravatae et reaggravatae fuerunt a Curia Metropolitana; non resipuit Provisor, sed cedulones eius defixi fuerunt, et licet iterum affixi fuerint, impavidus Provisor nullum obedientiae, nullum resipiscentiae signum praestitit. Ut igitur durities haec Provisoris frangeretur, Promotor Fiscalis Metropolitanae Curiae eumdem Provisorem in ius vocavit coram R. P. D. Auditore Sanctissimi, ut declararetur, eum incidisse in poenas a sacris Canonibus statutas adversus eos, qui in censuris insordescunt. Data fuit a R. P. D. Auditore Sanctissimi rei cognitio Sacrae Congregationi, et Provisor ne absolutionem quidem ad cautelam eousque petiit.

20. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An censurae sustineantur in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit locus novae declaratoriae censurarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque; et Provisor Lucensis moneatur iuxta mentem – *in Compostellana seu Lucen. Censurarum die 24 Aprilis 1751.*

21. Hinc eo vel magis excommunicatio, nimis iniuste ac forma Sacrorum Canonum praetermissa, lata, nedum nulla ac irrita est, sed et statuitur, ut Episcopus acriter moneatur per Emum Praefectum Sacrae Congregationis *in Ugentina Censurarum die 14 Martii 1716 lib. 66 Decretorum* (1).

22. Idcirco excommunicatio nullitatis et iniustitiae vitio infecta, quam Episcopus sub obtentu praetensae turbatae iurisdictionis Episcopalis et ecclesiasticae in personam praesertim secularem tulit, haud substinetur, cum in facto non constet, turbatam reapse fuisse praedictam iurisdictionem, ac huiusmodi censura ab Episcopo lata fuerit, quin trina monitio praecessisset *in Urbevetana Censurarum die 28 Martii 1744.*

23. Siquidem vastissimum amplissimumque Hospitale S. Mariae de Stella Urbis Veteris, in quo non infirmi tantum et peregrini excipiebantur, sed etiam infantes expositi pueri puellaeque alebantur artibusque im-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 87 et 88, Tom. IX.

buebantur, pietate et opibus illius Civitatis extructum auctumque fuit largis reditibus, atque ob id ad Civitatem ipsam eiusque Magistratum pertinebat illius regimen et administratio, cuius exercitium et cura Rectori seculari committebatur, qui publicis comitiis singulis trienniis eligebatur. Templum habebat adiunctum, cuius Capellanus ex indulgentia Nicolai IV erat Curatus et divina officia agebat et ecclesiastica Sacramenta omnibus iis, qui in Hospitali erant, ministrabat. Ut autem uberius Religionis christianae dogmata iidem tenere possent, adiuncti fuere Parocho seu dicto Capellano Curato Patres doctrinae christianae, quorum alter singulis diebus Dominicis ad Ecclesiam Hospitalis accedebat et publice in ea expositis pueris puellisque fidei dogmata tradebat; atque ex hac diligenti piaque puerorum puellarumque educatione factum est, ut qui eousque fuerunt Episcopi nihil mutandum censuerint. Diversum tamen visum est moderno Episcopo: placuit nempe illi anno 1743 Confessarium extraordinarium dare puellis Patrem Lazzarinium Ordinis Servorum Beatae Mariae, licet praedictae puellae quolibet mense tribus festi diebus ad alias Urbis Ecclesias ducerentur, in quibus Poenitentiae et Euchristiae Sacramenta reficiebantur, nec non aliis festi diebus praedicta Sacramenta a proprio Parocho ac Sacerdotibus, qui in Ecclesia Hospitalis Sacra agebant, acciperent. Is perhumaniter convenit Iosephum Zampium Rectorem Hospitalis, explicans munus sibi ab Episcopo datum: respondit Zampius, certiores hac de re faciendos esse Curatores sive Deputatos; sed facile confecta res est, advenit ab Episcopo praeceptum Zampio datum, quo iubebat, ut cessaret a turbanda Episcopali iurisdictione in Hospitali, indictaque poena censurarum et excommunicationis praecipiebat, ut Patrem Lazzarinium admitteret pro audiendis confessionibus puellarum proiectarum. Paruit Zampius, praevia tamen protestatione; et Pater Lazzarinius nullo impedimento munus datum implevit, sed die 26 mensis iulii aliud officium, quod in praecepto non erat, suscepit. Vocatis enim puellis circuloque earum in Ecclesia facto, ipse sedens medius inter sedentes doctrinam christianam explicabat: dum haec Lazzarinius agebat, malo suo fato Zampius advenit, rogavitque illum, an venisset, ut Alumnarum confessiones exciperet; negavit Lazzarinius, et venisse dixit, ut doctrinam christianam explicaret. Reposuit Zampius, hoc non esse in praecepto Episcopi, et ad puellas praecepit, ut abirent, quod illae fecerunt: abiit et Zampius, nec alia inter eum et Lazzarinium habita verba sunt, ut rem omnem narrabant Testes, qui praesentes fuerunt. Lazzarinius tamen ira percitus adiit Episcopum, cuius animum ita movit, ut, petente Promotore Fiscali, criminis huius iudicialis processus instructus fuerit, et Zampius uti turbator iurisdictionis Episcopalis et ecclesiasticae monitus fuerit intra triduum ad videndum se declarari incursum in excommunicationem et cedulones relaxari. In his angustiis nullum aptius Zampio visum est remedium appellatione ad A. C. Sed Episcopus, spreta inhibitione, ad affixionem cedulonum processit. Iussit A. C. Iudex spretus purgari attentata et lacerari cedulones, quod etiam pluries probavit Auditor Signaturae, atque ita factum est, sed Auditor Sanctissimi, circumscriptis actis coram A. C. et Signatura Iustitiae gestis, decrevit, – redintegrari cedulones, et Partes uti iure suo coram suis Iudicibus –.

24. Zampius igitur, impetrata ab Sacra Congregatione absolutione cum reincidentia intra quatuor menses, postulavit, Sacrae Congregationis auctoritate declarari censuras non substineri, quod illae nullitatis et iniustitiae vitio inficiebantur. Nullitas edicebatur ex defectu trium monitionum, quae sententiam declarantem incursum in censuras procedere debent; nullibi enim constabat, vel semel saltem monitum fuisse Zampium, ut Lazzarinium admitteret ad exponendam puellis alimentariis doctrinam christianam, nec ad rem pertinebat, quod versaretur in excommunicatione lata a sacris Canonibus contra eos, qui iurisdictionem ecclesiasticam turbant, non vero in excommunicatione lata ab homine, cum primo casu omitti monitiones possint, diversum secundo, ut communiter distinguunt Doctores. Nec probari poterat, datum fuisse Patri Lazzarinio hoc munus ab Episcopo praecepto illo, quod Zampio datum fuit; nam praeceptum solam habebat facultatem excipiendi confessiones sacramentales Alumnarum, non vero facultatem publice in Ecclesia do-

cendi Christianae legis dogmata, quae duaelit: – Negative – *in Urbevetana Censurarum die 28 Martii 1744.*

res plurimum differebant. Frustra quoque intendi a Promotore Fiscali citationem ad dicendam causam, quare non fuerit incursus in poenam excommunicationis, supplere posse defectum trinae monitionis, ea siquidem ratione monitio fit, ut is, qui monetur, resiliat ab actu faciendo, quod non impletur citatione illa, quae fit, postquam contumax in censuras incurrit, adeoque citatione illa suppleri non poterat trina monitio. Eadem proinde ratione nullam Zampius dixit sententiam excommunicationis ab Episcopo latam, quae ferri non poterat, nisi postquam monitus in contumacia duritieque sua perseveraret atque obduresceret, cum tamen dici nequiret is contumax et inobediens, nam nullam habuerat monitionem admittendi Patrem Lazzarinium ad exponendam publice doctrinam christianam. Iniustas etiam esse censuras contendit Zampius, quod non probaretur a Promotore Fiscali, turbatam fuisse iurisdictionem Episcopi: probari siquidem debebat ab Episcopo, scivisse Zampium, munus docendi puellas datum fuisse Patri Lazzarinio ab Episcopo; nam si Rector Religiosum illum non uti delegatum ab Episcopo, sed uti simplicem Sacerdotem praepedivit, ne doctrinam christianam doceret, iure id facere potuit, nec erat excommunicandus, non enim licet Sacerdoti in Ecclesia parochiali et iurispatronatus Parochi officium sibi vindicare fidei dogmata publice explicandi; praesertim cum satis esset ad tuendum excusandumque Rectorem sola opinio et credulitas, licitum non fuisse Patri Lazzarinio doctrinam christianam alimentariis puellis explicare, quia ad Parochum hoc munus spectabat, atque opinio et ignorantia in persona seculari, cui sacri Canones cogniti perspectique non sunt, a censuris excusat, ut tradit Pignatellius consult. 118 tom. 6.

25. His mature perpensis, proposito dubio: – An censurae substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tu-

26. Nam etiam Iudex Delegatus Apostolicus mox ad Episcopatum Bosanensem evectus, haud iusta subsistente causa, nulliter praetextu turbatae iurisdictionis delaravit, Archiepiscopum Turritanum incidisse in excommunicationem contentam in Bullam *Coenae Domini;* proposito enim dubio: – An interdictum et censurae latae ab Episcopo Bosanensi contra Archiepiscopum Turritanum sustineantur? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et Episcopus Bosanensis consulat conscientiae suae – *in Turritana Censurarum die 5 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum* (1).

27. Itaque validam renunciavit Sacra Congregatio excommunicationem ab Archiepiscopo in vim Bullae *Coenae* in assertum Delegatum Apostolicum eiusque fautores latam, censuras vero ab hoc in dictum Archiepiscopum latas nullas ac temerarias declaravit, ac inde stetit in decisis, praeterquam quoad censuras tantum latas ob non exhibitionem Literarum Apostolicarum praetensae suae delegationis *in Turritana Censurarum die 10 Ianuarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

28. Siquidem Antonius Sotgiu Delegatus Apostolicus super Literis reservationis cuiusdam pensionis deputatus in Ioannem Antonium Piras a secretis Curiae Archiepiscopalis ob denegatam quamdam fidem censuras tulit. Archiepiscopus e contra tum dictum Sotgiu, tum alios Canonicos eius fautores excommunicavit in vim Bullae *Coenae* (2), et rursus idem Canonicus Sotgiu Archiepiscopum censuris subiecit. Sacra Congregatio autem die 15 septembris 1703 declaravit: – Censuras Archiepiscopi substineri, latas vero a Canonico Antonio Sotgiu fuisse nullas, et Archiepiscopus procedat ad ulteriora contra contumaces, implorato etiam brachio seculari, et Emo de Janson cum excellentissimo Oratore catholico –; hinc et pro absolutione Ioannis Antonii Piras Archipresbitero Cathe-

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. IV, n. 4, Tom. IX.

(2) In qua haec habentur: – Quive iurisdictiones seu fructus reditus et proventus ad nos et Sedem Apostolicam et quascumque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum Monasteriorum et aliorum Beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione vel causa, sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant –.

dralis potestatem tribuit. Praefati Canonici petierunt postea absolutionem, et Sacra Congregatio mandavit, ut adirent Archiepiscopum, cui concessit facultatem absolvendi cum reincidentia ipsius arbitrio. – Concessa autem nova audientia praefatis Canonicis, qui interim a praedictis etiam censuris ab eodem Archiepiscopo cum reincidentia obtinuerunt, modo Partibus monitis ab EE. VV. declarandum erit: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15 septembris 1703 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, praeterquam quoad censuras tantum latas ob non exhibitionem Literarum praetensae suae delegationis – *in Turritana Censurarum die 10 Ianuarii 1705 lib. 55 Decretorum* (1).

29. Qua de re excommunicatio hinc inde a duobus respectivam tuentibus ac praetendentibus iurisdictionem vicissim lata, illa dumtaxat, quam reapse iurisdictionem habens tulit, sustinetur *in Vicen. seu Rivipullen. Iurisdictionis die 23 Augusti 1738* (2).

30. Hinc sustinetur Episcopi Edictum, quo nullam ac attentatam declaravit electionem Vicarii Capitularis a Monachis factam, eosque in excommunicationem incidisse latae sententiae Summo Pontifici reservatam, nec non sub eadem poena excommunicationis latae sententiae sibi reservatae dicto Vicario indixit, ut cessaret ab exercitio Vicarii Capitularis, unde nullatenus sustinetur deputatio praedicti Vicarii Capitularis ad nominationem Monachorum facta a Nuncio Apostolico, eiusque Decretum, quo inhibuit, ne Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis praefatum Vicarium Capitularem in exercitio suae iurisdictionis turbaret *in Anglonen. Iuris deputandi Vicarium Capitularem die 1 Septembris 1753.*

31. Iamvero exortis controversiis inter Episcopum Anglonensem et Abbatem Commendatarium ac Monachos Monasterii S. Eliae Ordinis S. Benedicti Oppidi Carbonis, inter cetera proposito dubio: – XII. An, Abbatia vacante, possit a Clero dictae Terrae eligi Vicarius Capitularis? –, Sacra Congregatio die 30 ianuarii 1717 respondit: – Ad duodecimum, Negative, salvis iuribus Monachorum –. Defuncto exinde Cardinali Antonio Ruffo Abbate Commendatatario, electus fuit a Monachis Vicarius Capitularis, iuxta antiquissimum, ut asserebant, morem Iosaphat Brunetti eiusdem Monasterii Abbas, et sequendo methodum, quae alias servata fuerat, petita fuit confirmatio a Nuncio Apostolico Regni Neapolitani, qui per Epistolam illum confirmavit. At Episcopus, audita electione, longum proposuit Edictum die 12 martii, quo nullam irritam attentatam eam declarabat, et eo usque progressus est, ut ipsum Patrem Abbatem Iosaphat Brunettum et Monachos dixerit incursos in excommunicationem latae sententiae, cuius absolutio Summo tantum Pontifici reservata sit, eique indixit sub eadem poena excommunicationis latae sententiae sibi reservatae, ut cessaret ab exercitio Vicarii Capitularis, nullosque iurisdictionis actus gereret – in qualunque persona così ecclesiastica, come secolare ad assoluta riserva solamente di quella potestà, che può giuridicamente esercitare sopra de' suoi Monaci, che unicamente può appartenerli –. Monachi vero rem iudicio definiendam censuerunt, aditoque tribunali Nunciaturae, petierunt confirmationem electionis, utque vetaretur Officialibus et Ministris Curiae Episcopalis, ne turbarent electum. Nuncius die 26 martii praefixit terminum Promotori Fiscali, ut iura sua deduceret, et interim eidem inhibuit, ne electum Vicarium Capitularem in exercitio suae iurisdictionis turbaret. Episcopus ad Sacram Congregationem confugit. Nuncius rationes suas et R. Camerae Apostolicae in Epistola recensuit. Pater Abbas disputavit, dispositionem iuris sibi suoque Monasterio hanc tribuere electionem, cui etiam consuetudo accedebat, cum Monachi essent in hac possessione a tempore vetustissimo, ut liquebat ex ipso responso supra relato Sacrae Congregationis, scilicet: – Negative, salvis iuribus Monachorum –, et ex altero Sacrae Congregationis negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium propositae, et ex ultimis statibus vacationum huius Abba-

(1) Reliqua habes in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 80, Tom. IX.
(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Absolutio*, §. IV, n. 8 et 9, Tom. I.

tiae; ideoque rectissime vetitum Officialibus Episcopalibus, ne electum turbarent in exercitio iurium suorum, cum vis non esset facienda ei, qui in possessione erat, neque de ea deiiciendus. Turbativam esse dixerunt et nullum Episcopi Edictum, qui in hac possessione eligendi Vicarium Capitularem non erat, qui nullum hac in re ius habebat, quique iuxta notissima Basiliani Ordinis privilegia non poterat contra Patrem Abbatem et Monachos agere censuris et excommunicationibus.

32. His autem perpensis, propositis dubiis: - I. An deputatio Vicarii Capitularis ad nominationem Monachorum S. Eliae facta a Rmo Nuncio Neapolis illiusque Decretum sustineatur in casu etc. II. An Edictum latum a Rmo Episcopo Anglonensi die 12 martii 1753 sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative - *in Anglonen. Iuris deputandi Vicarium Capitularem die 1 Septembris 1753.*

33. Unde comminatio excommunicationis contenta in Edicto, pro visitatione ab Episcopo peragenda edito, coarctat omnes, qui resistunt personali visitationi extra generalem *in Lancianen. Visitationis die 25 Septembris 1734* (1).

34. Siquidem Episcopus iure meritoque excommunicationem in eos fert, qui iniuste ac violenter sacram impediunt visitationem; quandoquidem quum Praepositus et Canonici Ecclesiae Collegiatae Oppidi Minorissae armata etiam manu visitationi Capellae S. Augustini in claustro dictae Ecclesiae sitae opposuerint, ob idque expedito per Episcopum Monitorio sub poena excommunicationis contra eos cum termino trium quadrantium horae ad desistendum ab huiusmodi violentiis, sed successive paritione minime sequuta fuerint excommunicationi suppositi, mediante etiam cedulonum affixione, proposito dubio: – II. An censurae latae per Episcopum contra Praepositum et Canonicos dictae Ecclesiae substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, licuisse ac licere praefato Episcopo visitare dictam Capellam, die 26 septembris 1699 responsum tulit: – Ad secundum, incurrisse –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub dicta die 26 praeteriti mensis septembris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Vicen. Iuris visitandi die 16 Ianuarii 1700 lib. 49 et 50 Decretorum.*

35. Amplia, etiam qui iniuste repellit Visitatores ab Episcopo legitime delegati, de iure excommunicatur; siquidem quum Thomas Antonius de Cortone Archipresbiter et Parochus Ecclesiae S. Petri ad Scafatum, quae Nullius Diaecesis erat, sed ab Episcopis antea semper visitata, repulisset Visitatores ab Episcopo iustis ex causis impedito delegatos, sacramque visitationem fieri prohibuisset, ob idque eum Visitatores excommunicaverint, proposito dubio: – II. An substineatur excommunicatio a Convisitatoribus Episcopi Nolani fulminata contra Parochum Thomam Antonium de Cortone in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, Episcopum manutenendum esse in possessione visitandi, sive per se, sive eo impedito per Convisitatores, dictam Ecclesiam ac respective Parochum, die 20 iunii 1750 responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative –. Reproposito dein dubio sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, in decisis; et amplius - *in Nolana die 11 Martii 1752.*

36. Quin imo Episcopus iure ac valide excommunicatione plectit etiam Regulares, qui eius visitationi iniuste resistunt *in Murana Visitationis die 21 Iunii 1732* (2).

37. Valida hinc etiam renunciatur excommunicatio, quam Vicarius Capitularis tulit in Praepositum et Canonicos Collegiatae, ex eo quod praetenderent exemptionem a iurisdictione Ordinarii, nec non iidem censuras spernentes Missamque celebrantes in irregularitatem inciderunt *in Amalphitana Iurisdictionis die 30 Septembris et die 2 Decembris 1702 lib. 52 Decretorum* (3).

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. XIX, n. 58 ad 60, Tom. IX.
(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. XIX, Tom. IX.
(3) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 60 et 61, Tom. IX.

38. Sacra Congregatio autem insubsistentem ac invalidam declaravit excommunicationem, quam assertus Conservator privilegiorum Ordinis militaris de Calatrava in Episcopum tulit, quoad excommunicationem vero ab Episcopo in Equitem dicti Ordinis de Calatrava, ob eiusmodi violentias ac turbatam iurisdictionem ecclesiasticam et Episcopalis Ordinis immunitatem, latam, distulit resolutionem, suspensis interim censuris *in Maioricen. Censurarum die 25 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum.*

39. Enimvero - Constitutione Synodali Maioricensi cautum est, ne Mortuorum cadavera ab eorum domibus sine Cruce in abscondito et inconsultis Parochis extrahantur, etiam ad effectum ea sepeliendi in Ecclesiis Regularium, sub poena excommunicationis incurrenda, nedum a Parentibus seu aliis extractionem praecipientibus, sed etiam ab asportantibus et consulentibus. Rursus licet aliquando permitti valeat, Defunctorum corpora ad Ecclesias noctis tempore adduci, tamen quia huiusmodi permissio fere in abusum versa est, et pluries orationibus ac piis deprecationibus fidelium privantur Animae et memoria mortis maiori facilitate a viventibus recedit, eadem Synodali Constutione statutum fuit, Mortuorum cadavera noctis tempore ad Ecclesias non esse deferenda, absque Episcopi seu eius Vicarii Generalis licentia, nunquam tamen ex iusta et honesta causa deneganda. Cum autem in spretum huius Constitutionis Gerardus de Escalar eques de Calatrava clam de nocte et absque Parocho asportare fecerit cadaver Infantis Francisci sui Filii ad sepeliendum in Ecclesia Patrum S. Augustini, etiam in contemptum Episcopi, qui licentiam secretae asportationis denegavit, Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis instetit coram eodem Episcopo pro compilatione processus, ut, probata contraventione, dictus eques declararetur incursus in censuras aliasque poenas in dicta Constitutione comminatas; fabricatoque desuper processu, praeviis informationibus captis de mandato eiusdem Episcopi, fuit deinde demandatum, haberi processum pro compilato eiusque communicationem fieri praedicto Equiti, cum praefixione termini trium dierum ad comparendum et ad se purgandum ab obiecta contraventione. In hoc rerum statu dictus Gerardus allegavit, se esse exemptum a iurisdictione Episcopi, tamquam equitem militaris Ordinis de Calatrava, nec non curavit sibi in Conservatorem privilegiorum sui Ordinis eligi Ioannem Dametum, qui, notificando dicto Episcopo se Conservatorem electum, eum requisivit, ut aboleri mandaret processum contra dictum Equitem confectum, eum amplius non molestaret, ac silentium dicto Promotori Fiscali imponeret. Verum quia tam Episcopus, quam Promotor Fiscalis renuit huiusmodi parere mandatis, praefatus Conservator prius sententiam excommunicationis tulit contra dictum Promotorem, successive interdixit Episcopo ingressum in Ecclesiam ac exercitium Officii pastoralis, et tandem ipsum pariter excommunicatum declaravit, monens insuper Capitulum Ecclesiae Cathedralis, ne dictum Episcopum in eam admitteret, sub poena Interdicti in casu contraventionis, etiam ipsimet Ecclesiae apponendi.

40. Ob huiusmodi Conservatoris violentias ac turbatam iurisdictionem ecclesiasticam et Episcopalis Ordinis immunitatem, dictus Episcopus contra dictum Conservatorem et equitem Gerardum, uti in censuras incursos, excommunicationis declaratoriam protulit; quapropter habito recursu usque et ab anno 1694 ad hanc Sacram Congregationem super subsistentia censurarum hinc inde latarum, die 11 decembris dicti anni responsum fuit: « Ad mentem », quae declarata fuit, datis Literis ad Nuncium residentem apud catholicam Maiestatem, in haec verba: « Et mens fuit, quod Amplitudo tua Episcopum nullibi pro excommunicato habeat, cuius auctoritas et dignitas per violatores suis loco et tempore reintegrari debeat ». Ita igitur declarata insubsistentia et invaliditate censurarum dicti Conservatoris, modo EE. VV. sequens dubium decidendum subiicitur: – An censurae latae per Episcopum Maioricensem contra equitem Gerardum de Escalar et Ioannem Dametum assertum Conservatorem Equitum de Calatrava substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, suspensis censuris - *in Maioricen. Censurarum die 25 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum.*

41. Dum enim pendet controversia super iure, ex quo Ordinarius excommunicationem

tulit, nec non super validitate ipsius excommunicationis, Sacra Congregatio facile mandat suspensionem excommunicationis usque ad exitum Causae, amotis etiam cedulonibus; quandoquidem quum Archiepiscopus Consentinus Oratorium Claustro S. Mariae Lauretanae Ordinis Minorum S. Francisci de Paula adiectum, in quo erecta erat quaedam Sarcinatorum Societas, visitare contendens, fuisset per ipsos Patres loci impeditus, adeoque illos suspenderit excommunicaverit atque interdixerit, proposito dubio: – II. An excommunicatio suspensio et interdictum sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio, pendente controversia tam super iure visitandi, quam super huiusmodi censurarum validitate, die 17 septembris 1722 responsum tulit: – Dilata, et proponatur in prima, suspensis excommunicatione suspensione et interdicto usque ad exitum Causae in Sacra Congregatione, amotis interim cedulonibus –. Reproposito mox dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio, postquam mandaverit, ut coadiuvarentur hinc inde probationes quoad ius visitandi, respondit: – Ad secundum, dilata – *in Consentina Visitationis et Censurarum die 21 Novembris 1722.*

42. Quando proinde principalis Causae decisio, unde originem ducit excommunicatio, differtur, eiusdem vis interim suspenditur; siquidem quum Ioannes Baptista Borsani et Carolus Lombardinius Burgi Glareae praeceptum paschale in Ecclesia Collegiata et parochiali SS. Sebastiani et Rochi implevissent, a Curia Episcopali fuerunt excommunicati; sed quum validitas vel nullitas censurarum penderet ab alia quaestione, an laudum Episcopi die 8 iulii 1741 editum exequutioni mandari deberet, propositis dubiis: – An liceat Episcopo exequi laudum diei 8 iulii 1741 super praetensis iuribus Capellani Curati Ecclesiae SS. Sebastiani et Rochi Glareae Piceleonis in casu etc. – II. An censurae latae contra Ioannem Baptistam Borsani et Carolum Lombardini substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata; et audiatur novus Episcopus, suspensis interim censuris – *in Cremonen. Laudi et Nullitatis Censurarum die 6 Decembris 1749.*

43. Quum autem Ordinarius valide in poenam suspensionis iam indictae declaraverit Vicarium Ecclesiae, ex eo quod intra terminum ei statutum non comparuit nec docuit de adimplemento onerum, quibus praefata Ecclesia gravabatur, sed praefatus Vicarius asserens se Vicarium Basilicae Lateranensis in pluribus Diaecesis praedictum Ordinarium eiusque Ministros sub praetextu turbatae iurisdictionis Basilicae Lateranensis excommunicatos declaraverit, Sacra Congregatio resolvit, haud licuisse dicto Vicario excommunicationem in eos ferre, ac mandavit, ut Ordinarius conficeret processum ac procederet ad poenas, prout de iure – *in Nullius seu Montis Virginis die 14 Novembris 1699 et die 26 Iunii 1700 lib. 49 et 50 Decretorum.*

44. Siquidem – indicta de mense aprilis anni proxime elapsi per Abbatem Generalem Montis Virginis visitatione per publicum Edictum in Terra Mercuriani, eius ordinariae iurisdictioni subiecta, specialiter demandando, ut Clerici tam in sacris, quam in minoribus Ordinibus constituti, qui a praefato Oppido absentes reperiebantur, ad illud personaliter accederent, ad sibi praestandam obedientiam sub poenis suspensionis a divinis et amissionis habitus clericalis, fere omnes vel per se vel per Procuratores comparuerunt, dempto Antonio Renna titulari Ecclesiae S. Antonii Viennensis, qui in Civitate Neapolis iam a novennio morabatur, ut ait, variis tam propriis, quam Clientum implicitus litibus. Prosequuta successive per praefatum Abbatem visitatione, compertum fuit, Ecclesiam S. Antonii Viennensis gravatam esse annuo onere plurium Missarum, absque eo quod de illarum satisfactione appareret, nec de eis ullibi tabella inveniretur affixa, ideo in actu visitationis inter alia decrevit, quod Renna teneretur sub poena suspensionis, infra quindecim dies, distinctam notulam satisfactionis dictorum onerum una cum illorum tabella exhibere, aliaque ad necessarium Ecclesiae ornatum demandando. Verum quia elapso termino assignato ad docendum de adimplemento, nemo comparuit, Abbas praefixis aliis tribus terminis, primo nempe et secundo cum spatio decem dierum pro quolibet, et tertio peremptorio trium dierum, quibus tandem elapsis, Rennam in sua contumacia persistentem, ad instantiam Promotoris Fiscalis, eo quia obe-

dientiam praestare recusavit, et de supradicto onerum adimplemento non docuit, incursum in poena suspensionis declaravit, et successive mandavit affigi cedulones. Audita istorum publicatione, praedictus Renna asserens se Vicarium Basilicae Lateranensis in Diaecesibus Frequentina Compsana et S. Agathae Gothorum, et sic exemptum a iurisdictione Ordinarii (licet multo prius fuerit eius deputatio revocata a Rmo Capitulo Lateranensi), deaffigi fecit praefatos cedulones suspensionis, et eorum loco affigi curavit alios, in quibus declaravit excommunicatos praefatum Abbatem Generalem et eius Ministros Curiae Abbatialis sub praetextu turbatae iurisdictionis Basilicae Lateranensis.

45. Interposito per Abbatem recursu ad hanc Sacram Congregationem, demandata fuit suspensio censurarum per tres menses, cum praefixione competentis termini eidem Rennae ad deducenda iura sua in Sacra Congregatione, quo iam praefixo et effluxo, monitoque saepius Procuratore praedicti Rennae ad informandum, vestrum erit Emi Patres quid iustitiae ac prudentiae consentaneum existimabitur super infrascriptis dubiis: – I. An suspensio Antonii Rennae a divinis facta per Abbatem Generalem Montis Virginis substineatur? II. An licuerit eidem Rennae excommunicare praefatum Abbatem et Ministros Curiae Abbatialis? *Et quatenus negative.* III. An et quas poenas pro praemissis omnibus puniri debeat idem Renna in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 novembris 1699 respondit: – Ad primum, incurrisse. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Abbas conficiat processum et procedat ad poenas, prout de iure –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis in omnibus – *in Nullius seu Montis Virginis die 26 Iunii 1700 lib. 49 et 50 Decretorum.*

46. Idcirco quum Sacra Congregatio mandaverit Episcopo viciniori, ut reciperet probationes super iustitia excommunicationis ab Archiepiscopo latae in Decanum Capituli, ex eo quod hic renuit interesse, dum ille concionem Populo haberet, Sacra Congregatio, praefatis probationibus adhuc non perventis, praecepit, ut dictus Episcopus procederet ad ulteriora *in Calaguritana Censurarum die 26 Novembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

47. Enimvero – cum Capitulum et Canonici Ecclesiae Primitialis Calaritanae recusassent praestare debitam assistentiam Archiepiscopo concionanti, iste pro manutentione possessionis, quam asserit eousque habuisse Archiepiscopos antecessores, obtinuit sub die 19 octobris anni proxime praeteriti literas Regias manutentionales vulgo *salvaguardias,* quibus reiectis per dictos Canonicos, Ministri Regii eas affixere ianuae Sacristiae Ecclesiae supradictae, ac successive sub die 20 dicti mensis octobris dictus Archiepiscopus relaxavit monitorium directum eidem Capitulo illiusque Praesidi, ac omnibus et singulis Canonicis tam coniunctim, quam divisim, ut assistentiam praeberent sub poena excommunicationis maioris latae sententiae, ducatorum 500 in communi, ac ducatorum 200 pro quolibet Canonico, illudque notificari mandavit omnibus supradictis Canonicis capitulariter congregatis per Promotorem Fiscalem eiusdem Curiae Archiepiscopalis, qui cum ad hunc effectum se contulisset ad Capitulum ac dictum monitorium perlegere cepisset, Ioannes Maria Solinas Decanus sub praetextu, quod idem monitorium esset directum Praesidi Capituli, non autem sibi, protestatus fuit, non esse procedendum ad ulteriorem lecturam dicti Monitorii, discedendo a Capitulo una cum aliis Canonicis. Quamobrem idem Promotor Fiscalis, assumptis Militibus aliisque Ministris Regiis, accessit ad domum dicti Solinas Decani aliorumque Canonicorum pro notificando eidem dicto monitorio, sed dictus Decanus sub eodem praetextu, quod Praesidi Capituli, et non sibi dirigeretur, renuit pariter illud acceptare. Post haec supradictus Archiepiscopus eadem die 20 octobris Canonicos capitulariter etiam congregatos monere iussit, se de sero velle Populo concionari, iidemque Canonici requisitam assistentiam praestiterunt ad evitanda scandala, et sine praeiudicio suorum iurium, exceptis praedicto Decano et Canonicis Rachis et Sanan, qui Capitulo non interfuerunt, contra quos, uti inobedientes et impedientes iurisdictionem Archiepiscopalem, dictus Promotor Fiscalis die subsequenti 21 octobris instetit relaxari cedulones et in-

fligi poenas, in praefato Monitorio comminatas, dictusque Archiepiscopus, nulla praevia citatione, protulit sententiam contra Solinas Decanum dumtaxat, eumdem declarando incursum in maiorem excommunicationem, et respective condemnando ad solutionem ducatorum 200, ac solitos cedulones affigi mandavit, reservato iure adversus alios Canonicos. His stantibus, propositum fuit in Capitulo, an dictus Decanus, attentis censuris contra eum latis, esset admittendus ad chorum et ad servitium Ecclesiae, et sub fundamento nullitatum dictarum censurarum resolutum fuit, dictas nullitates notificari debere mediante earum affixione in locis publicis Civitatis, nec non admitti dictum Decanum in choro et divinis officiis, prout fuit admissus, quo stante, dictus Archiepiscopus contra eum uti contumacem tam gravatoriam, quam regravatoriam dictarum censurarum relaxavit. Deinde habitus fuit per Decanum et Canonicos praedictos recursus ad Sacram Congregationem, exquisitaque informatione ab eodem Archiepiscopo, iste suis transmissis iuribus circumferendis insinuavit quoque, Sacram Congregationem posse ab alio Episcopo vicinori non suspecto de rei veritate certiorari.

48. Hinc datis novis Literis Archiepiscopo Arborensi sub die 7 maii proxime praeteriti, ut probationes reciperet pro parte eiusdem Archiepiscopi, iis adhuc non perventis, ad reiteratas petitiones Capituli enixe supplicantis pro Causae propositione, adnectuntur infrascripta dubia tam dictarum censurarum, quam subsidii charitativi a praefato Archiepiscopo praetensi, super quibus EE. VV. oraculum exposcitur: – I. An censurae promulgatae contra Decanum substineantur? II. An idem Decanus ob assistentiam praestitam divinis officiis post latas contra eum censuras remanserit irregularis? III. An Capitulum Calaritanum ob permissam assistentiam Decani supradicti post latas dictas censuras in choro et processionibus remanserit interdictum? IV. An licuerit Arciepiscopo exigere subsidium charitativum in summa 500S petiarum Hispaniae in Diaecesi Calaritana in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et Episcopus Arborensis procedat ad ulteriora – *in Calaritana censurarum die 26 Novembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

49. Quod si excommunicationis existentia adhuc sit dubia, locus est absolutioni et respective dispensationi ad cautelam *in Iuvenacen. Censurarum et Irregularitatis die 23 Februarii 1709 lib. 59 Decretorum* (1).

50. Episcopus itaque vel Delegatus debent abstinere a praecipiendo aliquid sub poena excommunicationis, cum haec solum in subsidium sit adhibenda *in Segobricen. anno 1589 lib. 6 Decretorum pag. 90.*

51. Unde si iidem aliquid sub poena excommunicationis praecipiunt, potest dari ab hoc praecepto appellatio, etiamsi sit de re, quae vel per definitivam vel alias possit reparari *in Segobricen. anno 1589 lib. 6 Decretorum pag. 90.*

52. Quin imo Episcopus, qui iniuste sub poena excommunicationis mandavit, ne in Oratorio domestico Missa celebraretur, et supellectiles sacrae intra terminum sex horarum consignarentur Vicario Generali, sed dominus Oratorii ab huiusmodi praecepto appellationem interposuit, nulliter eum, spreta appellatione nullaque praemissa citatione, excommunicatione plectit *in Albintimilien. Suspensionis Oratorii et Censurarum die 20 Maii 1747.*

53. Siquidem Caietanus Fenoglius Sacrae Congregationi exposuit, se cum Uxore sua obtinuisse a Summo Pontifice sub assertiva nobilitatis domesticum Oratorium anno 1740. Privilegium exequutioni mandatum fuit a Vicario Capitulari. Anno 1743 Oratorium illud visitavit Vicarius Generalis moderni Episcopi, qui, deserta Civitate et Cathedrali sua, Sedem transtulit in Mentoni Oppidum, quod octavo lapide ab Urbe distabat, via asperrima et difficillima, rupibus teterrimis abscissis. Declaravit Vicarius Generalis, Oratorium decore ornatum esse, sacraque supellectili instructum. Ortis inde dissidiis inter Episcopum et Magistratum Civitatis, in quo erat Fenoglius, ob translationem festi S. Secundi, repente, nulla citatione, nulla monitione praehabita, valvis Ecclesiae Cathedralis affixum fuit praeceptum Episcopale, quo – dignis de causis, de quibus rationem red-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Dispensatio*, §. IX n. 354, Tom. VII.

demus Deo et Sanctae Sedi Apostolicae –, iniungebatur Caietano Fenoglio, – ne sub excommunicationis latae sententiae poena deinceps Missam celebrare faciat in Oratorio domus suae, et infra sex horas sub eadem poena consignet Vicario Generali petram sacratam patenam calicem aliasque sacras supellectiles –. Adversus hoc praeceptum intra terminum sex horarum appellationem interposuit Fenoglius coram honestis Viris, et quia Promotor Fiscalis urgebat, ob non traditas res sacras, iterum appellavit per Procuratorem specialiter constitutum a Decreto termini dierum duodecim pro relaxatione censurarum; sed Episcopus, omnibus spretis, nullaque praemissa citatione, definitive decrevit, – Caietanum Fenoglium incurrisse in poenam excommunicationis maioris sibi reservatae –, et inde affixi fuerunt cedulones valvis Ecclesiae Cathedralis. Fenoglius per Iurisperitos instructus, quod excommunicatio nulla esset, ac iniusta uti lata post appellationem, Sacra affuit semel aut bis, nonnullosque nobiles patriciosque Genuenses convenit: monitus inde literis Roma acceptis, censuras, licet nullas iniustasque, timendas esse, a Civitate recessit Sacrisque audiendis abstinuit. Episcopus pro informatione requisitus respondit, nec tamen causas aperte retulit: quantum vero ex his, quae habebat, cognosci poterat, tres erant, loci ignobilitas, vilis et sordida mercatura, quam exerceri dicebat a Fenoglio, Familiam Fenogliam sibi infensissimam esse et irreverentem. Contra Fenoglius nullitates et iniustitiam censurarum monstravit, spolium commissum esse praecepto illo, erroresque Episcopi, tum quoad Civitatem, quae nobilis erat, tum quoad vilem sordidamque mercaturam, quam nunquam Fenoglius exercuit, tum quoad irreverentiam Familiae.

54. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An substineatur praeceptum Ordinarii in casu etc. II. An constet de nullitate et iniustitia censurarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, censuras non substineri – *in Albintimilien. Suspensionis Oratorii et Censurarum die 20 Maii 1747.*

55. Nam Sacra Congregatio declaravit, nullam omnino esse excommunicationis sententiam, latam post appellationem legitime interpositam, ita ut sic excommunicatus celebrando nullam incurrit irregularitatem *in Dubium die 15 Septembris 1625 lib. 12 Decretorum pag. 329.*

56. Quapropter excommunicatio, pendente appellatione, lata, nulla omnino renunciatur, quin sint reaffigendi cedulones, sed Episcopus procedere tenetur ex integro, servatis servandis *in Larinen. Confraternitatis die 20 Septembris 1710 lib. 60 Decretorum* (1).

57. Nulla igitur censetur ac est excommunicatio post interpositam ad S. Sedem appellationem; quandoquidem quum, excitata controversia super iuribus funeralibus, bona defuncti Alvari de Luna consignata fuerunt loco depositi Myrtillo de Barricellis Syndico Civitatis Cotronensis cum obligatione persolvendi ex illis quidquid extitisset ordinatum ab Episcopo, sed Myrtillus, contumulato cadavere, renuerit exolvere summas designatas a Capitularibus Cathedralis, ad quos iura funeralia spectare dicebantur, uti excessivas et exorbitantes, Locumtenens Generalis Curiae Episcopalis dictum Myrtillum die 3 ianuarii 1707 monuit sub poena excommunicationis maioris, quatenus infra sex horas tradere debuisset Procuratori Capituli summas ab illo petitas. Ab huiusmodi monitione eadem die appellavit praefatus de Barricellis ad S. Sedem Apostolicam, et ulterius suspectum allegavit supradictum Locumtenentem, uti Archidiaconum inter Canonicos. Quibus nihilominus non attentis, die 4 immediate sequenti fuit excommunicatione perculsus, ac illico, uti supponebatur, cedulonibus contra eum affixis. Proposito vero dubio: – VI. An substineantur censurae publicatae contra Myrtillum Syndicum et depositarium?–, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad sextum, Negative – *in Cotronen. Iuris funerandi die 3 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

58. Si enim praeventiva extet protestatio cum appellatione, haud sustinetur excommunicatio; quandoquidem quum Episcopus Ugentinus ad suppressionem Conventus Carmelitarum Oppidi Marciani devenisset, putans

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 35, Tom. IX.

illum Constitutioni *Instaurandae* Innocentii X obnoxium, quin restitutionis gratiam ex Decreto *Ut in parvis* iidem Patres obtinuisse exponerent, nec non, accusata contumaciali absentia Prioris, tamquam Delegatus Apostolicus Ecclesiam locali Interdicto supposuisset, atque Regulares ipsos excommunicationi subiectos declaravisset, ex quo noluerunt visitationi locali ac personali se submittere, servata forma Decreti praedicti *Ut in parvis*, sed e contra Prior aliique Regulares dicti Conventus sustinerent, nulliter omnino Episcopum processisse ad fulminationem censurarum, quia praeventive protestationem cum appellatione in manibus Vicarii Generalis ante Capellam S. Francisci dicti Oppidi Marciani praesentarunt, et quia Conventus tempore editae Constitutionis nequaquam suppressus remansit, ac semper in eo octo et ultra Regulares habitarunt, quod tamen Episcopus inficiabatur, proposito dubio: – III. An excommunicatio et interdictum ab eodem Episcopo latum aliaque per ipsum gesta sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, suppressionem praefati Conventus non sustineri, ac Episcopo non competere ius visitandi conventum Ecclesiam et Regulares, si adessent sex Religiosi, responsum tulit: – Ad tertium, Negative; et amplius – *in Ugentina Iuris dictionis et Censurarum die 16 Martii 1715 lib. 65 Decretorum.*

59. Idcirco quum Praepositus et Praesbiteri Ecclesiae S. Petri Terrae Vasti sub poena excommunicationis maioris latae sententiae die 1 novembris 1703 moniti fuissent ad praestandam obedientiam Archiepiscopo visitanti in Ecclesia S. Mariae maioris eiusdem Terrae, sed ipsi ab huiusmodi praecepto appellationem eadem die interposuerint, contendentes, ex antiqua et immemorabili consuetudine obedientiam semper fuisse praestitam in praedicta eorumdem Ecclesia S. Petri, Sacra Congregatio resolvit quidem, dictos Praepositum et Praesbiteros teneri praestare obedientiam in Ecclesia S. Mariae Maioris, proposito tamen dubio: – III. An censurae substineantur? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, non substineri – *in Theatina die 9 Augusti 1704 lib. 54 Decretorum.*

60. Quin imo licet Communitas teneretur ad praestationem eleemosynae Concionatori, non propterea Vicarius Generalis, absente Episcopo, valide excommunicatos declaravit Magistratum Iuratum et Electos Civitatis, postquam iidem recursum habuerint ad Sacram Congregationem, in qua editum fuerat Rescriptum: – Episcopo in Curia pro informatione, et interim nihil innovari –, nec attenta protestatione eorum in actis Curiae emissa super dicto recursu et Rescripto praefatae Sacrae Congregationis, enunciata in dicta protestatione loco Sacrae Congregationis Concilii illa Episcoporum et Regularium *in Troiana Eleemosynae Concionatoris die 14 Augusti 1700 lib. 50 Decretorum* (1).

61. Hinc haud sustinetur excommunicatio in Dignitates et Canonicos Cathedralis, non obstante ipsorum appellatione a Vicario Generali, lata, ex eo quod contra assertam Constitutionem Synodalem et Decretum Sacrae visitationis cadaver ad Ecclesiam ante lapsum viginti quatuor horarum ab emissione spiritus detulerint *in Ortonen. Censurarum die 3 Octobris et die 12 Decembris 1705 lib. 55 Decretorum* (2).

62. Qua de re multo minus sustinetur excommunicatio, si iusta desit causa, ac Episcopus eam tulit in Confratres, postquam iidem appellationem interposuerint *in Sancti Marci die 13 Aprilis 1726.*

63. Iamvero licet Confratres Sanctissimi Crucifixi, tam ex Constitutionibus ab Ordinario approbatis, quam ex antiqua consuetudine et possessione, suos eligerent Officiales spatio quatuor mensium duraturos, Episcopus nihilominus sub obtentu negligentiae Confratrum in eligendo, ita ut ius eligendi ad se devolutum fuisset, devenit ad electionem Officialium, qui ad annum durarent, et decrevit, eos per Confratres esse recipiendos; et quia memorati Confratres devenerunt ad electionem aliorum Officialium ad normam Constitutionum, Promotor Fiscalis Curiae illis mandavit, assignato congruo termino, ut comparerent ad dicendam causam, quare non deberent excommunicari, ex quo in spretum

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Concionator*, §, III, n. 15 ad 18, Tom. VI.
(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Cadavera*, §. II, n. 118 ad 124, Tom. IV.

mandatorum Curiae, sub poena excommunicationis, ausi fuerunt devenire ad electionem Officialium. Et quamvis die 7 ianuarii 1724 interposita fuisset appellatio, Episcopus nihilominus die 18 eiusdem mensis declaravit et denunciavit excommunicatos excommunicatione maiori sibi reservata nonnullos Confratres in cedulonibus expressos, ex quo iudicialiter moniti sub poena excommunicationis maioris noluerunt desistere ab exercitio officiorum, et noluerunt obedire Officialibus a se uti supra electis. Confratres die 29 eiusdem mensis et anni habuerunt recursum ad Sacram Congregationem, quae illis impertita est absolutionem cum reincidentia ad tres menses, saepius subsequenter prorogatam. Contenderunt itaque Confratres, ad Episcopum non pertinere ius eligendi Officiales, nec in facto subsistere negligentiam eligendi, neque in casu negligentiae locum esse devolutioni; hinc censuras non substineri, tum propter iniustitiam, tum propter nullitatem, et signanter cum Curia teneretur appellationi deferre, ex quo Confratres non fuerunt citati ad dicendum causam, quare non deberent declarari, incidisse in excommunicationem, sed ad dicendam causam, quare non deberent excommunicari, iuxta tradita per Fagnanum in Cap. *Super eo* de appellat. n. 40 et 50. His igitur perpensis, proposito dubio: - III. An censurae sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, ius eligendi Officiales privative spectare ad Confraternitatem, ac Episcopum praefigere debere terminum Confratribus ad eligendum, et quatenus non concordarent in tertio scrutinio, deveniret ad electionem Officialium, qui durarent ad quatuor menses, responsum tulit: – Ad tertium, Negative; et amplius – *in Sancti Marci die 13 Aprilis 1726.*

64. Unde excommunicatio, quam Vicarius Generalis, non obstante appellatione interposita ad S. Sedem et sine iusta causa, tulit, nequit sustineri; quandoquidem quum Vicarius Generalis Cortonensis Vincentium Amalphitanum Cathedralis Ecclesiae Canonicum Coadiutorem a divinis suspensum excommunicatum nec non irregularem, ob peractum Missae Sacrum post contractam suspensionem, pronunciaverit, ex eo quod in pervigilio Corporis Christi divinis Officiis interesse noluerat, ac citatus ad dicendam causam, quare non deberet suspensus a divinis declarari, neglexerat coram praefato Vicario Generali comparere, sed praedictus Vincentius contenderit, invalidas esse censuras, quia Vicarius Generalis ad prolationem Decreti praecesserat absque nova ipsius citatione, non obstante protestatione in actis Curiae Episcopalis emissa, quia ante Decretum in suspectum allegaverat dictum Vicarium, ac iudiciaria etiam appellatio ad S. Sedem interposita praecesserat, nec non iniustum dixerit memoratum Decretum, nam divinis officiis ob rheumaticum, quo divexabatur, morbum interesse non potuerat, proposito dubio: – An censurae sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et scribatur Episcopo pro abrogatione poenae suspensionis contentae in Constitutione Synodali; et provideat ad formam Concilii – *in Cortonen. Censurarum die 28 Ianuarii 1741.*

65. Quapropter quum Interdictum post appellationem ab eius monitorio interpositam latum non substineatur, hinc nec excommunicatio, ob eiusdem inobservantiam post pariter appellationem a monitionibus interpositam lata, substineri potest, attenta tamen rerum gravitate, poena in transgressores imponitur *in Cassanen. Censurarum die 7 Augusti 1745.*

66. Siquidem cum mense augusto anno 1744 damnum nocte illatum fuisset praediis Monasterii Patrum Conventualium S. Francisci Assisiensis Castrivillarum, curarunt Patres, ut ab Episcopo Cassanensi censurarum poena infligeretur iis, qui damnum intulerant, sed Episcopus noluit Patribus indulgere. Hi igitur, cum eas statis diebus divo Antonio Patavino preces funderent, quas vocabant *tridicina,* aera tinnula post secundam noctis horam pulsabant, et clausis Templi foribus, incertum, quale genus orationis haberent coacti in Ecclesia luminibus accensis, nam omne hoc factum non plane liquebat contrariis tum Patrum, tum Episcopi probationibus: sed Syndicus Civitatis Castrivillarum ille ipse, qui de damno praediis Patrum illato criminali iudicio una cum aliis inquisitus erat, petiit a Curia Episcopali Cassanensi, ut caveretur, ne scandalum et tumultus oriretur in Populo, qui moesto campanarum sonitu con-

tristabatur, et ob id Benedictus Carbonus Auditor Generalis Episcopi Cassanensis Patres monuit, ut sub poena Interdicti eorum Ecclesiae statim et per totam diem desisterent – a perturbando contristandoque Populum Civesque Castrivillarum importuno funebrique sonitu campanarum in hora secunda noctis cum magno illorum timore perturbatione admiratione et scandalo pro futili vindicta praetensarum iniuriarum pluries elapsis noctibus hora supradicta ad stomachum usque emisso –, quae verba sunt monitorii, quod inde incertum erat, quo modo Patribus praesentatum fuerit, cum diversae hinc inde probationes proponerentur. Appellarunt Patres ab hoc monitorio, et cum appellatio nec coram Benedicto Carbono, nec coram Episcopo interponi potuerit, Tabellio eam foribus Curiae Episcopalis affixit; sed idem Carbonus Ecclesiam interdixit. Patres cedulones lacerarunt, et sacra divinaque officia in Templo interdicto egerunt, ideoque Carbonus Patres Conventuales monuit ad dicendam causam, quare non deberent declarari excommunicati et irregulares, ob non servatum interdictum. Appellarunt Patres ab hac monitione, quam appellationem Carbonus admisit in devolutivo tantum; iterumque monuit Patres, ut – in statuto termino citationis ipsis elapsa die intimatae omnino comparerent ad dicendam causam, quare etc. –. Appellarunt Patres ab hoc Decreto, et Carbonus mandavit, appellationem in actis servari; iterumque Patres monuit iisdem verbis peremptorie, iterumque Patres appellarunt, et Carbonus decrevit, procedendum fore et esse contra Patres ad definitivam sententiam declaratoriam excommunicationis et irregularitatis, prout eam tulit, et denunciationes seu cedulones publice propositi fuerunt. Cognitione Causae huius ad Sacram Congregationem delata, Patres contenderunt, interdictum non substineri defectu iurisdictionis ordinis iudiciarii et iustae causae: et cum interdictum non posset substineri, nec excommunicationem quidem et irregularitatem substineri posse dixerunt.

67. His ceterisque hinc inde deductis, propositis dubiis: – I. An substineatur interdictum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An substineatur excommunicatio et irregularitas in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative; et ad mentem: et mens est, quod Patres Conventuales petant veniam ab Episcopo, et removeatur Guardianus, et pro exequutione ad Emum Praefectum cum Procuratore Generali – *in Cassanen. Censurarum die 7 Augusti 1745.*

68. Unde declaratio excommunicationis, vigore Extrav. *Ambitiosae,* pendente appellatione, facta, nec sustinetur *in Minoren. seu Amalphitana Censurarum die 11 Iulii 1750* (1).

69. E contra valida est sententia declaratoria excommunicationis in eum, praevia citatione, lata, qui bona ac fructus et emolumenta Ecclesiae parochialis et respectivi Parochi invasit ac surripuit *in Triventina Censurarum die 28 Ianuarii 1747.*

70. Iamvero Liberator Piccirillus Baro Castri Guardiae Brunae permutationis titulo primum abduxit boves aratorios tresdecim ex fundis parochialibus, et eorum vice oves reddidit, quas et quot ipsi libuit. Amovit inde trabem quamdam procerae longitudinis a Curato sepositam, ut sarta tecta Ecclesiae servaret, eaque usus est in fabrica aedium suarum: vaccam cum vitulo surreptam Parocho venditori equi tradidit pro pretio: manus extendit ad decimas parochiales, quas sibi pendere coegit miseros rusticos tamquam domino bonorum Ecclesiae, invasit praedia ecclesiastica, terminos amovit, fines disturbavit, ut signa dominii Ecclesiae delerentur et nullum superesset vestigium: Terricolas sibi pendere impulit minis et metu terraticum tributum, quod ad Ecclesiam pertinebat, et Procuratorem Parochi resistentem in fugam convertit, Uxorem ipsius in carceres compegit, quibus etiam in praesens detinebatur: peculium tandem omne frumentum et fruges et quidquid supererat aeris fructuum animalium occupavit, nudam reliquit Ecclesiam, et lugentem Parochum super desolatione Sponsae suae adegit, ut victum stipemque quaereret; hinc Paschali tempore advento abstinuit a communione. Interea Parochus infelix ad praesidium confugit Episcopi Triventini,

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Appellatio,* §. II, n. 152 ad 157, Tom. II.

et coram ipsius Vicario petiit inflictionem anathematis in invasorem Piccirillum, qui in jus vocatus die 7 iulii 1744 ad comparendum et ad dicendam causam, quare non deberet declarari excommunicatus, praefixoque trium dierum termino, non comparuit. Accusata contumacia, die 15 eiusdem mensis publice anathemate subiectus fuit, affixique palam cedulones. Hoc fulmine perculsus Baro rediit ad bonam frugem, fassus est peccata sua, ore et scripto promisit restitutionem rerum et bonorum surreptorum, notulamque exhibuit, in qua singillatim plurima expressit, seque paratum obtulit pro aliis, quae ignorabat, solvere, et damna resarcire. Sed brevi bonitatis huius suae poenituit, rediitque ad ingenium et pristinam pertinaciam, perseverans in occupatione bonorum et rerum, incubabatque adhuc possessioni impoenitens, et sereno vultu, tamquam inique damnatus, appellavit a sententia excommunicationis ad Sacram Congregationem, a qua remissus fuit ad Vicesgerentem Urbis, qui eum absolvit a vinculo per tres menses cum reincidentia. Processum inde atque acta trasmisit Vicarius, et epistolam Episcopi, qui aegritudinem animi sui significabat, deplorans statum, ad quem Ecclesiae illius bona et Parochus ipse redactus erat, post vastitatem factam a Praedone, qui nondum caput submittens pergebat reclamare contra latam excommunicationis sententiam. Parochus itaque contendit, multiplici anathematis vinculo innodatum esse Baronem, tamquam raptorem fructuum et emolumentorum Ecclesiae, iuxta Cap. *Nulli* de reb. eccles. non alienandis, occupatorem bonorum ipsius, iuxta Pontificum Constitutiones et Tridentini Decreta, et demum contemptorem praecepti, quod est in in Cap. *Omnis utriusque sexus* de poenitentia et remissione.

71. Rebus sic stantibus ac silente Piccirillo, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate sententiae declaratoriae excommunicationis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Piccirillus incurrerit excommunicationem, ita ut sit procedendum ad declarationem in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An Parochus teneatur ad refectionem damnorum per dictum Piccirilli passorum ex causa dictae excommunicationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum et tertium, provisum in primo – *in Triventina Censurarum die 28 Ianuarii 1747.*

72. Nam excommunicatio indicta est a Concilio Tridentino sess. 22 cap. 11 de reformatione, ob occupationem et usurpationem iurium vel bonorum vel fructuum Locorum piorum, quamdiu restitutio integre sequuta et absolutio obtenta fuerit *in Camerinen. die 16 Maii 1767* §. *Synodus.*

73. Quin imo incisionem arborum frugiferarum, tamquam veram et propriam alienationem, sive illae sint magni valoris, sive parvi, sub prohibitione alienationis comprehendi ad effectum saltem, ut necessario requiratur licentia Ordinarii, colligitur ex iis, quae tradunt Panimoll. decis. 60 adnot. 3 n. 47, et decis. 78 a n. 16, Pacion. de loc. et conduct. cap. 14 §. 3 n. 5 et 9, Card. De Luca de alienat. disc. 1 n. 116 *in Tudertina Censurarum die 2 Iunii 1742* §. *Nunc.*

74. Ceterum contra eos, qui arbores, quarum valor ascendebat ad scuta duodecim, absque licentia Ordinarii inciderunt, haud sunt relaxandae censurae per Sacros Canones in alienantes Ecclesiae bona indictae, cum praesertim iidem privilegio potiantur Apostolico, licet Episcopus censeat, illud fuisse abrogatum, nec casum, de quo agitur, comprehendere *in Tudertina Censurarum die 22 Septembris 1742.*

75. Siquidem Marcellus de Felicianis Rector Ecclesiae parochialis Ecclesiae Castri Petronii exposuit Curiae Episcopali, quod tametsi cum ipse, tum sui Antecessores in pacifica ac diuturna possessione reperirentur cuiusdam ripae et quercuum in ea existentium, quae adiacebant praedio dictae Ecclesiae parochialis sub vocabulo *il Pantano,* quia tamen Franciscus Nucciarelli oeconomus fabricae Ecclesiae S. Mariae Consolationis Tuderti quaestionem sibi moverat super pertinentia eiusdem ripae, passus est trahi ad ineundam sub mensem decembris 1738 quamdam concordiam cum praefato oeconomo, cuius vigore pars memoratae ripae cum nonnullis arboribus cedere deberet praedictae Fabricae, altera vero pars remanere apud Ecclesiam parochialem, ea tamen adiecta

lege, ne ad ullam arborum incisionem procedi posset, nisi prius obtentis assensu et licentia Ordinarii. At paucos post dies quum Oeconomus Fabricae, nullo adhuc impetrato a Curia Episcopali Beneplacito, plurimas praedictae ripae quercus, etiam ultra eas, quae cessae fuerant eidem Fabricae, incidere fecerit, de hoc propterea excessu conquerens praedictus Rector, ut iste opportuna correctione emendaretur, ab eadem Episcopali Curia postulavit. Episcopus itaque, praemissa cognitione causae, memoratum Nucciarelli declaravit incursum in censuras, nisi ab eo intra terminum quinque dierum doceretur de legitima facultate dictas arbores incidendi: ab hoc autem Decreto provocantes tam dictus Nucciarelli, quam Rectores Fabricae, citarunt Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis nec non Rectorem dictae parochialis Ecclesiae coram Auditore Signaturae Iustitiae Urbis pro remissione Causae ad A. C. in civilibus, sed varia post Decreta postremo Causa remissa fuit ad eamdem Episcopalem Curiam, sed in civilibus tantum. Verumtamen ex eiusmodi limitata Causae remissione haud satis negocio consultum arbitrans dictus Parochus, Sacram adiit Congregationem; rogavitque, pronunciari incursos in censuras tam Nucciarellum, quam alios praedictae incisionis quercuum complices. Sacra autem Congregatio post acceptam super hisce precibus relationem Episcopi, qui censuit, praefatos Oeconomum aliosque Rectores Fabricae ab incursu in censuras excusari non posse, iussit congruum iisdem praefigi terminum ad iura sua coram EE. PP. deducenda. Institit igitur Parochus, ut Nucciarellius aliique litis consortes censuris irretiti declararentur, atque in hunc finem protulit depositionem plurium Testium ac Peritorum, quibus ostendebatur tum antecedens possessio ripae in praesens controversae ab ipso eiusque Praedecessoribus pacifice semper habita, tum novissima quercuum in eadem ripa existentium incisio iussu Nucciarelli peracta, tum valor earumdem quercuum ad scuta duodecim ascendens, tum denique conditio, quae apposita fuit in memorata concordia, ne ad ullam arborum incisionem procederetur, antequam consensus Ordinarii accessisset. Administratores Fabricae Ecclesiae S. Mariae Consolationis vero exhibuerunt privilegium a Clemente VII concessum, quo Confraternitati fiebat potestas vendendi et alienandi bona stabilia praedictae Ecclesiae et Hospitali adnexo obventura, nec non convertendi pretium in fabricae manutentionem et utilitatem dictae Ecclesiae et Hospitalis, absque ullius licentia et auctoritate. At Episcopus censuit privilegium istud a posterioribus Bullis Summorum Pontificum, quibus confirmata est dispositio Extrav. *Ambitiosae,* fuisse abrogatum; praetereaque casum hunc, si adhuc vigeret, haudquaquam comprehendere.

76. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An censurae sint relaxandae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative; et amplius – *in Tudertina Censurarum die 22 Septembris 1742.*

77. Is autem, qui bona Ecclesiae absque Beneplacito Apostolico emerit, in excommunicationem vigore Extrav. *Ambitiosae* incidit, sed interim indulgetur absolutio ad cautelam usque ad exitum Causae, quae in Sacra Congregatione pendet, emissa obligatione de stando iuri et parendo mandatis Ecclesiae *in Reatina Censurarum die 27 Ianuarii 1827* (1).

78. Itaque Sacra Congregatio declaravit, non esse ipso iure excommunicatos, sed excommunicandos subtrahentes decimas Ecclesiis debitas et in proprios usus convertentes, vel impedientes, ne cui de iure solvantur *in Ariminen. anno 1619 lib. 12 Decretorum pag. 12.*

79. Quin imo vigore Concilii in Cap. 12 sess. 25 de reformatione non possunt puniri poena excommunicationes nolentes solvere census laudemia et similia Ecclesiae *in Nicoteren. mense Martii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 230.*

80. Episcopus autem tenetur mandare, ut affigantur cedulones excommunicationis in sua Diaecesi contra Livellarios Mensae Episcopalis alterius Diaecesis *in Naulen. die 19 Septembris 1643 lib. 17 Decretorum pag. 230.*

81. Unde multiplici anathematis vinculo innodatus est, qui est raptor fructuum et emolumentorum Ecclesiae, iuxta Textum in Cap.

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Alienatio*, §. III, n. 353 ad 362, Tom. I.

Nulli de reb. eccles. non alienandis, qui est occupator bonorum ipsius, iuxta Pontificum Constitutiones et Tridentini Decreta, et qui est contemptor praecepti, quod est in Cap. *Omnis utriusque sexus* de poenitentia et remissione *in Triventina Censurarum die 28 Ianuarii 1747* §. *Interea.*

82. Enimvero Sacra Congregatio declaravit, posse ab Episcopo ferri sententiam excommunicationis in eos, qui temporibus ab Ecclesia statutis ad Confessionis et Eucharistiae Sacramenta accedere sunt negligentes, et poenas in Can. *Omnis utriusque sexus* de poenitentia et remissione contentas contemnunt, non autem absolutio sibi reservari *in Dubium ad Cap. 3 sess. 25 de reformatione Posit. 147.*

83. Hinc Summus Pontifex Clemens V in Concilio Viennensi relato in Clementina 1 de privilegiis ita sancivit: – Religiosi, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unctionis Extremae vel Eucharistiae ministrare Matrimoniave solemnizare, non habita super his parochialis Presbiteri licentia speciali, aut qui excommunicatos a canone, praeterquam in casibus a iure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicae concessis eisdem, vel a sententiis per Statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis, seu (ut verbis eorum utamur) a poena et culpa absolvere quemquam praesumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi, quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publice nuntiari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem desuper super hoc exemptionis vel alio privilegio suffragante - *in Suessana Iurium parochialium die 3 Decembris 1735* §. *Summus.*

84. Quapropter valida renunciatur excommunicatio per Episcopum in Monachum Olivetanum, praeviis consuetis monitionibus Curiae, lata, ex eo quod absque licentia Parochi Sacramentum Extremae Unctionis cuidam Viro nobili septa Monasterii incolenti ministraverit *in Neapolitana Censurarum die 5 Iunii 1700 lib. 50 Decretorum* (1).

85. Parochus itaque, qui iniuste, spreto Episcopali praecepto de non sepeliendis sub poena excommunicationis cadaveribus, in sua Ecclesia de facto sepelivit, in excommunicationem incidit, ac pro eius absolutione consulendum est Sanctissimo *in Vilnen. Sepulturae die 15 Decembris 1792* (2).

86. At Parochi ceterique Presbiteri, qui impedierunt, quominus cadaver ad Ecclesiam Regularium, iuxta Consanguineorum Defuncti asportaretur, non incidunt in excommunicationem, sed poena sunt plectendi, amissione scilicet cuiuscumque lucri percepti vel percipiendi ex funere *in Nullius Messanen. Funerum die 19 Decembris 1857.*

87. Siquidem non paucis ab illinc annis in quibusdam Siciliae locis solebant Prebiteri nonnulli perturbatores, ut referebat Vicarius Capitularis Nullius Diaecesis Archimandritalis Messanensis, Defunctorum cadavera, quae sive ex ipsorum voluntate testamento manifestata, sive ex placito Consanguineorum, ad Regularium Ecclesias deferri et in illis sepeliri debebant, ad Ecclesias seculares, prout ipsis arridebat, per vim rapere ibique sepulturae mandare. Reclamantibus hac desuper re tum Regularibus, tum Defunctorum Consanguineis, dicti Presbiteri morientibus, qui erant de eorum familiis, assistere aliaque ecclesiastica munia detrectabant. Quam corruptelam, quin improbarent Parochi, sequebantur potius una cum aliis de Clero. Inter haec accidit funus cuiusdam Adolescentis, cui in Regularium Ecclesia Parentes sepulturam decreverunt. Dum cadaver efferendum erat, Perturbatorum opera sub praetextu caloris aestivi et horae diei, quae erat undecima antimeridiana, Clerus, qui ad associationem convenerat ad Ecclesiam secularem domui proximam, perrexit. Consanguinei vero statim, re cognita, tum a Confratribus, tum a Sacerdote, qui loco Parochi domum intraverat ad cadaveris benedictionem peragendam, feretro circumstetere, prohiberuntque, ne inde cadaver tolleretur in aliud inferendum sepulchrum ac ipsi destinaverant. Sed quamvis cadaver domi permanserit, funebris tamen ductus usque ad proximiorem illam Ecclesiam

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 18, Tom. IX.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Absolutio*, §. IV, n. 33, Tom. I, et in Verb. *Cadavera*, §. IV, n. 79 ad 82, Tom. IV.

pervenit; sed maior quidem Cleri pars, quae senior erat, re deprehensa, confestim abivit, ceteri vero non prius, quam cantata Missa pro Defuncto et peracta tumuli absolutione. Ex hoc summo dolore affecti dicti Consanguinei Defuncti, de consilio Praesidis Ecclesiae Regularis tumulantis, Iudicem adiverunt illius viciniae, ut res de bono et aequo componeretur. Qui cum proposuisset, ut Regulares, vocato aliquo Capellano, cadaver ad propriam Ecclesiam deferrent, idem hora secunda pomeridiana cum alio Regulari Sacerdote et duobus Testibus Parochum convenit, eum rogans et monens per schedam a se et a Testibus subscriptam, ut hora tertia pomeridiana per se, vel per suum Capellanum cadaveris associationi usque ad Ecclesiam sui Coenobii tumulantem praesto esset. Parochus, cum se promisisset adfuturum, praedicta hora et per duos alios horae quadrantes non comparuit. Tunc vero Coenobii Praeses, benedicto per suum Presbiterum cadavere, illud elevavit, rituque consueto ad propriam Ecclesiam detulit, atque absoluto funere, ibi sepulturae mandavit. Huiusmodi eventus quaestiones et clamores ex utraque parte excitavit. Parochus sua iura violata esse aiebat; Regulares censuris irretitum Clerum secularem contendebant. Vicarius Capitularis tamen subinde retulit, litem pacifice iam fuisse Partium silentio compositam, nec iisdem in animo esse, ut iudicium desuper instituerent: sibi vero (qui ceteroquin Regularibus favere videbatur) aliisque prudentioribus ecclesiasticis Viris votum inesse, ut excitatae quaestiones a Sacra Congregatione resolverentur (1), tum ad regulam habendam in similibus quoad futurum, tum ad salutem Partium ipsarum, ut scilicet, quatenus deliquerint et censuras incurrerint, in foro poenitentiali sibi consulere valerent.

88. Compertum enim est, si cadaver alibi, quam in loco electae sepulturae fuerit asportatum vel tumulatum, sit etiam in cathedrali, Ecclesiae designatae seu Regularibus debere cum oblationibus et emolumentis omnino restitui, ceu statuit Alexander VII expeditis Literis Apostolicis in forma Brevi, quarum initium *Alias pro parte*. Similique ratione, nulla tamen adiecta censura, s. m. Urbanus VIII extorsiones et vexationes huiusmodi Parochorum ad impediendam libertatem electionis sepulturae in Ecclesiis Regularium refraenavit, edita die 11 martii 1638 apposita Constitutione, cuius initium *Cum sicut dilectus filius*. Poenam vero, qua Parochus mulctatur, si violenter rapiat vel spoliet funus, antequam veniat ad manus eorum, quibus debetur, aliam non esse, quam amittendi ius, quod habet ad quartam canonicam, cum obligatione restituendi cum corpore quidquid accepit emolumenti, docet Barbosa de offic. et potest. Paroch. part. 3 cap. 26 n. 27, et refert Ferraris in biblioth. can. verb. Parochus art. 3 n. 33, ubi plura ad rem indigitat Sacrarum Congregationum resolutiones. Perpendendum itaque erat, num in themate applicanda esset dispositio Textus et Clementinarum, in quibus excommunicatione et censuris coercentur, qui eleemosynas impediunt Regularibus mendicantibus vel eorum Ecclesiis. Et licet spoliationibus praefatis emolumenta seu obventiones et quodammodo eleemosynae Regularibus impediri viderentur, animadvertendum tamen erat, quod, cum ageretur de poenis infligendis, hae non deberent extendi de casu ad casum, sed e contra iuxta regulam iuris temperari, et rem in benigniorem partem interpretari, maxime cum definita inveniretur, iuxta praeallegatas auctoritates Barbosae et Ferraris poena amissionis quartae, qua Parochus sit in similibus puniendus. Nec forte altera poterat applicari dispositio, qua excommunicatione maiori constringitur Parochus cum aliis, qui sepulturae electionem impediunt in Ecclesiis Regularium, ex Cap. *Animarum* de sepulturis in 6 et ex Clementina in Cap. *Cupientes* de poenis; par namque videbatur obstare ratio applicationis ac de eleemosynarum impedimento. Haec autem eatenus valere comperiebantur, quatenus de Parochi persona, vel alterius, qui curam exercebat animarum, agatur, nec non de violenta funeris spoliatione. At quantum attinebat ad reliquos Presbiteros aut Procuratores Ecclesiarum extraodinaria poena videbantur esse coercendi arbitrio Ordinarii, praeter amissionem omnium emolu-

(1) Quas quippe quaestiones resolvit Sacra Congregatio, ceu videre est in Verb. *Cadavera*, §. II, n. 28 et n. 108, Tom. IV.

mentorum, cum nulla contra ipsos esset poena definita, quatenus EE. PP. eos in excommunicationem haud incidisse censuerint. Et graviori etiam animadversione refraenandi videbantur sive Parochi, sive alii animarum curam habentes quocumque titulo nuncuparentur, usque ad suspensionem ab officio et beneficio et a Sacrorum celebratione, si casus occurreret, quod Sacramenta et assistentiam in extremis detrectarent Infirmis, quorum electio constiterit sepulturae in aliam Ecclesiam. Animarum Curatores enim, sive per se, sive per alios idoneos Ministros ex stricto rigore iustitiae tenentur ministrare Sacramenta et adesse propriis Parochianis in casu necessitatis et in extremo luctamine, ita ut nec causa quidem pestis et contagionis excusentur, uti cum universali Theologorum sententia perpendit Ferraris in biblioth. can. verb. Parochus art. 3 n. 29.

89. His mature perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo excommunicationem et irregularitatem contraxerint Parochi ceterique Presbiteri aut Procuratores Ecclesiarum, seu potius alia poena plectendi sint in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative in omnibus ad primam partem, Affirmative ad secundam, nempe amissione cuiuscumque lucri percepti vel percipiendi ex funere – *in Nullius Messanen. Funerum die 19 Decembris 1857.*

90. Attentis tamen rerum circumstantiis, Sacra Congregatio mandavit, ut indulgeretur absolutio ad cautelam, quin a decisis recedere censuerit; siquidem quum Pater Iosephus Neccus Prior Conventus Carmelitarum et Pater Angelus Maria Alegrantia aedituus detrectantes solvere quartam funerum Parochis portionariis S. Carpophori, iuxta resolutionem Sacrae Congregationis debitam, quod isti medietatem candelarum et intortitiorum, quae in parochiali Ecclesia accensa erant, pariter tradere abnuebant, fuissent a Vicario civili Archiepiscopalis Curiae censuris innodati, proposito dubio: – An censurae substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio, licet dicti Patres in suspectum allegarent praedictum Vicarium, die 4 decembris 1734 responsum tulit: – Consignato deposito, esse absolvendos ad cautelam –. Depositum a Patribus Carmelitis iuxta Sacrae Congregationis praeceptum fuit Parochis consignatum; sed quia iidem Religiosi, autumantes, censuras neutiquam sustineri posse, sua interesse putarunt praefato Rescripto super absolutione ad cautelam sibi per Ordinarium impertienda non acquiescere, idcirco reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius; et ad mentem (1) – *in Mediolanen. Censurarum die 23 Aprilis 1735.*

91. Unde Patres Reformati inciderunt quidem in excommunicationem, ex eo quod detulerant cadaver, non obstante inhibitione Ordinarii sub poena excommunicationis, sed proposito dubio: – An licitum fuerit Patri Angelico Ordinis Reformatorum deferre cadaver non obstante inhibitione Episcopi, et proinde an censurae substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Suspensis censuris, Patres imposterum se abstineant a similibus – *in Nuscana Funeris die 14 Ianuarii 1730* (2).

92. Sacra Congregatio antem renuit concedere Congregationi Presbiterorum secularium, ut fugitivi et disertores eiusdem Congregationis, non iustificata prius legitima causa coram Ordinario, incurrere deberent excommunicationem ipso iure reservatam praedicto Ordinario sive Superiori pro tempore dictae Congregationis, nec non alias poenas adversus fugitivos seu apostatas et incorrigibiles de iure inflictas *in Elboren. Fugitivorum die 14 Novembris1711 lib. 61 Decretorum.*

93. Enimvero – in Cap. 7 §. 5 Statutorum Congregationis Presbiterorum secularium Beatae Virginis de Necessitatibus nuncupatae erectae in loco de Tumina huius Diaecesis praescribitur, quod quicumque a dicta Congregatione egredietur absque legitima causa ab Ordinario approbanda incidat in poenam periurii, quia praestito iuramento defecit. Preces item porrexerunt SS. D. N. ad hanc

(1) Scilicet commissum fuit Archiepiscopo, ut absolutionem ad cautelam impertiret, *ceu videre est in lib. 85 Decretorum pag. 143.*

(2) Speciem Causae huius habes in Verb. *Cadavera*, §. II, n. 94 et 95, Tom. IV.

Sacram Congregationem reiectas iidem Presbiteri, pro declaratione, quod fugitivi a memorata Congregatione non solum poenam periurii, sed etiam excommunicationis ipso iure incurrant reservatam eidem Ordinario sive Superiori pro tempore eiusdem Congregationis, nec non alias poenas adversus fugitivos apostatas et incorrigibiles de iure inflictas. Hinc EE. VV. etiam ex deducendis dignentur declarare: – An fugitivi et desertores dictae Congregationis, non iustificata prius legitima causa coram Ordinario Elborensi, incurrere debeant excommunicationem ipso iure reservatam Ordinario Elborensi sive Superiori pro tempore eiusdem Congregationis, nec non alias poenas adversus fugitivos seu apostatas et incorrigibiles de iure inflictas in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Elboren. Fugitivorum die 14 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

94. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, excommunicationem, de qua in Decreto Concilii Cap. 16 sess. 25 de regularibus, non incurri ipso facto, nec esse reservatam Papae *in Dubium ad dictum cap. 16 sess. 25 de regularibus Posit. 147.*

95. Nullum tamen dubium, quin Episcopus valeat imponere poenam excommunicationis latae sententiae sibi reservatae ad custodiendam clausuram Monialium Regularibus subiectarum circa aperitionem ostii clausurae extra casus indigentiae, nec non circa accessus et colloquia cum Monialibus *in Auximana Visitationis sacrorum Liminum die 26 Ianuarii 1658 lib. 21 Decretorum pag. 176.*

96. Unde excommunicatio ex supradicta causa ita ligat nedum Regulares accedentes, verum etiam Moniales, facta de eis mentione, ut Superior Regularis non possit ab ipsa absolvere *in Auximana Visitationis sacrorum Liminum die 26 Ianuarii 1658 lib. 21 Decretorum pag. 176.*

97. Quum Moniales vero Regularibus subiectae de licentia Episcopi iusta ex causa exierint a respectivis Monasteriis ad formam Bullae S. Pii V, sed inde cessata praedicta iusta causa ad illa redire nollent, Sacra Congregatio haud resolvit, eas in excommunicationem incidisse, sed mandavit, ut Episcopus cogeret iuris remediis ad redeundum *in Gerunden. Clausurae die 18 Novembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

98. Siquidem – in postrema obsidione Civitatis Gerundae, cum fere omnia deficerent ad vitae sustentationem, tam Moniales Cistercienses sub iurisdictione Abbatis Cisterciensis, quam Moniales Ordinis Minorum S. Francisci, ipsius Ordinis Superioribus Regularibus subiectae, licentiam ab Episcopo obtinuerunt excedendi a Monasteriis ad formam Bullae S. Pii V, quae vel in patriis laribus, vel in aliis commodioribus Coenobiis sese receperunt. At obsidione absoluta, Urbeque victualium copia instructa, Moniales ipsae, paucis exceptis, ad propria Monasteria redire renuunt, causam praetexentes devastationis earumdem bonorum aeris intemperiei et difficilis accessus ad Civitatem, ac ulterius aegreferunt cogi ab Episcopo ad clausuram, eo sub obtentu, quod ab eius iurisdictione habeantur exemptae. Quoniam vero huiusmodi causae nimis, ut perhibetur, videntur futiles, cum Monialibus nihil ad vitae saltem sustentationem in Monasteriis deficiat, facilisque sit accessus ad Civitatem, in qua nullae grassantur infirmitates epidemicae. Hinc Episcopus, priusquam ad censurarum fulminationem et respective declarationem contra ipsas Sanctimoniales procedat, supplex declarari expetit sequentia dubia. Relatis hisce precibus diei 9 septembris ultimi effluxi, Rescriptum prodiit, quod Causa describeretur in folio; dignabuntur itaque EE. PP. qua solent sapientia decernere: – I. An Moniales praedictae in praesenti remanentes extra propria Monasteria inciderint in excommunicationem latam in Bulla S. Pii V (1) saltem postquam extraiudicia-

(1) Scilicet cuius initium: *Decori* 1 februarii 1770, in qua Concilium Tridentinum Cap. 5 sess. 25 de regularibus statuens, non licere Monialibus post professionem exire a Monasterio, etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, declaravit laudatus Summus Pontifex, reducens hanc causam ad tres tantum casus, nempe magni incendii leprae et epidemiae, cum licentia et approbatione Praelati Monasterii, si hoc sit subiectum Regularibus, et Episcopi simul; et quidem in scriptis, cum de infirmitate agatur, sub poena excommunicationis ipso facto Papae reservata, tam in aliter egredientes, quam in licen-

liter ab Ordinario fuerint monitae in casu etc. II. An incurrerint excommunicationem Moniales, etiamsi maneant in aliis Monasteriis eiusdem, vel alterius Ordinis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Episcopus cogat iuris remediis ad redeundum. Ad secundum, ut ad proximum – *in Gerunden. Clausurae die 18 Novembris 1713 lib. 63 Decretorum.*

99. In Can. autem *Nullus Episcopus* de consecratione distinct. 1 ex Synodo Romana sub Zaccaria Papa cap. 13 et 14 ita statuitur: – Nullus Episcopus Presbiter aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire aut velato capite Altari Dei assistere; quoniam et Apostolus prohibet, viros velato capite orare in Ecclesia, et qui temere praesumpserit, communione privetur – *in Iuvenacen. Suspensionis et Irregularitatis die 3 Decembris 1735* §. *Alter.*

100. Praeterea in Can. *Nihil* caus.7 quaest.1 desumpto ex Concilio Toletano VII cap. 2 haec habentur: - Nihil contra ordinis statutum temeritatis ausu praesumatur, neque illa, quae summa veneratione censentur, vel minimo praesumptionis actu solvantur, cum ad hoc tantum fieri iussa sunt, ne interrupta noscantur vel languoris proventu robore salutis privetur natura. Non ergo fragilitati solum consulitur humanae, sed etiam sacro honori mysteriorum Dei provida cavetur solicitudine. Censuimus ergo convenire, ut cum a Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si aegritudinis acciderit quilibet eventus, quo ceptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo vel Presbitero alteri consecrationem exequi Officii cepti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quam aut incipientis aut subsequentis completa benedictio Sacerdotis; quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Cum enim simús omnes unum in Christo, nihil contrarium personarum diversitas format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repraesentat. Quod etiam consultum cuncti ordinis Clerici individuum sibi esse non ambigant; sed, ut premissum est, praecedentibus libenter alii pro complemento succedant. Ne tamen, quod naturae languoris causa consulitur, in praesumptionis perniciem convertatur, nullus post cibum potumque quemlibet minimum sumptum Missas facere, nullus absque proventu patentis molestiae Minister vel Sacerdos, cum ceperit, imperfecta officia praesumat omnino relinquere. Si quis haec temerarie praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit – *in Iuvenacen. Suspensionis et Irregularitatis die 3 Decembris 1735* §. *Duo.*

101. Hinc Alexander III in Cap. *Clericis* 5 ne Clerici vel Monachi secularibus negociis se immisceant sanxit: – Iubemns etiam sub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis aut Praepositi secularis. Si quis autem contra hoc venire praesumpserit, et commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat – *in Terracinen. die 19 Aprilis 1766* §. *Verum.*

102. Idcirco quilibet, etiam ordinaria iurisdictione fruens, ob recursum in re ecclesiastica ad Iudices laicos, incidit ipso facto in excommunicationem; quandoquidem quum Archidiaconus maior Ecclesiae Cathedralis Gerundensis, ad quem de iure, Sede Episcopali vacante, iurisdictio et administratio spiritualis ac temporalis devolvebatur, nominaverit tres Vicarios Generales, posthabitis aliis de Capitulo dignioribus, unde Capitulum huiusmodi electioni non acquievit ac sustinuit, ob recursos habitos ad Iudices laicos Archidiaconum eiusque Vicarios incidisse in excommunicationem, propositis dubiis: – I. An Archidiaconus maior Ecclesiae Cathedralis Gerundensis et Vicarii seu Officiales ab eodem constituti incurrerint in censuras, ita ut indigeant absolutione? *Et quatenus affirmative.* II. An praefata absolutio sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio die 5 septembris 1699 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An et in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis sub die 5 septembris 1699 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: –

tiam concedentes comitantes et receptantes, ac privationis ipso facto officiorum administrationum et inhabilitatis ad illa et alia huiusmodi obtinenda in ipsas aliter egressas praesidentes et alios superiores licentiam dantes.

In decisis in omnibus – *in Gerunden. Deputationis Vicarii die 5 Iunii 1700 lib. 50 Decretorum.*

103. Iusta hinc intercedente causa, indulgetur absolutio a censuris Parocho, qui a laica potestate obtinuit unionem Beneficiorum respectivae Paraeciae, eorumque fructus absque Apostolica venia percepit; his enim in terminis proposito dubio: – II. An et quomodo concedenda sit absolutio a censuris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative arbitrio Episcopi – *in Reatina Unionis die 25 Ianuarii 1823* (1).

104. Sacra Congregatio vero resolvit, debere congrua poena plecti impedientem exequutionem Edicti ecclesiastici contra seipsum, sed non esse declarandum in censuras contra impedientem iurisdictionem ecclesiasticam inflictas incidisse, nisi impedimentum posuisset animo obsistendi Ecclesiae *in Reatina anno 1601 lib. 9 Decretorum pag. 141 et 143.*

105. Nec Magistrum sive alium Superiorem, qui disciplinae vel correctionis causa adolescentem Clericum percutiat, effici obnoxium anathemate inflicto in Can. *Si quis suadente* 17 quaest. 4, plura declarant Pontificia Rescripta, quae habentur in Cap. *Super eo* 1, Cap. *Ex tenore* 10, Cap. *Cum voluntate,* et Cap. *Universitatis* de sententia excommunicationis *in Callien. die 16 Maii 1733* §. *Magistrum.*

106. Id tamen exigit conditionem, ut castigatio sit moderata et ecclesiasticae disciplinae modum non excedens, sed et causae et personae proportionata, ita quidem, ut ad violentam manuum iniectionem vel ad vindictam ex concepta ira intentatam referri nequeat, quemadmodum explicant canonici iuris Interpretes, ac praesertim Abbas in Cap. *Super eo* n. 1 et 4, Ioan. Andr. in Cap. *Ex tenore* n. 2, Ancharan. ibidem n. 2, Gonzalez in dicto Cap. *Super eo* n. 4 et in Cap. *Cum voluntate* n. 1, Fagnan. ibidem a n. 29, Reiffenst. in ius can. lib. 5 tit. 39 §. 2 n. 121, Pirhing dict. tit. 39. lib. 5 Decret. sect. 3 §. 3 n. 7, Schmalzgrueber lib. 5 Decret. tit. 39 n. 235, Suarez de censur. disp. 22 sect. 1 n. 41, Barbos. de iur. eccles. lib. 1 cap. 39 §. 1 n. 75, Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 9 a n. 226 *in Callien. die 16 Maii 1733* §. *Id.*

107. Hoc ipsum quoque tradunt Doctores de verberante Clericum suo addictum servitio, ut videre est apud Abb. in Cap. *Ex tenore* n. 4, Ioann. Andr. in eodem Cap. n. 2, Ant. de Butr. in Cap. *Super eo* n. 7, Boich. ibidem a n. 1, Ancharan. in dicto Cap. *Ex tenore* n. 2, Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 9 n. 225 *in Callien. die 16 Maii 1733* §. *Hoc.*

108. Hinc Pignatellius in consult. 107 n. 1 haec habet: – Canonicus Clericum quemdam in minoribus manuali mercede Sacristiae inservientem in officiis inferioribus, ut verrendi, campanas pulsandi, Canonicis inserviendi etc., minus prompte sibi obtemperantem manu leviter percussit cum aliqua indignatione et increpatione. Quaeritur, an in aliquam excommunicationem incurrerit vel saltem mortaliter peccaverit? –, respondit: – Negative – *in Callien. die 16 Maii 1733* §. *Affinem.*

109. Unde si percussio fuerit levis et subito irae motu inflicta non incurritur excommunicatio, cum praesertim incertum sit, an animo offendendi, an naturali manuum motu, quas quis habet in gesticulando argutas, contigerit *in Tudertina Censurarum et Irregularitatis die 19 Augusti 1752.*

110. Enimvero tactum se reputans Sacerdos Franciscus Bernardini verbis quibusdam, quae Ioseph Narduccius Prior parochialis Ecclesiae Castri S. Restitutae protulerat in Ecclesia, dum fidei rudimenta docebat, aggressus est eum querelis domi Parochi Castri *Melazzole,* in quam die 8 novembris superiore anno 1751 non ipsi tantum, sed alii etiam Sacerdotes et Parochi vicinorum locorum officii cuiusdam causa convenerant. Excitatus Narduccius irreverenti Sacerdotis Bernardini querela par pari retulit, conviciis respondit, et ira aestuans eumdem Sacerdotem manibus sive tetigit, sive percussit, aut in pulsu aut in brachio; non enim Testes conveniebant, an eum tetigerit, an percusserit, et an in pulsu aut in brachio, incertum tamen, an animo offendendi, an naturali manuum motu, quas habebat in gesticulando

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Beneficia,* §. XXVIII, n. 141 ad 159, Tom. III.

argutas. Tacebant namque id Testes, et qui unus hac de re verba faciebat, Egidius Marini Parochus dicti Castri *Melazzole* dubietatem hanc diserte retulit: – ma ne meno posso dirle, se fosse in atto di percuoterlo, o col suo solito naturale di gestire con le mani –, qui tamen ibi aderant facile pronunciarunt, Priorem Narduccium incursum fuisse in censuram cognotissimi Canonis *Si quis suadente* 17 quaest. 4. Abreptus igitur fuit et monitus de incursu, sed ille risit Iudicum illorum sententiam. Pax inde inter eos reddita fuit; sed iterum iurgarunt. Rem detulit Sacerdos Bernardini ad Episcopum Tudertinum, et instante Promotore Fiscali, instructus fuit Processus, auditis, qui tum praesentes fuerant, Testibus. Monitus fuit Narduccius a Vicario Generali nomine Episcopi – de se abstinendo ab officio Parochi et Sacri celebratione, saltem donec et quousque ex depositionibus Testium constiterit, an sit incursus in censuras –; sed Narduccius, consultis Theologis, Tuderto discessit, Parochiam suam repetiit, Sacra aliaque ad officium Parochi spectantia egit. His ab Episcopo auditis, Examinatorum Synodalium sententias audire voluit, qui coram Episcopo censuerunt, Priorem Narduccium – incurrisse in excommunicationem Canonis, et subinde in irregularitatem, attenta violatione censurarum et spretu praecepti oretenus eidem facti a Superiore –. Post haec Vicarius Generalis citationem ad dicendum causam quare etc. contra eumdem Priorem expediri et exequi mandavit, eoque revocato ad Civitatem Tuderti praecepit, ne ab ea discederet. Prior autem – petiit sibi assignari congruum terminum ad effectum, praevia expositione omnium gestorum, consulendi Sacram Congregationem Concilii, et quatenus opus iudicetur, parendi mandatis Ecclesiae –. In Romam venit, et mutato consilio, appellavit ad Tribunal A. C. Causa tamen Decreto Emi Signaturae Praefecti ad Sacram Congregationem delata fuit; et disputavit Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis, incidisse Priorem Narduccium in censuram Canonis illius, licet percussio levis fuerit, nulla inter levem et gravem percussionem differentia, quam quod haec absolutione tantum Summi Pontificis tolli possit, illa absolutione Episcopi: neque excusari Narduccium subito irae motu, solus enim iocus a censura ex percussione liberat.

111. His vero perpensis, proposito dubio: – I. An constet de asserto incursu in censuras Canonis *Si quis suadente* in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Tudertina Censurarum et Irregularitatis die 19 Augusti 1752.*

112. Parochus vero, qui Clericum ei inservientem, praevia magna in eum indignatione, prima vice manu in capite semel atque iterum percussit, ac dein pugno et baculo verberavit, dubio procul in excommunicationem incidit *in Callien. die 16 Maii 1733.*

113. Siquidem Episcopus Calliensis factum, quod in sua Diaecesi accidit, his verbis exposuit: – Parochus pro eius Ecclesiae servitio quemdam Clericum minorem Iosephum Malet Hispanum, secum detinens, manu eumdem Clericum in capite semel atque iterum percussit, nec non pluribus contumeliosis verbis magnam denotantibus iracundiam affecit, eo quia iste morem eidem gerere in quodam domestico famulatu recusavit, simulque ob saevitiam illi amplius inservire nolle, nec non ab illius domo quamprimum velle discedere aliis domesticis affirmavit. Sequenti vero die idem Parochus quaedam in Ecclesia disponere, quae ad Missae celebrationem erant necessaria, dicto Clerico iniunxit, qui respondit, quod se ab illius servitio dimissum reputabat, illique amplius obtemperare nolebat, ob illatas sibi offensiones. Qua de re ira succensus Parochus multis improperiis et verbis valde iniuriosis, maximam animi commotionem denotantibus, in dictum Clericum prolatis, primum pugno, deinde baculo eum verberavit, qui statim e parochiali domo aufugit, nec non Parochi servitium reliquit, quamvis postea ex cuiusdam opera et interpositione discedendi animum dimiserit, et nunc etiam in dicto servitio persistat. At quia Clericus, ut supra percussus, in suo examine deposuit, se fuisse verberatum a dicto Parocho, tamquam eius Patre et Magistro, asserendo, non absque magna subornationis suspicione ac vehementi fumo, in talem illum habere. Et quia Parochus idem ad correctionem illum percussisse iactat, in quo tamen modum excessisse videtur, ideo nunc dubium animum

meum pulsat, an in praesenti casu locum habere debeant censurae Can. *Si quis suadente*, praesertim quia dictus Parochus magna indignatione etiam ante percussionis actum contra dictum Clericum captus erat, prout idemmet Parochus ipsis Testibus examinatis asseruit, et quia factum notorium iam evasit non absque aliquo scandalo in Populo; et tamen Parochus ipse, etiam a me quamvis monitus, neque ad cautelam a divinis voluit se abstinere –. Itaque declarari ab Sacra Congregatione Episcopus postulavit, an Parochus in excommunicationem inciderit. His igitur perpensis, proposito dubio: – An Parochus in casu, de quo agitur, in excommunicationem inciderit? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Callien. die 16 Maii 1733.*

114. Quum igitur Canonicus coram Capitulo et universo Populo, qui erat in Ecclesia die festi, contumeliam intulerit Archidiacono premendo eum suis humeris in loco angustissimo, dum staret, et sedendo super eius genibus, ut ita eum compelleret ad loco cedendum, Sacra Congregatio mandavit, ut praedictus Canonicus consuleret conscientiae suae et petita venia in publico choro Archidiacono expleret exercitia spiritualia per quindecim dies in aliqua religiosa domo ab Episcopo designanda, qui Sacram Congregationem certiorare deberet de exequutione *in Balneoregien. Censurarum die 20 Augusti et die 17 Septembris 1757.*

115. Iamvero in Cathedrali Ecclesia Balneoregiensi chorus Canonicorum situs erat retro Aram maximam, erat a latere Evangelii tronus Episcopalis, a latere epistolae scamnum pro Ministris sacrorum. Immemorialis erat consuetudo, ut Archidiaconus, qui prima Dignitas erat, primam teneret Sedem, neque loco cederet Hebdomadario parato in Vesperis. Absente Leopoldo Boncompagni Archidiacono, venit in mentem Episcopi et Prioris Iosephi Victorii omnia mutandi. Prior igitur, adito Episcopo, et narrans, – nuper fuisse laudabiliter stabilitum inter instantem et illustrissimum Episcopum et resolutum etiam cum consensu scientia et voluntate nonnullorum dicti Capituli Canonicorum, quod liceret Canonico celebranti Hebdomadario primum locum seu vulgo *stallo* occupare ac ceteris praecedere Canonicis etiam primae et secundae Dignitatis essent, atque addens, ita summa quiete et pacifice practicatum fuisse, petiit et institit, supradictum Canonicum Hebdomadarium celebrantem pro tempore utriusque massae manutenendum esse in quiete et pacifica possessione occupandi primum locum seu stallum in choro –. Audita postulatione, decrevit Episcopus – per modum provisionis et sine praeiudicio iurium ambarum Partium servari ritum in praesenti ordine Episcopi observatum, reservato iure cuicumque Contradictori deducendi iura sua super meritis Causae prout de iure, et intimavi –: nulli vero facta fuit intimatio. Proximus erat dies festus divi Bonaventurae Patroni Civitatis, reversusque Archidiaconus Boncompagni rogatus fuit, an cessurus fuisset loco Hebdomadario parato: respondit ille, nihil acturum sine consensu Capituli. Id ubi rescivit Episcopus, praecepit Archidiacono sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, ut sedem suam vacuam relinqueret Hebdomadario, et in inferiorem descenderet. Archidiaconus abstinuit a choro, inde habito cum Episcopo sermone rationes suas ei narravit; quibus auditis, Episcopus potestatem fecit Archidiacono, ut peteret praecepti revocationem, sed huic postulationi responsum fuit, ut – citarentur omnes interesse habentes –. Archidiaconus igitur, victa patientia, appellavit ab eo praecepto ad tribunal A. C. At Episcopus renovavit praeceptum, Archidiaconus purgationem attentatorum postulavit.

116. Venit dies festus et Archidiaconus sedem suam tenuit: egressus vero e Sacrario Canonicus Ioseph Papinius, qui loco Canonici Mazzocchii Hebdomadarium gerebat, ut erat sacris vestibus indutus irrupit in sedem Archidiaconi, et stetit medius inter genuflexorium et Archidiaconum angustissimo licet loco, ut humeris suis pectus ventremque premeret Archidiaconi. Inceptis inde vesperis, sedente in sua sede Archidiacono, sedit et ipse super genibus Archidiaconi, repetiitque hunc iocum modo stans, modo sedens totis vesperis, patientissime iniuriam ferente Archidiacono, eumque dumtaxat monente de censura celeberrimi Canonis *Si quis suadente*, mirantibus audaciam hominis et pa-

tientiam Archidiaconi Canonicis et Populo universo. Papinius licet Urbs tota eum in censuras Canonis incursum diceret, Sacra tamen egit: mox actus conscientiae stimulis, et metuens, ne impetraretur Canonicatus, quem tenebat, preces obtulit EE. PP., quibus petebat absolutionem a censuris atque irregularitatem. Episcopus contra suspensum et irregularem censuit Archidiaconum, quod sua praecepta sprevisset, sed Decreto supremi Tribunalis Signaturae circumscripta fuerunt acta omnia Curiae Episcopalis, et cognitio Causae de loco sedendi data fuit Sacrae Rituum Congregationi: Causae vero Censurarum Sacrae Congregationi Concilii. Datis igitur ad Episcopum pluribus epistolis, tandem post longas moras respondit. Disputavit itaque Archidiaconus, in dubium revocari non posse, Canonicum Papinium declarandum esse incursum in excommunicationem latam a Canone, et in irregularitatem, quod Sacra egerit excommunicatus. Explorati siquidem iuris est, ad anathema incurrendum satis esse quamlibet iniuriam et contumeliam, quae ecclesiasticae Personae inferatur, sive manibus, sive pedibus, sive toto corpore, quae gravior etiam sit, spectatis circumstantiis loci temporis et adstantium, ut tradunt collecti a Sperell. dec. eccles. 20 n. 28 et dec. 45 a n. 34 55 et 69. Unde cum Canonicus Papinius contumeliam intulerit Archidiacono premendo eum humeris in loco angustissimo, dum staret, et sedendo super eius genibus, ut ita eum compelleret ad loco cedendum, ex qua contumelia et contemptu magna illata fuerit Archidiacono verecundia et ex circumstantiis loci temporis et personarum adstantium, Ecclesiae nempe festi et Capituli ac Populi universi, qui erat in Ecclesia, aucta fuerit et gravior reddita iniuria, ambigi non posset, eumdem Canonicum Papinium in censuras incurrisse.

117. His interim perpensis, proposito dubio: – An Canonicus Ioseph Papini sit declarandus incursus in censuras et irregularitatem respective in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 augusti 1757 responsum dedit: – Dilata ad primam post aquas etiam unicam –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Canonicus Ioseph Papini consulat conscientiae suae, et petita venia in publico choro Archidiacono, expleat exercitia spiritualia per quindecim dies in aliqua religiosa domo ab Episcopo designanda, qui Sacram Congregationem certioret de exequutione – *in Balneoregien. Censurarum die 17 Septembris 1757.*

118. Ordinarius autem, nisi ad tramites Sacrorum Canonum eum denunciet excommunicatum, qui, gaudens exemptione locali vel mixta, Clericum illius subditum et in loco eiusdem iurisdictioni subiecto percutiat seu vulneret, nulliter excommunicatione huiusmodi percussorem plectit, sed tenetur procedere ex integro, quin ullatenus ad Abbatem seu Ordinarium praedicti percussoris Causae huius cognitio spectare valeat *in Caven. seu Caputaquen. Iurisdictionis die 23 Augusti 1721.*

119. Siquidem anno 1622 A. C. Areostus sententiam protulit, in qua dixit, Ecclesiam Sanctissimae Trinitatis cum sua Parochia spectare et pertinere ad Abbatem pro tempore Monasterii Cavae, neque ullo modo licere Episcopo Caputaquensi actus iurisdictionis exercere in dicta Ecclesia Parochia et Parochianis, eiusque consequenter Vicarium male sè gessisse excommunicando nonnullos homines memoratae Parochiae; et haec sensentia Auditoris Camerae fuit anno 1672, utraque Parte informante, confirmata in tribunali Rotae, uti videre est in decis. 97 coram Emerix iuniore. Anno 1720 quaedam contigit rixa inter Sacerdotem Ioannem Turi subditum Abbati Cavensi, utpote Parochianum Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis, et Subdiaconum Dominicum Bofanum subditum Episcopo Caputaquensi; et cum in praedicta rixa Bofanus nonnulla vulnera recepisset, Episcopus processum confecit adversus Percussorem, quem etiam denuntiavit excommunicatum. Abbas Cavensis vero contendit, praedicta omnia gesta fuisse in contemptum suae iurisdictionis; nec habere subsistentiam, utpote facta a non habente auctoritatem. Nam licet delictum secutum dici posset in loco subiecto Episcopo, cognitio tamen delicti et animadversio in delinquentem non ad Episcopum, sed ad Abbatem omnino spectare debebat. Contra Episcopus sustinuit, Presbiterum Ioannem percussisse Subdiaconum Dominicum in loco, qui dicebatur *lo Vigillito*, qui erat

absque dubio suae iurisdictioni subiectus; adeoque se bene potuisse adversus delinquentem procedere, non obstante, quod eius persona a sua iurisdictione exempta esset et subiecta Abbatis iurisdictioni. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An censurae sustineantur in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Censuras esse nullas, et Episcopus procedat ex integro - *in Caven. seu Caputaquen. Iurisdictionis die 23 Augusti 1721.*

120. Nam iuxta celebrem decretalem Innocentii IV in Cap. *Volentes* de privilegiis in 6 innovatam a Concilio Tridentino sess. 7 cap. 8 de reformatione, quando agitur de exemptione locali vel de exemptione mixta, quae est concessa personis propter locum, cognitio delicti extra locum commissi spectat ad Ordinarium, cui locus subiectus est, secus autem se habet res, quando exemptio est personalis, cum in hoc casu cognitio delicti extra locum commissi non ad Ordinarium loci, sed ad Iudicem exempti pertineat, et cum hoc sensu processit Sacra Congregatio in Firmana Iurisdictionis, quae licet die 13 aprilis 1720 fuerit resoluta contra Archiepiscopum Firmanum et favore Abbatis Farfensis, die nihilominus 3 augusti eiusdem anni 1720 recessum fuit a decisis et dictum, quod cognitio delicti non ad Ordinarium Farfensem, sed ad Archiepiscopum spectabat Firmanum (1) *in Caven. seu Caputaquen. Iurisdictionis die 2 Augusti 1721* §. *Iuxta.*

121. Unde si percussor seu percussores gaudeant exemptione personali, cognitio delicti extra locum commissi seu declaratio excommunicationis spectat ad Iudicem exemptionis, adeoque excommunicatio per Episcopum lata in Monachos percussores nulla ac irrita renunciatur *in Lycien. Visitationis et Censurarum die 15 Ianuarii 1724 et die 23 Iunii 1725.*

122. Enimvero nonnulli Monachi Olivetani Conversi primum se Visitatoribus ab Episcopo Lyciensi deputatis opposuerunt, ne visitarent Ecclesiam sitam in loco Galliani, dein vi adhibita a praedicta Ecclesia expulerunt Archipresbiterum Oppidi Turchiaroli nec non Sacerdotem Andream de Laurentio Sacristam, cum ille ad eam accessit, ut huic opem ferret parando necessaria pro decenti Ecclesiae ornatu. Delata hinc notitia expulsionis ad Curiam Episcopalem, percussores fuerunt declarati excommunicati, et sic ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus evitandi. Sustinuit itaque Promotor Fiscalis, exemptionem Monachis suffragari non posse in puncto censurarum, cum in praesenti ageretur de censuris de iure latis, et de simplici declaratione ab homine facta, quae expleri potest etiam in exemptos. Proposito interim dubio: - II. An censurae sustineantur in casu etc. -, Sacra Congregatio die 15 ianuarii 1724 responsum tulit: - Ad secundum, instent coram Auditore Sanctissimi super pertinentia huius dubii -; scilicet pro declaratione pertinentiae praedicti dubii, vel ad Sacram Congregationem, vel ad Sacram Rotam. Nam ignorabatur, an praefatus Auditor Sanctissimi Causam etiam remisisset ad Sacram Congregationem quoad punctum censurarum. Cum autem subinde certa fuerit remissio Causae ad Sacram Congregationem etiam quoad punctum censurarum, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, praedictam Ecclesiam subesse iurisdictioni et visitationi Episcopi iure delelegato, respondit: - Ad secundum, Negative; et amplius - *in Lycien. Visitationis et Censurarum die 23 Iunii 1725* (2).

123. Hinc Vicarius Generalis nulliter promulgat excommunicationem in percussorem Clerici etiam proprii subditi, eum in loco commissi criminis alius Ordinarius manuteneri debeat in exercitio iurisdictionis ordinariae, etiamsi ius exercendi iurisdictionem ordinariam anceps adhuc sit, adeoque hic procedere debet prout de iure contra dictum percussorem *in Monopolitana die 20 Septembris 1727.*

124. Siquidem Sacra Congregatio deputavit Episcopum Polinianensem in Visitatorem Apostolicum Terrae Fasani, quae dicebatur Nullius, qui subdelegavit Marcum Antonium Mutinatum et Vicarium Generalem Fasani, ut visitarent Capellas rurales. Cum autem dictus Vicarius processisset ad visitationem

(1) Species et resolutio Causae huius Firmanae prostant in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 65, Tom. IX.

(2) Reliqua latius habes in Verb. *Episcopus*, §. IX, n. 296, Tom. IX.

S. Mariae de Madia erectam in tenuta nuncupata *Torre Spaccata*, Doctor Paschalis Costa dicti tenimenti dominus una cum nonnullis Sacerdotibus Cisternini se illi opposuit, ex quo illa erat immediate subiecta ordinario Monopolitano, ita ut visitatio fieri non potuerit,et in conflictu praedictus Costa sclopo percussit pectus Sacerdotis Ioannis Vincii Fasanensis: unde praefatus Vicarius Generalis Fasani devenit ad excommunicationem adversus eos, qui vi et armis se suae visitationi opposuerunt; declaravitque, Paschalem Costa incidisse in excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Promotor Fiscalis Curiae Metropolitanae contendit, censuras fuisse iniustas, cum non posset Vicarius Fasani alienam invadere iurisdictionem, et cum ulterius non posset ad censuras procedere, quia ius visitandi delatum fuerat ad Episcopum Polinianensem, qui eum subdelegavit ad nutum ministerium visitationis, quique sese abstinuerat a fulminatione censurarum. Nullas etiam dixit censuras; nam Cisterninenses, moniti ad comparendum intra terminum novem dierum, comparuerunt et causas allegarunt suae resistentiae; et quatenus non obstantibus iuribus deductis, Vicarius Generalis ad aliquem actum progredi attentaret, ex tunc ad S. Sedem appellarunt, hinc praedictus Vicarius sine nullitate non poterat, elapso termino, ad sententiam excommunicationis devenire. His igitur perpensis, proposito dubio: - II. An substineantur censurae promulgatae a Vicario Generali in casu etc. -, Sacra Congregatio postquam mandaverit, ut quoad ius visitandi coadiuvarentur probationes, et interim manuteneretur Episcopus in exercitio iurisdictionis ordinariae, responsum tulit: - Ad secundum, Negative; et Episcopus Monopolitanus procedat, prout de iure, contra percussorem - *in Monopolitana die 20 Septembris 1727.*

125. Qua de re Archiepiscopus sive eius Curia nulliter denunciavit excommunicatum Capellanum Ecclesiae exemptae ab Ordinarii iurisdictione, ex eo quod prope Sacristiam praefatae Ecclesiae alapam Clerico impegit, sed procedere tenetur prout de iure ad denunciationem, multoque minus Clericos et inservientes dictae Ecclesiae citare potuit sub poena excommunicationis ad comparendum in dicta Curia, ut ferrent testimonium veritatis, eosdem intra terminum ipsis Statutum non comparentes excommunicatos declarare *in Neapolitana Censurarum die 23 Februarii 1709 lib. 59 Decretorum.*

126. Iamvero - instante in hac Curia Archiepiscopali Clerico Nicolao Stamadia adversus Sacerdotem Petrum Assandri Capellanum maiorem nuncupatum Ecclesiae S. Iacobi Hispanorum eiusdem Civitatis de alapa sibi in faciem impicta per eumdem Assandri prope Sacristiam praememoratae Ecclesiae sub die 24 aprilis proxime effluxi, Vicarius Generalis, decreta praemissorum informatione, citationem expediri iussit contra nonnullos Testes plerosque Clericos inservientes eidem Ecclesiae, ut sub poena excommunicationis intra certum terminum personaliter comparere deberent in dicta Curia Archiepiscopali, testimonium veritatis perhibituri, eosque comparere renuentes, incusatis contumaciis, idem Vicarius excommunicatos declaravit per cedulones, ob non paritionem mandatorum Curiae Archiepiscopalis. Subindeque innixus depositionibus aliorum Testium, ac instante Promotore fiscali illius Curiae, idemmet Vicarius citavit dictum Petrum Assandrum in termino horarum 24 peremptorio, nempe « ut personaliter comparere debeat in Curia Archiepiscopali ad dicendum causam, quare non deberet declarari incidisse et incurrisse in censuras contentas in Cap. *Si quis suadente Diabolo* 17 quaest. 4 et in Cap. *Cum pro causa* de sententia excommunicationis, ex eo quia ausus fuit mane diei martis 24 proxime elapsi mensis aprilis currentis anni 1708 alapa in faciem rigorose percutere Nicolaum Stamadia notorium Clericum, prope ianuam Sacristiae dictae Ecclesiae S. Iacobi Hispanorum locum immunem, non sine Populi scandalo etc. ». Sed dictum Assandrum renuentem comparere, incusatis contumaciis, declaravit in praefatas censuras incursum per publicos cedulones. Ab huiusmodi actibus Nuncius Apostolicus Neapolitanus recursum habuit ad Sacram Congregationem Immunitatis, remissa exinde Causa ad hanc Sacram Congregationem Concilii sub fundamento, quod domus et personae dictae Ecclesiae S. Iacobi sint exemptae ab Ordinarii Neapolitani iurisdictione et subiectae iurisdictioni eiusdem

Nuncii Apostolici, vigore privilegiorum ss. mm. Clementis VII Gregorii XIII et Sixti V. Hinc requisitus Emus Archiepiscopus Neapolitanus acta desuper constructa transmisit, ex quibus recensita facti series fuit eruta, quamobrem concordata inter Partes dubia infrascripta proponuntur hodie EE. VV. ex aliis adducendis definienda, Partibus monitis: – I. An censurae latae seu declaratoria contra Capellanum Maiorem Ecclesiae S. Iacobi Nationis Hispanorum a Curia Archiepiscopali Neapolitana sustineantur, non obstantibus privilegiis concessis a ss. mm. Clemente VII Gregorio XIII et Sixti V? II. An praeceptum de comparendo ad ferendum testimonium veritatis latum a dicta Curia contra Clericos et inservientes dictae Ecclesiae sustineatur, non obstantibus iisdem privilegiis? *Et quatenus affirmative.* III. An Emus Archiepiscopus seu eius Curia potuerit denunciare seu declarare excommunicatos dictos Clericos et inservientes eiusdem Ecclesiae in vim dicti praecepti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, declaratoriam non substineri in casu, de quo agitur; et Curia Archiepiscopalis procedat prout de iure ad denunciationem. Ad secundum et tertium, Negative – *in Neapolitana Censurarum die 23 Februarii 1709 lib. 69 Decretorum.*

127. Quum autem Vicarius Curatus percussus fuerit a duobus Monachis, Sacra Congregatio declaravit, nedum sustinenda esse acta, aliquibus exceptis, penes curiam Archiepiscopalem gesta, sed etiam licere Archiepiscopo eos declarare excommunicatos quatenus delictum haberetur pro notorio, quod si haberetur pro publico licere denunciare nempe praecipiendo suis Parochis et Subditis universis, ne eos admitterent intra Ecclesias sibi subiectas et ne conversarentur cum eisdem, nec constare de sufficienti punitione facta per Abbatem Regularem, sed ipsos detrudendos in carcerem formalem, certiorato per dictum Abbatem praefato Archiepiscopo de poena delinquentibus imposita, quin liceret Abbati eos absolvere a censuris in vim Canonis *Si quis suadente* (1) incursis *in Mediolanen. Censurarum die 2 Decembris 1719.*

128. Siquidem in Oppido Clivatis Mediolanensis Diaecesis Coenobium extabat Monachorum Montis Oliveti, cuius Abbatia commendata erat Emo Card. Odescalco Archiepiscopo. Penes Abbatem Commendatarium stare dicebatur cura habitualis: nam Ecclesia Coenobii erat parochialis, et cura actualis exercebatur a perpetuo Vicario. Inter Monachos et Vicarium iurgia et contentiones saepius exortae fuerunt. Cum autem die 26 ianuarii 1718 Livius Bazza, Vicarii munere fungens, percussus fuerit a duobus Monachis, ab Antonio videlicet Petragrossa Sacerdote et ab Alexandro Fumagallo laico converso, nonnulla acta in Curia Archiepiscopali gesta fuere. Hinc rebus sic stantibus, propositis dubiis: – I. An acta hactenus facta per Curiam Archiepiscopalem Mediolanensem contra R. P. Antonium Petragrossa et Fr. Alexandrum Monachos sustineantur in casu etc. II. An liceat Curiae Archiepiscopali declarare vel saltem denunciare excommunicatos in vim Canonis *Si quis suadente* dictos Monachos in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An constet de sufficienti punitione facta per dictum Abbatem Regularem in casu etc. *Et quatenus negative.* IV. An quomodo et quibus poenis sit procedendum contra dictos Monachos in casu etc. V. An licuerit Abbati Regulari absolvere praedictos Monachos a censuris, si quas incurrerint in vim

(1) Ceterum facultatem absolvendi, quando percussio est levis, scilicet neque enormis neque mediocris, nedum competere Episcopis de iure communi, vigore Cap. *Pervenit* de sententia excommunicationis, sed etiam aliis Praelatis Episcopalem habentibus iurisdictionem a Papa, asserit Thesaurus de poen. eccles. part. 2 verb. iniuria cap. 2. Praeterea etiam Religiosi possunt absolvi a suo Praelato, quando percussio est mediocris, vigore Cap. *Cum illorum* de sententia excommunicationis, quin etiam a proprio Confessario approbato a suo Praelato, quatenus eius Religio privilegio fruatur absolvendi a casibus reservatis Episcopo a iure communi, ut advertunt Thesaurus de poen. eccles. part. 2 verb. iniuria cap. 2, Matthaeuccius de offic. Cur. cap. 39 quoad privilegium canonis a n. 18 ad 21. Insuper nisi res sit de gravioribus quibusdam excessibus, quorum circumstantiae gravissimum Populi scandalum ingerant, nemo cogitur personaliter accedere ad Summum Pontificem, cum satis sit, ut percussor Clerici per literas aut Procuratorem recurrat ad Summum Pontificem pro obtinenda facultate absolutionis vel etiam ad Sacram Poenitentiariam, si Causa non fuerit deducta ad forum externum.

dicti Canonis *Si quis suadente* in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, excepto monitorio expedito die 14 februarii 1718, nec non excepta citatione expedita die secunda iunii eiusdem anni. Ad secundum, licere (renovata tamen citatione iuxta instructionem) declarare Fratrem Alexandrum nec non Patrem Antonium, quatenus delictum habeatur pro notorio; et quatenus habeatur tantum pro publico, licere denunciare, idest praecipiendo suis Parochis et Subditis universis, ne eos admittant intra Ecclesias sibi subiectas, et ne conversentur cum eisdem. Ad tertium, Negative. Ad quartum, detrudendos nomine Sacrae Congregationis in carcerem formalem, et per Abbatem certioretur Emus Episcopus de poenis delinquentibus imposita. Ad quintum, Negative – *in Mediolanen. Censurarum die 2 Decembris 1719.*

129. Hinc Episcopus nec etiam quemcumque alium ab illius iurisdictione exemptum potest declarare, percussorem Clerici esse excommunicatum vitandum, si percussio sit tantum publica, quamvis eum valeat excommunicatum denunciare; proposito enim dubio: – An Episcopus potuerit declarare incursum in censuras contentas in Can. *Si quis suadente diabolo* 17 quaest. 4 Sacerdotem N. N. subcollectorem, qui lethale vulnus publice intulit alteri Sacerdoti? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative quoad declarationem, posse autem denunciare, iuxta declarationem alias editam in Marsicen. Iurisdictionis die 21 iulii 1663 sequentis tenoris: Ut Subditos suos a commercio et communione cum iis, qui excommunicationis titulo sunt obstricti, legitime retrahere possit, prout ecclesiastica disciplina postulare videtur, supplex quaerit Episcopus, an sibi liceat Collectores Nuntii Apostolici publicos et notorios Clericorum percussores, quamvis ab Ordinarii iurisdictione exemptos, excommunicatos denunciare?, Sacra Congregatio censuit, licere – *in Montulen. Iurisdictionis die 15 Septembris 1675 lib. 39 Decretorum pag. 147.*

130. Similiter Sacra Congregatio censuit, – Commendatorem Oppidi Elligani Ordinis Theutonici una cum Complicibus incidisse ipso iure in censuras, ob retentionem et carcerationem Sacerdotis N. N., illosque potuisse ab Episcopo nedum moneri, verum etiam denunciari, ut ab aliis evitentur – *in Eystetten. die 28 Augusti 1649 lib. 18 Decretorum pag. 667.*

131. Non dicitur autem percussio gravis et notoria Clerici etiam cum data opera Regularis alium Religiosum in tenebris expectans, eum invadit et impactis iteratis et sat vehementibus pugnis in faciem taliter cedit, ut copiosissimus sanguis e naribus effluxerit, vestigio per aliquot dies apparente, ac praesentibus duobus Religiosis ulteriorem violentiam cohibentibus; adeoque percussos potuit absolvi a Superiore hospite praescitu et consensu Superioris ipsius percussoris secreto et coram duobus tantum Religiosis ab excommunicatione ob talem percussionem incursa etiam sine speciali Sedis Apostolicae privilegio, ac per habitam absolutionem percussor est absolutus in utroque foro, ita ut nec debuerit prius nec post debeat praestare iuramentum standi praeceptis Ecclesiae et absolvi secundum Canones et formam in Pontificali Romano praescriptam *in Dubia percussionis Clerici die 11 Iulii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 360 et 397* (1).

132. Potest itaque declarari excommunicatus a Curia Episcopali Abbas exemptus, ob publicam percussionem Clerici, stante notorietate facti *in Neapolitana die 18 Aprilis 1693 lib. 43 Decretorum.*

133. Notorium autem est intelligendum iuxta iuris dispositionem *in Panormitana lib. 2 Decretorum pag. 80.*

134. Unde Capellanus Ordinis Hierosolymitani, qui notorie percussit Sacerdotem, potuit ab Episcopo declarari incursus in excommunicationem Canonis – Si quis suadente – *in Neapolitana die 16 Iunii 1655 lib 19 Decretorum pag. 480.*

135. Si vero notoria non sit percussio, id fieri nequit ab Episcopo; quandoquidem Sacra Congregatio nullam esse dixit et revocandam mandavit excommunicationem latam ab Archiepiscopo Messanensi contra Fratrem Capellanum professum Ordinis Hierosolymitani, eo quod carcerari nolens et a Birruariis nu-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Absolutio*, §. IV, n. 60, Tom. I.

datis ensibus insultatus Fiscalem Curiae Archiepiscopalis pugno impetivit *in Messanen. die 10 Iulii 1610 ad cap. 11 sess. 25 de reformatione Posit. 89 pag. 1197.*

136. Alias excommunicationes latae ab Episcopo Melevitano sunt publicandae in Ecclesiis Religionis Hierosolymitani, et e contra latae a Priore eiusdem Religionis sunt publicandae, Episcopo tamen mandante, in Ecclesiis eidem Episcopo subiectis *in Melevitana lib. 2 Decretorum pag. 30.*

137. Quum autem Episcopus facultatem dedisset Vicario Foraneo procedendi in eum, qui minis verbisque asperrimis, iniectaque manu in pectus, fuste Sacerdotem percussisset, nisi, qui praesentes erant, iratum hominem detinuissent, sed praedictus Vicarius Foraneus, praevio iudiciali processu et auditis Testibus, sententiam tulerit, reum incidisse in excommunicationem indictam in Can. *Si quis suadente,* quin citationem eius praemisisset, Sacra Congregatio resolvit, excommunicationem non substineri, atque Episcopum procedere debere ex integro *in Albintimilien. Censurarum die 18 Iunii 1746.*

138. Enimvero suspectum famosi cuiusdam carminis auctorem Horatius Rostagnius habens Sacerdotem Petrum Mariam Sinesium, eum per universum Mentoni Oppidum iratus quaerebat eo, ut credebatur, mentis proposito iniuriam illatam ulciscendi, et cum Sacerdotem invenisset hora vigesima tertia diei 25 novembris anni 1744 minis verbisque asperrimis, iniectaque manu in pectus, fuste Sacerdos percussus fuisset, nisi, qui praesentes erant, iratum hominem detinuissent. Cum ad hoc facinus Populi pars maxima convenisset, re ad Promotorem Fiscalem delata, censuit hic, postulandum esse in tribunali Episcopi, ut Rostagnius excommunicatus declararetur. Episcopus rei huius cognitionem dedit Vicario Foraneo eiusdem Oppidi, qui, praevio iudiciali processu, et auditis Testibus, sententiam tulit, qua declaravit, Rostagnium incidisse in excommunicationem indictam in Can. *Si quis suadente 17 quaest. 4;* ideoque relaxandos esse cedulones, qui iuxta morem ad valvas Ecclesiae parochialis affixi fuerunt. Appellavit Rostagnius ab hac sententia ad Sacram Congregationem, et pluries, ceu fieri solet, absolutus fuit cum reincidentia. Is enim contendit, nullitatis vitio infectam esse sententiam, primo defectu iurisdictionis, qua carebat Vicarius Foraneus, cui gravium Causarum cognitio mandari nequit, ut habet Card. De Luca de iurisdict. disc. 23 n. 2; secundo defectu citationis, quae necessaria est, ut reus iura sua deducere possit etiam in hoc iudicio, in quo si omittatur, nullitas sententiae consequitur, ut late disserit Monacell. form. legal. tom. 3 tit. 1 n. 4. Iniustam quoque sententiam esse dixit, cum non concurrerent – iniectio manus, animus iniuriam inferendi, et violentia –, quae simul requiri, ut in censuram Can. *Si quis suadente* reus incidat, tradunt Grass. de effect. cleric. effect. 9 n. 311, Monacell. loc. cit. form. 1 n. 2, atque alii. Verbis igitur et conviciis tantum egisse, quae ex animo irato veniebant, et ob id in gravem hanc excommunicationem incidisse non recte a Vicario Foraneo pronunciatum. Contra Promotor Fiscalis monstravit, iudicii ordinem tuto sperni potuisse a Vicario Foraneo, qui non ex querela Sacerdotis, sed ex delatione Fisci extraiudicialiter processisse videbatur: nec mutare, quod processus factus fuerit, et Testes auditi; factum enim censebatur, ut veritas rei gestae apertius pateret, utque animus Iudicis certior fieret, ceu, pluribus relatis, tradit Card. Petra ad Constit. I Leonis IX sect. 2 a n. 3 tom. 1. Eoque amplius, quod facinus illud publicum fuit: Rostagnium quippe oculis vultuque furentem Populus respiciebat, et occurrente Sinesio, qui cum amicus erat, statim, ut evenire solet, factus est plurium concursus et conventus hominum, qui Rostagnium iratum et in eum maledicta fundentem viderunt audiveruntque; hoc igitur in casu, nulla praevia citatione, publicari posse excommunicationem monent Fagnan. in Cap. *Non potest* de sent. et reiud. a n. 13, Bellett. disquisit. cleric. part. 1 de favor. cleric. can. §. 4 n. 26, Monacell. form. leg. annot. ad form. 2 n. 6 tom. 3. Iustitiam denique sententiae apertam esse contendit; eo siquidem animi proposito ecclesiasticum Virum offendendi, vel si in ipsa Templi Ara eum invenisset, properabat Rostagnius, qui non maledicta tantum et convicia fudit, sed violentas in eum manus iniecit, elevato fuste, quo Sacerdotem percuteret, ut plures Testes deponebant, ideoque manus iniectione animo iniu-

riam inferendi et violentia concurrentibus, iustam esse sententiam, quae declaravit, Rostagnium in censuras incidisse. Addidit, Sinesium a Secretis esse Episcopi, cui ob id iniuriam illatam esse; Rostagnium cedulones etiam proscidisse, ac eos, qui secum versari atque alloqui renuebant, risu excepisse.

139. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An censurae substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et Episcopus procedat ex integro – *in Albintimilien. Censurarum die 18 Iunii 1746.*

140. Hinc nisi probetur, Clericum reapse violentas iniecisse manus in alium Clericum, in excommunicationem vi Canonis *Si quis suadente Diabolo* 17 quaest. 4 haud incidit; quum enim Franciscus Conradus Bomezschome Canonicus Ecclesiae Collegiatae Aquensis coram Nuntio Coloniae exposuisset, Willelmum Moers seniorem Canonicum violentas in eum manus iniecisse; sed e contra Canonicus Moers probasset, quod ille leva manu in pectore eum repellendo invadit et pugnis contundit humique evertit, qui a terra surgens baculo, quem ratione aetatis deferebat, cedere comminatus est, quin ullatenus percussiones inferret, proposito dubio: – I. An Canonicus Moers incurrerit in poenas canonicas *Si quis suadente Diabolo?* –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Leodien. seu Nullius Censurarum die 16 Decembris 1730* (1).

141. Quando igitur non satis constet, Sacerdotem in Clericum germanum violentas iniecisset manus, Sacra Congregatio absolutionem ab excommunicatione indulget ad cautelam *in Civitatis Ducalis Censurarum et Irregularitatis die 12 Decembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

142. Imo attenta remissione Partis, indulgetur facultas absolvendi publicum ac violentum percussorem Clerici; siquidem Sacra Congregatio mandavit, ut Vicarius Capitularis auctoritate etiam Sacrae Congregationis declararet Canonicum Franciscum Mariam Sigue excommunicatum et ab omnibus vitandum, cum violenter in publico atrio Ecclesiae percussisset Sacerdotem Andream Sacaioni, eumque tamen absolveret, quatenus instaret pro absolutione, satisfactis Parte et Fisco, proposito enim dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 22 septembris 1725? –, responsum dedit: – Incurrisse censuram et esse irregularem, et datur facultas Vicario Capitulari absolvendi et dispensandi, attenta remissione Partis, et ad mentem – *in Turritana die 30 Martii 1726.*

143. Nec itaque ambigendum, quin Clericus, qui homicidium in rixa patravit, incidat in excommunicationem; his enim in terminis proposito dubio: – III. An censurae substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Affirmative; et amplius – *in Caiacen. Irregularitatis et Censurarum die 23 Maii 1722* (2).

144. Summus Pontifex autem, audita sententia S. Congregationis, declaravit dispositionem Concilii Tridentini in Cap. 19 sess. 25 de reformatione habere tantum locum in duellis publicis et solemnibus, non vero in privatis *in Maioricen. lib. 3 Decretorum pag. 30 a tergo.*

145. Verum dictam dispositionem extendi etiam ad duella privata, si ex condicto et cum Patrinis vel Sociis ad statutum diem et locum fiant, etiamsi committantur sub eorum periculo, declaravit pariter Summus Pontifex ex sententia Sacrae Congregationis *in Dubium ad Cap. 19 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

146. Quapropter duellum nedum publicum sive solemne, sed etiam privatum et periculo proprio committens, incidit in poenas contentas in Decreto Concilii cap. 19 sess. 25 de reformatione, dummodo fiat ex condicto cum Patrinis et assignatione loci. Ita Summus Pontifex, audita sententia Sacrae Congregationis, respondit *in Dubium ad Cap. 19 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

147. Amplia, incidit etiam in excommunicationem contra duellantes statutam in cap. 19 sess. 25 de reformatione duellum committens cum Turcis *in Cattaren. die 22 Augusti 1637 lib. 15 Decretorum pag. 581.*

148. Non dicitur vero committere duellum, si quis absque assignatione loci nec vocatis Patrinis ad monomachiam alium primo

(1) Reliqua latius habes in Verb. *Absolutio*, §. IV, n. 26 ad 30, Tom. I.

(2) Speciem Causae huius habes in Verb. *Dispensatio*, §. IX, n. 78, Tom. VII.

irae percitus motu invitat et vulnerat, ita ut si decedat non debet carere ecclesiastica sepultura *in Nullius die 15 Octobris 1644 lib. 17 Decretorum pag. 360.*

149. Alias committens duellum et in conflictu decedens, quamvis ante obitum signa poenitentiae ostendat, carere debet sepultura ecclesiastica *in Dubium die 24 Augusti 1619 lib. 12 Decretorum pag. 42.*

150. Hinc ossa Duellantium sunt separanda ab aliis ossibus Defunctorum, nisi sint confusa et non possint secerni, vel exhumatio non possit fieri absque scandalo *in Parisien. die 14 Decembris 1647 lib. 18 Decretorum pag. 427.*

151. Quin imo excommunicatus ipso iure ob duellum commissum aliave de causa et in foro conscientiae absolutus ab habente facultatem illum absolvendi, si in foro fori pariter absolutionem non obtinuit, cogendus est ab Episcopo ad se gerendum pro excommunicato, et est repellendus ab iis, quae excommunicato non licet *in Narbonen. anno 1612 lib. 11 Decretorum pag. 120.*

152. Iustis tamen de causis, annuente Summo Pontifice, data fuit facultas Nuncio Apostolico absolvendi Duellantes a poenis incursis *in Florentina die 16 Martii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 314.*

153. Ad Concubinarios autem quod spectat, Eugenius Papa in Cap. 2 de cohabitatione Clericorum et Mulierum statuit: – Si quisquam Sacerdotum, idest Presbiter Diaconus vel Subdiaconus, de quacumque femina crimine fornicationis suspectus, post primam secundam et tertiam admonitionem, inveniatur fabulari et aliquo modo conversari cum ea, excommunicationi subdatur, femina vero iudicetur – *in Camerinen. seu Fabrianen. die 8 Maii 1784* §. *Cum.*

154. Hinc Sacra Congregatio declaravit, posse Concubinarios excommunicari, servata forma Concilii in Cap. 8 sess. 24 de reformatione matrimonii, et etiam mulctari aliis poenis a iure communi inflictis *in Rossanen. die 14 Decembris 1630 lib. 14 Decretorum pag. 365.*

155. Limita, post trinam tamen monitionem quoad excommunicationis poenam *in Alexandrina lib. 2 Decretorum pag. 166.*

Item *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

156. Amplia, id est etiam intelligendum quoad Concubinas *in Alexandrina lib. 2 Decretorum pag. 166.*

Item *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

157. Unde Concubinarii sunt monendi omni tempore ac omnibus modis, et Episcopus potest procedere contra eos sive ex officio, sive per inquisitionem vel alio modo, habetque arbitrium quoad intervalla in monitionibus faciendis *in Elboren. lib. 2 Decretorum pag. 167.*

158. Hinc moniti et non resipiscentes possunt mulctari poenis etiam pecuniariis, nec possunt excipere de invaliditate sententiae, propter non servatum modum trinae monitionis *in Alexandrina lib. 2 Decretorum pag. 166.*

Item *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

159. Amplia, Concubinarii etiam laici possunt cogi ad solvendam poenam pecuniariam a Constitutionibus Synodalibus praescriptam etiam ultra poenas a S. Concilio Tridentino in Cap. 8 sess. 24 de reformatione matrimonii contra eos statutas *in Vicen. die 20 Aprilis 1606 Posit. 78 pag. 323 ad Cap. 8 sess. 24 de reformatione matrimonii.*

160. Quin imo, post latam excommunicationem contra Concubinarios, annus non est expectandus, ad procedendum ad alias poenas contra ipsos *in Dubium ad Cap. 8 sess. 24 de reformatione matrimonii Posit. 74.*

161. Episcopus vero volens procedere ad excommunicandos Concubinarios, debet servare Decretum Concilii in Cap. 8 sess. 24 de reformatione, nec sufficit admonitio per Edictum de se separando singulis annis facta *in Messanen. mense Octobris 1585 lib. 4 Decretorum pag. 82.*

162. Idcirco non sunt necessariae monitiones, quando Episcopus procedit contra Concubinarios poenis extraordinariis; secus vero si procedere vult ad excommunicationem *in Giennen. mense Martii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 166.*

163. Nec requiritur aliqua monitio cum excommunicato declarato, si post intimationem, elapso anno, non resipuerit, sed elapso dicto anno potest citari tamquam suspectus de haeresi, ut accedat responsurus de fide *in*

Cremonen. mense Iunii 1586 lib. 4 Decretorum pag. 161.

164. Insordescentia autem non cadit eodem modo in interdictos ac in excommunicatos *in Insordescentiae mense Augusti 1610 lib. 11 Decretorum pag. 80.*

165. Unde non potest Episcopus procedere tamquam contra insordescentem in eum, qui tribus abhinc annis ab A. C. excommunicatus ad hanc usque diem in excommunicatione permansit, exceptis festis paschalibus, in quibus quolibet anno ab eodem A. C. absolutionem obtinuit *in Nullius anno 1598 lib. 9 Decretorum pag. 53.*

166. Non intelligitur autem occultus excommunicatus per acta Tribunalis, quamvis non publicatus nec denunciatus *in Posnanien. die 13 Septembris 1610 Posit. 89 pag. 390 ad Cap. 6 sess. 24 de reformatione.*

Item *mense Februarii 1611 lib. 11 Decretorum pag. 93.*

167. Nec potest proinde ab Episcopo vigore Decreti Concilii in Cap. 6 sess. 24 de reformatione ab irregularitate inde provenienti dispensari *in Posnanien. die 13 Septembris 1610 ad Cap. 6 sess. 24 de reformatione Posit. 89 pag. 390.*

168. Poena autem excommunicationis, de qua in Clementina *Religiosi* de privilegiis, fuit sublata a Decreto Concilii in Cap. 1 sess. 24 de reformatione matrimonii; nam Concilium fuit contentum sola poena suspensionis *in Dubium die 27 Maii 1623 lib. 12 Decretorum pag. 137.*

169. Hinc et sublata pariter fuit poena excommunicationis contra Sponsos se copulantes affectu maritali in gradu prohibito secundum Clementinam *Eos, qui* de consanguinitate et affinitate, remanente sola poena incestus *in Nicoteren. mense Martii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 230.*

170. Hinc Sacra Congregatio declaravit, excommunicationem non incurrisse Parochum, qui bona fide Mulierem solemniter matrimonio copulavit cum Viro moribundo in quarto affinitatis gradu, eoque notissimo ipsi coniuncto, et a quo incestuose fuerat cognita sub nuptiali promissione, ne infamata remaneret post mortem dicti Viri *in Cusentina Matrimonii die 18 Novembris 1684 lib. 34 Decretorum pag. 393.*

171. Quin imo non sustinetur excommunicatio lata contra eum, qui absque licentia Matrimonium contraxit coram Parocho, cum Episcopus Parochis prohibuisset, ne eius Matrimonio interessent, nec Uxorem intra terminum eidem statutum sub poena excommunicationis ad eam dimittendam dimittere voluit *in Castellaneten. Matrimonii et censurarum die 29 Aprilis 1702 lib. 52 Decretorum* (1).

172. Unde licet in Constitutionibus Synodalibus indicetur poena excommunicationis latae sententiae contra Matrimonium clandestine contrahentes vel auxilio et consilio coadiuvantes, non propterea iidem ob id in excommunicationem incidunt, cum sustineretur, dictas Constitutiones casum, de quo agebatur, non comprehendere, et Matrimonium nullum habuisse effectum *in Casertana Censurarum et Irregularitatis die 11 Septembris 1717 lib. 67 Decretorum* (2).

173. Alias enim dum Matrimonium contractum absque denunciationibus sit validum, contrahentes incidunt in excommunicationem in eos latam a Constitutionibus Synodalibus; his enim in terminis proposito dubio: - An omissis denunciationibus huiusmodi Matrimonium dicatur clandestinum, prolesque illegitima, veluti si sine Testibus et Parocho contraheretur? –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Non dici, sed contrahentes incidere in poenam excommunicationis in Constitutionibus Synodalibus propositam – *in Hieracen. mense Septembris 1587.*

174. Quod si rei mandatis pareant, locus est absolutioni excommunicationis; quandoquidem quum Vicarius Capitularis Venusinus inhibuissent Georgio Giura et Clarae Musacchio Oppidi Mashiti, ne sub poena excommunicationis cohabitarent, quia nullum praetendebat Matrimonium absque eius licentia ac legitima exequutione dispensationis in quarto gradu consanguinitatis initum, cumque ad eius instantiam Sacra Congregatio rescripserit: - Vicarius Venusinus conficiat processum contra contrahentes ac Parochum, atque iniungat Sponsis, ne simul conversent –, et

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 59, Tom. IX.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 57 et 58, Tom. IX.

probata per Testes contraventione enunciato praecepto, dictus Vicarius praefatos Sponsos excommunicaverit, qui, attenta subinde paritione, plures et iteratas obtinuerunt absolutiones cum reincidentia, proposito tandem dubio: – II. An Oratores absolvendi sint a censuris in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam validum declaraverit Matrimonium, responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative; et amplius – *in Venusina Matrimonii die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum.*

175. Imo quam in primis induxerant praxim Episcopi, quibus Literae Apostolicae potissimum dirigebantur, scilicet prohibendi Vicariis in dispensationum Matrimonialium executione acceptionem cuiuslibet muneris et praemii sub excommunicationis poena, mox debuerunt Summi Pontifices amplecti. Hinc factum est, morem stylumque invaluisse inscribendi in omnibus dispensationibus, quae sive in forma ordinaria, sive in forma pauperum expediuntur, et Vicariis Generalibus ut plurimum diriguntur, hanc clausulam, – deposita per te omni spe cuiuscumque muneris aut praemii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus –, quae quidem prohibitio, ut de Pontificis enixa voluntate magis constet, in fine Literarum Apostolicarum cum excommunicationis latae sententiae comminatione geminatur his verbis: – Volumus autem, quod si, spreta monitione nostra huiusmodi, aliquid muneris aut praemii occasione praemissorum exigere aut oblatum recipere temere praesumpseris, excommunicationis latae sententiae poenam incurras –, veluti ex Zerol. prax. Episcop. part. 2 verb. Delegatus, et aliis tradit Corrad. prax. dispensat. lib. 7 cap. 6 n. 8, et sequitur De Iustis de dispens. matrim. lib. 1 cap. 6 a n. 232, Van-Espen. ius eccles. part. 2 tit. 14 cap. 2 per totum et cap. 3 n. 6 *in Dubia super executione Dispensationum matrimonialium die 16 Decembris 1786* §. *Ad.*

176. Nec dubium, quin Uxor, dum iustam non probet causam divertendi a Viro, in excommunicationem incidat, quam Audientia Episcopalis iure ac merito in eam tulit, ex eo quod intra praefinitum tempus ad obsequia Viri non redierit *in Pientina seu Montis Politiani Separationis tori die 21 Maii 1757 die 14 Ianuarii et die 2 Decembris 1758.*

177. Iamvero post eversam rem omnem suam familiarem dotemque Uxoris Catharinae Angelae Generalis in perquirendis thesauris, Ioannes Paulus Bastiani lares transtulit e Terra Montis Ghisii Pientinae Diaeceseos in Civitatem Montis Politiani, quae Uxoris erat patria: metuens autem Catharina, ne pauca, quae ibi supererant, extradotalia bona in suam et communium filiorum perniciem a Viro distraherentur, ut operam inveniendis thesauris navaret, eum monuit, ut ab eorum perquisitione desisteret. Ab hac monitione iurgia inter eos exarserunt, ita ut Vir discesserit revisens Montem Ghisium, ibique inde Uxorem revocavit. Illa renuit: Vir adiit Curiam Episcopalem Pientinam, petiitque Mulierem censuris compelli, ut rediret ad obsequia praestanda. Vix cepto iudicio, Vir vi armata Mulierem noctu abduxit e Civitate Politiana ad Terram Montis Ghisii, ubi eam non contumeliis tantum, sed etiam verberibus ita affecit immaniter, ut duorum fere mensium spatio aegrotaverit. Hac re ad supremum Senensium tribunal delata, decretum fuit, ut Vir Uxorem inoffensam restitueret Civitati, unde eam abduxerat, et iure suo uteretur in Audientia Episcopali, ubi ceptum fuerat iudicium. Eo igitur redintegrato, Audientia Episcopalis Pientina, inaudita Uxore, et ne deputato quidem Curatore ad litem iuxta leges Municipales, sententiam tulit excommunicationis contra Uxorem, quod intra praefinitum tempus ad obsequia Viri non rediisset. Appellavit Catharina ad Sacram Congregationem; disputavitque, censuras non substineri, sed esse locum separationi thalami, quia iustas habuerat et habebat divertendi causas, ob immanes saevitias Viri, ob laesum Uxoris honorem, ob denegata alimenta, ob tentatam Uxoris necem armis venenoque malo; quae omnia comprobavit testificationibus praesertim communium filiorum. Addidit, satis consultum esse non posse indemnitati suae cautione de non offendendo, quam Vir praestare vellet, quia perdita re omni familiari exortisque gravissimis inimicitiis, desperata res erat reconciliatio animorum. His interim perpensis, proposito dubio: – An substineantur censurae, seu potius sit

locus separationi tori in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 maii 1757 responsum dedit: – Dilata, et ad mentem –. Impleta dein mente, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 14 ianuarii 1758 respondit: – Transmittantur acta Curiae Pientinae, et scribatur Nuncio Apostolico et Episcopis Pientino et Montis Politiani; et interim coadiuventur probationes super praetensis saevitiis –. Curavit Paulus Bastiani, ut Uxori suae Catharinae Generali praefigeretur terminus quadraginta dierum ad saevitias probandas. Terminus praefixus fuit; sed nulla edita fuit probatio. Ursit igitur Paulus Bastiani repropositionem Causae. Unde reproposito praefato dubio, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Pientina seu Montis Politiani Separationis tori die 2 Decembris 1758.*

178. Potest etiam Episcopus praecipere aliquid sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae in vim Decreti Concilii in Cap. 3 sess. 25 de reformatione, ubi exequutio realis vel personalis fieri non potest *in Dubium ad dictum Cap. 3 sess. 25 de reformatione Posit 147.*

179. Itaque excommunicationes latae ab Episcopo, priusquam constet de impedimento, propter quod non potest devenire propria auctoritate ad executionem realem vel personalem, non servata hinc forma Concilii, sunt validae, et huiusmodi excommunicati indigent absolutione, Episcopus tamen curare debet, ut in excommunicationibus proferendis observetur Decretum Concilii Cap. 3 sess. 25 *in Dubium ad dictum Cap. 3 sess. 25 de reformatione Posit. 147.*

180. Idcirco non potest ferri excommunicatio in vim Decreti Concilii in Cap. 3 sess. 25 de reformatione, nisi iudicialiter in actis constet, non posse fieri exequutionem, neque realem neque personalem contra debitorem *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

181. Nec potest ferri, si Creditor aliunde potest satisfieri *in Dubium ad Cap. 3 sess. 25 de reformatione Posit. 147.*

182. Neque potest ferri contra unum ex obligatis, si alter est solvendo iuxta formulam obligationis in formaCamerae praescriptam Constitutione S. Pii V, nisi obligatio contineret praeceptum de solvendo sub poena excommunicationis ipso iure, iuxta antiquam formulam *in Dubium ad Cap. 3 sess. 25 de reformatione Posit. 147.*

183. Dispositio autem Concilii Tridentini in cap. 3 sess. 25 de reformatione vers. *In causis,* non procedit in Pensionariis *in Dubium ad Cap. 3 sess. 25 de reformatione Posit. 147.*

184. Nec verba Concilii Tridentini in cap. 3 sess. 25 de reformatione nimirum – a nemine prorsus praeterquam ab Episcopo – excludunt Legatum de latere *in Avenionen. mense Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 187.*

185. Amplia, Concilium Tridentinum in cap. 3 sess. 25 de reformatione non sustulit Vicariis Generalibus facultatem decernendi excommunicationes, tam praesente, quam absente Episcopo, si illis Episcopi specialiter hanc facultatem concesserint *in Dubium ad Cap. 3 sess. 25 de reformatione Posit. 147.*

186. Idque intelligendum est de excommunicationibus ad finem revelationis pro rebus deperditis vel subtractis *in Dubium die 10 et 27 Ianuarii 1583 Posit. 147.*

187. Hinc Sacra Congregatio declaravit, Episcopum non posse alteri, quam Vicario Generali subdelegare facultatem decernendi excommunicationes ad finem revelationis *in Dubium die 8 Februarii 1590 ad Cap. 3 sess. 25 de reformatione Posit. 147.*

188. Verum dubio iterum proposito et formiter examinato; censuit eadem Sacra Congregatio, huiusmodi facultatem concedere posse Vicariis Foraneis, expresse tamen et in specie eam tribuendo, et nonnisi Personis gravibus circumspectis et prudentibus *in Spoletana mense Iunii 1592 lib. 7 Decretorum pag. 50.*

189. Quapropter excommunicationes ad finem revelationis pro rebus perditis vel subtractis non possunt concedi a Baiulivo S. Stephani *in Nullius mense Martii 1588 lib. 5 Decretorum pag. 110.*

190. Neque ab ullo Praelato inferiore, etiamsi sit Nullius Diaecesis et iurisdictionem quasi episcopalem exerceat privative quoad Episcopum *in Lucen. mense Ianuarii 1598 lib. 9 Decretorum pag. 50.*

191. Immo neque ab ipso Episcopo quoad Loca dicti Praelati inferioris et Nullius Diaecesis; sed petendae sunt a Sede Apostolica *in Lucen. mense Ianuarii 1598 lib. 9 Decretorum pag. 50.*

192. Idcirco ius decernendi excommunicationes ad effectum revelationis pro rebus deperditis vel subtractis atque ipsam sententiam excommunicationis pronunciandi in locis Nullius Diaecesis non ad illius Praelatum, neque ad viciniorem Episcopum, sed ad solam Sedem Apostolicam pertinet *in Lucen. mense Ianuarii 1598 lib. 9 Decretorum pag. 50.*

Item *in Nullius 1609 lib. 11 Decretorum pag. 65.*

193. Hinc excommunicationes ad finem revelationis, si Loca pia Abbatiae Nullius Diaecesis sint, licet intra fines Diaecesis Spoletanae, petendae sunt a Sede Apostolica, nec possunt ab Episcopo Spoletano decerni *in Spoletana anno 1583.*

194. Nec itaque Praeses ad R. C. A. causas cognoscendas deputatus in comitatu venusino, sive eius Resignatarius, potest vigore suarum literarum patentium relaxare monitoria sub poena excommunicationis ad effectum habendi revelationes, neque ipsa publicare, neque sibi absolutionem reservare, neque cogere Sacerdotes requisitos ad dicta monitoria publicanda, multo minus si est uxoratus eadem monitoria nomine filii Sacerdotis subscribere et exequi *in Carpenctoraten. die 10 Iulii 1694 lib. 44 Decretorum.*

195. Episcopus autem mandare potest, ut reaffigantur cedulones contra publice excommunicatum et absolutum in vim Bullae Cruciatae *in Cusentina die 30 Iulii 1672 lib. 27 Decretorum pag. 452 a tergo.*

EXEMPTIO IN GENERE

1. Compertum est, exemptiones a iurisdictione Episcoporum nunquam nativas dici posse: quam opinionem licet primum amplexa fuerit Rota, postea reiecit reprobavitque. Repugnat enim exemptio, quae liberationem a servitute importat, cum libertate nativa *in Guastallen. Provinciae Mediolanensis die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

2. Siquidem nunquam libertas nativa est, quae evenire non potuit, nisi ex concessione Summorum Pontificum, quibus in universo Orbe totius Dominici Gregis cura mandata est: qui et Diaecesium novos fines terminarunt et auxerunt et amplificarunt et coercuerunt; Cathedras diviserunt, novas constituerunt, tota circumspectante et obsequente Ecclesia, cuius summam administrationem tutelamque habent ex auctoritate per manus tradita ab ipso Principe Apostolorum divo Petro, in cuius locum et potestatem succedunt, qui fuit petra illa, super quam Christus filius Dei vivi fundavit Ecclesiam, et cui claves Regni Caelorum et suos Agnos et suas Oves pascendas tradidit *in Guastallen. Provinciae Mediolanensis die 19 Iulii 1766* §. *Hinc.*

3. Ex Pontificum igitur concessione tot exemptionum privilegia sive in Monachos et Regulares, sive in Abbates venerunt, quorum personas quandoque, quorum loca aliquando, veluti sibi ipsis proprio iure Pontifices reservarunt. Hinc immediatae subiectionis Sedi Apostolicae nomina et iura deducta sunt: hinc Abbatum varia species, qui Praelati inferiores dicuntur. Hinc Exemptorum varia conditio *in Guastallen. Provinciae Mediolanensis die 19 Iulii 1766* §. *Ex.*

4. De exemptionibus autem Abbatum obtinet trina distinctio in iure. Prima et infima, quae et Regularibus communis est, ut una cum Ecclesia eiusque Ecclesiae Clericis et Administris, quibus praeficiuntur, subsint immediate Romano Pontifici. Secunda, quae media, eorum est, qui habent quidem iurisdictionem activam in Clerum unius vel plurium locorum, sine tamen territorio separato. Eiusmodi sane Praelatis appellatio Nullius non vere convenit, nisi eo lato loquendi modo, qui plerumque ex ambitione plurimorum atque ex aliorum tolerantia ortum habuit, ad res cum non propriis nominibus designandas obscurandasque. Tertia est de Abbatibus, iurisdictionem vere activam habentibus sive unius, sive plurium locorum

cum territorio separato, quod omnino avulsum et separatum sit ab aliqua Diaecesi, et quod Pontifex ad se quodammodo receperit, ut, quae iurisdictionis sunt, Abbatibus exercenda, cum integra Episcoporum exclusione, concederet *in Guastallen. Provinciae Mediolanensis die 19 Iulii 1766* §. *Tertia.*

5. Bonifacius autem IX in Constitutione, quae incipit: *Intenta salutis operibus* sub datum apud S. Petrum XI Kalendis ianuarii anno quarto decimo, die 22 decembris 1402, ex Regestro Literarum Apostolicarum eiusdem Summi Pontificis lib. 153 pag. 174, edixit: – Item revocamus et annullamus omnes exemptiones perpetuas per nos factas quibuscumque Monasteriis vel Ecclesiis aut Capitulis vel Praelatis aut Conventibus quorumcumque Ordinum sive Religionum et secularium Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum Universitatibus quorumlibet Castrorum Terrarum et Villarum: et Literas nostras super illis confectas decernimus esse irritas et inanes nulliusque roboris vel momenti – *in Pragen. Exemptionis die 20 Novembris 1762* §. *Res.*

6. Has Literas fuisse publicatas et usu receptas non obscure erui videtur ex testimonio D. Antonini coaevi historici, qui in sua historia part. 3 tit. 22 narrat, Bonifacium IX scrupulis agitatum ob indiscretas concessiones factas, ut contineret fidelium devotionem tempore schismatis iam ab anno 1378 incepti sub Urbano VI et diu post Bonifacium IX continuati, ad extremum omnia revocasse, atque huiusmodi revocationis literas firmam auctoritatem semper obtinuisse in supremis Urbis tribunalibus, probant Rota in Recent. decis. 5 a n. 7 part. 13, repetita coram Cerro decis. 587, Card. De Luca de feudis disc. 5 n. 7 et 11, Pignatell. consult. can. 33 n. 5 tom. 2, Card. Petra ad Constit. unic. Ioannis XIII sect. unic. n. 8 et 9 tom. 4 *in Pragen. Exemptionis die 20 Novembris 1762* §. *Has.*

7. Praeterea patet, huiusmodi exemptiones aliasque gratias tempore illius schismatis concessas per quoscumque pro Romanis Pontificibus se gerentes, sive essent veri Pontifices, sive non, generaliter fuisse revocatas a Martino V in Concilio Constantiensi, ut in supra citatis iuribus, quibus additur Card. Petra ad Constit. 1 Pascalis II sect. 1 n. 23 tom. 1, et Rota in decis. 355 n. 1 et 2 Recent. part. 2, repetita coram Ludovisio decis. 509 *in Pragen. Exemptionis die 20 Novembris 1762* §. *Praeterea.*

8. Alias exemptio, etiamsi incommodum aut scandalum aliquod ex alicuius Ecclesiae exemptione ortum sit, non idcirco sequi inde potest, exemptionem illam legitime sublatam, deletamque fuisse aut saltem esse delendam *in Regien. Exemptionis die 30 Ianuarii 1836* §. *Ceterum.*

9. Expedita namque patet et facilis ad Sedem Apostolicam via, ut abusus et scandala, quibus tollendis ea est semper intenta, eius auctoritate removeantur *in Regien. Exemptionis die 30 Ianuarii 1836* §. *Ceterum.*

10. Idcirco Romani Pontifices post Concilium Tridentinum exemptionem a iurisdictione etiam delegata Episcopi concesserunt, ita ut Ecclesias ab Episcopi animadverversione Clericosque delinquentes iam diserte demerint, ac alteri ius in eos demandaverint *in Regien. Exemptionis die 19 Decembris 1835* §. *Hisce.*

11. Qua de re exempti veluti de alieno territorio habentur: extra territorium autem non extendi iurisdictionem edocet L. *Extra territorium* ff. de iurisdict. omn. iud. *in Tiburtina Functionum die 31 Iulii 1852* §. *At vero.*

12. Unde in loco exempto non sunt attendendae literae citatoriae Episcopales, L. *Extra territorium* de Iurisdict., L. de offic. Praesid., Cap. *Novit* de Iudic., et Cap. ult. de Constit. in 6, Scacc. de Iud. lib. 1 Cap. 40 n. 6 *in Salutiarum Irregularitatis die 8 Iulii 1765* §. *Etenim.*

13. At exemptio a Concilii lege, quoad Matrimonium coram Parocho ineundum, non est personalis, quae comitetur personam, sed realis, quae locum non excedit, Sanchez de Matrimon. lib. 3 disp. 18 n. 10, Pont. eod. tract. lib. 5 Cap. 9 n. 1, Reiffest. in ius canon. lib. 4 de clandestin. desponsat. §. 3 n. 130 *in Pisana Nullitatis Matrimonii die 29 Iulii 1769* §. *Negant.*

14. Itaque Innocentius IV in Cap. *Volentes* de privilegiis in 6 haec statuit: – Volentes libertatem, quam nonnullis Apostoli-

ca Sedes privilegia exemptionis indulsit, sic integram observari, ut illam alii non infringant, et ipsi eius limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti sive contractus aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum Ordinariis conveniri, et illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere – *in Firmana Iurisdictionis die 13 Aprilis 1720* §. *Excipit.*

Item *in Anglonen. Exemptionis die 24 Iulii 1734* §. *Innocentius.*

15. Legem hanc Pontificiam vindicare sibi locum in quacumque exemptione, licet amplissimis verbis conceptam, adnotarunt Franch. in cit. Cap. *Volentes* n. 2, Barbos. n. 2, Passerin. n. 7 et 8 de privilegiis in 6, firmavit Rota in Baren. Iurisdictionis 20 maii 1603 curam Verospio impressa apud Marchesanum de commiss. part. 1 §. 2, et in Recent. decis. 165 a n. 1 part. 7 *in Firmana Iurisdictionis die 13 Aprilis 1720* §. *Excipit.*

Item *in Anglonen. Exemptionis die 24 Iulii 1734* §. *Innocentius.*

16. Et consentanee ad haec ita resolvit Sacra Congregatio in dicta Firmana Iurisdictionis, in qua, licet proposito prima vice dubio: – An Reverendissimus Archiepiscopus Firmanus possit procedere et iurisdictionem ordinariam exercere contra Personas et Canonicos Ecclesiae S. Victoriae subiectas Abbatiae Farfensi in casu contractuum et delictorum factorum et commissorum respective extra septa dictae Collegiatae in casu etc. –, die 13 aprilis 1720 responsum fuerit: – Negative –, attamen die 3 augusti eiusdem recessum fuit a decisis, (1) et pari formiter Decretum subinde prodiit die 23 augusti 1721 in Caven. seu Caputaquen. Iurisdictionis, ubi de consimili casu agebatur (2) *in Anglonen. Exemptionis die 24 Iulii 1734* §. *Et.*

17. Haec igitur intercedere videtur differentia inter exemptionem localem et exemptionem personalem, quod in primo casu delinquens extra locum punitur ab Ordinario, secus autem se habet res in secundo casu, cum in hoc nec ratione delicti commissi aut contractus initi aut rei sitae extra locum exemptum exemptus conveniri valeat coram Ordinario, uti interpretando Textum Innocentii IV in Cap. *Volentes* de privilegiis in 6 innovatum a Concilio Tridentino sess. 7 cap. 14 de reformatione bene adnotarunt Franc. in citato Cap. *Volentes* n. 2, Barbos. n. 3, Passerin. n. 7 et 8 de privilegiis in 6 *in Firmana Iurisdictionis die 13 Aprilis 1720* §. *Haud.*

18. Idcirco iuxta celebrem Decretalem Innocentii IV in Cap. *Volentes* de privilegiis in 6, innovatum a Concilio Tridentino sess. 7 cap. 14 de reformatione, quando agitur de exemptione locali vel de exemptione mixta, quae est concessa Personis propter locum, cognitio delicti extra locum commissi spectat ad Ordinarium, cui locus subiectus est, secus autem se habet res quando exemptio est personalis, cum in hoc casu cognitio delicti extra locum commissi non ad Ordinarium loci sed ad Iudicem Exempti pertineat *in Caven. seu Caputaquen. Iurisdictionis die 2 Augusti 1721* §. *Iuxta.*

19. Unde licet exempti summa fruantur libertate, nihilominus ratione delicti sive contractus aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum Ordinariis conveniri, atque isti in triplici hoc casu suam valent in illos iurisdictionem exercere, iuxta expressam sanctionem Innocentii IV in Cap. *Volentes* de privilegiis in 6, postmodum innovatam a Concilio Tridentino in sess. 7 cap. 14 de reformatione *in Neapolitana Exemptionis die 1 Septembris 1736* §. *Summa.*

20. Quin imo Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 6 cap. 3 sess. 14 cap. 4 et sess. 24 cap. 10 de reformatione tribuit Locorum Ordinariis facultatem, ut tamquam Apostolicae Sedis Delegati valeant contra Subditos, non obstante quocumque exemptionis privilegio, procedere, eosque delinquentes debitis poenis cohibere *in Neapolitana Exemptionis die 1 Septembris 1736* §. *Summa.*

21. Ceterum praedicta iuris sanctio Innocentii IV in relato Cap. *Volentes* de privilegiis in 6 locum sibi vindicare videtur in exemptione generaliter concessa, secus vero quando ea ita concepta legitur, ut locorum

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 65, Tom. IX.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Excommunicationis censura*, n. 119.

Ordinarii nequeant adversus exemptos, neque ratione delicti sive contractus aut rei, de qua agi contingat, procedere, uti cum aliis distinguendo explicant Fagnanus in Cap. *Tuarum* a n. 14 de privilegiis, et Passerin. de stat. homin. tom. 3 quaest. 189 n. 630, et doctissime Emus Petra in comment. ad Constit. 1 Paschalis II sect. 1 a n. 3 *in Neapolitana Exemptionis die 1 Septembris 1736* §. *Deinde* (1).

22. Praeterea exemptio vulgo dispescitur in activam et passivam, quarum una coercita est ad Monasteria Ecclesias Monachos et Clericos intra illorum ambitus existentes, alia vero protrahitur etiam ad Populum ad Clerum secularem et Parochos animarum curam exercentes *in Eugubina Iurisdictionis die 7 Augusti 1773* §. *Non est.*

23. Ex verbis autem - similiter suppressi Monasterii et S. Sebastiani Ecclesias praedictas loca personas res ab Eugubini et Alatrini et Abbatum praedicti Ordinis S. Benedicti... visitatione... liberamus, absolvimus etc. - passiva exemptio deprehenditur, Cap. *Per exemptionem* 9 de privileg. in 6, Rot. in decis. 770 n. 3 coram Molin., et in decis. 10 n. 13 de offic. ordin. coram Falconerio *in Eugubina Iurisdictionis die 7 Augusti 1773* §. *Quod vero.*

24. Nullum proinde dubium, quin ex Concilio Tridentino sess. 14 cap. 5 de reformatione exemptae sint ab Episcopi iurisdictione Universitates Generales, Collegia Doctorum seu Scholarium, Loca Regularia, Hospitalia, et Personae dictorum locorum et Universitum *in Neapolitana Exemptionis die 1 Septembris 1736* §. *Verum.*

25. Hinc et Referendarii Signaturae per Concilium Tridentinum exemptione expertes haud facti sunt, Fagnan. in Cap. *Ex parte* de privilegiis; oneroso enim titulo exemptionem acquisiverunt *in Regien. Exemptionis die 19 Decembris 1835* §. *Hisce.*

26. Unde suffragatur exemptio ab Episcopi iurisdictione et immediata subiectio Romano Pontifici ac Sedi Apostolicae Exemptis etiam ultra Diaecesim, in qua solent morari *in Messanen. Exemptionis die 7 Ianuarii 1640 lib. 16 Decretorum pag. 386.*

27. Siquidem - Sacra Congregatio censuit, exemptionem, de qua agitur, habentem immediatam subiectionem Romano Pontifici ac Sedi Apostolicae absque ulla alia dependentia, suffragari Exemptis etiam extra locum Diaecesis Cataniensis, ideo agendum cum Sanctissimo, ut dignetur ad dictam exemptionem Diaecesium per viam declarationis restringere, vel quoad exemptos commorantes in Diaecesi Messanensi deputare Archiepiscopum Messanensem, ut tamquam Delegatus Sedis Apostolicae contra eos procedere valeat. Die 10 facta relatione Sanctissimo D. N. Sua Sanctitas iussit, scribi Archiepiscopo Messanensi et aliis, in quibus commorentur, ut tamquam Sedis Apostolicae Delegati contra eos procedant - *in Messanen. Exemptionis die 7 Ianuarii 1640 lib. 16 Decretorum pag. 386.*

28. Quin imo exemptio concessa a Sede Apostolica Abbati et Ecclesiae, dum in ea exercebatur hospitalitas, non cessat etiam cessante hospitalitate *in Neapolitana Censurarum die 29 Novembris 1693 lib. 43 Decretorum.*

29. Siquidem proposito dubio: - An, cessante hospitalitate, cessaverit exemptio concessa Ecclesiae et Abbatiae S. Mariae de Patientia vigore Brevis s. m. Clementis VIII?-, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Neapolitana Censurarum die 29 Novembris 1693 lib. 43 Decretorum.*

30. Amplia, exemptionis privilegia, propter Ecclesiae et Religionis utilitatem elargita, adhuc vigere dicuntur, nisi fuerint expresse abrogata, si Abbatia e statu Regulari ad Secularem fuerit traducta, Innocent. in Cap. *Dilectus* de Capell. Monach., Butr. in Cap. Abbat. de verb. signif. n. 22, Tamburrin. de iur. Abbat. tom. 1 disp. 15 quaest. 11 a n. 4, et Piton. discept. eccles. 160 n. 59 tom. 4 *in Neapolitana Exemptionis die 1 Septembris 1736* §. *Post.*

31. Hinc Ecclesia, quae ex Abbatia Regulari ad Secularem statum per Apostolicas Literas redacta, eique Abbas Commendatarius fuerit praepositus, ab Episcopi iurisdictione, sicut et antea fuerat, manet exempta, ex traditis per Pignatell. consult. 152 n. 3

(1) Quoad hoc punctum iuris habes speciem et resolutionem Causae huius et alterius in Anglonen Exemptionis die 24 iulii 1734 in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 89 90 et 91 Tom. IX.

tom. 4, Piton. discept. eccles. 160 n. 59, et alii per eum congesti *in Hieracen. die 16 Martii 1743* §. *Ad haec.*

32. Idcirco multo magis communicata censentur aggregantis exemptiones et privilegia, ac si expresse concessa essent aggregato, per Textum in L. *Omnia* Cod. de Episcopis et Clericis, Rot. coram Ansaldo decis. 3 n. 15 et 16 *in Ravennaten. die 13 Iunii 1789* §. *Animadversionem.*

33. Alias vero sublato dominio Regularium et consequenter exemptione, omnia remanent subiecta ordinationi et dispositioni Episcopi, iuxta censuram Sacri Concilii Tridentini sess. 25 cap. 8 de reformatione *in Derthonen. Visitationis die 12 Ianuarii 1760* §. *Quoad.*

34. Unde conditione, cui exemptio alligata est, sublata, exemptionem ipsam evanescere ac prorsus elabi quisque intuetur, Bald. in L. *Siquidem* n. 3 Cod. de except., Barbos. claus. 8 a n. 9, Constantin. vot. 238 a n. 7 tom. 2, Rot. coram Rezzonico decis. 335 n. 9 tom. 3, coram Riminaldo decis. 479 n. 9 *in Regien. Exemptionis die 19 Decembris 1835* §. *Cui.*

35. Itaque Sacra Congregatio respondit, exemptionem concessam a Sede Apostolica per Literas in forma Brevis Beneficiatis Cathedralis ab obedientia visitatione et correctione ac potestate Capituli eiusdem Cathedralis, durante lite inter ipsos et praedictum Capitulum, non debere renovari, cessata lite *in Barchinonen. Renovationis Brevis die 28 Maii 1695 lib. 45 Decretorum.*

36. Unde si iusta extet causa, indulgenda est etiam exemptio personalis ac temporanea aliquorum a propria Parochi cura et iurisdictione nec non subiectio curae alterius Parochi vicinioris, cum id utroque iure cautum sit, L. unic. Cod. si quacumque, Cap. *Cum recepimus* de privilegiis, et Cap. *Cum auctoritatem* eod. tit. in 6: ut enim Pater abutens patria potestate cogebatur filium emancipare, L. 1 §. Dispiciamus ff. de his, qui sui vel alieni iuris sunt, et Dominus inique agens in Servum compellebatur eum manumittere, L. *Lenones* Cod. de Episcop. audien. L. fin. Cod. de spect.; ita Clericus dimittitur e manu et potestate Episcopi, ut late Frances de eccles. cathedr. cap. 30, Lotter. de re Benef. quaest. 24, Card. De Luca de iud. disc. 3, et Parochiani solvuntur a iurisdictione et cura Parochi, ut latissime congestis exemplis disserit Ursaya discept. eccles. tom. 3 part. 1 discept. 19 *in Placentina Exemptionis die 10 Iulii 1751* §. *Nondum.*

37. Hinc exemptio, concessa ab Episcopo Capellano maiori Hospitalis a iurisdictione ordinaria et iure Parochiali ad instantiam Fundatorum Hospitalis, consentiente Parocho et Capitulo, nulla fuit declarata; attentis tamen peculiaribus circumstantiis, censuit Sacra Congregatio, supplicandum SSmo pro concessione privilegii exemptivi a iurisdictione Parochi *in Olinden. die 14 Martii 1705 lib. 55 Decretorum* (1).

38. Necessaria tamen causa concurrere debet, ut alicui exemptio indulgeatur, nisi enim huiusmodi causa urgeat, haud conceditur, sed opportuna adhibetur provisio; siquidem Sacra Congregatio negavit Parocho exemptionem a iurisdictione Episcopi, non obstante allegata persecutione octo annorum, privatione Parochiae, ad quam fuit reintegratus per sententiam Iudicis delegati a Summo Pontifice; sed iniungendum censuit Sacra Congregatio Episcopo, ut non deveniat contra eum ad actus irretractabiles, inconsulta Sacra Congregatione *in Sarsinaten. Exemptionis die 5 Iulii 1710 lib. 50 Decretorum* (2).

39. Nec aliter censuit Sacra Congregatio *in Aquen. Exemptionis die 9 Iunii 1714 lib. 64 Decretorum* (3).

40. Quapropter Sacra Congregatio renuit concedere exemptionem ab Ordinarii iurisdictione et per consequens deputationem Iudicis pro Causis Capituli et Cleri, non constito de motivis sufficientibus gravaminum *in Sulmonen. die 2 Decembris 1719.*

41. Iamvero Capitulum et Clerus Cathedralis Ecclesiae Sulmonensis propter plura gravamina praetendit, esse locum exemptioni et respectivae Iudicis deputationi. Primum gravamen, uti desumebatur ex relatione Epi-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 81, Tom. IX.
(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. n. 86, Tom. IX.
(3) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 83 et 84, Tom. IX.

scopi Marsorum, cui informandi cura ab Sacra Congregatione commissa fuit, consistebat in Edicto ab Episcopo Sulmonensi publicato, quod alternatim in una ex tribus Ecclesiis Civitatis ab ipso destinatis instrui deberet Populus in doctrina christiana per hebdomadam a Curatis et Presbiteris sub nonnullis poenis in Edicto recensitis, quasi quod hoc Edictum pareret confusionem et adversaretur Concilio Tridentino sess. 24 de reformatione cap. 4, quod in singulis Parochiis explicationem doctrinae christianae demandat. Secundum gravamen desumebatur ex alio Episcopi Edicto, in quo sub poena suspensionis a divinis ipso facto et privationis ab officio contra Curatos in casu contraventionis, praescribebatur delatio Sanctissimi Viatici cum tot luminibus et caeremoniis tam de die, quam de nocte, ut impossibile videretur earum adimplementum tam in Civitate, propter aliquem casum inopinatum, quam in Villis et parvis Oppidis Diaecesis, propter Ecclesiarum paupertatem. Tertium gravamen ortum ducebat ab alio Edicto, in quo prohibebatur accessus ad Monasteria Monialium omnibus Personis cuiuscumque status et conditionis, exceptis Consanguineis primi gradus sub poena excommunicationis latae sententiae ipsi Episcopo reservatae, pro cuius declaratione statuebatur sufficere debere unicum Testem de visu; dicebatur enim, hoc Edictum esse nimis rigorosum, cum darentur Moniales, quae non habebant Consanguineos primi gradus, et cum in nullo iudicio stetur dicto unius Testis. Quartum gravamen stabat in privatione facultatis audiendi confessiones, quam una die Episcopus executus est, quoad Carmelitas Paulanos et Augustinianos Civitatis Sulmonensis; ex hoc enim facto praetendebatur, quod Cives et Exteri fuerint scandalizati. Quintum gravamen ortum habebat a recursu habito ab Episcopo ad Delegatum Regalis Iurisdictionis pro observantia concordiae a suo Praedecessore initae cum Magistratu Civitatis et Procuratoribus Sanctissimae Annuntiationis super deputatione Concionatoris quadragesimalis, ita ut ex hac contentione factum esset, ut in praeterita Quadragesima nulla fuisset habita concio in Civitate Sulmonensi. Sextum gravamen eruebatur, ex quo Episcopus semel requisitus pro licentia exponendi Reliquias Sancti Pamphili, praedictam noluit impartiri licentiam. Septimum gravamen erat, quod utebatur horrido carcere, quo stante, datus erat casus, quod duo Sacerdotes in eodem detenti gravibus fuissent subinde affecti infirmitatibus. Octavum gravamen erat, quod animum habebat propensum erga Seminarium Valvense, licet ab Oppido Pentinae distans, animumque habebat adversum Seminario Sulmonensi, non obstante eius competenti structura, cum in eodem faceret paleas asservare. Nonum gravamen desumebatur ex probibitione, ne in Cathedrali Ecclesia Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservaretur. Et decimum denique stabat in omissione collationis sacrorum Ordinum, et in omissione providendi Parochias vacantes, quibus addebatur, quod occasione obitus duorum Parochorum S. Mariae de Praetaluna concedere recusavit institutionem nominatis a Capitulo, ad quod pertinebat ius nominandi, novos sibi benevisos deputando Capellanos.

42. Oppositis hisce gravaminibus singillatim a Promotore Fiscali respondebatur, et responsiones partim desumebantur a relatione Episcopi Sulmonensis et partim a relatione Episcopi Marsorum. Quoad primum ergo gravamen respondebatur, Episcopum modo insinuato praescripsisse, quod doceretur doctrina christiana, ex quo in adventu ad Diaecesim animadvertit, quod Parochi erant inepti ad hoc munus explendum, ita ut methodus insinuata proficeret tam Pueris, ut discerent, quam Parochis, ut instruerentur in modo docendae doctrinae christianae, subdendo, solum Capitulum de hac re conqueri, sed tales querimonias non audiri a Parochis aut Presbiteris vel a Populo. Quoad secundum respondebatur, Edictum fuisse factum, ut Sanctissimum Sacramentum debitam haberet luminum et Ministrorum associationem, et Edictum non extendi ad Diaecesim, sed ad solam Civitatem, et in Civitate suam habere pacificam executionem. Quoad tertium et quartum legebatur in relatione Episcopi Marsorum, quod prohibitio allocutionis cum Monialibus tendebat ad reprimendam nimiam hanc in re Civitatis libertatem, et quod Religiosi privati facultate excipiendi confessiones erant ad hoc spirituale munus inepti.

Quoad quintum sextum et septimum respondebat Episcopus Sulmonensis, se brachium seculare implorasse, ut concordia Papali et Regali auctoritate firmata super electione Praedicatoris suum haberet effectum; se nunquam prohibuisse expositionem Reliquiarum Sancti Pamphili, sed tantum voluisse, ut debito modo adimpleretur; se denique uti carcere a suo Praedecessore constructo, et Sacerdotes in eodem detentos reos fuisse criminum, quae carcerem merebantur iuxta attestationem Cancellarii, quas exhibebat. Quoad octavum dixit Episcopus, Seminarium Sulmonensem esse inhabitabile iuxta attestationem, quam exhibebat, et ulterius carere necessariis reditibus, seque hac de causa esse propensum erga Seminarium Valvensem. Quoad nonum denique et decimum respondebat Episcopus Marsorum, quod in tantum prohibita fuit retentio Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia Cathedrali, in quantum custodia non erat totaliter reaptata, et quod in praesens Sacramentum custodiebatur in Capella eiusdem destinata ab Episcopo praedecessore, et quod omissio sacrae Ordinationis et provisionis Parochialium vacantium causam habebat a defectu verae vocationis eorum, qui volebant sacris Ordinibus initiari, et ex ipsorum ignorantia.

43. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An constet de causis gravaminum, ita ut locus sit exemptioni et deputationi Iudicis in Causis Capituli et Cleri? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Sulmonen. die 2 Decembris 1719.*

44. Quin imo dum agitur de exemptione, quae odiosa est, reservatum existimari debet quidquid non fuerit expresse ademptum, Rota coram Falconerio de offic. ordin. decis. 23 n. 16, et coram Rezzonico decis. 16 n. 12 *in Eugubina Iurisdictionis die 7 Augusti 1773* §. *His autem.*

45. Unde Benedictus XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. 9 n. 3 inquit: – Alexander III in Cap. *Recepimus* de privilegiis sapienter animadvertit et admonet, ut, quoties Capitula et Canonici ab Episcoporum subiectione immunes esse contendunt, inspiciantur privilegia atque eorum tenor diligenter expendatur. Neque enim huiusmodi privilegia habent vim, de qua sibi quisque blanditur, sed necesse quoque est, ipsam exemptionem aperiis verbis diserte concedi, Ecclesiamque illam seu hominum Coetum, de quo agitur, non enunciative aut relative aut suppositive, sed dispositive ab Ordinarii iurisdictione immunem, uni autem Ecclesiae Romanae subiectam declarari –, ut quoque haec omnia laudatus Pontifex profert in Constitutione, quae est sub n. 40 eiusdem Bullarii *in Regien. Exemptionis die 30 Ianuarii 1836* §. *Quod.*

Item *in Pragen. Exemptionis die 20 Novembris 1762* §. *Praeterea.*

46. Qua de re Schmalzgrueber ad tit. 5 de privil. n. 271 tom. 5 haec habet: – Ex Literis protectionis, quibus Personae etiam expresso nomine cum omnibus rebus suis sub Apostolica Sede existere declarantur, non probatur sufficienter exemptio, Cap. *Ex parte* 18 h. tit. Ratio est, quia licet Pontifex aut alius Praelatus aliquos recipiat sub sua protectione, non tamen ideo iurisdictioni Ordinarii eos subtrahit, sed tantum significat promptam assistentiam, quam si sic receptus in persona vel rebus suis iniuste gravetur, contra sic gravantem ita recipiens eum velit defendere, et ipsum gravantem per censuras ad plenam restitutionem et satisfactionem compellere – *in Ferentina Residentiae die 8 Augusti 1829* §. *Sed quamvis.*

47. Idcirco assertae exemptionis iura probari debent, quemadmodum decernitur in Cap. *Cum personae* 7 de privil. in 6 *in Palentina Iuris visitandi die 4 Iunii 1763* §. *Monasterio.*

48. Namque allegans privilegium et exemptionem, haec evidentissimis probationibus ostendere debet; secus contra ipsum est iudicandum, prout Actore non probante, Reus absolvitur, etsi nihil ipse probet, ut ex notis regulis statuit decisio 188 §. 8 coram Emerix, et decisio 145 §. 3 coram Tanara *in Auximana Iuris tumulandi die 28 Martii 1835* §. *Neque.*

49. Hinc exemptio Regularium non competit illorum Familiaribus, nisi sint addicti servitio Monasterii, maneant intra Claustra, et vivant sub obedientia Superioris Regularis, Concil. Trid. sess. 24 Cap. 11 de reformatione, et definivit Rot. in decis. 386 a n. 1 coram Crispo, et in Gerunden. Iurium Pa-

rochialium super bono Iure 5 maii 1719 §. Nec dissimili coram Cerro *in Tolentina Visitationis Oratorii die 29 Augusti 1761 §. Et quum.*

50. Nec igitur est exemptus a iurisdictione Episcopi nec in actuali visitatione nec extra Syndicus Apostolicus Patrum Minorum Observantiae S. Francisci, et ideo exequutio facta contra ipsum a Curia Episcopali non invalidatur ob dictam assertam exemptionem, licet, attentis facti circumstantiis, sit ei indulgendum *in Insulana Exemptionis die 5 Iulii 1710 lib. 60 Decretorum* (1).

51. Exemptio tamen a iurisdictione Ordinarii praesumitur per centenariam, Cap. *Cum de Beneficio* de praebendis in 6, Rot. in decis. 318 n. 9 coram Priolo *in Senogallien. die 8 Iunii 1765 §. Ad VI.*

52. Nam ex tot actuum serie constituta dicitur observantia veteri exemptioni plurimum favens, uti ad rem tradunt Fagnan. in Cap. *Tuae* de cleric. non resid. n. 14 et 15, Pignatell. consult. 85 n. 9 tom. 5, Card. De Luca de iurisd. disc. 5, Card. Petra in comment. ad Constit. 6 Alexandri III sect. 1 n. 57 tom. 2 *in Neapolitana Exemptionis die 1 Septembris 1736 §. Ceterum.*

53. Hinc multo magis biscentenaria fere inobservantia contrarium tribuere potest exemptionis titulum, ad tradita per Card. De Luca de iurepatronat. disc. 9 n. 17, et Piton. de controv. patron. alleg. 59 n. 59 *in Lamacen. Missarum pro Populo die 30 Iulii 1796 §. Ex.*

54. Observantia vero, quae titulo infecto innititur, exemptionem tribuere non potest, iuxta firmata per Card. De Luca de praeemin. disc. 2 n. 4, Rot. decis. 487 n. 7 coram Cerro *in Pragen. Exemptionis die 20 Novembris 1762 §. Praeterea.*

55. Hinc exemptio a iurisdictione Episcopi non competit Praesidi et aliis Officialibus R. Camerae Apostolicae in Causis non concernentibus eorum officium, et in quibus ex dispositione Concilii Tridentini iurisdictio est reservata Episcopo *in Carpenctoraten. Iurisdictionis die 26 Ianuarii 1709 lib. 59 Decretorum* (2).

56. Nec exemptio a iurisdictione Ordinarii habetur per solam nominationem seu deputationem ad curam animarum factam a Superiore Ordinis Hierosolymitani; sed requiritur admissio nominati seu deputati approbatio eiusdem et licentia Episcopi ad dictam curam exercendam et Sacramentorum administrationem *in Pragen. Iurisdictionis die 14 Ianuarii 1708 lib. 58 Decretorum* (3).

57. Quin imo non est exemptus a iurisdictione Episcopi exercens curam animarum in Ecclesia annexa Commendae Hierosolymitanae Religioni in concernentibus dictam curam animarum et Sacramentorum administrationem, atque in delictis scandalosam turpitudinem habentibus, etiamsi habitet in domo eiusdem Parochialis, nec non etiam in aliis delictis, si non profiteatur obedientiam dictae Religioni; secus vero si obedientiam profiteatur *in Faventina Iurisdictionis die 17 Septembris 1667 lib. 25 Decretorum pag. 442.*

58. Neque sunt exempti a iurisdictione Episcopi Capellani Sacristae aliique deputati ad similia munia exercenda in Ecclesiis commendatis supradictae S. Religioni Hierosolymitanae, si non resident in domibus praedictarum Ecclesiarum *in Matheranen. Iurisdictionis die 8 Februarii 1659 lib. 21 Decretorum pag. 533.*

59. Exempti vero sunt residentes in praedictis domibus, etiamsi extra eas delinquant *in Matheranen. Iurisdictionis die 8 Februarii 1659 lib. 21 Decretorum.*

60. Itaque nec sunt exempti a iurisdictione Episcoporum Clerici seu Presbiteri seculares habentes literas patentes seu commissiones ab Abbatibus commendatariis S. Antonii Viennensis *in Neapolitana die 1 Decembris 1668 lib. 26 Decretorum pag. 129.*

61. Amplia, neque Clerici et Presbiteri aggregati Ecclesiae fundatae in solo Lateranensi *in Pennen. Iurisdictionis die 7 Septembris 1680 lib. 31 Decretorum pag. 227.*

62. Exemptus tamen est a iurisdictione Ordinarii Iudex ad universitatem Causarum appellationum deputatus a Papa in Regno Sardiniae *in Turritana Iurisdictionis die 2 Aprilis 1672 lib. 26 Decretorum pag. 350.*

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 168, Tom. IX.

(2) Resolutio Causae huius prostat in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 140, Tom. IX.

(3) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. IX, n. 57, Tom. IX.

63. Hinc et exempti omnino sunt Ecclesiastici quoad res omnes ex eorum praediis ecclesiasticis quomodocumque perceptas a solutione vectigalium a Principe seculari vel Republica impositorum *in Dubium mense Decembris 1624 lib. 12 Decretorum pag. 223.*

64. Exemptio vero a collectis pro terris in maiori quantitate subrogatis, quam erant assignatae in Patrimonium Clerici, debet admitti tantum pro summa primo constituti Patrimonii *in Firmana Constitutionis Patrimonii die 23 Septembris 1690 et die 27 Ianuarii 1691 lib. 40 et 41 Decretorum.*

65. At Exempti tenentur observare dies festos indictos ab Episcopo, in cuius Diaecesi morantur *in Dubium ad Cap. 12 sess. 25 de regularibus Posit. 142.*

66. Tenentur pariter vigore Decreti Concilii in cap. 13 sess. 25 de regularibus accedere ad omnes processiones publicas consuetas, vel indictas pro bono publico vel honore, et renitentes etiam censuris cogi possunt *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72.*

67. Non tamen tenentur accedere ad alienas Ecclesias pro oratione quadraginta horarum, bene autem possunt habere in propriis Ecclesiis *in Dubium ad Cap. 12. sess. 25 de regularibus Posit. 142.*

68. Quin imo contra solemnia pacta in fundatione inita quaecumque exemptio, licet expresse concessa, inepta prorsus est ad irritanda pacta in fundatione adiecta, Rota in Recent. decis. 19 n. 3 part. 19 tom. 2, decis. 20 n. 15 de decimis coram Falconerio, in Arboren. Decimarum 27 februarii 1760 §. 4 coram Cornelio, et in confirmatoria 6 februarii 1764 coram eodem *in Setina die 27 Aprilis 1765* §. *Hinc* (1).

FABRICA BASILICAE S. PETRI

1. Reverenda Fabrica S. Petri privilegium habet percipiendi fructus in Opus pium non erogatos, teste Vespignano de privileg. R. Fabricae pag. 42 *in Viterbien. Erectionis Canonicatus et Applicationis fructuum die 28 Maii 1796* §. *Posita.*

2. Hinc posita obligatione erigendi Canonicatum ad formam testamenti, expedita esse videtur actio R. Fabricae pro applicatione redituum a die Testatricis obitus. Eos namque suos facere non potuit, neque Exequutor testamentarius, per Textum in L. *Lucius Titius* §. A te peto ff. de legat. 2, Rocc. de respons. legal. 77 n. 36 tom. 1, neque illius Successores tamquam Patroni, ex Cap. *Praeterea* de iurepatronatus, Concil. Trid. sess. 22 cap. 11 de reformatione, Card. De Luca de iurepatronat. disc. 12 n. 7, et disc. 20 a n. 12; ideoque applicandos esse R. Fabricae, quae hoc privilegium habet quoad fructus in Opus pium non erogatos *in Viterbien. Erectionis Canonicatus et Applicationis Fructuum die 28 Maii 1796* §. *Posita.*

3. Quapropter Reverendae Fabricae S. Petri debentur fructus bonorum, a Testatoribus pro erectione Canonicatus designata, si heredes illum erigi neglexerint *in Viterbien. Erectionis Canonicatus et Applicationis fructuum die 21 Iunii 1783 die 28 Maii 1796 et die 21 Ianuarii 1797* (2).

4. Fructus enim capitalium assignatorum pro celebratione Missarum, pro Capellanis, vel pro Ecclesiis, aliisque piis Locis erigendis, si non fuerint erogati in causas praedictas, non accrescunt capitalibus, nec cedunt in beneficium piorum Operum, quorum neglectum fuit adimplementum, sed integraliter spectant ad R. Fabricam, iuxta compendium privilegiorum apud Vespignanum pag. 31 35 et 36 *in Cremonen. Erectionis Collegiatae die 8 Iulii 1719* §. *Absque eo.*

Item *in Spoletana Reductionis Onerum et Applicationis Fructuum die 15 Septembris 1804* §. *Alterum.*

5. Quum vero Testator mandaverit erigi Canonicatum post obitum filiae suae sine filiis

(1) Reliqua quoad exemptionem habes in respectivis materiis, quae ad iurisdictionem Ordinariorum referuntur.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonicatus*, §. III, n. 214 ad 218, Tom. IV.

in Ecclesia Collegiata, ac purificata conditione obitus dictae filiae sine filiis, designati Patroni Clericum ad Canonicatum in dicta Ecclesia erigendum nominaverint, sed Canonici huiusmodi Canonicatum acceptare noluerint, Commissarius autem R. Fabricae, praedictis Patrono et Clerico pluribus terminis praefixis atque elapsis pro obtinenda commutatione voluntatis, bona pro fundo dicti Canonicatus praedictae Fabricae applicaverit, Sacra Congregatio, instante praefato Clerico pro commutatione, ex eo quod Capitulum dictae Collegiatae se promptum exhiberet ad eum recipiendum in Mansionarium, resolvit, non intrare privilegium R. Fabricae, et esse locum commutationi voluntatis erigendo Mansionariam, firma in reliquis remanente dispositione Testatoris *in Maceraten. Commutationis voluntatis die 30 Augusti 1704 lib. 54 Decretorum* (1).

6. Hinc multo minus privilegium R. Fabricae locum habet adversus eum, qui pium opus adimplevit, ut notant Ventrigl. in prax. for. eccles. part. 2 annot. 28 §. 2 n. 6, Navarr. in Summ. Bullar. comment. 67 de Fabrica S. Petri a n. 24 *in Viterbien. Erectionis Canonicatus et Applicationis fructuum die 28 Maii 1796* §. *Fuse.*

7. Quin imo pendente recursu ad Sacram Congregationem pro reductione onerum Capellaniae erigendae locum non habet privilegium Reverendae Fabricae S. Petri sibi applicandi fructus interim decursos, sed iidem sunt erogandi in tot Missas manuales ad formam fundationis *in Spoletana Reductionis onerum et applicationis fructuum die 15 Septembris 1804.*

8. Siquidem Nicolaus Morelli postremis suis tabulis anni 1799 heredes suos nuncupavit Philippum et Aloisium Morelli suos ex praedefuncto fratre nepotes, eisque plura Loca Montis S. Petri reliquit, quorum fructus iam suspensi erant, ad effectum erigendi Capellaniam ecclesiasticam cum onere Missae quotidianae nec non coadiuvandi Parochum in administratione Sacramentorum ac doctrina christiana. Quum anno 1802 reintegrata esset solutio quintae partis fructuum Locorum Montium, fratres Morelli Patrui heredes rati, quod pro praesenti Locorum Montium reditu onera a Testatore relicta impleri nequivissent, antequam erectionem Capellaniae facerent, solliciti fuerunt, ut supplicarent Sacrae Congregationi pro reductione onerum, cum ex viginti quatuor Locis et quinquaginta centesimis pro Capellano assignatis ex tunc percipiebantur annua scuta 29 40, quae satis non erant pro eleemosyna Missae quotidianae. Die 10 aprilis 1802 rogatus est Episcopus de sua sententia, quam transmisit die 16 iunii 1804 sequentibus verbis: - Cum onus coadiuvandi Parochum, ut supra, deleri nequeat, stante multitudine Populi, ex reditibus dictorum Locorum Montium pro Missis celebrandis assignanda non esset eleemosyna in minori summa obulorum triginta pro qualibet Missa, cum alias nemo erit, qui consequi velit Capellaniam –. Nondum informatio huiusmodi pervenerat, cum innotuit Ministris R. Fabricae S. Petri hoc Legatum inadimpletum iacere. Quare compulerunt fratres Morelli coram eiusdem R. Fabricae Tribunali, ut docerent de implemento Legati, aliter ad erectionem Capellaniae cogerentur, et fructus decursi, nec in Missarum celebratione erogati, applicarentur R. Fabricae. Sed fratres Morelli allegarunt instantiam, quae pendebat in Sacra Congregatione pro reducendis oneribus, et fructus Locorum Montium se nunquam exegisse docuerunt. Idcirco si fratres Morelli supplicarunt Sacrae Congregationi pro reductione, non propterea impedimentum pararunt, quominus Capellania erigeretur, nec per eos stetit, si haec instantia resoluta nondum fuerat. Quo casu erant a R. Fabrica interpellandi, ut hoc obstaculum removeretur, qua interpellatione omissa, dubitari poterat, an locum haberet privilegium R. Fabricae, ut notat Vespignanus de privilegiis R. Fabricae pag. 36 §. 7. Hos tamen fructus tamquam non erogatos in celebratione Missarum sibi applicandos contendit R. Fabrica, quae hoc habet privilegium quoad fructus in Opus pium non erogatos, teste eodem Vespignano de privilegiis R. Fabricae pag. 42.

9. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An fructus inexacti usque ad diem erectionis Capellaniae sint applicandi R. Fa-

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Canonicatus*, §. III, n. 51 ad 57, Tom. IV.

bricae S. Petri, seu potius an et quomodo sint erogandi in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam resolverit, locum esse reductioni onerum iuxta votum Emi Episcopi, donec augerentur reditus, responsum dedit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam in tot Missas ad manualem ad formam fundationis – *in Spoletana Reductionis onerum et applicationis fructuum die 15 Septembris 1804.*

10. Nec locus esse potest applicationi Reverendae Fabricae S. Petri fructuum censuum, quibus ad nominationem Communitatis substentari debebat Alumnus in Seminario, sed quum nonnullis eorum, ob deficientiam ac superventam Debitorum decoctionem peremptis, nullus extiterit Alumnus, qui vellet de proprio summam deficientem supplere, per plures annos Deputati Seminarii superstites censuum fructus exegerunt, quin dictum Alumnum in eo retinuissent, unde cum dicta Communitate concordias inierunt, ut cum reliquis censibus eorumque fructibus tempore vacationis exactis reinvestiendis Alumnus in Seminario retineretur *in Spoletana die 28 Septembris 1737.*

11. Enimvero in pastorali visitatione anno 1615 Episcopus Spoletanus, ut numerus Alumnorum ea meliori, qua fieri posset, ratione in Seminario pridem iuxta Cathedralem Ecclesiam erecto augeretur, nonnullos ei addixit census sortem scutorum 350, annuum vero reditum in scutis 28 constituentes; et quoniam iidem census ad Hospitale Castri Arronis pertinebant, Rectori ceterisque Seminarii Administris iniunxit onus ibidem alendi educandique unum Alumnum a Communitate eiusdem Castri nominandum, qui tamen ultra annuum fructum scutorum 28 ex dictis censibus retrahendum, pro complemento summae scutorum 40 ad sustentationem cuiusque Alumni praescriptae, alia annua scuta duodecim Seminario persolvere teneretur. Decreto huic in dicta pastorali visitatione edito obsequens praefatus Rector una cum aliis Seminarii Deputatis Alumnum a dicta Communitate Castri Arronis nominatum spatio triginta sex annorum ab anno scilicet 1615 ad 1661 retinuit: sed cum subinde deprehenderit, ex memoratis censibus in Seminarium translatis, ob omnimodam aliquorum ex illis deficientiam, nonnisi annuum redituum scutorum 24 fuisse perceptum, proindeque Seminarium spatio triginta sex annorum, quibus dictum Alumnum retinuit aluitque, notabile damnum in scutis 144 passum fuisse, monuit Praesides Communitatis praefatae, ut alium traderent fundum, ex quo scuta 4 ad aequandam summam scutorum 28 percipi possent, vel saltem Alumnum ad ea, praeter alia 12, persolvenda compellerent. At negligentibus dictae Communitatis Praefectis petitum fundum assignare, et Alumnum, qui asserta scuta quatuor de proprio supplere posset, eligere, nullus deinde ex memorato Castro Arronis ad annum 1671 in dicto Seminario retentus fuit Alumnus, tametsi ab eodem Seminario fructus dictorum censuum quotannis percipierentur. Ubi autem Card. Facchinettus, cui interea temporis Ecclesiae Spoletanae regimen concreditum fuerit, id resciverit, sub annum 1670 curavit, inter Rectorem Seminarii et Praefectos antedictae Communitatis solemnem iniri concordiam, in qua iidem Communitatis Praesides a pristina dictorum censuum concessione haud recedentes iterum assignaverunt et concesserunt Seminario praedictos census ad summam scutorum 350 adscendentes capitalis et annuorum fructuum scutorum 28, seu stabiles loco eorumdem censuum subrogatos, eorumdemque fructus, una simul cum stabilium fructibus, qui a die acquisitionis ipsorum obvenerunt, ita tamen, ut fructus censuum seu stabilium, qui a tempore, quo nullus extitit Alumnus in Seminario, in Seminarii Ministrorum manibus usque in praesens inveniebantur, in tot census seu stabiles cum Deputatorum Communitatis reinvestiri deberent.

12. Transactio sub hisce conditionibus exarata religiose usque ad annum 1695 observata fuit: sed quatuor ex dictis censibus, ob superventam Debitorum decoctionem, postea peremptis, nulloque reperto Alumno, qui vellet de proprio summam deficientem supplere, iterum a nominatione et respective retentione saepedicti Alumni usque ad annum 1724 cessatum est, donec postulante Communitate, ut Vicarius Generalis Rectorem aliosque Ministros Seminarii compelleret ad reddendam rationem de fructibus interea perceptis, al-

tera denuo sub eumdem annum 1724 stipulata fuit concordia, in qua nomine Communitatis fuerunt eidem Seminario nedum rursus assignata omnia censuum et bonorum capitalia antea tradita, verum etiam cessi fructus tam exacti et non investiti, quam alii eo tempore maturati et adhuc exigendi. At quia novissime contra Seminarium insurrexit Franciscus Placidi, qui ex reportata cessione iurium R. Fabricae S. Petri contendit, fructus omnes ab eodem Seminario perceptos tempore, quo saepedictus Alumnus in eo non est commoratus, nimirum ab anno 1651 ad 1670 et ab anno 1695 ad 1724 decursos, ipsi Reverendae Fabricae, haud obstantibus enunciatis transactionibus, applicari debere, iuxta eius novissima privilegia et recentiora exempla, quae tamquam in similibus casibus enarrata referebat in suo Summario n. 4, Rector ceterique Deputati Seminarii impetrarunt ab Emo Pro-Auditore Sanctissimi Causae huius cognitionem, praevia ipsius avocatione a Tribunali R. Fabricae, ad Sacram Congregationem remitti. Propitiam itaque Seminario decisionem eius Deputati sperarunt; tum quia res erat de concordiis provide ad consulendum utrique parti favore piae Causae transigenti sub reservatione Apostolici Beneplaciti peractis; tum quia in eiusmodi circumstantiis locum sibi non vindicabant allata R. Fabricae privilegia; tum demum quia Seminarium, quod in praesens molestabatur, nil commodi aut lucri ex controversis fructibus perceperat, uti praesertim exhibito calculo eorumdem fructuum pecuniaeque pro substentando Alumno Castri Arronis impensae demonstrare nitebatur Episcopus in accurata sua relatione, quae cum iuribus utrinque deductis circumferebatur.

13. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An transactiones 18 augusti 1670 et 9 februarii 1724 sint exequendae? *Et quatenus negative.* II. An sit locus applicationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative; et amplius – *in Spoletana die 28 Septembris 1737.*

14. Quum itaque ortae fuerint nonnullae quaestiones super fructibus neglecti multiplici praescripti a Ioanne Luca Fabiani Presbitero Oratorii S. Philippi, Sacra Congregatio declaravit, non esse transferendam sortem in creditum Legatorum piorum, sed fructus investiendos esse ad formam testamenti, reservato R. Fabricae iure agendi contra Executores testamentarios aut Heredes, quatenus de iure et prout de iure *in Ianuen. Erectionis Collegiatae die 18 Decembris 1734* (1).

15. Idcirco multo minus est locus applicationi annuorum decursorum fructuum Legati favore Reverendae Fabricae S. Petri, quum huiusmodi Legatum legitime ac iustis de causis fuerit extinctum *in Romana Applicationis die 17 Ianuarii 1756.*

16. Siquidem testamento, quod condidit Felix Amadorius anno 1639, legavit a Francisco fratre et herede scripto scuta 700 Ecclesiae et Sodalitio S. Ioannis Nationis Florentinae, dato onere unius Sacri quotidiani. Auxit eam summam Franciscus in aliis scutis 300, quod oneri dato impar esset, omnemque illam summam erogavit in censum annui reditus scutorum 45, qui ab eadem Ecclesia et Sodalitio contractus fuit, impositusque domui in via *de' Cimatori,* censumque ipsum cessit Ecclesiae et Sodalibus in causam Legati cum onere Sacrorum. Sortem huius census seu scuta 1000 convertit Ecclesia et Sodalitium in extinctionem partis gravioris census scutorum 10000, quem anno 1611 vendiderant Genti Salviatae, cuiusque sortem erogaverant in opus novae Ecclesiae immani sumptu extructae, et in publicis huius extinctionis tabulis cessa fuerunt a Gente Salviata, et in Franciscum translata iura omnia, cum eius pecunia pars illa census redimeretur. Cum vero Sodalitium gravi aere alieno ex causa novi operis Ecclesiae contracta premeretur, et plurima distraxissent bona legata cum onere Sacrorum, ita ut, diminutis reditibus, ne ordinariis quidem sumptibus ferendis potis esset, anno 1694 preces obtulit s. m. Innocentio XII, quibus postulavit tam reductionem et deletionem Legatorum et eorum praesertim, quorum fundi distracti fuerant, quam remissionem et indulgentiam pro iis oneribus, quae impleta non fuerant. Re

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Ecclesia Collegiata,* §. II, n 89 et 90, Tom. VIII.

ad Sacram Congregationem delata, Cardinalis Petruccius eiusdem Ecclesiae visitator Apostolicus retulit: – Deputatos occasione magnificae structurae novae Ecclesiae plura debita contraxisse capitaliaque Legatorum (inter quae numeravit etiam Legatum hoc Amadorium, de quo agebatur) aliasque pecunias cum onere Missarum a Fidelibus receptas, vel in fabricam consumpsisse, vel in extinctionem debitorum contractorum erogasse, unde Missarum Legata et obligationes, quibus Ecclesia praedicta gravata reperitur usque ad numerum 4615 sine ulla prorsus dote remanserunt etc., ita ut Ecclesia et Societas ex hodiernis reditibus nec alienationes praedictas reintegrare, immo nec propriis necessariis et invariabilibus expensis Ministrorum et sacrarum supellectilium aliisque fixis oneribus satisfacere possint –. Sententiam inde animi sui aperuit pro gratia. Sacra igitur Congregatio die 19 iunii 1694 Cardinali Visitatori – benigne commisit, ut, veris existentibus narratis, et iniuncto Ecclesiae onere quotannis celebrari faciendi duodecim Anniversaria, unum nempe quolibet mense pro animabus Benefactorum, quorum capitalia non existunt, Confratribus vero nunc et pro tempore existentibus applicandi quascumque preces generaliter in eadem Ecclesia recitandas in suffragium eorumdem, Oratores et Ecclesiam super omissione in praeteritum pro suo arbitrio et prudentia absolvat, et onera praedicta, quorum capitalia non existunt, omnino deleat: cetera vero, quorum reditus insufficientes existunt etc., pro suo arbitrio et prudentia moderetur atque reducat –.

17. Decretum hoc Sacrae Congregationis approbatum confirmatumque fuit a Summo Pontifice; et Cardinalis Visitator Legata, quorum fundi distracti consumptique fuerant, et inter quae Legatum etiam Amadorium recensuit, omnino delevit. Inde autem Reverenda Fabrica S. Petri coram suo Iudice egit contra Ecclesiam et Sodales pro applicatione annuorum decursorum fructuum Legati Amadorii, quia hoc Legatum habuerit semper et in praesens haberet suum fundum, censum nempe scutorum 1000 in domo posita in via *de' Cimatori,* ideoque inter Legata pia a Cardinali Petruccio visitatore deleta comprehendi non potuerit, cum ipse ex Decreto Sacrae Congregationis ea dumtaxat delere posset, quae fundis et capitalibus carebant. Disputarunt itaque Ecclesia et Sodales, pluribus collectis rationibus, potuisse Cardinalem Petruccium visitatorem hoc quoque Legatum Amadorium delere, quia census impositus fuerit in domo ipsius Ecclesiae, nullosque novos fructus perceperit.

18. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus applicationi bonorum, de quibus agitur, favore Reverendae Fabricae S. Petri pro asserto inadimplemento Legati pii de Amadoris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Romana Applicationis die 17 Ianuarii 1756.*

19. Quum vero Sacerdos Iacobus Nance anno 1613 pro dote Capellaniae, quam fundavit ad Altare S. Annae in parochiali et Collegiata Ecclesia S. Petri Avenionensis, constituerit pensionem annuam scutorum novem, sed primus Capellanus Melva anno 1637 et secundus Capellanus de Robert anno 1687 ad minorem reduxerint summam absque Beneplacito Apostolico, et ab anno 1697 usque ad annum 1778 Capellania praedicta vacaverit, praedicto vero anno 1778 ad eam novus Rector Alexius Arnavon nominatus ac institutus contra Spiritum Martinum Moine coram Auditore Generali Legationis Avenionensis institerit tamquam heredem et successorem debitorum praedictae pensionis, qui tamen, dum acta in Curia Legationis agebantur, anno 1779 postulavit compositionem et obtinuit a R. Fabrica S. Petri cum absolutione eius debiti tam decursi, quam decurrendi, eo sub titulo praesumptae illius extinctionis, ob non solutam nec requisitam pensionem per tanti temporis lapsum, et compos factus fuit quoad praeteritum tantum, delegata quoad futurum illius petitione ad Sacram Congregationem, proposito dubio: – An et a quo tempore et in qua summa debeantur annuae pensiones seu fructus census in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in annuis scutis novem tantum monetae Gallicae ab anno 1697 imposterum; et, quoad annualitates praecedentes deducat iura sua, et iterum omnino audiatur a S. Congregatione Fabricae S. Petri – *in Avenionen. Capellaniae die 16 Septembris 1780.*

20. Nam Reverenda Fabrica S. Petri ex privilegiis eidem concessis a Iulio II Leone X Clemente VII Paulo III Alexandro VII (1) vindicare sibi potest omnes etiam hereditates et Legata incerta, sive in institutione Personarum, sive in designatione Operum, sive in Exequutorum arbitrium collata fuerint *in Pisauren. Applicationis hereditatis die 23 Iulii 1803* §. *Nunc.*

21. Incerta autem est hereditas, quum Testator heredem instituerit animam suam, nullo praecipuo iniuncto opere, quod arbitrio Exequutorum permisit *in Pisauren. Applicationis hereditatis die 23 Iulii 1803* §. *Nunc.*

(1) Siquidem iam usque ab anno 1370 Pontifices concesserunt Episcopo Portuensi oblationes factas die Palmarum feria quinta et sexta ac sabbato maioris hebdomadae et Dominica Resurrectionis; nec non die 10 iulii eiusdem anni in Constitutione, cuius initium: *In charitatis* Bullar. Roman. tom. 3 part. 2 pag. 330, Urbanus V mandaverat Altarario Basilicae S. Petri, ut ipse eas colligeret, et detractis expensis insumerentur illae in fabricam dictae Basilicae. Prae ceteris vero Iulius II Constitutione *Liquet omnibus* 11 ianuarii 1510 Bullar. Roman. tom. 3 pag. 313 praedictam Basilicam magnificentius restaure exoptans, proposuit indulgentiam iis, qui vel per se, vel per alium intra annum deponerent eleemosynas in capsa posita in praefata Basilica; ac in regionibus ultramontanis Commissarium elegit, qui nomine Pontificis eas elargientibus indulgentias distribuerent. Idque mox statuit etiam Leo X in Constitutione *Postquam ad Apostolicas* 18 Kal. octobris 1517, Guerra Epit. Constit. tom. 3 pag. 91. Unde Martinus Lutherus occasionem barbare quaeritavit evomendi impietatem, quam in corde foedissimo hypocrite abscondebat. Bellum adeo foedum nullatenus impedire tamen valuit, quominus Successores Pontifices inceptus opus absolverent. Nam die 12 decembris 1523 Clemens VII Constitutione *Admonet nos,* Bullar. Rom. tom. 4 part. 1 pag. 31, instituit Collegium sexaginta Virorum ab iurisdictione cuiuslibet exemptum ad curandam Fabricae Basilicae S. Petri perfectionem, cum facultate deputandi Iudicem ad cognitionem Causarum interesse dictae Fabricae respicientium. Quin imo laudatus Pontifex alia Constitutione *Dudum admonentes* 1 iunii 1525, Bullar. ibid. pag. 49, dictas facultates ampliavit; scilicet mandavit, ut dictum Collegium posset componere pro subventione dictae Fabricae lites super Legatis Loco pio vel Personae incertae aut ignotae pro malis ablatis maleve ablatorum restitutione relictis, ac bonis Ecclesiarum et Beneficiorum occupatis, nec non posset dare Confessores iis, qui eleemosynas fabricae darent cum facultate Confessariis absolvendi vota dispensandi et alia huiusmodi. Exinde Paulus III Constitutione *Nuper* postquam 25 ianuarii 1540, Bullar. tom. 4 part. 1 pag. 170, praecepit, ut collectas a Quaestoribus Locorum piorum pecunias, si nondum in eorumdem usum insumptae fuerint, Deputati Fabricae dictae Basilicae caperent et in eam adhiberent. Idem Pontifex Constitutione *Dum ad universas* 5 februarii 1542, Bullar. ibid. pag. 195, comprobavit gratias iurisdictiones ac indulta praefati Collegii S. Petri. Iulius III quum audisset, multas donationes inter vivos factas Fabricae S. Petri, multa Legata relicta, et nihilominus heredes et Commissarios nolle Legata et donationes solvere, Constitutione *Accepimus vos* 31 iulii 1551, Bullar. ibid. pag 286, tribuit Oeconomo et Praefecto Fabricae facultatem consequendi Legata et donationes remediis per Pontifices concessis. Qua de re Pius IV dein motu proprio, cuius initium: *Et si per diversas* 18 decembris 1562, Bullar. tom. 4 part. 2 pag. 151, mandavit Fabricae Deputatis, ut cogerent Notarios, soluta tamen iis debita mercede, ad aperiendas piorum Testatorum voluntates, si ad declinandam piarum voluntatum executionem testamenta non aperirent. Hinc et S. Pius V Constitutione *Ad Romani* 10 martii 1568, Bullar. tom. 4 part. 3 pag. 8, statuit, applicandam esse quintam partem Legatorum Domui Lauretanae relictorum, quorum executio negligeretur, quod extendit Constitutione *Decet nos* 22 decembris 1569, Bullar. ibid. pag. 89, ad cetera Legata pia, atque Constitutione *Exigit incumbentis* eodem anno et die pag. 91 adiudicavit medietatem Legatorum, si intra triennium non impleta remanerent. Insuper idem Pontifex praedictae Fabricae facultatem concessit rescindendi contractus super Ecclesiarum bonis, et de his tertiam partem Fabricae applicare vigore Constitutionis *Etsi de singulis* 1 ianuarii 1569, Bullar. ibid. pag. 55, nec non cognoscendi Causas de his contractibus pendentibus Constitutione *Exigit incumbentis* 11 septembris 1570, Bullar. ibid. pag. 124, fructusque applicandi Constitutione *Ex debito* 1 februarii 1570, Bullar. ibid. pag. 127, ac demum super his post duas sententias uniformes Deputatorum nullam dari appellationem sancivit Constitutione *Etsi omnium* 22 decembris 1569, Bullar. ibid. pag. 88. Postea Alexander VII Constitutione *Superni dispositione* 30 augusti 1655, Bullar. tom. 6 part. 4 pag. 39, et Constitutione *Decet Romanum* 16 novembris 1660 moderavit facultates Fabricae circa Legata Pauperibus in genere facta, ne scilicet cederent in Fabricae utilitatem, si negligentia foret in executione, sed in eorumdem Pauperum favorem. Denique Benedictus XIV Constitutione *Quanta curarum* 15 novembris 1751 Bullar. eiusdem tom. 3 pag. 185 instituit Congregationem particularem super rebus oeconomicis praedictae Fabricae S. Petri.

Dominicus Ursaya compendium exaravit privilegiorum R. Fabricae S. Petri in fine tom. 1 part. 2 operum; et Hieronymus Baldassini compendium privilegiorum dictae Fabricae a Ioanne Carolo Vespignano Iudice ordinario confecto Romae anno 1762 publicavit.

22. Quapropter quum Testator heredem instituisset animam suam, quin exprimeret Opus pium, in quod eroganda essent bona hereditaria, Sacra Congregatio declaravit, competere applicationem hereditatis Reverendae Fabricae S. Petri, bona vero, quae dictus Testator designavit pro celebratione Missarum, applicanda esse censuit favore Paraeciae, ubi eadem sita erant, ad effectum retinendi Capellanum, qui celebraret pro anima praedicti Testatoris tot Sacra, quot reditus, iniuncta celebratione praesertim in diebus festis *in Pisauren. Applicationis hereditatis die 30 Aprilis die 23 Iulii 1803 et die 18 Augusti 1804.*

23. Iamvero Nicolaus Celi in postremo, quo decessit, elogio legavit annosae famulae Magdalenae Giannotti scuta viginti quatuor, quotannis rependenda a Iosepho Celi fratre suo, quem heredem usufructuarium instituit. Voluit, ut ex bonis in districtu Frontonis cum Fratre indiviso possessis - con la proprietà si facciano celebrare tante Messe –. In reliquo vero asse – erede universale e proprietaria dopo la morte di detto Signor Giuseppe Celi instituisce la di lui anima con piena ragione –. Exequutores testamentarios designavit in bonis Pisauri existentibus Presbiterum Marzi, in bonis vero sitis in Paraecia rurali Montis S. Mariae eius Rectorem pro tempore, qui in praesens erat Sacerdos Dominicus Paolucci. Census hereditarius constabat ex bonis in territorio Frontonis valoris scutorum 529, ex praedio posito in Paraecia S. Mariae, quod scuta 700 extimabatur, et tandem ex domo posita in Civitate Pisauri scutorum 650. Assem huiusmodi ereditarium in scutis 1875 gravabant gemini census, alter scutorum 200, qui ad Societatem Sanctissimi Nominis Dei pertinebant, alter in scutis 133 33 1/2, qui ad phisicum Raffaelli spectabat. Praeterea ab eodem asse praestandum erat vitalitium Famulae. Huius hereditatis applicationem postularunt Magistrae piae, quae in Civitate Pisauri maxima cum utilitate operam navabant instituendis Puellis. Tres istae erant cum Famula, nec aliud habebant, quam scuta annua 130, quae partim ex fructibus census, partim ex reditibus praedioli percipiebant. Applicationi consentiebant unus ex testamentariis Exequutoribus Presbiter Marzi: alter, nimirum Parochus Montis S. Mariae, repugnabat; immo postulavit applicationem praedii existentis in sua Paraecia, ut suae inopiae consuleretur. Rem componendam esse censuit Episcopus hoc modo: – Bona stabilia, quae sunt in Paraecia S. Mariae subrogarem bonis existentibus in loco *Frontone,* et onus celebrationis Missarum a Testatore iniunctum in praedium illum transferrem. Haec subrogata bona concederem Paraeciae S. Mariae, onere iniuncto celebrandi tot Missas, quot fructus suppetunt, et signanter in omnibus anni festis diebus. Sic satisfacta esset voluntas Testatoris Celi, et provideretur necessitati illius Paraeciae. Locus enim asper est, in hyeme difficilis accessus, una tantum nunc celebratur Missa parochialis, neque omnibus datum est eadem hora ad audiendum Sacrum accedere. Hac mediante secunda Missa omnes possent praecepto satisfacere. Reliqua hereditatis bona supplicantibus Feminis attribuerem, hac tamen lege, ut mense quolibet unam applicare faciant Missam, nec non aliam in die anniversaria obitus Testatoris, in qua fiat communio generalis, et qualibet hebdomada tertiam partem Rosarii recitent in communi. Onera hereditatis, nempe stipendium vitalitium annuorum scutorum 24 a Nicolao relictum Famulae, nec non census Raffaeli, et aliud quodcumque debitum Feminis applicarem, excepto alio censu scutorum 133 33 favore Sodalitii Sanctissimi Nominis Dei, de quo oneratum vellem fundum assignatum parochiali Ecclesiae S. Mariae, quia huius valor superat valorem bonorum in feudo *Frontone,* et ipsemet Parochus suum liberum assensum praebuit –. His interim perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro applicatione hereditatis Iosephi Celi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 aprilis 1803 responsum dedit: – Dilata, et proponatur Causa, citatis omnibus interesse habentibus –.

24. In Congregatione enim diei 30 aprilis 1803 adfuit Reverenda Fabrica S. Petri, cuius iura pro vindicanda ex suis privilegiis eadem hereditate Celi remissa fuerunt ad S. Congregationem Concilii ex Decreto Auditoris Sanctissimi. Simul preces exhibueruntP riores Oppidi Frontoni, ut bona rustica

et urbana, quae ibi possidebat Nicolaus Celi, aestimata ad scuta sex centum, quaeque ex voluntate Defuncti eroganda erant in celebratione Missarum, applicarentur tum in fabricam Ecclesiae parochialis, tum in stipendium Capellani Curati, cuius opera necessaria erat in Paraecia, quae per agrum praeruptosque montes late patebat. Vicarius Apostolicus Calliensis precibus Frontoniensium favit, licet Exequutores testamentarii repugnarent. Nam angustam esse affirmavit parochialem Ecclesiam, ut Populus interveniens sacris functionibus sub diu manere cogeretur. Necessariam quoque esse dixit operam Capellani Curati in Paraecia frequenti ad capita septingentum per agros dispersa. At Reverenda Fabrica contendit, sibi deberi applicationem hereditatis, quum, ex eo quod Nicolaus Celi heredem instituerat animam suam, incerta esset ipsius hereditas. Immo in testamento expresse caverat – a Luoghi pii di questa Città disse non lasciare cosa alcuna –, quibus in terminis locum sibi vindicare privilegia Reverendae Fabricae definivit Rota in Romana seu Montis Falisci Applicationis 29 ianuarii 1796 per totum coram Stransoldo. Propositis itaque dubiis: – I. An Reverendae Fabricae S. Petri competat applicatio hereditatis quondam Nicolai Celi in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro applicatione eiusdem hereditatis Celi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 23 iulii 1803 respondit: – Ad primum, Affirmative, exceptis bonis in territorio Frontonis sitis. Ad secundum, quoad hereditatem provisum in primo, et quoad bona Frontonis ad Secretarium cum Sanctissimo pro illorum applicatione favore Paraeciae eiusdem Oppidi, ad effectum retinendi Capellanum Curatum, qui celebret pro anima Nicolai Celi tot Sacra, quot reditus ad taxam perpetuae –. Quam resolutionem Sanctissimus approbavit et confirmavit ex Rescripto diei 27 iulii 1803. Reclamarunt Frontonenses iterum ad Sanctissimum Principem. Nam ex modo adiecto in resolutione Sacrae Congregationis facile inveniri nequibat Capellanus, qui pro eleemosyna Missarum Parochum coadiuvare vellet. Vicarius Apostolicus Calliensis, in qua Diaecesi Castrum Frontonis manebat, retulit, quod bona huiusmodi, quae pertinebant ad hereditatem Celi in territorio sita, sive rustica, sive urbana, sive semoventia, aestimabantur ad scuta sex centum quinquaginta. Bona huiusmodi in praesens sub Administratore manebant, quia vacante iam Paraecia Rescriptum Sacrae Congregationis exequutioni committi non potuit. Addidit, – quod Parochus in administratione Paraeciae frequentis ad capita septingenta per agros montesque dispersa alicuius Sacerdotis adscititii opera indiget. Vix tamen, ac ne vix quidem ullum reperiet, quem alliciat solus reditus patrimonii huiusce, idest solus annuus census scutorum ad summum viginti quatuor, onere tamen adiecto tot Missarum, quot hic census sufferet, taxata eleemosyna ad obulos sexdecim cum dimidio. In Paraeciis campestribus apud nos iam frequens est eleemosyna solito lautior. Igitur si Parochus Capellanum coadiutorem adsumat, necesse est, ut salarium de proprio solvat. Nec tamen facile poterit. Census namque Ecclesiae vix conficit annuam summam scutorum centum quinquaginta, ex quibus detrahenda est pensio scutorum viginti pro Parocho, qui Paraeciam resignavit. Mea quidem sententia expedit, ut patrimonium, de quo res est, Ecclesiae et Parocho addicatur ea lege, ut Capellanum retineat, constituta annua mercede scutorum quadraginta, Missasque fortasse duodecim quotannis celebret pro suffragio animae Nicolai Celi –.

25. His autem perpensis, reproposito dubio sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, aucta eleemosyna ad obulos viginti, et iniuncta celebratione praesertim in diebus festis – *in Pisauren. Applicationis hereditatis die 18 Augusti 1804.*

26. Hinc etiam quoad dispositiones factas favore Fratrum Capuccinorum et Minorum strictioris observantiae et aliorum Regularium, qui bona in communi possidere non possunt, privilegia Reverendae Fabricae sibi vindicant locum, et in eorum sequelam bona, dicto modo relicta, eidem Fabricae applicantur, iuxta relata in compendio privilegiorum Vespiniani pag. 25 *in Brundusina Adimplementi die 5 Augusti 1719* §. *Quoad.*

27. Verum privilegia Reverendae Fabricae

S. Petri habent quidem locum quoad Legata incapacibus absolute relicta, non vero quando incapacibus datus est a Testatore substitutus Legati capax *in Caputaquen. Legatorum die 28 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

28. Siquidem – super infrascriptorum Legatorum subsistentia, quae iamdiu detinentur a Patribus Minoribus observantibus S. Francisci Terrae Padulae, quaestio nuper emersit inter eosdem Patres et Ministros Tribunalis Reverendae Fabricae S. Petri Regni Neapolitani. Primum quidem est relictum a Beatrice de Cardona de anno 1582 cum his verbis: « Item lascia al Monastero di S. Francesco dell'Osservanza della Padula ducati 300, quali vuole se gli debbano pagare fra anni tre numerandi dal dì della morte di essa Testatrice, e frattanto pagabili annui ducati 20, quali ducati 300 a tempo del lor pagamento per li RR. PP. di detto Monastero si debbano implicare e convertire in reparazione della Chiesa di detto Monistero, se ne averà bisogno, e non avendo detta Chiesa bisogno di reparazione, si debbano per essi implicare in quello sarà più espediente ed utile a detto Monastero, con peso però, che detti RR. PP. siano tenuti in perpetuum et incessanter celebrare in detta Chiesa due Messe il dì, cioè l'una per l'anima etc. ». Ex quibus ducatis 300 investitis super arrendamentis Regiae Doganae Apuliae percipiuntur a Patribus annui ducati 21. Alterum extitit relictum a Lucretia de Tufo anno 1588, quae in eius testamento, postquam legavit ducatos 200 convertendos in constructionem suae propriae Capellae sub invocatione S. Mariae de Misericordia sistentis in Ecclesia eorumdem Patrum, ita disposuit: « Item lascio per dote della detta Cappella ducati venti annui in perpetuum con peso, che li Monaci Sacerdoti di detto Monastero siano tenuti ed obbligati celebrare in detta Cappella qualsivoglia mattina all'alba in perpetuum una Messa all'anima di me Testatrice, con obbligo e peso ancora, che nel fine di detta Messa, quel Sacerdote, che avrà celebrato, sia obbligato di dire una *Salve Regina* con una *Ave Maria* per l'anima etc., declarando, che detti annui ducati 20 con detto peso in perpetuum li lascio alla detta Cappella e a detta Chiesa di S. Francesco, acciò si spendano nelle cose necessarie all'amministrazione del culto divino, e in caso, che detta Cappella o detta Chiesa non fosse capace del detto annuo legato, o che li detti Frati mancassero di dire detta Messa etc., allora voglio, che in ciascuno delli casi sopradetti detto legato delli detti annui ducati 20 ceda e vada in beneficio del Clero dell'Ecclesia di S. Angelo della Padula, con peso ed obbligo di far dire detta Messa etc. in detta mia Cappella etc. ». Deinde in eodem testamento eadem Testatrix legavit annuos ducatos decem praefatae Capellae, erogandos in eiusdem ornamentis et paramentis, in quibus essent apponenda sua stemmata, gravans in hoc conscientiam Executorum. Quae quidem annualitates ducatorum 20 quotannis exiguntur a Patribus ex capitali ducatorum 400 assignato ab heredibus Lucretiae, et investito usque de anno 1606 in Regiis censualibus, ut latius patet ex documentis in Summario exhibendis. Aliud denique legatum retinent supradicti Patres annui ducati unius pro capitali ducatorum 17 investiti super arrendamento salis Calabriae, et quaesito de anno 1636, cuius tamen origo ignoratur.

29. Cum autem Oeconomus R. Fabricae in Regno Neapolitano institerit in eo tribunali pro applicatione supradictorum capitalium cum suis reditibus eidem R. Fabricae vigore suorum privilegiorum, attenta incapacitate praefatorum Patrum de Observantia, ac replicantibus Patribus, licere sibi eorumdem retinere usum, utpote relictorum pro ornamentis Ecclesiae, ac etiam quia expenduntur in adiutorium eorum inopis Valetudinarii, hinc Nuncius Apostolicus Commissarius Generalis eiusdem Tribunalis praefixit terminum Fatribus ad petendam desuper declarationem huius Sacrae Congregationis, quemadmodum post eorum recursum exquisita fuit informatio Episcopi Caputaquensis, qui approbando supradicta documenta exhibita in hac Sacra Congregatione retulit, in eo Conventu retineri Valetudinarium, sufficientibus carens eleemosynis, in eoque recipi Religiosos quatuor eiusdem Ordinis Conventuum circumadiacentium, nec non praefatos reditus administrari a Syndico seculari et erogari iuxta necessitates Ecclesiae et Sacristiae, ipsamque Ecclesiam ruentem indigere

reparatione in summa ducatorum 200, et in Sacristia pendentem inesse Tabellam cum descriptione dictarum Missarum a Religiosis celebrandarum. Insuper idem Nuncius Apostolicus informare requisitus transmisit folium, in quo delibantur iura R. Fabricae in Summario dandum. Qua de re concordatis infrascriptis dubiis, contingit hodie Causam proponi, ut, ex utrinque deducendis a Partibus monitis, EE. VV. pro earum prudentia decernant: – I. An Legata, de quibus agitur, sustineantur quoad Patres Observantes praedictos in casu etc. II. An sit locus applicationi favore R. Fabricae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, quoad primum et tertium Legatum esse locum applicationi R. Fabricae, et Secretarius cum Sanctissimo pro aliquali eleemosyna favore Patrum pro una vice tantum; et quoad secundum Legatum, spectare ad Clerum substitutum – *in Caputaquen. Legatorum die 28 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

30. Unde Legatum librarum centum olei et viginti quinque cerae albae pro usu Ecclesiae Fratrum Capuccinorum singulis annis praestari quidem debet, sed quoad ferculum bononenorum viginti pro ipsis Capuccinis singulis hebdomadis praestandum, Sacra Congregatio mandavit, ut servarentur Decreta S. Congregationis Fabricae S. Petri edita die 14 februarii 1633 *in Faventina Legatorum die 2 Martii 1697 lib. 47 Decretorum.*

31. Enimvero – in assignatione bonorum facta per Constantiam Severolam anno 1657, ad effectum fundandi in Terra Mutilianae vel Beneficium ecclesiasticum vel Monasterium Monialium, tria onera Fundatrix imposuit; primum annuae praestationis librarum centum olei pro manutentione lampadis ante sacras Reliquias in Ecclesia Patrum Capuccinorum dictae Terrae; secundum librarum viginti quinque cerae albae pro usu eiusdem Ecclesiae; et tertium denique unius ferculi valoris solidorum viginti ipsis Patribus Capuccinis per singulas hebdomadas subministrandi. Sequuta de anno 1686 Monasterii fundatione, recusarunt Moniales subministrare dictas praestationes sub praetextu omnimodae incapacitatis Fratrum Capuccinorum. Quare ad instantiam Alexandri Ronconi, tamquam unius de Populo, citatis et informantibus quoque Monialibus, declarari humiliter supplicatur: – I. An Monasterium Monialium teneatur subministrare singulis annis dictas libras centum olei et viginti quinque cerae albae pro usu Ecclesiae Fratrum Capuccinorum? II. An similiter teneantur praestare singulis hebdomadis supradictum ferculum bononenorum viginti pro ipsis Capuccinis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, serventur Decreta Congregationis Fabricae die 14 februarii 1633 (1) – *in Faventina Legatorum die 2 Martii 1697 lib. 47 Decretorum.*

(1) Haec sane statuit die 14 februarii 1633 praefata Congregatio Fabricae S. Petris, quoad Legata relicta Patribus de Observantia de Urbe, *ceu videre est in Tom. ab anno 1629 ad annum 1656 a pag. 18*: – Cum saepius fuerit habitus recursus ad Sacram Congregationem venerabilis Fabricae S. Petri super annuis Legatis factis seu faciendis ad favorem Fratrum S. Francisci Minorum de Observantia cum onere Missarum seu Officiorum, sive gratis, sive alio modo: praetendente ven. Fabrica S. Petri ad illam spectare, propter dictorum Fratrum incapacitatem huiusmodi Legatorum, dictis autem Fratribus allegantibus, posse annua Legata huiusmodi recipere tuta conscientia, quatenus heres ex sua libera voluntate voluerit illa dare in eleemosynam et committere Fratribus dictas Missas et Officia, iuxta sententiam S. Bonaventurae et Decreta Sacrae Congregationis a Sanctissimo Domino Nostro Fratrum minorum de observantia S. Francisci Cismontanae Familiae consultationibus praepositae sub die 4 iulii 1628 publicata; eadem Sacra Congregatio pro opportuna praemissorum provisione, facta prius relatione Sanctissimo Domino Nostro Urbano Papae VIII, ac de illius expresso ordine et mandato decrevit in futurum super huiusmodo Legatis observari, ut infra. Quod huiusmodi Legata per debitores heredes non extinguantur vel reducantur per compositionem cum Ministris Fabricae faciendam, vel alio quovis modo, sed illorum capitale sive sors principalis vel proprietas absque aliqua diminutione conservetur semper et perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti benevisos possint applicari; ita tamen, ut quamdiu applicationem specialem Auctoritate Apostolica fieri non contigerit, heredes vel debitores possint libere, si velint, dictis Fratribus dare dicta annua Legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda. Et quod quaevis extinctio reductio seu diminutio capitalis seu proprietatis, aliter absque speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso nulla sit, nec debitoribus aut aliis quibuscumque suffragetur. Quodque Commissarii aliique Ministri ven. Fabricae super huiusmodi capitale seu proprietate supradicta se de cetero non intromittant,

32. Similiter quum Testator Patribus Capuccinis Reformatis S. Francisci et Fratribus Minorum Observantiae quotidianum reliquerit pulmentum, atque eiusdem heredes primum executioni huiusmodi Legata demandare vellent, sed postea renuerent, Sacra Congregatio mandavit, ut servarentur Decreta S. Congregationis Fabricae S. Petri sub die 14 februarii 1633 *in Salernitana Eleemosynarum seu Legatorum die 14 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

33. Siquidem - in eius ultimo, cum quo decessit elogio, Fabritius Pinto anno 1701 suum universalem heredem instituit Conventum seu Patres Carmelitas Discalceatos, quibus inter cetera Legata infrascriptum iniunxit onus per sequentia verba expressum: « Ma anche lascio, che paghino ogni giorno eleemosynaliter per pietanza di minestra et altro lor necessario grana cinque alli Padri Cappuccini, oltre grana cinque alli Padri di S. Lorenzo (idest Reformatis S. Francisci) et altre grana cinque alli Padri di S. Nicola (hoc est Fratribus Minorum Observantiae), mentre in tanti anni ho conosciuto quanto stentano e s'affaticano detti Padri e loro cercanti di trovar carità per detta minestra et altri loro bisogni, qual legato di pietanza può farsi ad essi, e ne sono capaci, come discorrono li Dottori morali, nè repugna alla loro regola per essere elemosine, che se li dà per vivere ogni giorno etc. », ut latius ex particula testamenti, in qua habetur, quod in casu incapacitatis dictorum Patrum Legatum sit irritum nullum et invalidum ac si factum non foret, ita ut nullum ius exinde oriri valeat favore Fabricae, sed ipsi Patres ab huiusmodi annua praestatione liberi omnino et exempti remaneant. Cum autem praefati Patres Discalceati executioni demandare voluerint Legata ab eodem Testatore relicta, preces porrexerunt huic Sacrae Congregationi pro ob-

nec dictos heredes seu debitores aliquo modo molestent, nisi ad effectum reinvestiendi in casu reinvestimenti seu providendi, ut conservetur, ut supra, aut alias in executionem applicationis Auctoritate Apostolica factae vel faciendae. Et quod nolentibus dictis heredibus vel debitoribus dare supradictis Fratribus dictas eleemosynas seu annuas praestationes, sive Legata, ut supra, solvere, vel illas seu illa non solventibus, tunc et eo casu lapsis duobus annis a die obitus Testatorum, si fuerit maturatum Legatum, vel a die maturatae illius solutionis, eadem Fabrica et illius Commissarii et Ministri id totum, quod solutum non fuerit pro praeterito, pro rata tamen, in qua fuerit, ut supra elapsum biennium vel ultra possit et valeat annuas praestationes huiusmodi exigere exigique facere ad sui beneficium, iuxta suas facultates et privilegia, salvo semper capitali seu proprietate, ut supra, ad effectum, quod heredes vel debitores (dummodo de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec praedicta Legata in alios usus eius auctoritate applicata fuerint vel applicari contigerit) possint, si velint, etiam quandocumque futuris temporibus et sic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua Legata in eleemosynam, ut supra, nec Fabrica eosdem heredes vel debitores molestare possit et valeat toties et quoties casus contigerit, nisi pro praeterito, et tunc in illis terminis tantum post quorum maturationem fuerit elapsum biennium vel ultra, ut supra; salva semper erectione Beneficiorum et applicatione Legatorum seu quorumcumque bonorum et redituum ac iurium eisdem Beneficiis seu aliis usibus piis Auctoritate Apostolica facta, vel in posterum quandocumque et quomodocumque facientia, et executione Literarum Apostolicarum desuper expeditarum seu expediendarum, ita ut praefata decreta ad illas nequaquam se extendant, sed illae semper firmae et illaesae remaneant, ac suos plenarios et integros effectus sortiri debeant, ita quod neque Fabrica, neque heredes vel debitores praefati ullo modo illas impedire retractare vel convertere valeant, et salvis semper Sedis Apostolicae auctoritate et facultatibus competentibus dictae Sacrae Congregationi ven. Fabricae.

Prohibuit tamen eadem Sacra Congregatio Fratribus supradictis sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, ne audeant seu praesumant, nec quilibet eorum audeat seu praesumat per se, nec per alios Syndicos Ministros seu Procuratores tam saeculares, quam Regulares dictas annuas praestationes seu Legata, nec iudicialiter tam coram quocumque Iudice ecclesiastico, quam seculari Ordinario vel Delegato, nec alias, nisi iuxta formam dicti Decreti Congregationis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanae Familiae a Sanctissimo Domino Nostro deputatae, ab heredibus seu quibusvis aliis eorum debitoribus petere, minusve heredibus seu debitoribus facere aliquas receptas pro dictis annuis praestationibus, nisi pro rata, et pecunia seu eleemosynis supradictis cum effectu, ac vere et realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea, quae fuerit iisdem Patribus aut aliis pro eis facta realis satisfactio, et insuper ne provisos Apostolicos pro tempore de Beneficiis, quibus Legata supradicta fuerint applicata, vel eorum Procuratores et Ministros super exactione dictorum Legatorum directe, vel indirecte impedire, vel molestare quovis quaesito colore vel praetextu audeant vel praesumant. In quorum fidem etc. -.

tinenda facultate distrahendi nonnulla argenta in hereditate reperta, eo quod fructus illius ad integram eorumdem solutionem non satis erant, et sub die 15 septembris anni praeteriti Rescriptum obtinuerunt: « Pretium argenti applicetur in solutione Legatorum manualium ».

34. Renuentes expostea praefati Patres Carmelitae Discalceati demandatas eleemosynas dictis Patribus legatariis elargiri, tamquam incapacibus, freti Constitutionibus Apostolicis s. m. Nicolai III et Clementis V in Cap. *Exiit* et Cap. *Exivi* de verborum significationibus, nec non Decreto s. m. Urbani VIII relato per Fagnanum in Cap. *Nimis in parva* de excessibus Praelatorum a n. 54, supplicem libellum dederunt Sanctissimo, ut declarare dignaretur, an praedicta annua Legata satisfacere tenerentur, quo ad hanc Sacram Congregationem de more remisso, et successive pro informatione ad Archiepiscopum, iste in suis relationibus sub diebus 7 septembris 1703 et 8 februarii 1704 facti seriem supra enarratam comprobans, ait, in illius Curia productas fuisse iustificationes ad effectum probandi deficientiam fructuum requisitorum pro exolvendis Legatis a dicto Testatore relictis, seque de cetero submittit iudicio EE. VV., quae modo respondere non gravabuntur: – An Legata dictis Patribus relicta sint praestanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Observentur Decreta Congregationis Fabricae sub die 14 februarii 1633 - *in Salernitana Eleemosynarum seu Legatorum die 14 Iunii 1704 lib. 54 Decretorum.*

35. Quum autem plura Monasteria Ordinis S. Dominici inter belli incommoda et pericula quam maxima fuerint passa damna, ob idque omiserint celebrare antiqua onera Missarum et Anniversariorum,ut necessarium sibi pararent victum, Sacra Congregatio quoad condonationem in praeteritum rem ad R. Fabricam remisit, et quoad reductionem in futurum mandavit, ut audirentur Episcopi *in Ordinis S. Dominici die 27 Novembris 1717 lib. 67 Decretorum.*

36. Iamvero - Provincia monastica Aragoniae Ordinis Praedicatorum in Regnis Aragoniae Valentiae Principatu Cathalauniae et Insulis Balearibus Monasteria octuaginta tria, comprehensis etiam illis Monialium, possidet: quae omnia Monasteria occasione transacti belli quam maxima passa sunt damna, ita ut fundi pro Missarum celebratione assignati perierint, alii vero maximam in fructibus passi sint diminutionem. Praeterea evenit etiam, ut inter belli incommoda et pericula in praeteritum Superiores et Religiosi dictorum Monasteriorum, omissa celebratione antiquorum onerum Missarum et Anniversariorum, ut necessarium sibi pararent victum, manualem eleemosynam pro celebratione aliarum Missarum receperint. Quare Procurator Generalis Ordinis cum supplici libello a Sanctissimo EE. VV. remisso supplicat pro condonatione quoad praeteritum, de quo tempore impossibile esset omissionum rationem reddere, ob librorum et documentorum deperditionem et varias Superiorum mutationes, nec non pro reductione vel abolitione onerum in futurum, respective ad diminutionem fructuum vel fundorum peremptionem; et quia maxima esset Ordini impensa, si Monasteria praefata tot tantorumque onerum documenta Romam transmittere deberent, ideo enixis precibus Procurator Generalis instat nomine totius Provinciae monasticae committi negocium in forma commissoria Episcopis et Ordinariis cuiuscumque Monasterii ad instar Indulti a s. m. Clementis X ex sententia huius Sacrae Congregationis universo Ordini Praedicatorum concessi; cumque huiusmodi preces relatae fuerint per Summarium die 2 octobris novissimi, et EE. VV. decreverint, ut in folio describerentur, ideo instantiae congruum dubium proponitur: – An et quomodo sit locus condonationi quoad praeteritum et reductioni in futurum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Quoad praeteritum ad R. Fabricam, quo vero ad ad futurum audiantur Episcopi – *in Ordinis S. Dominici die 27 Novembris 1717 lib. 67 Decretorum.*

37. At R. Fabricae Ministris et Commissariis facta fuit prohibitio admittendi compositiones super Legatis Fratribus factis cum onere Missarum et Officiorum, praeterquam quoad annuas praestationes duorum annorum decursorum a die obitus Testatorum, quas etiam integraliter recipere debent, et R. Fabricae applicare, salvo semper capitali seu

proprietate, ut heredes vel debitores, qui primis duobus annis non adimpleverunt, possint, si velint, futuris temporibus dare Fratribus annua Legata titulo eleemosynae, iuxta Decreta S. Congregationis Fabricae impressa apud Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 2 a pag. 463 *in Brundusina Adimplementi die* 5 *Augusti 1719* §. *Factoque.*

38. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, non posse Ministros Fabricae S. Petri molestare Syndicum Apostolicum pro tempore Conventus Aracli Caeli de Urbe Fratrum Minorum Observantiae S. Francisci propter donationem ei factam mille scutorum in sorte, ad effectum subministrandi annua scuta triginta in pane albo pro infirmis dicti Conventus *in Romana Donationis die 3 Iunii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 505.*

39. Officiales enim Fabricae S. Petri non debent excedere limites suarum facultatum *in Aversana die 7 Aprilis 1629 lib. 14 Decretorum pag. 71.*

40. Siquidem Sacra Congregatio mandavit, Commissarios R. Fabricae S. Petri esse monendos, ne excedant limites suarum facultatum *in Aversana die 7. Aprilis 1629 lib. 14 Decretorum pag. 71.*

41. Idcirco praedicti Officiales non debent inhibitionibus prohibere Episcopos, ne exigant rationem Administrationis ab Hospitalis Administratoribus *in Andrien. mense Septembris 1588 lib. 5 Decretorun pag. 186.*

42. Neque possunt nec debent molestare seu impedire exequutionem commutationis oneris Missarum vel Testatoris voluntatis obtentae a S. Congregatione Concilii, si suam praetensionem excitarunt post gratiae concessionem *in Neapolitana die 3 Decembris 1644 lib. 17 Decretorum pag. 399.*

43. Unde Fabrica S. Petri non habet ius procedendi contra eos, qui non servaverunt praescriptam formam in Decretis de celebratione Missarum in ipsarum Missarum acceptatione vel satisfactione *in Monopolitana die 16 Decembris 1634 lib. 15 Decretorum pag. 37.*

44. Compertum etiam est, non aliter Administratoribus Reverendae Fabricae S. Petri ius esse transigendi super Legatis ad pias Causas relictis, quam si et dies vel conditio adimplendae voluntatis morientium advenerit, et certum temporis spatium heredibus aliisve gravatis pro eiusmodi piae voluntatis exequutione, vel pro impetranda ab Apostolica Sede illius commutatione, si ea nequeat executioni mandari, per Iudicem praefiniatur, ad notata per Ventrigl. in prax. for. eccles. part. 2 annot. 28 §. 2 n. 6 7 8 et 25, Marant. respons. 41 n. 15, Vespisgnan. in compend. privileg. R. Fabricae pag. 36 §. 7 *in Nullius Terrae Pontiani Commutationis voluntatis die 5 Maii 1742* §. *Inquiunt* (1).

45. Quum itaque Summus Pontifex concessisset Indultum Hospitali, quod omnia Legata pia in Civitate et Diaecesi a Testatoribus relicta et relinquenda, quae intra tempus pro exequutione praefixum non fuerunt exequutioni demandata, eidem Hospitali applicata censerentur, dummodo tamen Legata pia non fuissent certis Personis relicta, Sacra Congregatio, deductis iuribus a Procuratore generali R. Fabricae, declaravit, praefatum Indultum comprehendere etiam Legata Missarum perpetuarum ac manualium, non com-

(1) Siquidem in declarationibus Congregationis Fabricae §. Praeterea impressis apud Quaranta in Summ. Bullár. Verb. *Fabrica S. Petri* habetur: – Praeterea quia saepe contingit, pia huiusmodi Legata et dispositiones pro constructione Monasteriorum Hospitalium seu Ecclesiarum et similium relictorum debitae executioni demandari non posse, propter aliquod facti seu iuris impedimentum, quia nempe pecunia relicta ad construendum Monasterium non sufficit, aut in loco a Testatore designato aedificari non potest, seu etiam licentiam ab Episcopo aut alio Superiore obtineri nequit, cum aequum non sit, ut pium Opus huiusmodi propterea deseratur, sed potius in aliud de iure commutandum veniat, declaramus, ut gravatis certus competens terminus praefigatur arbitrio Iudicum pro impedimentis huiusmodi realiter et cum affectu removendis, aut pro obtinenda a Sede Apostolica commutatione talis pii relicti et dispositionis. Quod si terminus elapsus et impedimenta remota non fuerint, aut commutatio obtenta non sit, tunc Legatum ipsum integraliter a Fabrica exigatur, perinde ac si ad Fabricae utilitatem devolutio facta fuisset –. Quando autem minime probatur insufficientia bonorum pii Legati, et non praecessit praefixio termini pro obtinenda commutatione voluntatis locum non habent privilegia Fabricae, ceu firmavit Rota coram Celso decis. 78 n. 2. ac tradit Ursaya in Compend. privileg. Fabr. S. Petri tom. 1 part. 2 n. 72 et 113.

prehendere vero Legata pia relicta certis Personis et Locis, nec minus Legata, pro quibus obtentae fuerunt aut obtinebuntur compositiones a R. Fabrica S. Petri, nec Hospitale facere posse vigore Brevis compositiones seu condonationes cum Debitoribus, ac esse assignandum terminum trium annorum pro adimplemento in Curia Episcopali, et Episcopos habere facultatem exequendi Breve per suos etiam Delegatos *in Elboren. Declarationis Indulti die 21 Maii die 3 Septembris 1718 et die 21 Ianuarii 1719.*

46. Siquidem Summus Pontifex per suas Literas expeditas in forma Brevis concessit Hospitali Spiritus Sancti Civitatis Elborensis Indultum, quod omnia Legata pia in Civitate et Diaecesi Elborensi a Testatoribus relicta et in posterum relinquenda, quae intra tempus, pro exequutione praefixum, non fuerunt exequutioni demandata, eidem Hospitali applicata censerentur, dummodo tamen Legata pia non fuissent certis Personis relicta. Priores et Beneficiati parochialium Ecclesiarum Civitatis et Diaecesis Elborensis Summo Pontifici exposuerunt, se ab Administratoribus Hospitalis indebite vexari sub obtentu praecitati Indulti; dixerunt enim, se cogi ad faciendam in fine anni quamdam fidem de numero Missarum non satisfactarum. Ordinarius Elborensis retulit, se instantiam Parochorum et Beneficiatorum communicasse Administratoribus Hospitalis, nec rationes subsistentes et validas ab illis audivisse, quae ad negocium facere possent, et post plura conclusit, quod Indultum praedictum declaratione indigebat et signanter, an sub illo comprehensae dici possent eleemosynae a Testatoribus relictae vel designatae pro celebratione Missarum, et an eo ipso, quod eleemosynae non solvebantur intra tempus designatum ad opera pia peragenda, impetrantes censendi essent privati actione ad easdem petendas. Administratores Hospitalis autem impugnarunt Sacrae Congregationis iurisdictionem, quasi quod ipsa non posset moderari aut declarare Indultum a Summo Pontifice concessum. Examine tamen rei ad Sacram Congregationem remisso a Summo Pontifice, praedicti Priores et Beneficiati contenderunt, quod in Indulto non comprehenderentur Legata Missarum tam perpetuarum, quam manualium, licet illud conceptum esset per haec verba: – Legata pia relicta et relinquenda –; tum quia Legata Missarum sunt speciali nota digna, tum quia Legata et onera Missarum ut plurimum a Testatoribus relinquuntur certis Ecclesiis et certis Altaribus, ita ut certis quodammodo locis relicta dicenda sint seu certis Personis; et tandem quia speciales in oneribus Missarum adsunt Pontificiae Constitutiones; quoad Missas enim non adimpletas, facultates R. Fabricae sibi vindicant locum, et quoad reductionem in futurum urgent Decreta s. m. Urbani VIII et Innocentii XII nec non facultates Sacrae Congregationis. Sustinuerunt exinde dicti Priores et Beneficiati, quod ultra terminum a Testatoribus designatum, pro exequutione piorum Operum a se relictorum, praefigendus esset Heredibus vel Exequutoribus Testamentariis alius novus terminus, antequam Legata pia non adimpleta applicarentur Hospitali: praeter enim possibilitatem, quod ab Heredibus et Exequutoribus testamentariis aliqua legitima causa afferretur pro mora excusanda, ubi ponderabat scribens pro Prioribus et Beneficiatis, urgebat exemplum eius, qui sub iuramento promisit solvere quolibet anno partem sui debiti, quam unica vice solvere debuisset; si enim uno omittat anno solutionem partis conventae, ius disponit, ut pro tota summa agi valeat a Creditore, Text. in L. *Si quis maior* Cod. de transactionibus, et tamen non obstante hac literali iuris dispositione agi nequit pro tota summa, nisi Creditor plene probet, debitorem fuisse in dolo, iuxta decis. 583 part. 1 divers. n. 3, et decis. 1059 et decis. 1136 coram Seraphino. Propugnarunt denique Priores et Beneficiati, Indultum esse restringendum ad terminum annorum triginta, excipienda esse etiam ab Indulto Legata relicta certis locis, nec non Legata, pro quibus aut obtentae fuerunt, aut obtineri deberent compositiones a R. Fabrica S. Petri: item petierunt, ut inhiberetur quaecumque condonatio, nec non quaecumque compositio cum debitoribus Legatorum, ac tandem ut exequutio Indulti soli committeretur Episcopo.

47. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An Legata Missarum tam perpetuarum, quam manualium comprehendantur

in Indulto seu Brevi, de quo agitur, in casu etc. II. An et qui terminus ultra designatum a Testatoribus sit praefigendus Heredibus aut Exequutoribus testamentariis, antequam Legata pia non adimpleta applicentur Hospitali Expositorum Elborae in casu etc. III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo Domino Nostro pro moderatione Brevis seu Indulti, de quo agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 maii 1718 respondit: – Audiantur Ministri R. Fabricae, et ad mentem –. Deductis itaque iuribus a Procuratore generali R. Fabricae, Sacra Congregatio die 3 septembris 1718 respondit: – Ad primum, dilata. Ad secundum, esse assignandum terminum trium annorum decurrendorum a die, quo Hospitale interpellaverit Heredes pro adimplemento in Curia Episcopali. Ad tertium, Breve non comprehendere Legata pia relicta certis Personis et Locis, nec minus Legata, pro quibus obtentae fuerunt aut obtinebuntur compositiones a Reverenda Fabrica Sancti Petri; exprimatur etiam, Hospitale non posse facere vigore Brevis compositiones seu condonationes cum Debitoribus, et quod Brevis exequutio ad solum Episcopum pertinere debeat –. Repropositis dein dubiis: – I. An Legata Missarum tam perpetuarum, quam manualium comprehendantur in Indulto seu Brevi, de quo agitur, in casu etc. II. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum et tertium dubium? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et ad mentem. Ad secundum, in decisis, dempta tamen interpellatione facienda; et quoad tertium, in decisis, non adempta Episcopis facultate exequendi etiam per suos Delegatos – *in Elboren. Declarationis Indulti die 21 Ianuarii 1719.*

48. Quod si compositio cum cessione iurium facta a Reverenda Fabrica S. Petri super falsis expositis nitatur, nulla prorsus ac irrita renunciatur, cum praesertim circa ea versari videatur, quae extra ipsius Congregationis dictae Fabricae facultates censentur *in Nullius Terrae Pontiani Commutationis voluntatis die 5 Maii et die 21 Iulii 1742.*

49. Enimvero Martinus de Dominis Canonicus Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai Terrae Pontiani, scripto sibi herede in postremis tabulis sub annum 1721 exaratis Ioanne Baptista de Dominis Clementis Fratris sui filio, mandavit, ut, si heres sine filiis diem supremum obiret, Monasterium Monialium erigeretur (1). Vix biennio a die obitus Testatoris exacto, praefatus Ioannes Baptista de Dominis Congregationi Fabricae S. Petri exposuit, se Patrui hereditatem adivisse cum beneficio legis et inventarii – per non pregiudicarsi sì per le ragioni, che li competano sopra li beni del quondam Clemente de Dominis suo Padre, come anche per le ragioni dotali materne –, demandatum vero Monasterii opus pro feminis dumtaxat ex seniore Ioanne Baptista de Dominis ipsius Testatoris Patre descendentibus adimpleri nequire, tum quia fere impossibile videbatur, eum semper Puellarum numerum ex genere vocato fore extiturum, qui ad efformandam Monasterii Communitatem sufficeret, tum etiam quia

(1) Eu verba, quibus id demandavit: – E morendo detto Gio. Battista Domini mio erede quandocumque, che Dio non voglia senza figli maschi legittimi e naturali nati di legittimo Matrimonio da principio contratto e non legittimati per susseguente Matrimonio o Rescritto o grazia del Prencipe, quali così legittimati e fatti legittimi escludo dalla mia eredità, ordino e comando, che detti frutti di tutta la mia eredità e beni ereditarii senza alcuna detrazione di Trebellianica o altra detrazione legale, che espressamente proibisco, si esigga e istituisca colle necessarie e opportune licenze nella Terra di Ponziano mia patria un Monastero di Monache dell'Istituto e Regole di S. Francesco d'Assisi de' Minori Conventuali, per comodo e beneficio solamente di tutte le descendenti del quondam Giambattista Domini mio Padre, tanto per linea mascolina, quanto feminina in infinitum, e che le medesime descendenti, che vorranno monacarsi in detto Monastero, debbano essere ammesse con pagare ciascheduna di esse solo scudi 200 a detto Monastero per dote o sia in elemosina dotale, per uso poi e abitazione di dette Monache debba servire la mia Casa, che possiedo dentro detta mia patria. E perchè detta mia Casa non sarà capace per detto Monastero, vi sarà bisogno di essere ampliata, perciò per detto effetto e anco per mettere assieme quella somma di denaro, che sarà necessaria per provedere detto Monastero di suppellettili ed altre cose, ordino durante la vita di detto mio erede, debba mettere a moltiplico ogn'anno scudi 50 a beneficio delli figli di detto mio erede, se gli averà, e non avendo figli, a beneficio e augmento del Monastero sostituito come sopra etc. –.

universa bona hereditaria longe minora erant, quam ut ex iis novum posset extrui Monasterium, congruisque cumulari reditibus, dum ex tota hereditate valorem scutorum 15000 non excedente plurium censuum capitalia et debitorum nomina summam usque scutorum 6672, 52 conflantia, ob eorumdem debitorum inopiam, inania prorsus effecta detrahi debebant, adeo ut sola superesset summa scutotorum 8551, et haec veluti constans, partim ex nonnullis domibus aliisque paucis aedificiis in Terra Pontiani sitis non uberem fructum reddentibus, partim ex praediis ecclesiasticae emphyteusi suppositis, aut nullo pacto ex concessionis lege, aut sine solutione quindennii haudquaquam in manus, ut aiunt, mortuas transire permissis, par minime esset designatae novi Monasterii constructioni, addensque praeterea, se nondum spe prolis ab Uxore sua suscipiendae destitui, qua utique superveniente, conditionalis Monasterii substitutio evanesceret, supplex idcirco petiit ad tenuem aliquam et aequam compositionem super negocio huius piae voluntatis una cum absoluta iurium omnium Reverendae Fabricae competentium cessione admitti. Id vero ut impetraret, paratum se obtulit, explicatam in eodem stipulandae compositionis instrumento obligationem emittere de erigendo post sui obitum, etiamsi cum filiis masculis decederet, Canonicatum in Ecclesia Collegiata S. Nicolai Terrae Pontiani, deque illi assignando in dotem annuo reditu scutorum quinquaginta, reservato tamen sibi suisque heredibus iure praesentandi ad eumdem Canonicatum, ac imposito eius possessori onere duplicis Missae singulis hebdomadis in suffragium animae Testatoris celebrandae. Hisce autem precibus Congregatio Reverendae Fabricae ita rescripsit: – Ad dominum Commissarium Romanelli, qui, attentis et vere existentibus narratis, ac facto prius per Oratorem in Banco Reverendae Fabricae deposito scutorum 200 ad commodum et beneficium ipsius Reverendae Fabricae, eumdem Oratorem super expositis etiam ante adventum conditionis, et cum cessione iurium Reverendae Fabricae in forma consueta, ad compositionem admittat, facta insuper per praedictum Oratorem obligatione erigendi post eius obitum Canonicatum, ut in precibus, et ad formam instrumenti stipulandi, et non alias etc. –. Ad tramites istius Rescripti composita subinde res fuit et exaratum est instrumentum, in quo dictus Commissarius Romanelli expresse testabatur, compertam habuisse precum veritatem, ac praesertim quod ex bonis hereditariis Canonici de Dominis nomina debitorum usque ad summam scutorum 6672, 57 exigi amplius nequirent, quodque super reliqua hereditatis parte Ioannes Baptista de Dominis – consequi deberet etiam sua iura paterna materna et alia –. Sic autem compositione cum Tribunali Reverendae Fabricae peracta, erectus paulo post fuit etiam Canonicatus, qui ditatus censibus annui reditus scutorum 88 ad nominationem heredis Ioannis Baptistae de Dominis praefato Romanello deinde collatus asserebatur.

50. Exinde vero descendentes ex altero Ioanne Baptista de Dominis seniore a Summo Pontifice postularunt, commutari ultimam voluntatem praefati Canonici Martini de Dominis, ut nempe loco Monasterii extruendi plures erigerentur Canonicatus, et aliqua constituerentur annua subsidia dotalia pro Puellis ex se descendentibus, quae in domino vellent nubere. Hoc autem ut assequerentur, non uno ex capite transactionem Ioannis Baptistae iunioris cum Reverenda Fabrica initam oppugnarunt. Dixerunt enim, Reverendam Fabricam in casu, de quo agebatur, facultatem non habuisse transigendi. Ulterius obiecerunt, facultatem transigendi a S. Congregatione Fabricae tributam fuisse – attentis ac vere existentibus narratis, plura vero in precibus Ioannis Baptistae de Dominis exposita a veritate prorsus aberrare. Et primo assertionem illam, qua exposuit, sibi competere ius detrahendi bona paterna ac materna ex hereditate Patrui, quam ex documentis, quae in praesens exhibebantur, compertum erat, eumdem Ioannem Baptistam, sequuto vix obitu Patrui, exegisse summam scutorum 300, quae Felix de Dominis ei legaverat pro quibuscumque iuribus ad ipsum Ioannem Baptistam spectantibus super hereditate utriusque Genitoris. Secundo alteram, qua dixit, census et nomina debitorum hereditaria Canonici Martini de Dominis ad summam usque scutorum 6672 ascendentia nequaquam exigi posse, quum tamen ex

notula ipsa rerum hereditariarum in instrumento transactionis relata liquido appareret, quantitatem nominum haud maiorem esse scutis 6485; ex his vero scuta bis centum ab heredibus Ioannis Baptistae de Dominis iunioris recepta ex retroveanditione dimidiae partis census in sorte scutorum 400 constituti plurimos alios census ab ipso Ioanne Baptista traditos fuisse in dotem Canonicatus ab eo erecti, eumdemque Ioannem Baptistam pro cautione aliorum nominum debitorum plura accepisse pignora, unde patebat, haud verum esse, quod huiusmodi census et credita inutilia remanserint. Postremo neque illud veritati accedere, quod casus substitutionis Monasterii adhuc penderet ab incerto eventu nativitatis filiorum ipsius Ioannis Baptistae de Dominis, quum is, qui post trigenariam cum sua Uxore cohabitationem nullos unquam susceperat filios, atque id temporis septuagesimum ferme aetatis annum agebat, ab omni profecto spe gignendae prolis penitus decidisset. Ex his autem rationum momentis, sicuti descendentes praedicti Ioannis Baptistae senioris enunciatam transactionem irritam prorsus esse opinabantur, ita petitam voluntatis commutationem sibi facilius indulgendam esse confidebant. Super eiusmodi precibus a Summo Pontifice ad Sacram Congregationem reiectis auditus Canonicus Mancini, qui, post obitum Card. Laurentii de Alteriis postremi Abbatis Commendatarii, Vicarii quadam potestate in Terra Pontiani eo tempore fungebatur, relata dispositione praefati Canonici de Dominis, quod attinebat ad eius adimplementum, sic aiebat: – Non paucas incurrit difficultates tum respectu assis hereditarii dicti quondam Canonici Martini de Dominis nunc vix ascendentis ad scuta decem millia circiter, attenta dilapidatione facta a quondam Ioanne Baptista post obtentam praedictam iurium cessionem a Reverenda Fabrica, tum etiam respectu Puellarum monacandarum descendentium ex dicto quondam Ioanne Baptista seniore de Dominis, quae cum eligi debeant ex septem Familiis ad praesens existentibus, nunquam constituere poterunt numerum sufficientium Monialium, dum omnes Puellae existentes in dictis Familiis non excedunt numerum decem, quarum partim sunt infantilis aetatis, partim nimis provectae, ultra quod non omnes vocantur ad Agni nuptias, neque omnes impendere possent scuta 200 pro ingressu Monasterii, ut voluit Canonicus Martinus Testator –.

51. His itaque perpensis, proposito dubio: – I. An substineatur compositio cum cessione iurium facta a Reverenda Fabrica S. Petri favore quondam Ioannis Baptistae de Dominis? –, Sacra Congregatio die 5 maii 1742 respondit: – Ad primum, Negative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Nullius Terrae Pontiani Commutationis voluntatis die 21 Iulii 1742* (1).

52. Quum autem Episcopus Maceratensis postulaverit, ut abolerentur seu nullae declararentur alienationes bonorum Ecclesiae tantummodo a Commissariis Fabricae factae, Sacra Congregatio respondit, Episcopum debere instare in S. Congregatione Fabricae *in Maceraten. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Aprilis 1664* (2).

(1) Reliqua habes in Verb. *Canonicatus*, §. III, n. 191 ad 196, Tom. IV.

(2) Siquidem S. Pius V in Constitutione *Etsi* 1 ianuarii 1569 Bullar. tom. 4 part. 3 pag. 55 facultatem tribuit Collegio Deputatorum Fabricae S. Petri de Urbe revidendi quascumque alienationes bonorum Ecclesiae contra ius et Constitutiones Summi Pontificis factas, nec non applicandi tertiam partem bonorum recuperatorum ipsi Fabricae, atque avocandi Causas ab omnibus Iudicibus. Unde Dominicus Ursaya in compendio privilegiorum Fabricae S. Petri haec habet: – Quaeres XVI. An Commissarii Fabricae habeant facultates revidendi quascumque alienationes rerum Ecclesiae perperam factas et condemnandi Venditores ad restitutionem bonorum male alienatorum? Resp. Affirmative, imo possunt etiam recuperare fructus, qui ex illis fuerint percepti et percipi potuerint, et causas super huiusmodi alienationes ad se avocandi et incorporandi ad beneficium Fabricae tertiam partem bonorum et fructuum, quae et qui fuerunt recuperata, nec non desuper concordandi, prout late determinatur in Constitutione 98 S. Pii V cum duabus aliis Constitutionibus eiusdem extensivis, impressis immediate post illam, et prius in Constitutione Clementis VII §. 17, Barbos. in summ. Apost. dec. collect. 350 n. 1 in medio –.

53. Unde si Ordinarius praetendat habere privilegium compellendi Regulares ad exhibendos libros Sacrarii, in quibus adnotantur celebrationes Missarum, ut de earum satisfactione constet, Sacra Congregatio rem ad Sacram Congregationem Fabricae S. Petri remittere solet *in Urbinaten. Visitationis sacrorum Liminum die 10 Martii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 451 a tergo* (1).

54. Quin imo Sacra Congregatio renuit resolvere controversiam super exemptione Officialium R. Fabricae S. Petri ortam, sed eam ad Congregationem ipsius R. Fabricae remisit; proposito enim dubio: – An Officiales Fabricae S. Petri sint exempti a foro ecclesiastico tam in foro iuris, quam in foro conscientiae? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad Sacram Congregationem Fabricae – *in Maceraten. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Aprilis 1664* (2).

55. Praeterea ex privilegio Pauli III – Commissarii R. Fabricae non possunt compelli ad residendum, sed fructus Beneficiorum integre ac si personaliter residerent, percipere possunt, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis –, ut in Constit. *Si cunctarum* anni 1535 apud Vespignanum in compend. privileg. R. Fabricae *in Signina Iubilationis die 18 Aprilis 1795* §. *Hac.*

FENESTRA SEU ODEUM

1. Nedum in Monasteriorum Monialium, sed etiam in Monasteriorum Religiosorum fenestris apponi debent ligneae tubae, ne in Vicinorum aedes, et ne Vicini in Monasteria prospectum habeant *in Verulana Domus die 2 Maii 1722* §. *Bonae.*

2. Idcirco quum aliqua fenestra et viridarium Monasterii Sanctissimae Trinitatis Iesuitorum supereminerent Monasterio Monialium S. Luciae, ita ut Fratres in eis commode introspicerent nonnullas fenestras et totum viridarium earumdem Monialium, quaesitum est, – an dicti Fratres compelli possint extollere murum viridarii super altitudinem hominis et conspectum Monasterii dictarum Monialium, et dictas fenestras claudere? –, Sacra Congregatio respondit: – Archiepiscopum debere praenarratis prospectibus consulere, sed expensis cuius de iure – *in Urbinaten. Visitationis sacrorum Liminum die 10 Martii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 451 a tergo.*

3. Ad dignoscendum autem, an tubae ligneae appositae ac dein collapsae e fenestris Monialium Monasterii essent in iisdem reponendae, et an liceret Laicis retinere fenestras habentes prospectum in viam publicam, Sacra Congregatio primum mandavit, ut elevaretur planta iudicialis cum assistentia personali Episcopi, mox mandavit, ut fieret accessus per Dominum Secretarium *in Verulana Domus die 23 Maii 1722 die 5 Iunii et die 17 Iulii 1723.*

4. Siquidem Dominicus Zaulus Episcopus Verulanus, dum visitationem expleret Monasterii Monialium S. Ioannis Baptistae Terrae Babuci in sua Verulana Diaecesi existentis, decrevit, quod tubae ligneae apponerentur in nonnullis fenestris dicti Monasterii, ne Moniales respicere possent in aedes Vicinorum, et ne Vicini in Monasterium prospectum habere valerent. Temperamentum hoc enim tubarum lignearum consonabat Decretis Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium editis sub Gregorio XIII, et relatis apud Pignatellium consult. 187 tom. 9, consonabat praxi, de qua Sperellius decis. 58 n. 8, et admittebatur nedum in Monasteriis Monialium, sed etiam in Monasteriis Religiosorum, iuxta casum in S. E. C. resolutum

(1) Resolutio Causae huius prostat in Verb. *Episcopus*, §. VII, n. 86, Tom. IX.

(2) Nullum tamen dubium inesse videtur quoad huiusmodi Officialium exemptionem. Nam Paulus II penes Vespignanum de privilegiis R. Fabricae S. Petri pag. 115 nedum Ministris et Officialibus R. Fabricae tribuit exemptionem ab omni aliorum Iudicum iurisdictione tam civili, quam criminali, sed etiam illorum Familiaribus actu eius inservientibus. Idque adstruit etiam Ursaya in compendio privilegiorum Fabricae S. Petri tom. 2 part. 2 discept. eccles. 14 n. 131, qui n. 122 inquit, Commissarios Fabricae post servitium eidem laudabiliter praestitum privilegium fori retinere.

die 13 augusti 1717, de quo Ursaya in discept. tom. 2 part. 2 discept. 6 per totam. Decretum praedicti Episcopi de Zaulis fuit executioni mandatum, sed cum tubae ligneae e fenestris exciderint, nec in suum locum repositae fuerint, exorta subinde fuit controversia cum illis de Ressis, qui domum habebant e conspectu Monasterii super retentione fenestrarum in superioribus domus mansionibus existentium. Ipsi enim contenderunt, se dictas fenestras retinere posse, dummodo tubae ligneae collapsae e fenestris Monasterii Monialium in suum locum iterum reponerentur. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An tubae ligneae alias appositae et mox collapsae e fenestris Monialium Monasterii S. Ioannis Baptistae Terrae Babuci, de quibus agitur, sint in eisdem fenestris reponendae? *Et quatenus negative.* II. An in superiori appartamento domus de Ressis licitum sit eisdem retinere fenestras habentes prospectum in viam publicam in casu etc. –, Sacra Congregatio die 23 maii 1722 respondit: – Dilata, et conficiatur planta iudicialis cum assistentia personali Episcopi –. Non obstante tamen lapsu temporis, non obstante aliorum terminorum praefixione, planta non fuit elevata, et Ioseph et Petrus de Ressis id adscripserunt contumaciae praedicti Monasterii. Quocirca ipsis instantibus, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 5 iunii 1723 respondit: – Dilata, et proponatur in mense iulii –. Repropositis hinc praefatis dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Fiat accessus per D. Secretarium – *in Verulana Domus die 17 Iulii 1723.*

5. Praeterea Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 15 septembris 1617 resolvit, quod duae adsint ianuae parvae fenestrae, per quam Moniales recipiunt sacram Eucharistiam, una interior et alia exterior, et quod clavis ianuae interioris semper retineatur ab Abbatissa seu Priorissa, et clavis ianuae exterioris a Confessario, et quod parva dicta fenestra nunquam aperiatur, nisi occasione sumptionis Eucharistiae, vel dandi habitum seu velum alicui Novitiae, aut consecrationem alicui Moniali, aut confirmationem alicui Personae in clausura degenti *in Ianuen. die 3 Februarii 1725* §. *Haec.*

6. Quapropter proposito dubio: – II. Quomodo se gerere debeat Superiorissa Monasterii circa retentionem clavis parvae fenestrae, per quam sumitur a Monialibus Eucharistia in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, servandum esse Decretum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 15 Septembris 1617 – *in Ianuen. die 14 Aprilis 1725.*

7. Hinc et clavis custodiae Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti non potest Monialibus committi, sed esse debet penes Sacerdotem, ad quem spectat cura illud administrandi, Pellizar. de Monialib. Cap. 7 quaest. 5, Tamburin. de Iure Abbatiss. disput. 24 quaest. 2 n. 5, Barbos. in Collectan. verb. Monialis n. 27 *in Ianuen. die 3 Februarii 1725* §. *Haec.*

8. Nec dubium, quin materia fenestrarum in Ecclesiis prospicientium sit de genere prohibitorum, iuxta Textum in Clementina prima de sententia excommunicationis; et Sacrarum Congregationum Decreta aperitionem fenestrarum prohibentia fuse referuntur apud Ursayam tom. 4 part. 2 discept. 14 a n. 34 *in Mantuana die 4 Maii 1726* §. *Materia.* Item *in Firmana Servitutis die 8 Iunii 1782* §. *Materiam; in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Hisce; in Eadem die 11 Iulii 1846* §. *Contendunt.*

9. Unde huiusmodi prohibitionis custos debet esse Episcopalis vigilantia, ad tradita per Fosc. de visit. lib. 1 cap. 11 n. 10, Ricciard. tom. 2 cap. 14 §. 1 n. 21, Nicol. in Flosc. verb. Fenestrae n. 1, Pignatell. consult. 129 2 3 et 4 tom. 4 *in Acheruntina Odei die 11 Iulii 1846* §. *Contendunt.*

10. Idcirco sustinetur Decretum in sacra visitatione editum, quo Visitator mandavit, ut intra mensem clauderentur fenestra, quam Laici habebant in muro Ecclesiae, et ianua, quae in Sacrarium emittebat, cum iidem nec Patroni nec Baroni essent nec Indultum a S. Sede obtinuerint *in Nullius Foripompilii die 18 Februarii 1758.*

11. Enimvero decretum fuit in visitatione habita a Capitulo S. Petri in Vaticano perpetuo Commendatario Abbatiae S. Rufilli, ut intra mensem clauderentur fenestra, quam Fratres Zauli habebant in muro Ecclesiae S. Mariae ad Nives in Terra Montis *l' Ab-*

bate, et ianua, quae in Sacrarium emittebat. Appellarunt Zauli ad tribunal A. C., sed Causae cognitio data fuit Emis Patribus. Disputavit itaque Capitulum, rem esse in iure Pontificio cognotissimam, nulli licere fenestras habere et ianuas, quae in Sacraria Ecclesiarum publicarum emittant, ne servitus Ecclesiae imponatur, nisi Patroni sint, qui hoc sibi ius servaverint, aut Barones locorum, aut Indultum a S. Sede obtinuerint; Zaulios neque Patronos esse, neque Barones, neque Indultum obtinuisse, immo in emptione, quam fecerunt expresse a venditore, exceptam fuisse Ecclesiam et Sacrarium; non posse igitur retinere fenestram in Ecclesia et ianuam in Sacrario, ne iure quidem longissimi temporis, cum praescriptioni locus non sit. His proinde perpensis, proposito dubio: – An Decretum D. Visitatoris substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius – *in Nullius Foripompilii die 18 Februarii 1758.*

12. Nam privilegia fenestras in Ecclesiis retinendi nihil in re aliud sunt, quam servitutes, quae honestati et reverentiae illis debitae adversantur, Pignatell. consult. 129 tom. 4 a n. 1 *in Romana Odei die 29 Ianuarii 1853* §. *Quid.*

13. Nemo propterea sine Beneplacito Apostolico Ecclesiae servitutem imponere potest, Monacell. Form. leg. part. 1 tit. 6 form. 10 n. 17 et 18, Barbos. in summ. decis. apost. collect. 301 n. 16, Gavant. manual. Episcop. verb. Ecclesia n. 27 *in Patavina Oratorii die 14 Augusti 1824* §. *Quod.*

14. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, nemini licere absque Sedis Apostolicae speciali Indulto habere fenestras prospicientes ex propria domo in Ecclesias pro audiendis Missis et aliis divinis Officiis *in Lubianen. die 16 Martii 1652 lib. 19 Decretorum pag. 180.*

15. Quin imo servitutes in Ecclesia imponere prohibent ipsamet Iura civilia. In Lege *Si prius* 17 ff. de aqua et pluvia arcenda §. Sed loco haec habentur: – Sed loco sacro vel religioso vel sancto interveniente, quo fas non sit uti, nulla eorum servitus imponi poterit – *in Spoletana die 24 Iulii 1784* §. *Servitutes.*

Item *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Hisce.*

16. Pressius tamen id vetant Sacri Canones et Summorum Pontificum Constitutiones. Sane Clemens V in Clementina 1 de sententia excommunicationis praecepit Regularibus, ne in eorum Ecclesiis fenestras aperiant, ex qua Seculares divina Officia audire possent. Rursus S. Pius V anno 1566 constituit, ut in Urbe clauderentur omnes fenestrae, quae e Secularium domibus in Ecclesiis prospectum haberent, et in executionem huius Pontificiae Constitutionis Card. Sabellius Urbis Vicarius Edictum edidit, quod refertur a Quaranta in Summ. Bullarum vers. reverentia divinorum, in quo statuitur, quod – sub similibus poenis debeant, et quilibet eorum debeat quascumque fenestras domorum vicinarum et contiguarum Ecclesiis supradictis etiam ipsorum introspicientes dictas Ecclesias removisse obturasse remurasse removerique obturari remurarique fecisse – *in Spoletana die 24 Iulii 1784* §. *Servitutes.*

Item *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Hisce; in Romana Odei die 29 Ianuari 1853* §. *Quod.*

17. Unde ad praefatae Constitutionis ac Decreti normam regi ac tractari debent omnes Ecclesiae, cum Ecclesia Romana sit omnium magistra, ad cuius exemplum omnes debent componi, ut tradit Card. in Clem. *Quamvis* de appellatione, Gonzalez ad Reg. 8 Canc. quaest. 2 n. 10, Pignatell. consult. 129 tom. 4 *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Hisce.*

18. Quamvis igitur S. Pii V dispositio pro Urbe tantum edita fuerit, nihilominus factum inde est, quod huiusmodi servitutes indistincte in omnibus Ecclesiis etiam extra Urbem vetitae fuerint. Pignatellius consult. 129 n. 3 tom. 4 refert, Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium in quadam Causa Veronen. sequens edidisse Decretum: – Non licere privatis Personis habere ac retinere fenestras prospicientes in Ecclesias contiguas habitationi –; et Barbosa in lib. 1 iur. eccles. univ. cap. 1 n. 28 affirmat, id ipsum fuisse confirmatum ab eadem Sacra Congregatione in Causa Florentina die 11 Septembris 1615. Immo idem Pignatellius dicta consult. 129 n. 4 ad tollendos abusus hac de re inductos testatur, dictam Sacram Congregationem demandasse harum fenestrarum clausuram, uti

accidit in Causa Calvensi die 26 septembris 1653 *in Spoletana die 24 Iulii 1784* §. *Servitutes.*

Item *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Hisce.*

19. Qua de re Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium saepe saepius vel novas denegavit aperiri fenestras, vel apertas claudi mandavit, ut in Casertana 1646, in Faventina 15 februarii 1619, et die 5 martii 1619 respondit: – Non si concede nè anche ai Duchi e Marchesi di aprire finestre, che rispondino in Chiesa per ascoltare da quelle la Messa e i divini Uffizii –, et in Avellina Indulti 5 iulii 1719 *in Reatina Odei die 21 Septembris 1822* §. *Sacra.*

Item *in Patavina Oratorii die 14 Augusti 1824* §. *Quod*; *in Acheruntina Odei die 11 Iulii 1846* §. *Post.*

20. Quin imo Ursaya discept. eccles. tom. 4 part. 2 discept. 14 n. 34 edicit, prohibitionem hanc a super laudata Congregatione extensam fuisse etiam ad quemdam Dominum loci, cuius clientelam agebat Card. De Luca, quique succubuit, quamvis – erat eximius Benefactor Ecclesiae, ob multa beneficia in illius constructione et refectione collata, et non minora beneficia contulerat pro Clericorum subventione et sacrarum supellectilium provisione –, quem rigorem cum bonorum laude Sacram Congregationem adhibuisse etiam suis temporibus refert, contra preces primariae nobilitatis viri Comitis de Sonsa – se exhibentis assignare capitale bis millium Cruciatorum Ecclesiae, in qua praetendebat aperire fenestram – *in Acheruntina Odei die 11 Iulii 1846* §. *Post.*

21. Ideirco S. Sedes raro concessit, frequentissime denegavit odei aperitionem, uti videre est in Veronen. 15 iunii 1655, in Casertana 8 iunii 1646, in Hortonen. 11 iunii 1655, et in Alexanen. 14 novembris 1659, ubi agebatur de loci Barone seu Dynasta, qui, etsi iam fenestram aperuisset in pariete Ecclesiae – per valersene ad uso di udir la Messa e i divini Ufficii dal suo contiguo palazzo –, iussus tamen fuit – a ridurre nello stato pristino detta fenestra, e reintegrare l'immunità e libertà della Chiesa – *in Acheruntina Odei die 11 Iulii 1846* §. *Nec.*

22. Hinc facultatem retinendi fenestras prospicientes in Ecclesias contiguas habitationi denegatam fuisse etiam Magnatibus asserit Pignatellius in consult. 129 n. 6 et 7 tom. 4, quamvis essent domini alicuius Oppidi, ibique iurisdictionem temporalem exercerent, et rationem affert sub n. 12; – quia ius habendi fenestras in Ecclesia non dicitur ius honorificum, sed servitus Ecclesiae, quae tamquam in loco sacro nequit absque titulo legitimo acquiri aut praescribi, et ius honorificum non versatur in imponendo servitutem Ecclesiae, sed in praeeminentiis et praerogativis in Ecclesia circa locum ac sedem in ipsa et in processionibus, et circa salutationes thurificationes et in recipiendo alimenta in casu paupertatis – *in Spoletana die 24 Iulii 1784* §. *Hanc.*

23. Qua de re non est locus gratiae pro aperitione fenestrarum et constructione mansiunculae ad effectum audiendi Missam et assistendi ceteris divinis Officiis celebrandis in Ecclesia parochiali favore Comitis eiusque familiae, qui nec est patronus nec loci Baro ac insignis Benefactor, sed aliqua tantum beneficia in dictam Ecclesiam contulit, cum praesertim alii eiusdem loci nobiles adversentur *in Mantuana die 18 Maii 1726.*

24. Enimvero comes Theodosius Panizza Delfini supplicavit Sacrae Congregationi pro facultate fabricandi quamdam parvam mansionem a latere sinistro Ecclesiae S. Cataldi Diaecesis Mantuanae, et in eadem aperiendi duas fenestras prospicientes versus Altare maius, ut ipse cum sua Familia Missam audire et ceteris divinis Officiis interesse posset. Fundamentum Comitis Panizza constituebatur in maiori quantitate bonorum a se in loco possessorum, in magnis beneficiis a sua familia praestitis Ecclesiae, tum quoad ampliationem eiusdem, tum quoad subministrationem fundi pro turri campanaria construenda, et demum quoad largitionem sacrarum supellectilium, quibus addidit observantiam, cum inferiores Benefactores in aliis Diaecesis Ecclesiis consimili praerogativa fruerentur. E contra comes Facchinus Cattaneus una cum aliis quibusdam litis consortibus sustinuit, non esse petitioni indulgendum, tum quia non erat hoc caeremoniale discrimen introducendum inter familiam Panizzam et ceteras familias nobiles in eodem loco

possidentes, tum quia non erant adeo magna, sicut exaggerabantur, beneficia Ecclesiae collata a familia Panizza, cum alii etiam Parochiani multum de suo pro Ecclesia contulerint, et demum quia agebatur de servitute Ecclesiae imponenda, quae erat insueta, ex quo comes Panizza non habebat suam domum Ecclesiae contiguam, sed ab ea distantem, et intendebat fabricare cubiculum prope Ecclesiam, et in eo aperire fenestras in Ecclesiam prospicientes. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus gratiae pro aperitione fenestrarum et constructione mansiunculae ad effectum audiendi Missam et assistendi ceteris divinis Officiis celebrandis in Ecclesia parochiali S. Cataldi favore comitis Theodosii et aliorum de Panizzis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Mantuana die 18 Maii 1726.*

25. Attentis igitur rerum circumstantiis, Sacra Congregatio primum respondit, ex hactenus deductis non expedire, dein re latius expensa censuit, ex speciali gratia esse supplicandum Sanctissimo pro concessione odei favore Oratoris, qui magnam pecuniae summam impendisse in Ecclesiae parochialis fabricam videbatur, eiusque familiae cum adimplemento praecepti, durante vita eiusdem eiusque filiorum, appositis cratibus aliisque cautelis, per Breve; sed mox pluribus noviter deductis per Ordinarium, qui luculentius probavit, eum non posse inter insignos Benefactores recenseri, resolvit, supplicandum Sanctissimo pro reportatione Literarum Apostolicarum, multoque magis propterea marmoream inscriptionem super Ecclesiae foribus favore illius positam deleri debere, sed aliam omnes Oblatores exprimentem esse ponendam *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845 die 8 Augusti 1846 et die 26 Ianuarii 1850.*

26. Siquidem diruta anno 1828 parochiali ac matrice Ecclesia Terrae Antii in Acheruntina Diaecesi, eos inter, qui ad eam ampliori elegantiorique forma reaedificandam manum et opem praestiterunt, praecipue extitit Archangelus Fittipaldi, qui, volvente anno 1833, habens palatium ad novae Ecclesiae latus, emit a vicino quodam spatiolum, quod suum palatium a muro Ecclesiae separabat, ut ita transitum parare posset ad odeum, vulgo *coretto,* quod sibi suaeque Familiae fieri curavit in eminentiori loco ad dexterum latus novae Ecclesiae in intercolumnio, quod duas illius Capellas gentilitias interiacebat, ac revera aperuit primis mensibus anni 1839. Praeterea marmoream tabulam apponi curavit in externa ipsius Ecclesiae facie, quae ita se habebat: – D. O. M. valvas Templi huius - Architectonicum ex lapi. de ornatum – pluramque totius aedificii partem - Archangelus Fittipaldi – patritius antianus – pia devotione compulsus - anno R. S. MDCCCXXXIX –. At ubi id Archipraesuli innotuit, iussit odeum obstrui, lapideamque tabulam removeri; ac Ecclesiam, donec iussui obtemperatum non fuerit, nec aperiri nec benedici mandavit. Confugit quidem, ut mandati huius executionem averteret Fittipaldius ad Regium Consilium *di Stato,* sed reponsum tulit, odeum non aperiri, donec sibi de Beneplacito Apostolico provideret. Is itaque recursum habuit ad Sacram Congregationem: at, labente anno 1839, relatis precibus per Summaria precum, Rescriptum prodiit: – Ex hactenus deductis non expedire –. Multis exinde confisus documentis in rem congestis, denuo institit, tum pro facultate utendi odeo, tum pro approbatione inscriptionis Ecclesiae foribus superpositae. Quoad odeum quippe protulit declarationem die 20 februarii 1839 a Syndico Decurionibus Oeconomo Curato aliisque pluribus a Terra Antii subsignatam, quibus fides perhibebatur, Fittipaldium summam ducatorum 1960 in Ecclesiae fabricam impendisse, praeter arbores quasdam in suo fundo excisas et aquae usum, idque eumdem eo sub obtutu et data adpromissione praestitisse, ut odei usu intra praefatam Ecclesiam introspicientis frueretur: unde iidem huiusmodi concessioni ultro libenterque sese assentiri uno ore declarabant. Nam dimidium fere summae in fabricam erogatae ipse contribuit. Nec praedecessoris Archipresulis Cattaneo assensum defuisse omnibus notum esse contendit, nec moderni De Macco, qui manu sua ineunte mense septembris 1838 scribebat Fittipaldio: – Sul conto poi dell'Oratorio da aprirsi farò quello che più si converrà di fare, e sia ella persuasa, che la sua famiglia merita la mia stima –. Quae sane verba, spectata convenientia rei petitae spectatis

meritis ac conspicuis beneficiis in Ecclesiam collatis, implicitum saltem consensum involvebant. Idque luculentius probavit Vicarius Generalis sub mense novembris 1839 in actu Sacrae Visitationis, ceu testabantur oeconomus Curatus et Presbiteri illius Ecclesiae (1). Unde Fittipaldius propugnavit, nihil obstare Beneplaciti Apostolici defectum, cum in actu fundationis id sibi uti insignis Benefactor reservaverit ac Ordinarius adprobaverit. Nec huiusmodi Beneplacitum Apostolicum denegandum, si necessarium esset, contendit. Quod autem ad lapideam inscriptionem spectabat, sustinuit, nihil in ea censura dignum deprehendi. Quin imo Decurionatus ipse fuit, qui una cum Syndico sub die 28 novembris 1839 unanimiter tabulam illam praescripserunt, quamque Praeses Lucaniae probavit. Hinc tam leges civiles, ut in Leg. 3 ff. de oper. publicis, quam sacri Canones, ad late firmata per Amostazo de causis piis lib. 5 cap. 7 a n. 40, Barbosa aliosque Doctores ac S. Rotae decisiones, inscriptiones Benefactorum nomina ac merita exprimentes, cum sint posteris excitamento, permittunt.

27. Archiepiscopus contra non diffitebatur, Fittipaldium alterum fuisse ex Benefactoribus Ecclesiae noviter aedificatae; at illius fundatorem talemque Benefactorem fuisse negabat, cui esset ideo permittendum odeum in eadem ac superexposita inscriptio. Nam in albo Benefactorum omnium, qui totalem summam ducatorum 4002 tribuerunt, ceteris praestabant Communitas, quae ducata 1260, Beneficentia loci, quae 930, Clerus, qui 850 in plures vices obtulerunt, quae in unum iuncta ad ducata 3040 assurgebant: de aliis vero 960 a Fittipaldio tributa apparebant 300, – compresa la valuta del portone –, 200 ab Archiepiscopo, reliqua 460 ab aliis piis Oblatoribus, ceu in eodem albo videre erat. Quare evanescebant prorsus ducata pene 2000, quae Fittipaldius in Ecclesiae fabricam contulisse iactitabat. Etenim certum erat ex ipso adverso summario, 4000 plus minus ducata expensa fuisse. Advertit exinde, quod Fittipaldius uti aes proprium recenseret ducata 709 75, quae per aemulationem ab ipso, dum piorum Locorum bona locabantur, excitatam post triennium in lucris citra ordinariam pensionem reperta erant, et quae postea superiori approbatione Ecclesiae operi assignata fuere, uti patebat in actis Consilii *d' Intendenza di Basilicata*, et non absimili ratione, ut pecuniam suam computaret ducata 900, quae ipse quatenus nemoris Communitatis conductor in communitativum opus impendere quidem debuisset, sed facultatem faciente Ministro a Secretis pro internis negociis Status sub die 23 novembris 1838 in Ecclesiae potius fabricam versa fuerint. Si igitur e ducatis 1960, quae de suo tribuisse praedicabat Fittipaldius, supputarentur, ut par erat, ducata 907 ad Beneficentiam, et 900 ad Communitatem pertinentia, iam nemo non videbat, quam distaret summa superextans ab ea, quam se dedisse exaggerabat, maxime si subducerentur ducata 40, quae pro restauratione chori Conventus, non pro hac Ecclesia ipse pollicebatur. Quoad aquam vero e sua cisterna haustam lapides e suo fundo effossos vecturas ab illo exhibitas, parum immorabatur Archiepiscopus, utpote quae in unum collecta parvo pretio essent aestimabilia, et non possent, additis etiam 300 ducatis, insignis Benefactoris titulum eidem promereri. Falsum hinc esse dixit Archiepiscopus, quod Fittipaldius disserebat de facta sibi odei reservatione et de reportata Ordinarii venia. Nam fabricae Architectus Finamore die 27 iunii 1840 pro veritate testatus fuit, – che nel disegno di detta Chiesa da me non vi fu marcata veruna estranea servitù di qualunque natura –. Quoad alterum decessoris Archiepiscopi consensum perpendit, asseri quidem, non vero probari: moderni autem apertum dissensum omnibus in comperto esse; statim ac enim a Vicario Foraneo Antii de odei aperitione certior factus fuit, rei novitate perculsus ac moerens die 17 martii 1839 id expresse

(1) Qui enim deposuerunt, – che in nostra presenza non trovò altra osservazione a fare sull'Oratorio aperto dal Signor Fittipaldi... per consenso di questa popolazione, che se ne fosse coperta l'apertura con graticola di ferro a maglie strette, onde il popolo non avesse potuto distrarsi, e vedere nell'interno dell'Oratorio le persone, che vi stessero; che dopo tale ordine l'apertura fu coperta con graticola a maglie strette, e così tuttora esiste a faccia di muro –.

prohibuit, cum absque Indulto Apostolico nullatenus permitti posset. Falsam etiam iniustam ceterisque iniuriosam ostendere curavit Archiepiscopus inscriptionem super Ecclesiae foribus locatam, ideoque iure merito removeri iussit. Quatenus tamen apponi vellet, censuit – che per tramandare una memoria ai posteri si dicesse solo, che ogni ordine del popolo siasi impegnato per l' edificazione del Tempio–.

28. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus obstructioni Odei in casu? II. An et quomodo sit locus remotioni inscriptionis in casu? –, Sacra Congregatio die 25 ianuarii 1845 respondit: – Ad primum, ex speciali gratia esse supplicandum Sanctissimo pro concessione odei favore Oratoris eiusque familiae cum adimplemento praecepti durante vita Oratoris eiusque filiorum, appositis cratibus aliisque cautelis, per Breve. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Archiepiscopi –. Re vero ad trutinam revocata, proposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? –, Sacra Congregatio die 8 augusti 1846 responsum tulit: – Ex noviter expositis supplicandum Sanctissimo pro reportatione Literarum Apostolicarum –. Unde post plures comperindinationes reproposito dubio sub formula: – An sit standum in primo, seu potius in secundo loco decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, et amplius – *in Acheruntina Odei die 26 Ianuarii 1850* (1).

29. Idcirco multo minus conceditur Indultum aperiendi in pariete Ecclesiae Regularium fenestram, per quam, medio quodam ponte super viam publicam construendo, liceret Oratori suaeque Familiae e propinqua domo Missam ceteraque divina Officia audire, si scandalum obventurum esse videatur, licet Episcopus, scandalosam servitutem denegans, ex pluribus facti circumstantiis ei faveat, ac omnes Religiosi, duobus dumtaxat exceptis, consensum praestent *in Florentina Indulti die 23 Augusti 1738*.

30. Iamvero eques Iulius Orlandini *del Beccuto* postulavit Indultum aperiendi in pariete Ecclesiae S. Mariae Fratrum Carmelitarum Congregationis Mantuanae fenestram, per quam, medio quodam ponte supra viam publicam construendo, liceret sibi suaeque Familiae e propinqua domo Missam ceteraque divina Officia audire. Archiepiscopus Florentinus haec in facto exponenda esse censuit; primo scilicet, quod Orator ex nobili Familia *del Beccuto* et de Baruccis – patrona asserta in recordiis authenticis dictae Ecclesiae S. Mariae maioris, usquequo inde iura cessa non fuerint annuis regaliis in recognitionem iurispatronatus honorifici –, per rectam lineam descenderet, novissime vero cognomen Familiae Orlandini in vim cuiusdam pinguis fideicommissi assumpserit sub onere inhabitandi Testatoris domum dictae Ecclesiae propinquam; ita quidem, ut ratione utriusque praefatae Familiae non tam descendens Patronus, quam etiam ipsius Ecclesiae insignis benefactor iure repraesentationis dici posset, eo quia tres ibidem habebat una cum totidem Altaribus Capellas, duas nempe proprio aere a Maioribus de Familia *del Beccuto* constructas sive acquisitas, alteram vero de Familia Orlandini ab Institutore fideicommissi supra enunciati marmorea structura picturisque magnificis recentius exornatam ingenti impensa scutorum 2735 63 8; secundo quod ab ambabus Familiis praedictis fuerint in dicta Ecclesia erecta plura simplicia Beneficia, nec non perpetuae Officiaturae in Clericorum ibi inservientium alimoniam Populi commoditatem et Fundatorum suffragationem institutae; tertio, quod in ipsamet Civitate Florentiae plura extarent exempla similium Indultorum, quae quidem aliis nobilibus Familiis fuerunt elargita; quarto, quod idem Orator in actis promiserit titulo maioris in eamdem Ecclesiam munificentiae Capellam, in qua fenestram aperiri postulabat, in eam formam et ornatum, quo binae aliae Capellae extructae reperiebantur, redigere; et quinto demum, quod Fratres Carmelitae de mandato Sacrae Congregationis auditi et subinde capitulariter congregati, exceptis duobus dumtaxat, sub Apostolici Beneplaciti reservatione consensum praestiterint. Hisce omnibus facti circumstantiis expositis, Episcopus praedictus censuit, – ex epicheia quadam locum fuisse et esse concedendi peti-

(1) Reliqua late habes in Verb. *Aperitio cris*, n. 512 ad 527, Tom. II.

tam ab Oratore gratiam aperiendi videlicet pro se suaque Familia dictam fenestram in Ecclesia prospicientem, minime tamen inducentem structurae deformitatem et scandalosam servitutem, sed modo et forma praescribendis ab EE. VV. –. Praedicti duo vero Fratres Carmelitae compluribus de causis et ob scandala obventura contenderunt, non esse equiti Iulio Orlandini concedendum huiusmodi Indultum (1).

31. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Florentina Indulti die 23 Augusti 1738.*

32. Regula tamen, qua prohibetur aperitio fenestrarum in Ecclesiis prospicientium, limitatur in Patrono, qui in limine fundationis id sibi reservaverit, iuxta tradita per Pignatellium consult. 129 n. 17 tom. 4, et per Monacellium in form. legal. part. 1 form. 10 n. 17 et 18 *in Mantuana die 4 Maii 1726* §. *Materia.*

Item *in Florentina Indulti die 5 Iulii 1738* §. *Indultum; in Firmana Servitutis die 8 Iunii 1782* §. *Materia; in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Haec.*

33. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, posse indulgeri Patrono fundatori Ecclesiae, ut habeat fenestram, ex qua posset in Ecclesiam prospicere et Missae Sacrificio interesse *in Urbinaten. Visitationis sacrorum Liminum die 10 Martii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 451 a tergo.*

34. Privilegium hoc tamen Fundator sibi in limine fundationis reservare debet: sustinet quippe Monacellius in form. legal. part. 1 tit. 6 form. 10 n. 18, quod Ecclesiarum Patronis aut alicui insigni Benefactori Indultum conceditur aperiendi fenestram seu ianuam, ut ex propria domo prospectum seu accessum habeant ad Ecclesiam, dummodo tamen in actu fundationis hoc ius sibi reservaverint: et revera Sacra Congregatio huiusmodi Indultum denegavit Patrono, qui in actu fundationis Ecclesiae ius praedictum sibi non reservaverat; patet id ex Causa Reatina relata inter supplices libellos. Marchio Ioannes Vitelleschi Baro Oppidi Riccati, qui etiam patronatu fruebatur Ecclesiae parochialis eiusdem Oppidi, petiit facultatem aperiendi fenestram in muro divisorio propriae domus et Ecclesiae, unde ipse et alii de sua familia Missam commodius audire possent et praecepto Ecclesiae satisfacere. Petitioni assensum praebuit Episcopus et Parochus, at nihilominus die 2 iunii 1731 rescriptum fuit: – Lectum –, lib. 81 Decretorum pag. 298. Nec dissimilis fuit resolutio in Regien. 7 aprilis et 2 septembris eiusdem anni, et in Veronen. 26 aprilis 1732 *in Spoletana die 24 Iulii 1784* §. *Sustinet.*

Item *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Et.*

35. Hinc eis, qui patronatum habebant pro tertia parte Canonicatuum et Praebendarum, cum assensu Capituli approbatione Ordinarii et suffragio Sacrae Congregationis, concessum quidem fuit indultum aperiendi fenestram in Ecclesia Collegiata et Parochiali prospicientem ipsorum vita durante, sed iisdem e vivis ereptis, dissentientibus Compatronis et Capitulo, Sacra Congregatio, licet Ordinarius faveret filiis eorum ampliationem praefati Indulti petentium, eam denegandam esse censuit, nec non clausuras esse fenestras man-

(1) Scilicet quia ipse – non è benefattore, anzi ha sempre litigato con il Convento, e da sei in sette anni sono fece distruggere dodici candelieri con un piede di Croce e Croce d'argento di mirabile fattura dedicati e destinati dal fu Francesco Orlandini fideicommissario all'Altare della Beata Vergine del Carmine in detta Chiesa di valuta di circa due mila scudi. Non è Fondatore della Chiesa di S. Maria maggiore, come si proverà evidentemente, essendo stata donata la Chiesa a petizione de' Parrocchiani dal Rmo Capitolo del Duomo a Padri Carmelitani. Perchè la finestra tornerebbe sopra l'Altare, e sarebbe somma indecenza, che il Sacerdote celebrando avesse sopra i Secolari. Perchè nelle parti remote essendo la Chiesa assai bassa da cinque a sei braccia, dalla servitù si potrebbe segare i ferri e scendere in Chiesa, e così non esser sicuro, nè la Pisside, nè le altre argenterie. E perchè, benchè ancor promette di far fare una Cappella con spesa di ducento scudi, è stata negata la grazia altre volte, abbenchè siano stati offerti due mila Crociati, Ursaya tom. 4 part. 2 discept. 14 n. 39 et 40. Perchè non puole detta finestra essere, se non un focmite di scandali di occhiate di discorsi, per esser bassa la Chiesa. Perchè in Firenze non vi è Persona privata che abbia finestra in Chiesa con cavalca strada, quale sarebbe di somma difformità e ancora di pregiudizio al Convento di detti Padri –.

davit *in Firmana Servitutis die 8 Iunii 1782.*

36. Enimvero Collegiatae et Parochiali Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Civitatis Firmi immediate cohaerebat Palatium Comitum de Vincis, qui tamquam heredes Comitum de Giliuccis patronatum habebant pro tertia parte Canonicatuum et Praebendarum, quae erant in Ecclesia fundatae. Anno vero 1746 Fratres de Vincis, nimirum R. P. D. Conceptus nec non Comites Ioannes Simon Ludovicus ac Michael, expedito Brevi Apostolico, irrequisitis Parochianis, qui pro aliis duabus ex tribus partibus patronatum habebant dictorum Canonicatuum, obtinuerunt, accedente tamen consensu Capituli, facultatem aperiendi fenestram in sinistro eiusdem Collegiatae Ecclesiae latere, appositis in ea cratibus lignea et ferrea, illamque retinendi ipsorum dumtaxat vita naturali durante, sub onere per eos exhibito restaurandi propriis sumptibus eiusdem Ecclesiae frontem, quemadmodum fuit ab illis restaurata. Defunctis praedictis Fratribus de Vincis, quorum postremus fuit R. P. D. Conceptus, Capitulum et Canonici dictae Ecclesiae supplicarunt Summum Pontificem postulantes, quod cessato dicto privilegio per obitum Fratrum de Vincis in Apostolico Brevi dumtaxat comprehensorum, dicta Ecclesia ad pristinam libertatem suam, eadem intercedente Apostolica Auctoritate, clausa fenestra, restitueretur. Moderni autem Fratres Vinci, nimirum R. P. D. Ioseph Camerae Apostolicae Praeses et Comes Asdrubal defuncti Ioannis Simonis filii, petierunt a Summo Pontifice extensionem supradictae gratiae retinendi fenestram, durante tum eorum vita, tum aliorum iam natorum ex dicto Comite Asdrubale. Archiepiscopus censuit, – quod idem Indultum confirmari possit et valeat. Etenim Familia de Vincis perantiqua sanguinis nobilitate praefulget, et probatissimos ita mores sectantur moderni Comites, ut timendum non sit, quod huiusmodi Indulto vel in minimo possit abuti. Et revera iidem Capitulares a me auditi et requisiti nil solidi momenti hac in re peculiariter adduxerunt, et ex causa solum expirati privilegii eorum assensum praestare nolle mihi pandiderunt –. Addidit: – Plurima sunt beneficia a Familia de Vincis in ipsam Ecclesiam collata, et plurima munificentiae argumenta, quae etiam in ipso Brevi perleguntur –; et in praesens praedicti Comites de Vincis offerebant Ecclesiae et Capitulo cessionem Capellaniae una cum iurepatronatus eorum Familiae, et cum Capellaniae fundo in domo consistente annui reditus scutorum viginti octo, cum onere tamen tot annuas celebrandi Missas, quot erant Capellaniae reditus. Insuper res quidem erat de Ecclesia Collegiata, in qua privilegium retinendi fenestram non indulgetur, sed in casu, de quo agebatur, illud iam concessum fuerat, praevio assensu ipsius Capituli approbatione Archiepiscopi et suffragio Sacrae Congregationis. Verum in praesens nedum Capitulum, sed Parochiani Compatroni petitae gratiae dissentiebantur.

37. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus ampliationi Indulti, seu potius clausurae fenestrae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Firmana Servitutis die 8 Iunii 1782.*

38. Unde neminem quidem e domo in Ecclesiam prospectum aperire posse tradit Monacellius loco citato, sed addit – nisi forte in limine fundationis alicui Principi loci domino, aut alii insigni Benefactori, utpote quia una cum Ecclesia erexerit pingue Beneficium ecclesiasticum cum hac lege habendi prospectum, reservaretur; tunc ne laici a fundationibus retrahantur, cum possit Episcopus leges ac conditiones etiam iuri contrarias admittere, non diceretur aliquid contra ius attentare, sed posset Ecclesiam cum hac lege fundatam valide huic servituti subiicere –, ac tradit Lotterius de re Benef. quaest. 32 lib. 1 n. 15 et 16 *in Patavina Oratorii die 14 Augusti 1824* §. *Quod.*

Item *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Haec.*

39. Aliter enim si odei privilegium quandoque fuit tributum, repetendum erit a sola Apostolicae Sedis gratia, quae iuxta ecclesiasticam praxim concedi tantummodo solet locorum Dynastis Fundatoribus vel insignibus eiusdem Ecclesiae Benefactoribus, quemadmodum docent Card. De Luca disc. 13 de servit., Pignatellius consult. 129 tom. 4, et

Ursaya discept. eccles. 14 part. 2 tom. 4 *in Acheruntina Odei die 11 Iulii 1846* §. *Contendunt.*

40. Qua de re quum Fundator aedificaverit ac dotaverit Oratorium nec non Familiae suae reservaverit iuspatronatus legemque in actu fundationis adiecerit, ut liceret habere fenestram, e qua in dictum Oratorium prospici posset, quo commodius Sacrum audirent filii et heredes in perpetuum domum habitantes, sed Episcopus hisce omnibus adversaretur pluribus de causis, quas tamen praedictus Fundator insubsistentes dixerit, Sacra Congregatio mandavit, ut ipse supplicaret Sanctissimo *in Campanien. die 2 Septembris et die 16 Decembris 1747.*

41. Siquidem publicum Oratorium in honorem divi Iosephi a solo erexit iuxta proprias aedes in Civitate Campaniae Gherardus Copetus, constituta dote ducatorum millium, datoque onere trium Sacrorum singulis hebdomadis: iuspatronatus Familiae suae reservavit legemque in actu fundationis adiecit, ut liceret fenestram habere, e qua in Oratorium prospici posset, quo commodius Sacrum audirent filii et heredes in perpetuum domum inhabitantes. Preces inde obtulit Sacrae Congregationi, quibus petebat, ut haec omnia probarentur. Episcopus retulit, Gherardum lares transtulisse Salernum, ideoque hac fenestra consuli commoditati non familiae Copetae, sed Inquilinorum. Addidit, facultatem extruendi Oratorium nec a Rege, nec ab Episcopo obtinuisse: cautum esse a Rege, ne novae extruerentur Ecclesiae; Oratorium hoc brevi intervallo distare ab Ecclesia Patrum Minorum Observantium, et ab altero Oratorio Familiae Perottae; minui posse hoc novo Oratorio frequentiam Populi in aliis antiquioribus Ecclesiis, novumque malis hominibus asylum aperiri. Contra Gherardus disputavit, lares quidem suos Salernum transtulisse, hyberno tamen tempore Campaniae moram trahere: expresse a Rege, tacite ab Episcopo, qui pluries aedificium Oratorii vidit et laudavit, assensum obtinuisse; Ecclesiam Patrum Minorum et Oratorium Familiae Perottae longius distare, quam narravit Episcopus; rem non esse de Ecclesiis parochialibus, quibus consuli debebat, ne Populi frequentia minueretur, sed cum Ecclesia Regulari; Praefectum Monasterii veniam dedisse, ut Oratorium aedificaretur.

42. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Episcopus Campaniae sine praeiudicio iurium parochialium teneatur concedere facultatem benedicendi Oratorium, de quo agitur, pro Sacris peragendis? *Et quatenus affirmative.* II. An sit concedendum Indultum Fundatori relati Oratorii retinendi fenestram in eodem Oratorio prospicientem iuxta conditionem adiectam in instrumento fundationis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 2 septembris 1747 respondit: - Iterum proponatur –. Repropositis hinc praefatis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio post binas dilationes respondit: – Ad primum et secundum, supplicet Sanctissimo; et ad mentem – *in Campanien. die 16 Decembris 1747.*

43. Quum itaque Indultum aperiendi fenestram in Ecclesia parochiali prospicientem, praevio assensu ipsius Parochi approbatione Episcopi et suffragio Sacrae Congregationis, concessum fuerit a Summo Pontifice et executioni mandatum, Sacra Congregatio, reclamante postea praedicto Parocho de huiusmodi servitute Ecclesiae imposita absque insigni beneficio, haud permisit, ut praedicta fenestra clauderetur, solutis tamen ab Oratore scutis bis centum in subsidium fabricae Ecclesiae, et moderata fenestra iuxta formam ab Emo Praefecto approbandam, nec non cum declaratione, quod Indultum suffragaretur dumtaxat pro Oratore eiusque Uxore et filiis, durante vita eiusdem Oratoris et Uxoris tantum *in Reatina Indulti die 24 Maii 1732.*

44. Iamvero fatiscentem parochialem Ecclesiam S. Petri cum reaedificari oporteret, praestituta fuit pecuniae summa a Parochianis in id opus conferenda. Marianus Vecchiarellus, a quo erant contribuenda scuta triginta, et cuius domus finitima erat Ecclesiae, plura etiam ultro praestitit. Suae enim domus parieti murum Ecclesiae adhaerere passus fuit; tigna quoque immittendi facultatem fuit impertitus; utque altius tolli posset Templum, unam eiusdem suae domus fenestram luce privari permisit. His itaque beneficiis aliorumque etiam assequendorum spe adductus Rector Ecclesiae annuit, ut Marianus

facultatem peteret aperiendi in eiusdem Ecclesiae pariete fenestram, per quam e propinqua domo ipse cum sua familia Missam posset audire; Episcopo autem quoque adstipulante, censuit Sacra Congregatio die 13 ianuarii 1731 Marianum voti compotem fieri posse. Unde per Literas Apostolicas, die 25 eiusdem anni expeditas, Indultum obtinuit, adiecta lege ponendi in ea fenestra repagulum cratis ferreae et postium ex ligno. Pontificium Diploma iam Episcopus executioni mandavit, aegre quamvis id tunc ferente Parocho, et ceterorum Parochianorum invidiam concitante hac praerogativa Mariano tributa. Qua de re Parochus exinde contendit, beneficia a Mariano collata plus aequo verbis aucta fuisse, sed re ipsa haud talis esse momenti, ut in eorum remunerationem adeo gravem servitutem deceret Ecclesiam parochialem ferre. Non enim consuevisse privilegium istud concedi, nisi vel Patrono, qui in ipsa fundatione hoc ius sibi quaesitum voluerit, vel ei, qui ob eximia beneficia optime de Ecclesia meritus fuerit, fuse et relatis Sacrarum Congregationum Decretis, demonstrant Pignatellius consult. 129 n. 17 tom. 4, Monacell. tom. 1 pag. 149 a n. 17, Ursaya tom. 4 part. 2 discept. 14 a n. 34. Hic tamen considerandum videbatur, non hanc agi quaestionem, re integra; sed postquam ad effectum productum fuit Apostolicum Indultum, et quidem concessum, praevio assensu ipsius Parochi approbatione Episcopi et suffragio Sacrae Congregationis. Quamquam vero Apostolicis Literis inserta fuerit causula, – veris existentibus narratis –, putavit tamen Marianus, nihil desiderari ad eorum veritatem comprobandam. Idque etiam non solum confirmavit Episcopus, sed etiam subiunxit, fenestram eo ipso loco fuisse apertam, ubi reperta fuerunt vestigia similis fenestrae, qua olim utebatur Odoardus Vecchiarellus Cardinalis Propatruus memorati Mariani.

45. His igitur perpensis, proposito dubio: – An fenestra, de qua agitur, sit claudenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, solutis tamen scutis 200 in subsidium Fabricae Ecclesiae, et moderata fenestra iuxta formam ab Emo Praefecto approbandam, nec non cum declaratione, quod Indultum suffragetur dumtaxat pro Mariano eiusque Uxore et Filiis, durante vita eiusdem Mariani et Uxoris tantum – *in Reatina Indulti die 24 Maii 1732.*

46. Qua de re ad praecidendas lites Sacra Congregatio approbavit quidem generice transactionem inter laicos emptores Coenobii et Congregationem piorum Locorum initam, quin vero inferretur approbatio acquisitionis Conventus, sed haud probare censuit ius ei traditum aperiendi ianuam ex interiore domo et accedendi ad Ecclesiam, imo iam apertam claudendam esse mandavit, ex indulgentia tamen concessit facultatem aperiendi fenestram in Ecclesia prospicientem, ut Missam audire aliisque divinis Officiis interesse posset, durante eorumdem agnatione et habitatione *in Forolivien. die 24 Iulii 1824.*

47. Siquidem Iacobus aliique Romagnolii et Antonius Colombani emerunt anno 1812 pretio scutorum 5432 66 Coenobium cum horto adhaerens Ecclesiae S. Peregrini Latiosi in Civitate Foroliviensi, quod Patres Servi Beatae Mariae Virginis nuncupati antea incoluerant, et tunc venale prostabat. Exceptа Ecclesia eique coniuncto Sacrario, totum aedificium venditione comprehensum fuit, et praesertim conclave quoddam in prima contignatione, sive capitulum, quo eo Patres convenirent, appellatum, seu privatum Sacellum, quod aram habebat subiectam Crucifixi Imagini, quam miraculo in S. Peregrinum ipsum edito claram Forolivienses multa religione venerabantur. Ad hoc Sacellum erat aditus privatus e Claustro interiore Coenobii; erat et angusta porta ad latus Sacrarii Ecclesiae patens, quam post emptionem Romagnolii clausam pro arbitrio tenere initio consueverunt. Servarunt autem Sacellum religioso usui, ut acceperant, destinatum; restaurationibus et ornamentis auxerunt. Anno 1822 orta lis est inter Congregationem praepositam administrationi Locorum piorum Forolivii et Romagnolios: nam hi claudere perpetuo et stabiliter volebant minorem ianuam a Sacello ad Sacrarium ducentem, contra vero Congregatio ius activae servitutis tuebatur, et apertam portam a Romagnoliis esse tenendam, ut Populi devotioni fieret satis. Diu multumque agitata re in ecclesiastica Curia Foroliviensi, nec modicis hinc inde expensis factis,

satius deinceps visum est transactionem inire, cuius haec summa fuit, ad praesentem quod attinebat quaestionem: 1°. Romagnolii piae Congregationi venderent Sacellum, Ecclesiae per sacristiam perpetuo adiungendum, pretio a Peritis statuendo, qui tamen aestimare etiam deberent ad eius summam augendam – il ben mi sta, ossia vantaggio, che con tale alienazione viene ad acquistare l'Istituto suddetto –. Itaque evectum est pretium ad scuta 398 07 concordi duorum Peritorum iudicio; 2°. Clausa ianua principali Sacelli ad Clausuram pertinente, novus interior aditus perpetuo commodo Familiae Romagnoli et Successorum aperiretur ad idem Sacellum, atque inde etiam per Sacrarium ad Ecclesiam – il commodo, che viene riservato alla di lui famiglia perpetuamente di avere, mediante una porticella, accesso in detta Cappella, e che la Congregazione degli Istituti pii s'interessi, affinchè da chi si compete, esso signor Giacomo e sua Famiglia dalla detta Cappella possa aver accesso nella Chiesa per i divini Ufficii; 3°. Congregatio permitteret – per quanto può spettare alla medesima di aprire una finestra nel piano superiore del locale, che guarda in faccia alla Cappella di S. Pellegrino, che muniscasi di ferrata e scuro di legno, e promette d'interessarsi presso Monsignor Vescovo e l'amministratore Camerale, se occorrerà, onde abbia effetto la detta apertura –. Haec, ad Emum Foroliviensem Legatum delata, eius auctoritate confirmata fuerunt. Religio autem postea incessit Romagnoliis, num forte Ecclesiae iuribus adversi quidquam concordia contineretur, eaque de causa supplicem libellum Sacrae Congregationi porrexerunt ad probationem concordiae obtinendam. Episcopus transactionem, prout inita erat, in omnibus censuit confirmandam, et requisita transmisit documenta. Promotor Fiscalis in eamdem concessit sententiam Romagnoliis omnino velificantem. Interim tamen non defuerunt, qui graviter conquesti sunt apud Sacram Congregationem, ob duplicem praesertim servitutem, quae laicorum privato commodo Ecclesiae improbatur ex transactione.

48. Emus Card. Serlupi, cui votum a Sacra Congregatione commissum fuit, censuit, concordiam generice esse confirmandam, ut firma maneret venditio Sacelli, perpetuo coniungendi cum Ecclesia S. Peregrini. Nam cum Romagnolii domini essent Sacelli, iusta fuit transigendi causa et opportuna agnoscenda emptio Sacelli Ecclesiae perpetuo adiungendi, tum ut lites iam exortae cessarent, – tum ut vetusta loci religio retineretur. Pretium constitutum est a duobus Peritis hinc inde electis in scutis 398 07. Hoc nimis amplum existimari poterat, cum pateret intrinsecus Sacelli spatium non amplius pedes 18 5 in longum et latum. Quod Periti ex transactione rationem habuerunt « dal discapito, che Romagnoli ha o può avere nello scorporare con detta alienazione dal restante del locale la Cappella », atque ob id pretium aliquatulum auxerunt –. At aliud augmentum probare haud censuit Emus Relator tum conventum, tum constitutum a Peritis ex eo, quod vulgo dicebatur – il ben mi stà –. Convenerunt Partes: – Inoltre debbano i Periti considerare il ben mi stà –, scilicet – ossia il vantaggio, che con tale alienazione viene ad acquistare l'Istituto –. Episcopus de ea re explicanda interrogatus respondit: – Verba *il ben mi stà* referuntur ad maiorem convenientiam atque utilitatem Ecclesiae in possessione Oratorii, in quo summa veneratione colitur Imago Sanctissimi Crucifixi, qui divi Peregrini crus tangendo sanavit, et ad donum eiusdem S. Imaginis Altaris aliarum picturarum ibi existentium ab Oratore Ecclesiae factum –. Perpensis tamen concordiae verbis, earum rerum nulla donatio facta est, neque aestimatio ea de causa augeri poterat: praestituta quippe Romagnoliis compensatio fuit, sive correspectivitas ex alio pacto, cum peculiarem aditum sibi perpetuo reservaverint ad Sacellum, et ex eo ad Sacrarium et Ecclesiam – per li divini Uffizii –, addentes – in correspettività del quale commodo il signor Romagnoli lascia all'Istituto tutti gli infissi mobili Altare e pitture, che trovansi alla Cappella, e muri, che a lui appartengono, di che i Periti non dovranno aver riguardo nella loro stima –. Idcirco aestimatio *del ben mi stà* et auctio pretii inde a Peritis ad alia pertinebat. Reliquum erat igitur, ut nihil aliud sub iis verbis *il ben mi stà*, nisi commoditas et utilitas veniret, quae ex emptione et coniunctione Sacelli Ecclesiae pa-

rabatur. Atque hoc adamussim erat, quod Romagnolii aestimandum proposuerunt - il ben mi stà, ossia vantaggio, che con tale alienazione viene ad acquistare l'Istituto –. At vero pium Institutum seu Congregatio de Ecclesiae utilitate sollicita nihil aliud propositum habuit, quam ut vetustam piamque Populares Forolivienses retinere possent consuetudinem libere accedendi ad Sacellum Ecclesiae proximum Crucifixi Imaginem veneraturi. Quod cum bonum mere spirituale esset ad fidelium religionem et devotionem retinendam, certe nec vendi, nec emi poterat, ideoque eius causa nihil addendum erat aestimationi Sacelli. Quidquid ergo accessit pretio a Peritis praefinito, ratione habita *del ben mi stà,* detrahendum erat, remque remitti oportebat eorum iudicio ad congruam reductionem proponendam, ut valida censeri posset et adprobari concordia. Nec probandum censuit Emus Relator ius aperiendi novam ianuam ex interiore domo et accedendi ad Sacellum atque ita ad Sacrarium et Ecclesiam, cum servitus haec, uti Ecclesiae libertati damnosa ac perpetua, viam aperiret futuris incommoditatibus. Claudendam igitur perpetuo arbitratus est ianuam, quam a privata domo ad Sacellum Romagnolii iam aperuerant. Et quoniam ad hanc commoditatem obtinendam cesserunt – tutti gli infissi mobili Altare e pitture, che trovansi nella Cappella –, harum rerum aestimatio solvenda erat Romagnoliis: sed ipsi vicissim demere debebant de pretio Sacelli augmentum *del ben mi stà,* haud licite constitutum. Unum tandem ex indulgentia quadam et ad eorum explendam devotionem Romagnoliis permittendum duxit, ut quemadmodum transactione proposuerunt, haberent - un finestrino nel piano superiore del locale, che guarda in faccia alla Cappella di S. Pellegrino –, ubi Missam audire aliisque ecclesiasticis functionibus interesse possent. Huiusmodi autem *fenestrella* non solum in altiore loco aperienda erat et munienda cancello ferreo atque *scuro di legno,* ut proponebatur, sed etiam stabili crate parieti infixa, ne scilicet qui ibi manerent ab iis, qui essent in Ecclesia, videri omnino possent.

49. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus approbationi transactionis in casu etc. II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, ut, clausa ianua principali ad claustrum, novus interior aditus ad Sacellum, et inde per Sacrarium ad Ecclesiam aperiatur in casu etc. III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro concessione fenestrae in Ecclesia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris, et ad mentem; mens est, ut ex approbatione transactionis nil inferatur pro approbatione contractus acquisitionis Conventus. Ad secundum, Negative iuxta votum Emi Relatoris. Ad tertium, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris, durante Oratorum agnatione et habitatione, per Breve – *in Forolivien. die 24 Iulii 1824.*

50. Hinc et matri dumtaxat et filio eius, qui Ecclesiam fundavit ac bona tam pro eiusdem Ecclesiae manutentione, quam pro institutione Capellaniae assignavit, quin tamen sibi ius reservaverit pro aperitione ianuae, Sacra Congregatio concessit Indultum aperiendi fenestram in ea prospicientem eorumdem vita durante, non vero Indultum aperiendi ianuam concedere censuit *in Spoletana die 24 Iulii 1784.*

51. Enimvero Nicolaus et Antonius fratres Catani aere proprio anno 1768 in Oppido nuncupato *le Preci* publicam Ecclesiam sub invocatione S. Annae prope illorum domum cum Ordinarii facultate construxerunt: nonnulla etiam assignarunt bona tam pro eiusdem Ecclesiae manutentione, quam pro institutione Capellaniae, cum onere Missarum in ipsa celebrandarum. Ioseph Telesphorus Catani Fundatoris filius Summo Pontifici exposuit, hiberno tempore ob nivium copiam et ventorum impetum e propria domo Ecclesiam adire non posse per viam publicam; hinc, ad consulendum commoditati Matris viduae aliorumque de Familia, postulavit facultatem aperiendi ianuam in latere dextero eiusdem Ecclesiae, qua sibi Matri aliisque Familiaribus pateret aditus, ut Missae Sacrificio aliisque ecclesiasticis functionibus interesse possent. Episcopus testatus est de patronatu Ecclesiae et Capellaniae, atque addidit: - In limine fundationis nullum apparet appositum pactum ac conditio petitae communicationis Ecclesiae cum privata Fundatorum domo, quae distare refertur ab in-

gressu Ecclesiae spatio pedum Romanorum triginta, levioris quidem incommodi suapte natura, verum brumali tempore nivium quantitas et frequentia nec non aeris inclementia Incolis non parum gravis maiorem excitat Oratoris commoditatem et totius Familiae Catani, quae illius loci more civilium vivit. A latere dextero magis contigua Ecclesiae praedicta domus constituta manet, non dissita ultra pedes octo, facilisque aperitur aditus sive ingressus ad chorum supra ianuam maiorem confixum absque ulla Ecclesiae deformitate –. Deinde vero conclusit: – Patent Sacrorum Canonum statuta et Sacrarum Congregationum signanter Immunitatis resolutiones sive Decreta, Oratoris precibus adversantia; ideo Sapientissimo EE. VV. oraculo libentius iudicium pro merito instantiae submitto –. Ponderandum hinc erat, quod Orator patronatum habebat Ecclesiae, et in ea defunctus Pater Capellaniam fundavit: advertendum tamen, quod in actu fundationis Ecclesiae et erectionis Capellaniae nullum ius reservatum fuerat pro aperitione ianuae. Videndum, an saltem eius Mater aliqua commiseratione digna esset, et an distantia domus ab Ecclesia praepedire posset accessum ad ipsam absque gravi incommodo.

52. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum Indultum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative quoad fenestram tantum, ad vitam Oratoris et eius Matris cum solitis clausulis – *in Spoletana die 24 Iulii 1784.*

53. Iustis itaque de causis concessum fuit Infirmo, ut, durante ipsius infirmitate, ex propria domo in pariete communi cum Ecclesiae parochialis pariete habere posset fenestram prospicientem in eamdem Ecclesiam, et ex ea Missam audire, arbitrio tamen Ordinarii et de consensu Parochi, atque fenestra non aperiretur, nisi ad effectum praedictum audiendi Missam, clavi ad Parochum remanente *in Maioricen. die 17 Aprilis 1649 lib. 18 Decretorum pag. 106.*

54. Quin imo ex epicheia quadam videtur, quod esse possit locus concessioni aperitionis fenestrarum in Ecclesiis prospicientium, quando agitur de Barone, qui etiam esset insignis benefactor, nec res esset de aperienda fenestra in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, ad tradita per Pignatellium consult. 129 tom. 4 n. 25 et 26, et adnotavit Card. De Luca in disc. 16 de servitutibus *in Mantuana die 4 Maii 1726* §. *Materia.*

Item *in Firmana Servitutis die 8 Iunii 1782* §. *Materiam.*

55. Unde Ursaya in discept. eccles. 14 tom. 4 part. 2 n. 44 docet, nomen insignis Benefactoris eis tantum competere, – qui propriis sumptibus a fundamentis Ecclesiam construunt, aut gratis concesserunt totum situm, in quo illa constructa fuit, vel aliud insigne beneficium Ecclesiis impertiti fuerunt – *in Acheruntina Odei die 11 Iulii 1846* §. *Quod si.*

56. Nam huiusmodi Indultum non consuevisse concedi, nisi ei, qui ob eximia beneficia optime de Ecclesia meritus fuerit, fuse et relatis Sacrarum Congregationum Decretis, ostendunt Pignatellius consult. 129 a n. 17 tom. 4, Card. De Luca de servit. disc. 16 a n. 4, Monacell. in form. leg. part. 1 pag. 149 a n. 17, Ursaya discept. 14 part. 2 tom. 4 a n. 34 *in Florentina Indulti die 5 Iulii 1738* §. *Indultum.*

57. Quapropter Baro loci iurisdictionem criminalem tantum exercens retinere potest tantum fenestram in Ecclesia prospicientem ad formam Rescripti Sacrae Congregationis, quae post lapsum centum annorum, ex quo illius Antecessores eam retinuerunt, declaravit, licuisse etiam et licere Successori fenestram retinere *in Ugentina die 9 Februarii et die 10 Maii 1760.*

58. Siquidem comperiit Episcopus Ugentinus in sacra visitatione, Franciscum Vernaleone Baronem Terrae Muggiani duas habere fenestras in muris lateralibus Ecclesiae sive Capellae S. Antonii Patavini suo Palatio conterminae, et ianuam cum scala pro descensu ad Ecclesiam a superioribus dicti Palatii mansionibus: quocirca Interdicto supposuit Ecclesiam, usquequo clauderentur ianua et altera ex fenestris, quae constructa ad usum odei in Ecclesiam protendebat; idque rursus confirmavit publico Edicto, unica tantum permissa fenestra, postquam a Barone praesentatum fuit monitorium A. C. expeditum die 28 maii 1726 super Decreto Sacrae Congregationis pro facultate retinendi unam fenestram in Ecclesia praedicta. Sed novo

expedito Monitorio pro parte Baronis in eodem tribunali A. C., Causaque per Signaturam remissa ad Sacram Congregationem, disputavit Episcopus, claudendas esse ambas fenestras et ianuam, cum eas retinere in parietibus Ecclesiae vetitum esset de iure: nihilque suffragari putavit temporis lapsum, quia non attingebat immemorabilem. Minusque censuit prodesse qualitatem Baronis, iuxta Decretum generale Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, relatum per Pignatellium consult. 129 n. 6 et 7 tom. 4, praesertim cum Franciscus Vernaleone solum haberet in Terra Muggiani iurisdictionem criminalem, residente civili iurisdictione penes Episcopum Castrensem, qui propterea et non Vernaleonus dicendus erat loci Baro, ad tradita per Grammatic. cons.6, et Capiblanch. de Baron. pragm. 12 n. 38 et 39. Decretum vero Sacrae Congregationis editum die prima decembris 1725 favore antecessoris Baronis pro facultate retinendi fenestram protensam in Ecclesiam, contendit, extendi non posse ad aliam fenestram et ianuam, de quibus Decretum non loquebatur, et nequaquam egredi voluisse Personam antecessoris Baronis, cui fuerat indulta facultas, ad tradita per Zoesium comment. iur. can. lib. 5 tit. 33 n. 29, ibique Anaclet. n. 166. In dubio enim huiusmodi privilegia reputantur personalia e conspectu potissimum styli ea denegandi, vel concedendi ad vitam tantum insignium Benefactorum Ecclesiae, ut refert Ursaya discept. eccles. 14 n. 66 et 67 tom. 4 part. 2, et practicatum fuit ab Sacra Congregatione in Reatina Indulti 24 maii 1732; maxime quia fenestrae in Ecclesiam protensae praeseferunt absurdum immunitatis contiguae domus, quod non est tolerandum per ea, quae notat Ursaya in dicta discept. 14 n. 76 77. Secretarius Sacrae Congregationis vero advertit, praefatum Decretum diei primae decembris 1725, ut comperiit ex Regestris Secretariae, non praeseferre concessionem novi Indulti, sed potius declarationem competentiae iuris retinendi fenestram apertam in Ecclesia, quia Sacra Congregatio, praesupposita aedificatione Ecclesiae dudum facta a quondam Vincentio Lubelli Barone Casalis Muggiani cum fenestra vulgo *choretto*, ad effectum audiendi Missam e contiguo Palatio Baronali, post continuatam centum annorum possessionem rescripsit ad preces Baronis successoris: - Licuisse et licere praedicto Baroni Oratori praefatam fenestram retinere -, ut in lib. 75 Decretorum pag. 671.

59. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit exequendum Edictum ac Decretum editum ab Episcopo in sacra visitatione in casu etc. -, Sacra Congregatio die 9 februarii 1760 responsum tulit: - Affirmative, salvo iure retinendi fenestram tantum -. Reproposito dein dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis - *in Ugentina die 10 Maii 1760.*

60. Quum igitur Oratorio cubiculum esset adnexum, in quo sacra supellex servabatur, ac praeter ianuam pro adeundo cubiculo extaret in Oratorio parva fenestra, quam ideo apertam fuisse patebat, ut Familia nobilis a ceteris in Oratorium confluentibus segregata Sacrum audire posset, Sacra Congregatio resolvit, nec ianuam, nec fenestram claudendam esse, ex eo quod utraque fundationi coaeva videbatur, etiamsi praedictum Oratorium ad Villicum transierit *in Patavina Oratorii die 14 Augusti 1824.*

61. Iamvero comes Hieronymus Dotto Dauli patritius Patavinus anno 1744 Oratorium, rusticanae suae habitationi adhaerens, aedificari curavit, ac S. Vincentio Ferrerio dicari intra limites Paraeciae S. Thomae Apostoli de Albignasico in Diaecesi Patavina. Situm erat Oratorium prope viam publicam, quae ad Paraeciam ducebat, a qua unico lapide circiter distabat. Oratorio cubiculum erat adnexum, in quo sacra supellex servabatur, ac praeter ianuam pro adeundo cubiculo extabat in Oratorio parva fenestra, quam ideo apertam fuisse patebat, ut Familia Dotto Dauli, a ceteris in Oratorium confluentibus segregata, Sacrum audire posset. Fundatori Oratorii successit iure hereditario nobilis familia Patavina de Rivo, quae deinde fundum et rusticanam domum villico Petro Voltam vendidit, ad quem idcirco et Oratorium transiit. Exinde autem Sacerdos Ioseph Bianchi, Rector praedictae Paraeciae de Albignasico, ob cubiculum Oratorio adnexum, quod ipse triclinium cum camino dicebat, ob imminutam pro medietate amplitudinem viae, (me-

dietas enim alia a Petro culta fuit ac sata ad trifolium) ob appositum denique septum ligneum vulgo *sbarra* prope Oratorium, ab Sacra Congregatione definiri petiit, utrum idem Oratorium habendum esset publicum, vel privatum; et quatenus publicum censeretur, utrum ianua et fenestra essent claudendae. Parochus enim contendit, publicum haud esse Oratorium, cum in praesens non per publicam, sed per privatam viam ad Oratorium pateret aditus, idque ex eo eliciebat, quod media viae pars in longum trifolio sata reperiretur. Addidit, prope portam ingressus ad Oratorium viam septam esse lignis, ita ut neque liber accessus, neque Oratorium publicum dici posset. Deinde animadvertit, Missae celebrationem diebus solemnibus in Oratorio ab Episcopo fuisse prohibitam, cum tamen de iure in Oratoriis publicis Missae absque ulla reservatione celebrentur. Quod si publicum haberi vellet Oratorium, sustinuit Parochus, absque Beneplacito Apostolico permitti minime posse ianuam internam ac prospectum per fenestram in idem Oratorium. Nec id in limine fundationis ab Episcopo concedi poterat, quia cum Oratorio haud pingue erectum fuerat Beneficium ecclesiasticum; et Oratorium a Familia Patricia ad Villicum iam transierat. Quin imo dubitari iure poterat, in fundatione Oratorii neque ianuam, neque fenestram reservatas fuisse. De his enim ne verbum quidem occurrebat in visitatione iussu Vicarii Generalis Episcopi Patavini peracta anno 1744 ante Oratorii benedictionem: imo constabat, Oratorium inventum fuisse ad formam Constitutionum Synodalium; nemo sane dicere poterat, in Constitutionibus Synodalibus quidquam contra ius et ecclesiasticam disciplinam fuisse sancitum. Idcirco si in fundatione non fuerit concessa servitus, illa subinde imponi haud potuit.

62. Episcopus vero publicum esse Oratorium retulit, quia portam habebat in publica via, per quam omnibus patebat accessus; addi quoque poterat, campanulam ab ipsa fundatione appositam fuisse; haec enim duo simul iuncta, nempe campana et porta publica, suppeditabant invictam publicitatis Oratorii demonstrationem, uti cum aliis tradit Amostaz de caus. piis lib. 5 cap. 10 a n. 12. Quin obesset ligneum septum vulgo *sbarra;* quandoquidem, Episcopo teste, sationem trifolii tuebatur, sed liberum ad Oratorium accessum non impediebat; ipsa imo satio trifolii ad viae medietatem in longum coercita, et septum recenter adiectum aperte pandebant, utrumque arbitrarie gestum fuisse, nihil tamen antiquae publicitati viae detrahere potuisse. Profecto cum via antiquitus publica esset, praedium et Oratorium ita ad Familiam de Rivo et ad Petrum Voltam transierunt, prout erant penes Oratorii fundatorem comitem Dotto Dauli: hinc nil mirum, si tum in dicta visitatione anni 1744 et 1781 Oratorium perpetuo publicum nuncupabatur. Missae autem reservatio in diebus solemnibus, nec nova, nec insueta erat, pluribusque in locis a legibus Synodalibus promanat; neque argumentum praebebat ad negandam Oratorii publicitatem, quamvis publica Oratoria ad Missas quibusvis etiam solemnibus diebus celebrandas extruantur. Quoad servitutes vero ianuae et fenestrae Episcopus testatus est, ab ipsa Oratorii fundatione extitisse ianuam ac fenestram, idque certe permissum fuisse ab tunc temporis Episcopo. Nam ianua necessaria erat, ut accessus haberetur ad cubiculum, in quo sacra supellex asservabatur. Episcopus Iustiniani in sacra visitatione anni 1781 omnia invenit *ad formam;* tunc autem et ianua et fenestra procul dubio extabant: denique minime constabat, quo tempore post Oratorii aedificationem utraque aperta fuerit, omnia imo rerum adiuncta suadebant, utramque esse Oratorii fundationi coaevam. Inde vero inferendum videbatur, aut huiusmodi servitutes anno 1744 in ipso fundationis actu fuisse impositas, et ab ecclesiastica Auctoritate approbatas, aut diuturno temporis fere octuagenarii lapsu fuisse praescriptas, cum ad eas praescribendas anni quadraginta sufficiant, Cap. *De quarta* 4, Cap. *Ad aures* 6, Cap. *Illud autem* 8, et Cap. *Quia iudicante* 9 de praescriptione, et concordat Authentica *Quas actiones* Cod. de sacros. ecclesiis, Ferrar. verb. Praescriptio n. 15, et Gonzalez ad Reg. 7 cancell. gloss. 7 n. 8 et 25.

63. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An Oratorium sit publicum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An ianua et fenestra in Oratorio apertae sint

claudendae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative; et Episcopus curet stabilem fenestrae infigi ferream cratem - *in Patavina Oratorii die 14 Augusti 1824.*

64. Idcirco quum Summus Pontifex concessisset nobili Oratori eiusque familiae in perpetuum privilegium aperiendi fenestram in Ecclesia, quae construi incepta ob pecuniae defectum perfici non poterat, unde ille non parvam pecuniae summam praestitit, ut ex dicta fenestra Missam audire et Ecclesiae praecepto satisfacere posset, Sacra Congregatio resolvit, extincta praedicta Familia, privilegium praedictum transire in emptorem Palatii, ubi aperte extabat praedicta fenestra *in Reatina Odei die 21 Septembris 1822 et die 14 Iunii 1823.*

65. Siquidem anno 1779 nobilis civis Reatinus Alexander Amati, cum pictam haberet in muro scalarum sui Palatii Imaginem Beatae Virginis miraculis illustrem votis Episcopi et Populi Reatini cessit pro translatione eiusdem Imaginis in proximam Ecclesiam S. Vincentio Ferrerio sacram et filialem parochialis Ecclesiae S. Iuvenalis. Angustia Ecclesiae S. Vincentii pium in Populum desiderium accendit, novam amplioris venustiorisque formae aedificandi Ecclesiam et ad eam transferendi Paraeciam, quod, plaudente tunc temporis Episcopo, Sacra Congregatio fieri concessit. At veteri eversa S. Vincentii Ecclesia, dum nova excitebatur, piae fidelium largitiones impares evaserunt ad operis perfectionem. Tunc Alexander Amatus, ut rem gratam Concivibus suis faceret, praeter Palatii commodum, cui nova erecta Ecclesia duobus adhaerebat lateribus, scutata 600 monetae Romanae danda promisit, dummodo ei fieret facultas aperiendi e suo Palatio odeum in Ecclesia, a quo etiam satisfaceret praecepto Ecclesiae diebus festis Sacrum audiendi. Supplex hinc adiit s. m. Benedictum XIV postulans, ut sibi liceret aperire in dicta Ecclesia fenestram cum solitis cautelis *di ferrate*, ex qua ipse et sua Familia in perpetuum gaudere possent beneficio audiendi Missam et praecepto ecclesiastico satisfaciendi. Quum Oratoris precibus faverent Reatinus Praesul et Parochus, die 14 martii 1741 per Literas Apostolicas in forma Brevis Summus Pontifex commisit Reatino Antistiti, ut eidem - Alexandro facultatem aperiendi in muro praefatae Ecclesiae fenestram ad praemissum effectum iuxta petita, appositis tamen in ea cratibus ferrea et lignea, Auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis impertiatur -. Amati Familia, unica dempta sene Muliere vidua, iam iam exarescebat: anno 1816 Amati Palatium venditum est Familiae Blasetti privilegiis Reatinae Civitatis donatae, quaeque ex Episcopi testimonio optimis moribus christiana pietate praedita erat, vitamque ducebat more Nobilium. In praedicti Palatii vero venditione Vidua Amati sibi usum reservavit illius partis, cui praedicta fenestra adhaerebat, quam postea extraneo locavit. Putans Blasettus ex Palatii emptione cum omnibus iuribus et rationibus, quibus fruebatur Amati, haud dubie sibi ius etiam competere apertam in Ecclesia habere fenestram, solicitus tantum fuit Summum Pontificem exorandi, ut sibi et Familiae fas esset, ex eadem fenestra Sacrum audire et Ecclesiae praecepto diebus festis satisfacere. Parochus vero petitioni contradicens postulavit, Ecclesiam suam a fenestrae servitute liberari. Episcopus retulit, curatum fuisse inter Partes iniri concordiam, sed frustra; nam Parochus, ut assensum praestaret, petiit summam scutorum ter centum favore Sacrarii reinvestiendorum, Blasettus vero summam scutorum centum quinquaginta dumtaxat ob id dare promisit.

66. Contendit itaque praedictus Blasetti, in concessione Brevis s. m. Benedicti XIV facta favore Amati duo collata eidem Familiae privilegia accurate distinguenda esse; primum respicere aperitionem fenestrae, alterum vero satisfactionem Sacri diebus festis de praecepto. Unum enim sine altero poterat consistere; nec unum altero adversabatur, cum quis possit apertam habere fenestram in Ecclesia, et ab ea devotionis gratia Sacrum audire, non tamen diebus festis satisfacere praecepto. Hoc enim privilegium nonnisi a Summo Pontifice indulgetur, illud vero etiam ab Episcopo concedi potest in actu fundationis, vel insigni Ecclesiae Benefactori. Unde Summus Pontifex postulationi aperitionis fenestrae non cessit, nisi - veris existentibus narratis -, idest

solutione scutorum 600 pro perfectione Ecclesiae. Privilegium autem audiendi Sacrum cum satisfactione mandati Ecclesiae diebus festis de praecepto gratis elargitus est. Amatus igitur solutione praedictae summae, cum esset data in fundatione ipsius Ecclesiae et pro eius perfectione, et data esset conditione aperiendi perpetuo fenestram in Ecclesia, suo acquisivit Palatio prospectus servitutem ea solutione, eoque magis quia ipsum Palatium oneris ferendi servitutem Ecclesiae duobus ex lateribus sine ulla compensatione, sed gratis omnino praestandam suscepit. Quum autem prospectus servitutem sibi comparaverit Amatus, et haec realis esset, ideoque ipsi palatio adhaerens, transibat ad possessores omnes eiusdem Palatii. Praeterea quum causa finalis, qua motus Summus Pontifex Amati annuit postulationi, fuerit summa solvenda 600 scutorum ab Amato, et haec perpetuo data esset, etiam servitus prospectus per eam solutionem acquisita debebat esse perpetua, iuxta axiomata, quod causae et causati idem est iudicium. Idcirco servitus haec realis prospectus transitura in omnes eiusdem Palatii possessores praesefe-rebatur, iuxta regulam iuris 16 in 6. Id etiam aequitas exigebat, ne pii fideles retraherentur ab huiusmodi largitionibus, videntes Ecclesiam, postquam tot Beneficia recepit, summo rigore iura sua tueri. Si insuper iuspatronatus gentilitium, extincta familia seu agnatione Fundatoris, transit ad heredes, videbatur a pari id asserendum in hac servitute et concessione fenestrae: unde in Ecclesiis etiam Urbis, ubi licet in dies novi succedebant Domini Palatii, cui huiusmodi inhaerent fenestrae, non ideo emptores ab hoc iure deturbabantur. Ita enim contigit in Palatio olim Familiae Nicolini cum fenestra in Ecclesia S. Bartholomaei Bergomensis; ita in Palatio olim Collegii Alberoni cum fenestra in Ecclesia Sanctorum Angelorum Custodum, quamvis unum alterumque per venditionis contractum in extraneos transierint. Parochus ex adverso advertit, Pontificem annuisse gratiae, iuxta petita. At postulatio Amati arctabatur ad Personas ipsius Oratoris et Familiae; ergo extincta Familia cessavit concessio fenestrae. Non enim Amatus petiit a summo Pontifice hoc privilegium domui, sed sibi et familiae. Praeterea ex regula iuris 28 in 6: – Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda –; hinc Pontificia concessio fenestrae aperitionis cessavit in extinctione Familiae Amati, cuius intuitu concessa fuerat, cum adversaretur iuri communi, ut patebat ex Clementina 1 de sententia excommunicationis. Quae enim a iure communi exorbitant, odiosa censentur; sed ex regula iuris 15 in 6: – Odia restringi, et favores convenit ampliari –. Idcirco privilegium aperiendi fenestram nec poterat nec debebat produci ad extraneos Palatii possessores, quorum intuitu non fuerat concessa. Neque in pretio habenda esse contendit Parochus exempla in medium prolata. Nam ea vel respiciebant servitutes reales Palatiis illis Urbis inhaerentes, et tunc nulla difficultas, quod has apertas haberent omnes Palatii possessores, quod non obtinebat in casu, vel id contingebat ex silentio et negligentia eorum, qui Ecclesiae iura sarta tectaque servare tenebantur, et tunc sibi culpae verti non debebat, quod iura Ecclesiae suae vindicaret.

67. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Aloisio Blasetti, uti emptori Palatii olim Amati, competat ius retinendi apertam fenestram in Ecclesia S. Iuvenalis in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An fenestra retineri debeat aperta usque dum vixerit Clementina Amati in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 septembris 1822 respondit: – Ad primum, iterum proponatur. Ad secundum, Affirmative –. Reproposito hinc praefato dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Reatina Odei die 14 Iunii 1823.*

68. At privilegium odei ad Oratorum vitam petitum atque concessum, ipsis e vivis ereptis, haud transit ad possessores domus, ubi illud reperitur, sed locus est eiusdem obstructioni, etiamsi concessum fuerit ob quoddam in Ecclesiae beneficium collatum ac onus assumptum solvendi annuum pondus cerae albae *in Romana Odei die 29 Ianuarii 1853 et die 28 Ianuarii 1854.*

69. Enimvero Ecclesiae Beatae Mariae Virginis *della Quercia* in Urbe nuncupatae, quae ad Lanionum universitatem pertinet, domum contiguam possidens familia Mandosia, ad ampliandam Arae maioris formam,

cuiusdam atrii parte ultro dimissa, retributionis ergo assensum a Sodalibus reportavit, parvam construendi fenestram super unum ex odeis lateralibus ipsius Ecclesiae, in qua Sacrum audiri posset ab Helena Mandosi ab Archangelo eiusdem filio nec non ab huius uxore Constantia Belloni, quoadusque vitae usura fruerentur, assumpto etiam ab eisdem onere singulis annis decem cerae albae libras rependendi. Quare preces ad Summum Pontificem porrectas benignum excepit Rescriptum sub die 12 ianuarii 1752 – aperiendi supradictam parvam fenestram ad praemissum effectum, appositis tamen in ea cratibus lignea et ferrea, et cum conditione superius enunciata... ad eorum vitam tantum gratis imperiendam –. Simul ac Literae in forma Brevis expeditioni commissae fuere, statim praefati Oratores Pontificio privilegio usi sunt, verum nonnisi per triginta annorum intervallum; nam post id temporis improlibus ex hac vita migrantibus Helena eiusque filio Mandosi, una superfuit indultaria Constantia Belloni, cui adhuc fas erat eodem privilegio frui. Sed haec ab heredibus extraneis, qui Mandosiae Familiae iuribus potiti sunt, ab enunciatae domus possessione eiecta, cum probe norit, sibi interdictum iri privilegii usum, e re sua duxit eiusmodi iuri valedicere, praevia fenestrae clausura, quod adamussim executioni demandavit anno 1785, publico ac solemni adhibito instrumento, cui etiam adiectam conditionem voluit, ut absolveretur ab annua decem librarum cerae praestatione, tam quoad praeteritas non solutas, quam quoad futuras persolvendas. Hanc liberam Constantiae cessionem acceptam habens Sodalitas, illico fenestrae obstructioni incubuit, quae dein clausa mansit usque ad annum 1804; quo potissimum tempore Sodales, nemine auctorante, exarata locationis conductionis apocha (quod potius ignorantiae, quam eorum dolo tribuendum), usum odei concessere, depacta mercede, novo aedium proprietario Seraphino Marinucci, qui, soluto pretio convento ad annum usque 1817, per alios decem subsequentes annos, queis dominium aedium ac odei usum retinuit, nihil amplius Sodalitati rependit. Interea cum domus olim Mandosia, urgentibus Marinucci Seraphini creditoribus, sub corona veniret, eius utile dominium nactus est Nicolaus de Romanis, qui in praesenti controversia ius odei atque usum pro se tuebatur. Advertendum erat autem, emphyteutam de Romanis duodecim fere annos in odei usu per conductores, qui domum inhabitabant, perstitisse, quin ullam pro eo pensionem respondere cogitaret; quod causam Sodalibus praebuit eumdem vadandi apud Assessorem civilem ad hoc, ut Domini de Romanis (ratione locationis odei cum antecessore Marinucci initae) solverent scuta 74 50 – dal marzo 1827 a tutto luglio 1839, e vengano condannati alla restituzione e chiusura del coretto –. Iudex autem ille Decretum edidit die 16 iunii 1840 ita se habens: – Allo stato degli atti non è luogo a procedere –. Spe ita frustrati Sodales per modernum Rectorem et Custodes Ecclesiae S. Mariae de Quercu recursum habuerunt ad Sacram Congregationem postulantes, ut eis tribueretur facultas praefatum odeum occludendi eum in finem, ut ab omni servitute Ecclesia redderetur immunis. Emus Urbis Vicarius, posteaquam Nicolai de Romanis rationem in eo potissimum fundari retulerit, ut ius odei veluti Madosiis aedibus, quas ille acquisivit cum omnibus iuribus et commoditatibus ad eas pertinentibus, inhaerere putaretur, eidem adversam ita suam pandebat sententiam: – Videtur Nicolaus de Romanis impedire non posse, quominus Rector et Ecclesiae Custodes libertatem loci sacri ab omni servitutis vinculo defendant; nam odei privilegium personale plerumque est vel saltem gentilitium, quod ex Familia Mandosia in illam Nicolai de Romanis transiisse non arbitror –.

70. In porrectis quippe pro eo obtinendo precibus atque in subsecuto Pontificio Rescripto nonnisi ad Oratorum vitam tantum postulatum atque elargitum exprimebatur. Idcirco inficiandum haud erat, privilegium retinendi odeum Familiae Mandosiae tributum personale esse, ob particulam praesertim *tantum,* qua illud ad eorum vitam limitabatur. Unde illud consectarium habebatur, ceteris Personis, praeter expressas, haudquaquam opitulari posse, ut adeo privilegia concessa personaliter Patri vel Marito in Filios vel Uxorem etiam viduam, Marito mortuo, non transmittantur, L. *In ho-*

noribus §. vacationum ff. de excusat. munerum, L. *In filiis* Cod. de Decurionibus. Nec secus iudicandum erat ex finali privilegii causa: cum enim odeum, quo de agebatur, concessum fuisse pateret ad effectum, ut praedicti Mandosii praecepto audiendi Sacrum satisfacere possent, his elatis, finis privilegii cessavit; ac proinde, cessante fine, privilegium inde fluens evanescebat, Lambertin. de iurepatronat. lib. 3 quaest. 6 art. 1, Suarez lib. 8 de leg. cap. 3 n. 1. Quin imo relate ad Constantiam, etiam ante eius obitum illud desiisse per renunciationem, quam favore Ecclesiae Lanionum emisit, non ambigebatur. Nicolaus de Romanis vero adnotavit, praedictum odeum nil aliud existimari in themate, – che una correspettiva compensazione inerente al Palazzo Mandosi..., e consiste non già nell' Indulto di poter soddisfare al precetto, come falsamente vuole insinuarsi; ma bensì in un diritto legittimo, che porta seco il solo commodo di un più facile, e quindi più spesso esercizio di pratiche devote nelle distinte famiglie, che abitano quel grandioso appartamento –. Quare distinguendum erat inter ius odei, atque indultum in eo Sacrum audiendi: et quamvis hoc personale fuerit pro familia Mandosia, quippe cum concessum extiterit ad eorum vitam tantummodo, non ideo sequebatur, ius quoque odei personale fuisse; nam istud in compensationem elargitum fuisse videbatur, ob detrimentum domui illatum per atrii cessionem, ac propterea reale renunciaretur oportebat, ita ut in commodum cederet eorum, qui lares ibi fixos erant habituri. Praeterquamquod enim verba privilegii a Principe emanati sunt latissime interpretanda, privilegium, de quo res erat, ob remunerationem a Summo Pontifice datum, in contractum transiit ac erat irrevocabile, potissimum cum de pactione onerosa dubitandum non esset; nam praeter dicti atrii cessionem, promissa etiam fuit a Familia Mandosi annua decem librarum albae cerae solutio, quo pacto onerosum absolute privilegium diudicandum erat, et quodammodo emptum, Ferrar. in Biblioth. verb. Privilegium n. 10. Qua de re sicut gratis datum in dubio Doctores putant esse personale, ita ex contractu oneroso impetratum fatentur esse reale, Ferrar. loc. cit. in additione ex aliena manu n. 13. Unde ius hoc reale in emptorem dominii utilis domus Mandosiae transiit, quin obesset renunciatio privilegii emissa a Constantia Belloni, quae nonnisi iuri in favorem sui introducto dumtaxat renunciare poterat, videlicet tantummodo quoad indultum audiendi Sacrum, non vero quoad ius concessum in commodum possessorum eiusdem domus, ut Religionis ac pietatis actibus facerent satis. Insuper cum per plures annos praefatus de Romanis in pacifica odei possessione fuisset, incivile omnino erat, eum ab ipsamet possessione deturbari, adeoque eidem manutentionem esse tribuendam. Gratuita tamen videbatur distinctio inter indultum audiendi Sacrum Mandosiis tributum, et ius odei ad satisfaciendum pietatis actibus cuicumque possessori concessum: quippe nec vola, nec vestigium huiusce distinctionis apparebat in oblatis ab eis precibus atque in Rescripti verbis. Quin imo luculentissime privilegii perpetuitas excludebatur, cum ad vitam tantum Oratorum concessum praeseferretur. Nec itaque meliori omine innitebatur de Romanis doctrina privilegii remuneratorii et conventionalis; nulla enim in supplici libello vel Rescripto pactio seu conventio exhibebatur, neque cerae albae praestatio ac atrii partis cessio aequiparari poterat cum privilegii dignitate atque eius commodo. Privilegium igitur ad Oratorum vitam concessum, ipsis e vivis ereptis, necessario finem habuit, quin propterea ius ullum assequi posset de Romanis ex duodecim circiter annorum possessione, cum ei ius resisteret, et haudquaquam esset manutenibilis, ob iusti ac legitimi tituli deficientiam, Rot. in decis. 433 part. 19 Recent. tom. 2 n. 12, Card. De Luca de alienat. disc. 18 n. 13.

71. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus obstructioni odei in casu?–, Sacra Congregatio die 29 ianuarii 1853 responsum dedit: – Affirmative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? – Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Romana Odei die 28 Ianuarii 1854.*

72. Qua de re licet Summus Pontifex nobili Viro indulsisset facultatem non solum

retinendi apertas interiores Oratorii ianuas, sed etiam audiendi Sacrum ex duobus odeis, quorum utrumque Palatio adhaerebat, nec patebat accessus, nisi per Palatium, eo tamen e vivis erepto ac Palatio ab alio Viro, qui nobilitate carebat, divitiis vero potiebatur, empto, huic nihilominus non esse concedenda censuit Sacra Congregatio omnia privilegia, quibus Vir ille nobilis fruebatur, nullatenus obstante, quod Ordinarius ac Parochus eidem faverent *in Bononien. die 15 Ianuarii 1785.*

73. Siquidem Marchio Laurentius Centurioni nobilis Ianuensis Bononiae domicilium constituit, et in ea Civitate Palatium emit. Huic Palatio finitimum erat Oratorium, ad quod patebat aditus, tum per viam publicam, tum etiam per alias duas ianuas in interiori parte Palatii existentes. Extabat in Oratorio circa fornicem porticus vulgo *loggia,* columnellis ornata, et duo odea, quorum utrumque Palatio adhaerebat, nec patebat accessus, nisi per Palatium. Per Literas Apostolicas a s. m. Clemente XIV datas anno 1774 impertita fuit facultas Laurentio Centurioni non solum retinendi apertas interiores Oratorii ianuas, sed etiam audiendi Sacrum ex odeis. Defuncto Marchione Centurioni, Palatium translatum est per contractum emptionis in Carolum Ceneri civem Bononiensem, qui una cum filio aliisque de sua Familia Summum Pontificem supplicavit pro perpetua concessione omnium privilegiorum, quibus Marchio Centurioni fruebatur. Emus Archiepiscopus exposita in facto confirmavit, atque censuit, concedi posse huiusmodi Indultum (1), cui etiam Parochus favebat. Proposito vero dubio: – An sit concedendum Indultum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit:– Negative – *in Bononien. die 15 Ianuarii 1785.*

FESTORUM DIERUM OBSERVANTIA

1. Venerandum illud atque tam in veteris, quam novi Testamenti pagina, ut ait Pontifex Alexander III in Cap. *Licet de feriis,* praeclarissime fundatum Ecclesiae praeceptum de sanctificandis festis, partem suam affirmativam de cultu exhibendo, et negativam de abstinendo a servilibus, adeo arcto atque fere inseparabili vinculo coniungit, ut divus Thom. 2. 2 quaest. 122 art. 4, et Fagnan. in Cap. *Conquestus* n. 25 de feriis edicere non dubitaverint, rationem formalem sanctificationis festi consistere in vacando rebus divinis et in operum cessatione. Ex quo sane apparet, difficillime illud iam in Levit. Cap. 23, 7 divina auctoritate colligatum vinculum esse relaxandum *in Gallipolitana die 22 22 Februarii 1851* §. *In disceptationem.*

2. Unde quanta olim fuerit Ecclesiae sollicitudo in providendo, ne Christifideles Missae Sacrificio diebus festis destituerentur, ostendit S. Leo Papa in epist. 4 alias 82 ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum cap. 2, et Benedict. XIV de Sacrificio Missae lib. 3. Constat enim, permissum quandoque fuisse Parochis, ut bis eadem die celebrarent, si duabus Ecclesiis inter se dissitis praeficerentur, et utriusque Parochiae Populus in unam Ecclesiam convenire non posset. Celebre est, et in ecclesiastica historia notissimum exemplum S. Leonis III, qui septies aut etiam nonies

(1) Dixit enim: – Non dubito di asserire, che l'Oratore Carlo Ceneri e sua Famiglia può meritare li clementissimi riflessi di Nostro Signore, e di godere il commodo dell'interna communicazione della Cappella pubblica, giacchè questa famiglia, benchè non nobile, vive con splendore però, ed ha asse da nobile: inoltre è pia da bene e non lascia Carlo fare vistose limosine a Poveri di sua Parrocchia veramente abbondantissima di miserabili. Il Parroco pure è contento di tutto. – Existimavit tamen – escludere dalla grazia due porte, che sono nella Sagrestia, e che mettono immediatamene in un' appartamento condotto in affitto da altri, per le quali porte entrano gli Abitanti di esso appartamento si in Sagrestia, che in Cappella, e alcune volte sentono Messa nelle proprie camere colle sole porte aperte; con la riserva però agli Oratori di poter godere di tali ingressi ogni qualvolta non fosse affittato l'appartamento, ma si ritenesse da loro in proprio uso –. Subdidit praeterea: – Tale proibizione è ancora di genio dell'Oratore Carlo, che non amerebbe, che li suoi Inquilini avessero il passaggio nella Cappella, ma che non sa levare per non promuovere liti e contrasti. Così pure parmi, che dovesse essere ridotto l'uso de' due coretti collocati lungo una scala e una loggia in modo, che non fosse lecito a certi altri Inquilini del Palazzo farne uso indipendentemente dagli Oratori –.

eodem die Sacrificium offerre consueverat, teste Strabon. de reb. eccles. Cap. 21, si quando tamen aut Populi frequentia, aut pietas solemnioribus diebus id requirere cognovisset, prout multi tradunt. Facultatem iterandi Sacrificium Parochis in Hispania et Indiis tribuit S. Turribius in Synodo Limina VII, ut Populorum necessitatibus occurreret. Et in Concilio Nemausensi anno 1284 sub Martino IV ita legitur: – Si omnes Parochiani ad unam Missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant..., et dicta prima Missa postmodum Parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum Sacerdos Missam aliam celebrare – *in Placentina Transactionis die 7 Augusti 1773* §. *Quanta.*

3. Itaque sicuti potest Summus Pontifex festum indicere de praecepto in universa Ecclesia, ita potest Episcopus hoc ipsum facere in sua Diaecesi, accedente consensu Cleri et Populi, uti probat Textus in Can. *Pronunciandum* de consecrat. dist. 3, et in Cap. *Conquestus* de feriis *in Antequexen. in Indiis Occidentalibus die 22 Februarii 1719* §. *Quoad.*

4. At licet nonnulli Doctores dicant, consensum Populi de consuetudine amplius non requiri, omnes tamen agnoscunt necessitatem consensus Capituli, Azor Inst. moral. tract. 27 lib. 1 cap. 26 quaest. 1 et 2, Diana in edit. coordinat. tom. 3 tract. 3 resol. 89 n. 2 *in Antequexen. in Indiis Occidentalibus die 22 Februarii 1719* §. *Quoad.*

5. Nec obstat Bulla *Universa* 291 Urbani VIII, in qua dies festi statuuntur: nam ex ea non prohibetur Ordinariis aliorum festorum indictio, sed tantummodo iidem admonentur, ut a dicta indictione novorum festorum de praecepto studeant, quantum fieri potest, abstinere *in Antequexen. in Indiis Occidentalibus die 22 Februarii 1719* §. *Quoad.*

6. Episcopus vero non habet a Concilio Tridentino maiorem facultatem dies festos indicendi, quam habet a iure communi *in Nullius die 12 Novembris 1639 lib. 14 Decretorum pag. 203.*

7. Hinc Episcopus tenetur in indicendis novis festivitatibus exequi tenorem Bullae a S. Pio V editae, quae etiam extenditur ad loca extra Romanam Urbem *in Ruben. lib. 2 Decretorum pag. 132.*

8. Tenetur pariter Episcopus iuxta praescriptum praefatae Bullae ad observantiam earum festivitatum, quae iuxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueverunt *in Ruben. lib. 2 Decretorum pag. 132.*

9. Non tamen potest cogere Regulares ad celebrandam Octavam SSmae Conceptionis Beatae Mariae Virginis; sed tantum diem festum ad formam Decreti iussu fel. rec. Gregorii XV editi sub die 24 martii 1622 *in Cracovien. die 23 Iunii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 132.*

10. Alias Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 12 de regularibus edixit: – Dies etiam festi, quos in Diaecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur – *in Constantien. Iurisdictionis die 31 Martii 1770* §. *Speciatim.*

11. Unde Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum in Cap. 12 sess. 25 de regularibus statuens, dies festos praescriptos ab Episcopo servandos esse ab omnibus, comprehendere etiam exemptos, dummodo sint in Diaecesi Episcopi praecipientis, non extra *in Feretrana lib. 2 Decretorum pag. 24.*

12. Quum igitur res esset de Oppido Alberonae subiecto Religioni Hierosolymitanae, proposito dubio: – VI. An etiam providere possit Episcopus in visitatione circa mores Populi in observatione festorum dierum in contractibus usurariis in futurorum Coniugum inhonesta conversatione in Sacramentorum frequentia et similibus? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad sextum, dilata; et firma remanente remissione Causae quoad qualitatem Nullius ad Rotam, et firmis quoque remanentibus Decretis anni 1652 et 1655, Episcopus interim utatur iure suo in exercitio iurisdictionis ordinariae – *in Vulturarien. Iurisdictionis die 9 Februarii 1732.*

13. Idcirco festum S. Ioseph solemniter celebrari praeceptum ab Episcopo debet solemniter celebrari ab omnibus etiam exemptis *in Neapolitana ad Cap. 12 sess. 25 de regularibus Posit. 142.*

14. At non licet omnino Episcopo Mar-

tyrologium Romanum immutare, illius ordinem invertere, aut aliud conficere *in Basileen. anno 1586 lib. 4 Decretorum pag. 185.*

15. Nam e contra Episcopus curare debet observantiam dierum festorum, iuxta formam Constitutionis S. Pii V incipien. *Cum primum ad Apostolatus Officium* data Kal. aprilis 1566 *in Guardien. die 14 Decembris 1630 lib. 14 Decretorum pag. 360.*

16. Quapropter Sacra Congregatio respondit, observandum esse Decretum Synodale prohibens Cauponis et Tabernariis vendere vinum publice diebus festis a signo dato Missae solemnis usque dum ipsa expleta fuerit, sub poena pecuniaria et carceris contra inobservantes *in Caesenaten. Synodi die 29 Ianuarii 1695 lib. 45 Decretorum.*

17. Nec aliter Sacra Congregatio edixit quoad Decretum praecipiens, officinas Mercatorum claudi, dato signo Missae maioris et Vesperarum tempore nundinarum, ex indulto Apostolico celebrandarum *in Caesenaten. Synodi die 29 Ianuarii 1695 lib. 45 Decretorum.*

18. Unde circa observantiam dierum fefestorum, quoad Molitores Cauponas et his similes, accessum ad Monasteria Monialium tam Secularium, quam Regularium Decreta, quando observanda, habes *in Caesenaten. Synodi die 26 Februarii et die 12 Martii 1695 lib. 45 Decretorum.*

19. Diebus enim festis praesertim horis Missarum prohibendum est, ne quis larvas personasve induat, choreas ducat, nec nundinae fiant *in Barchinonen. mense Iulii 1588 lib. 5 Decretorum pag. 167.*

20. Quin imo nundinae formales non debent permitti, nisi de rebus levibus, iuxta consuetudinem antiquam, et peractis Sacris *in Placentina die 15 Decembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 27.*

21. Possunt tamen tolerari nundinae illae, quae fiunt singulis annis ratione concursus devotionis erga aliquem Sanctum, ex sola tantum convenientia, non autem per modum declarationis vel Edicti *in Castellaneten. die 9 Maii 1637 Posit. 236 pag. 373 et 380 ad Cap. de diebus festis.*

22. Idcirco non licet Communitati ac Civibus habere mercatum in die pro illo determinato, si in eum incidat dies festus, etiamsi in medium proferant assertam immemorabilem consuetudinem *in Ripana Mercatus die 2 Maii 1711 lib. 61 Decretorum.*

23. Siquidem – cum modernus Episcopus Ripanus de mense septembris 1709 Edictum typis mandaverit super observantia dierum festorum, in quo signanter illud praescripsit §. 2: « Le fiere, che soglion farsi in alcune feste determinate dell'anno, si tolerano dopo celebrata la Messa maggiore. Ma i mercati, che si fanno in giorno fisso della settimana, cadendo in questo qualche festa, si trasferiscano nel giorno antecedente o susseguente non festivo, secondo la disposizione di tutti i Synodi Diocesani da nostri Antecessori stampati, sotto le infrasritte pene etc. »; nihilominus Civitas et Homines Ripani ad impediendam eiusdem Edicti promulgationem ex asserta immemorabili consuetudine habendi mercatum in die sabbati, etiamsi in eum incidat dies festus, obtinuerunt ab A. C. monitorium super manutentione cum inhibitione. Sed R. P. Auditoris Sanctissimi Decreto Causa remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem, in qua concordato infrascripto dubio, contingit hodie ex deducendis hinc inde a Partibus monitis ab EE. VV. illud resolvi: – An liceat Communitati et Hominibus Ripae habere mercatum die sabbati intus vel extra Civitatem, quando occurrat, quod sit dies festivus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Ripana Mercatus die 2 Maii 1711 lib. 61 Decretorum* (1).

24. Ceterum quamvis, ut se abstineant diebus festis ab omni illicito et servili opere Christifidelibus imperet Sacrosancta Mater Ecclesia, ut in Decret. tit. de feriis, eorumque inviolabilem observantiam sub gra-

(1) Benedictus XIV in Constitutione, cuius initium: *Ab eo tempore* 6 novembris 1745 Bullar. eiusdem, Decretum hoc hisce verbis confirmavit: – Quod Decretum Apostolica nostra Auctoritate comprobante, instar regulae esse volumus, ac in omnibus temporalis ditionis nostrae Provinciis Urbibus ac Locis, Sanctae Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectis, inviolabiliter observari praecipimus –. Laudatus Pontifex enim in memorata Constitutione diebus festis prohibuit habe.i mercatus rerum venalium, toleravit nundinas sub certis conditionibus.

vibus etiam poenis exigant Apostolicae Constitutiones; nihilominus Summi Pontifices ad occurrendum egestati et necessitati Pauperum fidelium, qui ex sudore vultus et labore manuum victum sibi quaerunt ac comedunt, indulserunt, quod iidem, firma et integra manente obligatione praecepti omnibus Dominicis aliisque principalioribus anni festis, aliis in festivis diebus, audito Sacro, laboriosis suarum artium exercitationibus et servilibus operibus sine ullo prorsus conscientiae scrupulo, et absque salutis aeternae dispendio vacare possint *in Brunen. die 3 Iunii 1780* §. *Quamvis.*

25. Iamvero ita s. m. Benedictus XIII per suas Literas Apostolicas in forma Brevis expeditas incipien. *Superabundavimus gaudio* sub datum die 22 maii 1728 id mandavit Archiepiscopo Tarraconensi et Coepiscopis in Concilio Provinciali: ita quoque s. m. Benedictus XIV per Literas Apostolicas etiam in forma Brevis, cuius est initium *Cum sicut quaedam sunt* sub datum diei 3 septembris 1742 elargitus est Episcopo Calagurritano; subindeque hanc ipsam facultatem concessit Christifidelibus per totam fere Germaniam existentibus. Praedecessorum vestigia sequens s. m. Clemens XIV nedum praefatam facultatem confirmavit, sed etiam adauxit in Germania, dum per Apostolicas Literas expeditas in forma Brevis incipientis: *Paternae charitati* voluit, iustis de causis ibidem expressis, Christifideles artium exercitio incumbentes ab obligatione quoque audiendi Missam, sicuti praeceperat Benedictus XIV diebus festis, in quibus permissa fuerint opera servilia, in posterum absolutos esse ac liberatos. Iussit tamen, – Sanctorum et solemnitatum Officia et Missas tam in iisdem abrogatis festis, quam in eorum vigiliis retineri, et sicuti prius in quacumque Ecclesia celebrari – *in Brunen. die 3 Iunii 1780* §. *Quamvis.*

26. Hinc Benedictus XIV in dicta Constitutione, quae incipit: *Cum sicut quaedam sunt* §. 2, postquam designavit festivitates, in quibus adegit Fideles ad utriusque praecepti satisfactionem, indulsit Episcopis, quod – in reliquis diebus festis, sive per hanc Sanctam Sedem praeceptis, sive per Synodales eiusdem Diaecesis Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per Maiores suos facti, quoad hanc partem etiam auctoritate nostra Apostolica per te commutari volumus, praeceptis, audita Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, Auctoritate nostra Apostolica concedas indulgeas et permittas ac statuas praecipias et mandas – *in Tirasonen. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Aprilis 1782* §. *Perpendendum.*

27. Nam ex communi Canonistarum et Theologorum sententia, legitima intercedente causa, diebus festis permittitur servilium operum exercitium, ut generaliter ex causa necessitatis tradit Textus in Cap. *Conquestus* 5 de feriis, Sanchez cons. moral. lib. 5 cap. 2 dub. 19 n. 1 et per totum, Cabas. iur. can. theor. et prax. lib. 2 cap. 31, et ex causa pietatis docet pariter Textus *Conquestus*, ibique Glossa in verb. pietas, Krimer. lib. 2 Decret. tit. 9 n. 37, Anaclet. Theol. moral. tract. 10 dist. 1 quaest. 3 n. 37 *in Brunen. die 3 Iunii 1780* §. *Videtur.*

28. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, licere diebus festis dare operam rebus ad victum necessariis ac tempore perituris, praesertim tempore vindemiarum, messium, ac recolectionis fructuum, vel urgente necessitate, vel suadente pietate *in Nullius anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 70.*

Item *in Cassanen. anno 1602 lib. 10 Decretorum pag. 34; in Policastren. mense Decembris 1623 lib. 12 Decretorum pag. 146.*

29. Qua de re multo magis licet Universitati eiusque Decurionibus diebus festis conventum habere atque inter se consulere ac deliberare, dummodo in eis neque consilia neque deliberationes fiant de rebus servilibus *in Anglonen. anno 1601 lib. 9 Decretorum pag. 132.*

30. Unde, an detur causa licite vacandi servilibus operibus, Episcopus vel Superior ecclesiasticus tantum cognoscere debet *in Nullius anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 70*

Item *in Policastren. mense Decembri 1623 lib. 12 Decretorum pag. 146; in Caputaquen. die 2 Augusti 1630 lib. 14 Decretorum pag. 480.*

31. Itaque Sacra Congregatio declaravit

ad Episcopum spectare declarationem casuum necessitatis vel pietatis, ut diebus festis possit vacari servilibus operibus *in Strongolen. die 17 Maii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 484.*

32. Idcirco diebus festis operibus servilibus vacantes cum licentia Superioris ecclesiastici non sunt molestandi a Superiore laico *in Senogallien. anno 1609 lib. 11 Decretorum pag. 64.*

33. Hinc multo minus puniri possunt, sed potius e contra possunt puniri a Superiore ecclesiastico, si, omissa eius licentia, iisdem operibus vacent cum licentia Superioris laici *in Dubium die 19 Decembris 1602 lib. 10 Decretorum pag. 46.*

Item *in Mutinen. anno 1621 lib. 12 Decretorum pag. 3.*

34. Quapropter Iudices ecclesiastici possunt et debent irrogare poenas violantibus dies festos, nec possunt nec debent impediri a Iudicibus laicis *in Ulixbonen. anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 187.*

35. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, nullum esse, utpote laesivum iurisdictionis ecclesiasticae, Statutum a Superioribus laicis editum, quo prohibetur, ne diebus festis vacetur operibus servilibus, nisi ex causa per sacros Canones probata, si includat conditionem, quod talis causa debeat cognosci ab ipsis superioribus laicis, vel ab eisdem debeat obtineri licentia vacandi *in Nullius die 19 Septembris 1602 lib. 10 Decretorum pag. 46.*

36. Etenim licet quidem potestati civili adiuvare leges Ecclesiae communes, atque in eorum violatores animadvertere, non tamen ad eam spectat facere Edicta circa festorum observantiam, prout habetur decisum a S. Congregatione Episcoporum et Regularium in Umbraticen. 2 martii 1621; siquidem, ut ait Reiffenstuel in lib. 2 Decret. tit. de feriis cum Fagnano in Cap. *Conquestus* de feriis n. 59, finis cessationis ab operibus in festivitate fit principaliter ob cultum et reverentiam Dei, et consequenter non spectat ad potestatem laicalem indicere cessationem ab operibus. Potest quidem punire per Statutum se conditum festorum violatores, eosque a transgressione imposterum arcere; attamen huiusmodi Edicta ab Episcopo subscribenda atque promulganda sunt, ceu advertit praefata S. Congregatio Episcoporum et Regularium in Umbraticen. 2 martii 1621. Et insuper non sunt puniendi, nisi ii, qui contraveniunt sine licentia Episcopi, S. Pius V in Constit. incipien. *Cum primum,* S. Congregatio Episcoporum et Regularium in Theatina 29 maii, in Neapolitana 22 Iunii 1621. At vero contra licentiam Episcopi tamquam per abusum factam restituendae sint leges communes, non est potestatis laicae diiudicare, Can. *Bene quidem* dist. 96, Cap. *Ecclesia S. Mariae* de constitut., Reiffenst. tit. de iud. n. 75 *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Quod vero hac.*

37. Hinc licet potestas civilis in materia spirituali aliquid de novo absque Ecclesiae auctoritate statuere nequeat, Clement. unic. de relig. et vener. Sanctorum, Cap. 10 *Ecclesia S. Mariae,* nihilominus per Statutum a se conditum posse poenas infligere illis, qui violant dies festos ab Ecclesia iam institutos, traditur communiter cum Fagnano in Cap. *Conquestus* n. 73, et Reiffenst. tit. 9 de feriis; quia violatio festorum est delictum mixti fori, prout declaravit S. Pius V in Constitutione *Cum primum,* tom. 2 Bullar. Roman. Const. 5 eiusdem Pontificis *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Nec.*

38. Hinc et Sacra Congregatio declaravit, esse mixti fori punire violatores dierum festorum *in Nullius die 18 Iulii 1602 lib. 10 Decretorum pag. 41.*

39. Quin imo catholicorum Principum est, in adiutorium Ecclesiae Sacrorum Canonum praecepta tueri, atque in violatores animadvertere, Can. *Si in adiutorium* dist. 10, Can. *Boni Principis* dist. 96, Concil. Trid. sess. 25 cap. 20 de reformatione, Fagnan. in Cap. *Conquestus,* et Reiffenst. tit. de feriis *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Nec.*

40. Quoad autem arma, quae ab Officialibus super observantia festorum deputatis gestari vellent, Sacra Congregatio iniunxit Secretario, ut Sacrae Congregationis mentem Episcopo significaret *in Nicien. Visitationis sacrorum Liminum die 6 Augusti 1677.*

41. At gratis concedenda est declaratio casuum necessitatis vel pietatis, quando vacari valeat operibus servilibus, nec non ipsa licentia vacandi diebus festis operibus servi-

libus *in Messanen. die 9 Iulii 1644 lib. 17 Decretorum pag. 349.*

Item *in Strongolen. die 17 Maii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 484.*

42. Nec potest quidquam recipi etiam sub motivo illud applicandi pro manutentione Seminarii *in Cremonen. die 12 Maii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 199.*

Item *in Messanen. die 9 Iulii 1644 lib. 17 Decretorum pag. 349.*

43. Enimvero Urbanus VIII in Constitutione, quae incipit: *Universa,* haec statuit: – Quae quidem licentiae non aliter, quam ad formam antiquorum Canonum, ut praemittitur, concedendae, nonnisi gratis libere et sine ullo prorsus pretio aut pacto directe vel indirecte concedantur, sub poenis etiam gravioribus nostro Successorumque nostrorum arbitrio infligendis..., non obstantibus quibuscumque Apostolicis... et confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus longissimo tempore praescriptis... etiam immemorialibus etc. – *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Idque.*

44. Hinc merito Pignatellius tom. 8 consult. 69 n. 5, et Giraldi in Cap. *Licet* de feriis part. 1. lib. 2 Decret. statuunt, ab Episcopis pro licentia laborandi in festis exigi vel iniungi eleemosynam nullo modo post Bullam posse, etsi hoc factum sit in eodem Cap. *Licet,* quia hac Bulla manet correctum ius antiquum *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Idque.*

45. Animadvertendum tamen est, quod si licentia, exempli gratia, piscandi concedatur propter lucrum materiale, sane adest simoniae labes: contra nulla simoniae labes habetur, si aliquid libere atque ob gratitudinem a Piscatoribus offeratur, ex Can. *Quidquid* 101 Caus. 1 quaest. 1, Cap. *Dilectus* de simonia. Quin immo quoties iusta de causa dispensatio fiat in observatione festorum, debet commutatio fieri, ut solvatur certum quid alicui Ecclesiae, Molfes de praecept. decalog. 2 Cap. 17. Et Suarez de legib. lib. 6 cap. 16 cum Pignatellio tom. 8 consult. 69 n. 2 notat, si Episcopus dispenset in festis statutis de iure communi, mandari ex Cap. *Licet* de feriis, ut solvatur certum quid pro eleemosyna, habita ratione oneris, non tamquam pretium datae facultatis, sed tamquam eleemosyna, ut in compensationem non observandi festa fiat aliud opus in honorem Dei in benefaciendo Ecclesiae, vel Pauperibus *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *At urget.*

46. Hinc Urbani VIII Constitutio nihil obstat, cum non agatur de exactione vel iniunctione eleemosynae, sed agatur de libera oblatione et gratitudine, quae quidem perseverat etiam post praedictae Constitutionis editionem. Indirecte enim ex praefata Constitutione cum pacto vel pretio licentiam dare Episcopus dicitur, si iis tantum facultatem concedit, qui offerunt donum aliquod vel munus vel partem ex captura, vel iis non concedit, qui non amplius offerunt, Pignatell. consult. 69 tom. 8. Ratio hinc praestandae eleemosynae, quam Canonistae proponunt, ut scilicet in recompensationem non observandi festa fiat aliud opus in honorem Dei, per Constitutionem Urbanam minime sublata, sed propter abusus prohibitum est, ne Episcopi in dandis licentiis directe vel indirecte eleemosynam exigant. At dispensatus, qui tali rationi libere gratoque animo satisfacit, sane impediendus non est *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Constitutio.*

47. Itaque Giraldi in comment. ad Cap. *Licet* de feriis part. 1 lib. 2 tit. 9, post relatam Urbani VIII dispositionem, hanc ponit limitationem: – Non est tamen Episcopo prohibitum hortari Populum ad aliquam eleemosynam applicandam pro sublevatione Locorum piorum, si qui alicubi maxima egestate laborent, ex Decreto Congregationis Episcoporum et Regularium in Casertana 29 novembris 1594 relato a Lucio Ferraris verb. Festa n. 35, quod tamen crederem esse intelligendum, quando dispensatio concederetur pro Universitate alicuius loci, non pro aliqua peculiari Persona – *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Audiendus.*

48. Nec sane dubium, quin inter opera, quae tamquam servilia festorum celebrationi officiunt, sit recensenda piscatio, ex Suarez de relig. tom. 1 lib. 2 Cap. 28 n. 1, cui omnino assentitur Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13 Cap. 18 n. 11 dicens: – Inter opera servilia piscationem quoque recen-

sendam esse, quotiescumque ad lucrum exerceatur, ideoque diebus festis non licere –. Et dubium omne, si quod oboriri possit, e medio tollitur, eo quod Doctores, ut S. Alphonsus in Theol. moral. lib. 3 tract. 3 n. 283, qui probabiliorem et communiorem docent esse sententiam contrariam, tamen adiiciunt, – dummodo piscatio fiat sine magno labore vel piscationem licitam in festis moderatam esse debere; laboriosam, et ex officio non licere – Busemb. lib. 3 tract. 3 cap. 1 n. 8, Laym. Bonacc. etc. *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Inter.*

49. Quando vero quaestio versatur de piscatione marina indiscriminatim, quae sane lucri causa a certo quodam et permagno hominum coetu cum quolibet labore peragitur, certum est, talem piscationem esse servilem, atque in festis prohibitam per Summos Pontifices Alexandrum III, Cap. *Licet* de feriis, Sixtum V, Clementem XI, ceu observat Benedictus XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. 18 n. 10 *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Inter.*

50. Qua de re diebus festis permittitur servilium operum exercitium in casu piscationis, pro qua necessitas urget, ceu loquitur Textus in Cap. *Licet* de feriis, quem sequuntur et explicant Suarez de Relig. tom. 1 lib. 2 cap. 23 n. 6, Anaclet. Theol. moral. tract. 10 distinct. 1 quaest. 3 n. 34; ac ubi accedat ratio pietatis, recte advertit Lastr. in Decret. tom. 3 recollect. super tit. 9 de feriis n. 1 et n. 5, Suarez loc. cit. n. 6 et n. 8 *in Brunen. die 3 Iunii 1780* §. *Videtur.*

51. Verum etsi dubium non sit, quin piscatio, ut diebus festis peragi valeat, dispensatione indigeat, tamen quum hoc ex communi et probabiliori Doctorum sententia maxime rerum adiunctis tribuendum sit, S. Alphonsus in Theol. moral. lib. 3 tract. 3, ambigi nequit, quin per se sit opus ad licentiam favorabile. Siquidem ipse S. Alphonsus, cum Doctoribus n. 283 citatis, recte teneri dicit, venationem aucupationem et piscationem, etsi lucri gratia fiant, iam per se excusari saltem a consuetudine: et ipse Benedictus XIV in synod. diaeces. lib. 13 cap. 18 notat, ex Textu Cap. *Licet* de feriis Doctores colligere, quotiescumque reipsa urgeat piscandi necessitas, licitum esse pauperibus Piscatoribus in festis piscari, dummodo id non fiat in solemnioribus *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Contra.*

52. Quum enim Alexander III in Cap. *Licet* de feriis, ubi titulo necessitatis et paupertatis super unica tantum piscationis specie, alecium scilicet, dispensatur, solemniora festa exceperit, Doctores communiter, licet dispensationem hanc amplificent, exceptionem tamen solemniorum necessariam habent. Neque vera nonnisi ad hanc formam Sixtus V Incolis Castri S. Felicis de Quixols, et Clemens VII anno 1527 Inolis Foroiuliensibus piscandi licentiam in diebus Dominicis festisque concesserunt, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. 18, Bullar. Fratr. S. Franc. a Paul. Ord. min. ad dict. annum. Et quidem hic inter solemniora potissimum veniunt solemnitates Nativitatis Domini Epiphaniae Paschatis Ascensionis Pentecostes et Corporis Christi, quibus Clemens VII in citata dispensatione adiecit Circumcisionem nec non Nativitatem Annunciationem Purificationem Assumptionem Beatae Mariae Virginis, et festa S. Ioannis Baptistae, SS. Petri et Pauli, et omnium Sanctorum *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Loquitur.*

53. Idcirco Sacra Congregatio indulsit Piscatoribus, annuente Sanctissimo, ut piscari et pisces vendere possent, audita Missa, Dominicis et aliis festi diebus, non tamen solemnioribus, et dummodo quartam partem eius, quod fuerint piscati, in utilitatem Parochialis Ecclesiae loci Piscatores praedicti erogaverint *in Neapolitana 1621 lib. 12 Decretorum pag. 66 et 75.*

54. Unde Summi Pontifices, iustis concurrentibus causis, indulserunt, ut diebus festivis atque Dominicis per plures horas incumbi posset piscationi, detracta lucri parte Ecclesiae reparatione; et Sacra Congregatio, novis de causis, censuit, consulendum esse Sanctissimo pro huiusmodi Indulti ampliatione *in Gerunden. die 24 Augusti 1720.*

55. Siquidem Alexander Papa III Treverensi scribens Archiepiscopo, uti exponit Gonzalez in Cap. *Licet* de feriis, vel alicui Praelato Daniae Scandiae seu Norvegiae, uti in notis ad eumdem Textum inquit Cuiacius; Triburiensi enim Archiepiscopo, uti legitur

in vulgata collectione, epistola scripta esse non potest, cum tempore dicti Pontificis Triburium esset Villa Imperatoria prope Moguntiam, in cuius finibus littus et portus maris non aderant, auctoritate Beati Petri et sua concessit, ut Populi dictae Regionis diebus Dominicis et aliis Festis, praeterquam in maioribus anni solemnibus, possent incumbere piscationi Alecium, si Aleciae terrae se inclinaverint, dummodo tamen post piscationem vicinis Ecclesiis et Christi Pauperibus competentem elargirentur eleemosynam, uti fuse habetur in dicto Cap. *Licet* de feriis. Ad cuius forte concessionis imitationem Summus Pontifex Xystus Papa V ad petitionem Abbatis et Conventus Monasterii Oppidi S. Felicis de Quixols Ordinis S. Benedicti Diaecesis Gerundensis indulsit, ut Oppidani, qui ut plurimum erant piscatores, singulis diebus Sabbati et vigiliis singulorum festorum a media nocte usque ad auroram, et dictis Dominicis aliisque festis diebus post Missam et meridiem piscari possent in mari, quod erat proximum Oppido; impetrata tamen ab Abbate Monasterii pro tempore licentia, et dummodo Abbati et Conventui tertia pars lucri consignaretur, eroganda in reparationem et fabricam Ecclesiae et ornamenta Sacristiae, Ecclesia enim Monasterii erat Ecclesia parochialis et reparatione indigebat. Apostolica haec indulgentia non habuit illum, qui sperabatur, effectum; Piscatores enim, qui ex piscatione diebus festivis exercita nullum emolumentum reportarunt, ex quo, detracta tertia parte, quae solvi debebat pro Ecclesiae reparatione, detractisque sumptibus navis retium et aliarum rerum necessariarum, nihil fere pro illis remanebat, aut a piscatione destiterunt, aut se fraudibus illaquearunt in propriae conscientiae perniciem, qua de causa factum est, ut existimatum fuerit, opus esse aliud remedium parare, durante videlicet adhuc necessitate reparationis Ecclesiae, cui eousque consultum non fuit. Ad evitandos itaque scrupulos et zelo decoris propriae parochialis Ecclesiae, Piscatores in unum convenientes Abbati Monasterii insinuarunt, ut Sedi Apostolicae supplicaret pro Indulti ampliatione eo, quo exponebatur, modo.

56. Modus itaque fuit: primo, quod ipsis liceret piscari diebus sabbati et vigiliis festivitatum a solis occasu usque ad mediam noctem, et in hoc videbatur, quod esse posset difficultas; cum ex communi consuetudine viginta quatuor horae diei festivae, quae est colenda, computentur a dimidia nocte ad aliam dimidiam noctem. Secundo, quod liceret ipsis piscari diebus Dominicis et festivis mane ante Missam. Tertio, quod liceret ipsis piscari Dominicis et festivis diebus vespere post Missam, exceptis tamen ab indulto piscandi mane et vespere principalioribus Festivitatibus Natalis Domini Paschae Resurrectionis Pentecostes Assumptionis Beatae Mariae Virginis S. Felicis, qui erat tutelaris Villae et titularis parochialis Ecclesiae, nec non die festo S. Petri. Quarto, quod ex omnibus istis piscationibus septima lucri pars cederet in commodum et restaurationem Ecclesiae, nec non supellectilium Sacristiae. Testatus est Episcopus, quod modus hic foret utilior alio, qui fuit praescriptus in Indulto Xystino; ultra enim septimam partem ex lucro piscationum, quae fierent diebus festivis, pars etiam septima lucri piscationis exercitae diebus sabbati et vigiliarum a solis occasu ad mediam noctem Ecclesiae beneficio applicabatur, quodque notabilius erat, idem Episcopus perpendit, quod per hunc novum modum fraudes evitarentur, et Piscatores haberent tranquillitatem conscientiae. Alias supponebatur, quod in Urbe adesset, qui se esset nomine Communitatum oppositurus huic instantiae, sed ille ad Secretarium accessit, et testatus est, se procurae mandatum ad id gerendum non habere.

57. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum indultum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Consulendum Sanctissimo pro confirmatione Brevis cum reductione a tertia parte ad septimam – *in Gerunden. die 24 Augusti 1720.*

58. Manifestum enim est, in re tam gravi ipsos Christi Vicarios iudicare et dispensare solitos potissimum fuisse; siquidem si tenendum est, in communibus Ecclesiae legibus ordinaria potestate regulariter tantum summos Pontifices dispensare, gravior procul dubio ratio currit in observatione festorum in Dominicis, tamquam sancita ab Apostolis, Salmer. de leg. cap. 5 n. 30 cum S. Thom.

et S. Alphons. lib. 1 tract. 2 n. 183; potissimum post latam a s. m. Urbano VIII Constitutionem incipien. *Universa* anno 1642, qua, sublatis quibuscumque ab Ordinariis introductis festis, omnem circa festa dispositionem de communi iure potius factam esse, edixisse colligitur *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Quod si.*

59. Pontifex vero in praefata Bulla illam Ordinariorum potēstatem non limitare vel reservare, sed potius contra abusiones munire voluit, dicens: – Eisdem Ordinariis antiquorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus festis – *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Porro.*

60. Forma autem antiquorum Canonum, ad quam Pontifices in concedendis licentiis respicere solebant, quamque Doctores communiter prae oculis habendam esse monent, colligitur ex Cap. *Licet* de feriis, ubi licentia praedicta conceditur propter necessitatem, et Cap. *Conquestus* ibidem generaliter propter necessitatem et pietatem. Necessitas itaque, quam communiter intendunt, propriam vel alienam corporis vel animae; si nimirum sine gravi incommodo aut detrimento aliquid omitti non possit, S. Alphonsus lib. 3 tract. 3 n. 294, titulus dispensationis tam iustus agnoscitur, ut S. Thomas 2. 2. quaest. 122 art. 4 dicat: – etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur tam in nova, quam in veteri lege –; et dixerat – tam liber, quam servus tenetur in necessariis providere non tantum sibi, sed etiam proximo, praecipue quidem in his, quae ad salutem corporis pertinent, secundario autem etiam in damno rerum vitando –, et ideo S. Doctor, ut ait S. Alphonsus loco citato, generaliter excusat, qui laborat ad damnum bonorum vitandum *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Forma.*

61. Hinc verum quidem est, in primis ipsos summos Pontifices dispensasse: at si Episcopus contendit, a Praedecessoribus ordinaria potestate, licentiam tributam fuisse, hoc fieri posse docet idem S. Alphonsus Theol. moral. lib. 3 tract. 3 n. 288, Sanchez cons. lib. 5 Cap. 2 dist. 20 n. 10, Gaiet. Sot. Navarr. Suar. Pal. Azor. Trull. cum Salm. Cap. 1 n. 359; ita quippe, ut dispensare possit Episcopus in festis etiam communibus, dummodo iusta adsit causa, aliter dispensatio est invalida. Ratio huius facultatis est, quia haec frequenter eveniunt; eamdemque Episcopi potestatem tuetur S. Congregatio Immunitatis in Ruben. 1 maii 1635, relata a Pignatellio in Consult. 10 n. 10 tom. 8 *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Porro.*

62. Qua de re Paulus V, flagitante Episcopo Gallipolitano, Apostolicis Literis diei 27 aprilis 1606 confirmavit donationem quartae piscium partis per dictum Episcopum Capitulo Cathedralis Ecclesiae factam, quamque Episcopus percipiebat intuitu licentiae piscandi Dominicis et aliis festivis diebus ab eodem Piscatoribus ordinaria auctoritate concessae *in Gallipolitana die 26 Aprilis 1828* (1).

63. Unde Pontifex, qui specifice confirmat, perfectam totius negotii et omnium eius circumstantiarum notitiam habet, et actum si forte antea invalidus fuisset, firmum reddit atque validum, Cap. 1 de transact., Gloss. ibid. in fin., Cap. 10 *Ecclesia S. Mariae* §. ab Ecclesia, Barbos. ad rubric. de confir. n. 8, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13 Cap. 5 n. 11. Verum hoc naturaliter tantum intendi potest, et de actu, qui confirmandus est, et de iis, qui necessariam iuris connexionem habent cum eodem actu confirmando. De cetero Pontifex piscandi facultatem confirmasse intendi non potest, vel quod ut confirmaret in petitione non fuit, vel quod ipse tamquam a confirmatione exceptam ponit *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Quod vero.*

64. Quod si licentia ab Episcopo ad formam antiquorum canonum concessa forsan aliquid vitiosi habere videatur, quia data sit in re generali atque perpetua, praesertim circa Dominicas dies, respiciendum etiam erit ad immemorabilem consuetudinem. Eiusmodi autem consuetudinem etiam peculiarem, in quadam Diaecesi vel regione receptam, temere praecidendam non esse monet Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 11 Cap. 5 n. 1, eaque in re eximie laudat et velut exemplum proponit Sacrae Congregationis Decretum sane benignum in Malacitana 14 No-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capitulum*, §. IV, n. 107, Tom. VI.

vembris 1682. Quae consuetudo gravis praesertim videtur, tum quoad Episcopos, qui propterea in perpetuo iuris exercitio fuisse censendi sunt, tum etiam quoad ipsum piscandi usum in festis *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851* §. *Sin vero.*

65. Certum tamen est, quod Episcopus nequeat in perpetuum concedere licentiam piscandi diebus Dominicis aliisque festis praesertim solemnioribus, licet immemorabilis adesse videatur consuetudo; nam Sacra Congregatio, his in terminis re mature discussa, resolvit, consulendum esse Sanctissimo pro concessione ampliorum facultatum Episcopo ad quinquennium dispensandi ex rationabili causa, exceptis diebus solemnioribus, nisi adsit necessitas, atque mandavit, scribendum esse Episcopo, ut prudenter curaret reducere observantiam festorum, et ne interim deficeret Piscatoribus alimonia verbi Dei *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851.*

66. Iamvero Gallipolis Urbs quum insulae instar ita iaceat in mari, ut non brevi ponte terrae coniungatur, ideoque ab agris duobus fere milliaribus distans nullam agriculturae spem suppeditaret, Incolae magno numero ad piscationem toto pectore incumbebant, nec quidquam aliud habebant ad vitam transigendam; nisi id parum lucri, quod a piscatione mutuarentur. Quorum itaque inopia commoti rerum et necessitate ipsa compulsi, ab immemorabili tempore Episcopi Gallipolitani ordinaria sua potestate fungentes Piscatoribus suae artis exercendae Dominicis festisque diebus facultatem permisere: de cetero tamen providentes, ut commode Sacro vel ante, vel post piscationem intervenire possent. Quamobrem Piscatores grato animo Episcopali Mensae, utpote initio pauperrimae, pro huiusmodi indulgentia, quartam piscium partem, quae in praesens decimae respondebat, praestabant: et haec oblatio anno 1600 ab illius temporis Episcopo, Vincentio Capece, confirmante Pontifice Summo Paulo V suis Literis sub plumbo datis, Gallipolitano Capitulo, quod quidem ob tenuitatem redituum divina Officio in choro peragenda celebrare non poterat, pro recitatione horarum solemniter cessa fuit, cum reservatione tamen quartae thynnorum in maioribus anni festis, ubi Episcopus pontificalia agere solebat. Unde Sacra Congregatio die 26 aprilis 1828 resolvit, integram quartam partem piscationis spectare ad Capitulum (1). Id summa pace usque ad annum 1850 omniumque Ordinum consensione factitatum perpetua est. Hoc autem tempore, mense scilicet martio, qui potestate civili Gallipoli fungebatur (il Sottintendente) festorum observantiam obiiciens, piscationis opus diebus Dominicis festisque, veluti inconsiderate et temere fieret, inscio et inconsulto Episcopo, prohibuit. Cumque illius mandato vehementer Capitulum reclamaret, suaque iura ostendens, nihil esse innovandum ante cognitam superius causam expeteret, Episcopus quanta poterat officia interposuit, ut res quantocius absolveretur: – praesertim (sic Episcopus) quod huiusmodi permissio de ordinaria Episcopi facultate esset, et quiddam detrimenti Ecclesiae potestati afferrent contraria iussa, cum id ab Ecclesia et pro Ecclesia maxime concederetur –. At praedictus munere civili fungens mox Literis ex officio scriptis Episcopo pandebat, – che superiormente è stato risoluto non potere permettersi la detta permissione a pro dei pescatori di questo Capo-luogo sulla considerazione, che concessa avrebbe a restringersi, mediante un profitto materiale, quale si è quello delle multe, il limite di un dovere religioso, che prescrive l'osservanza dei giorni festivi –. Frustra igitur omnes vias persequutus Episcopus ad Regium Ministrum rebus ecclesiasticis praepositum detulit, eique omnia probavit, additis simul Literis supplicibus, quibus Capitulum sua potissimum iura deduxit. Iis perpensis, Minister ille laudabili sane prudentia decrevit, in rebus ad Ecclesiam spectantibus, Ecclesiam ipsam consulendam esse; ideoque negotium omne Apostolicae Sedi explicandum atque definiendum subiici acquievit. Re itaque ad Sacram Congregationem delata, Episcopus retulit: – Dicere non dubitarem, confirmandam omnino esse hanc piscationis facultatem, quod omnino necessaria est, nihilque de vetustissima consuetudine innovandum, quippe quae Ecclesiae potestati favorabilis est: nam primum inve-

(1) Resolutio Causae huius, ut supra diximus, prostat in Verb. *Capitulum*, §. IV, n. 107, Tom. VI.

cta est de potestate ordinaria Episcopi; sicuti passim evenire solet in hac Civitate, in qua saepe, utpote navigationi addicta, naufragii periculo, aut alia necessitate urgente, festorum observantia suspendenda nonnullis est. Quibus addendum arbitrarer..., quod quippe rudes et indocti putarent contra fas et leges Ecclesiae arbitraria potestate praedictam piscationis facultatem factam esse ab Episcopis, quod et pastorali auctoritati et Capitulo ipsi non minime officeret, illiusque audaciam, qui iuris antiquissimi pacificam possessionem turbare ausus est, quam maxime tueretur –.

67. Videbatur tamen, consuetudinem hanc a potestate Episcopi proficiscentem haud esse servandam, quum ageretur de piscatione marina indiscriminatim, quae sane lucri causa a certo quodam et permagno hominum coetu cum quolibet labore peragebatur: unde in huiusmodi communi Ecclesiae lege ordinaria potestate regulariter tantum Summus Pontifex dispensare poterat. Requevera Capitulum ipsum in suis Literis ad Regium Ministrum exhibitis retulit, Pontifices Gregorium XIII et Sixtum V Incolis ipsis Urbis Gallipolis importandi et vendendi cuiuscumque generis comestibilia nec non ligna carbones in diebus festis licentiam fecisse. Idcirco inferre dabatur, Episcopos Gallipolitanos in re graviori, si forsan initio sua potestate licentiam dare compulsi fuerint, tamen priusquam magis consuetudo invalesceret Apostolicam Sedem adire debuisse: potissimum post latam a s. m. Urbano VIII Constitutionem *Universa* anno 1642, qua sublatis quibuscumque ab Ordinariis introductis festis, omnem circa festa dispositionem de communi iure potius factam esse, edixisse colligebatur. Loquebatur praeterea Capitulum de piscatione thynnorum, quae quidem valde laboriosa esse dignoscebatur, facta sane et facienda adhuc in solemnioribus anni festis, quando Episcopus pontificalia peragebat; cum tamen Summi Pontifices, dum huiusmodi dispensationem indulserunt, solemniora festa exceperint. Nec Paulus V facultatem illam piscandi reapse confirmavit: sane vel confirmatio non fuerat petita, vel Pontifex tamquam a confirmatione exceptam posuit, cum enim in narrativa Bullae tantum diceret: – Eleemosynam quamdam per Piscatores illarum partium intuitu licentiae piscandi Dominicis et aliis festis diebus sibi ordinaria facultate concessae Episcopis Gallipolitanis dari etc. –, satis apparebat, ipsum de hac licentia haudquaquam solicitum fuisse, et sola Pontificis scientia et tolerantia minime valet pro positiva dispensatione, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 9 cap. 3 n. 2, Thomas. Theol. dogm. et moral. tom. 2 art. 8 regul. 10. Idque magis, quod licentia secumferebat onus exolvendi decimam piscationis partem, quod apertissime improbatum ac prohibitum exinde reperiebatur ab eodem Urbano VIII in memorata Constitutione *Universa*. Civilis hinc potestas, cum violatio festorum sit delictum mixti fori, piscationem prohibere poterat. Quae omnia in casu magis ponderanda videbantur, quo numerosior Piscatorum coetus existebat. Cum enim omnes fere Gallipolis familiae, videlicet in tam parva Civitate nongenti nonaginta una, cum filiis huic arti sese devoverent, permanente piscandi facultate, iam Urbs tota diebus festis labori se daret, festorum observantia facile penitus abiret, vel saltem finis, quem Ecclesia in festis pro fidelium salute intendit, miseri lucri gratia saepius eluderetur, et si qui erant, qui aliis artibus se addixerint, hi facilius scandalum paterentur, vel etiam similia sibi facilius putarent: quod nostro praesertim tempore praecavendum, quo homines ad lucrum captandum tanto labore studioque incumbunt, ut sane paucos illos anni dies, quos Ecclesia ad abstinendum a curis temporalibus et Deo vacandum destinaverit, negligere ac pessumdare impune arbitrantur. Contra aeque gravia erant, quae ius suum consuetudini vindicare, eamque servandam esse suadere videbantur. Nam, dum iusta adsit causa, Episcopus huiusmodi dispensationem concedere potest, quin obesset Constitutio Urbani VIII *Universa*, cum Pontifex illam Ordinariorum potestatem non limitare vel reservare, sed potius contra abusionem munire voluerit. Nec dubium esse videbatur, quod in casu necessitas existeret ac urgeret, cum Episcopus referret, Piscatores esse omnino pauperes ac numerosos, nec aliunde se suasque domos sustentare posse. Has igitur ob causas Paulus V consuetudinem illam immemorabilem non quidem

positive approbavit, sed iure ac merito toleravit. Unde Episcopi Gallipolitani absque simoniae labe licentiam piscandi concedere potuerunt, cum iidem mandare simul potuerint, ut solveretur quarta piscium pars pro eleemosyna habita ratione oneris, non tamquam pretium datae facultatis, sed ut in recompensationem non observandi festa fieret aliud opus in honorem Dei in benefaciendo Ecclesiae vel Pauperibus. Idcirco nihil in casu simoniaci vitii suspicandum esse ostendebatur nedum ex confirmatione Pauli V, sed ex eo etiam, quod nihil in themate constabat de exactione vel iniunctione eleemosynae, sed agebatur de libera oblatione et gratitudine, quae quidem perseveravit etiam post praedictae Constitutionis Urbani VIII editionem, licet exinde Piscatores, salva permanente piscandi licentia, a decimae solutione abstinere potuissent. Quoad autem laicam potestatem advertebatur, contra licentiam Episcopi non esse potestatis laicae diiudicare.

68. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit servanda consuetudo in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Consulendum Sanctissimo pro concessione ampliorum facultatum Episcopo ad quinquennium dispensandi ex rationabili causa, exceptis diebus solemnioribus, nisi adsit necessitas; et scribatur Episcopo ad mentem; mens est, ut prudenter curet reducere observantiam dierum festorum, et ne interim Piscatoribus deficiat alimonia verbi Dei – *in Gallipolitana die 22 Februarii 1851.*

FESTUM SEU FESTIVITAS

1. Statuit S. Carolus Borromaeus in Concilio Mediolanensi V §. Quae ad dies festos et sacra tempora, quod – sicut in anniversariis solemnitatum sanctioribus celebritatibus festivius canimus laudes solemniusque ecclesiastica celebrantes Officia modulamur organis pretiosiorique vestium apparatu induimur; ita diligentes nos domus Dei decorem et locum habitationis gloriae eius curare debemus, ut quo spiritalis laetitiae nostrae manifestiora signa demus divinorum beneficiorum, quae iis potissimum solemnitatibus recolimus, memoria excitati, Templa etiam ornatiora, quam aliis diebus appareant, tum ad augustiorem cultum, tum ad fidelium consolationem. Itaque die Natali Domini..., festoque die S. Patroni Ecclesiarum Cathedralium Collegiatarum Patriarchalium praesertim insignium curet Praefectus uniuscuiusque Ecclesiae, pro locorum ratione proque facultatibus, ut ianuae, quemadmodum instituti est, usuque Romano comprobati, et a Beato Hieronymo laudati, frondibus etiam ornentur, prout tempora tulerint, tum parietes interiores atque intercolumnia peristromatis aulaeis tapetibus Sacrarumque Imaginum tabulis exornata sint. Quo in apparatu ornatuque Sacrae Imagines, etiam in ipsis foribus exhibeantur. Insignia vero et alia prophana absint – *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Ad II.*

2. Itaque incipiunt singuli dies festivi a primis vesperis, quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem, exceptis festivitatibus Resurrectionis et Pentecostes, quae incipiunt a Missa vigiliae, quia in earum vigiliis Missa per anticipationem fit de ipsis festivitatibus, Hurtad. de interdict. differ. 7 n. 4; vel saltem a *Gloria in excelsis* eiusdem Missae solemnis, quia tunc Ecclesia festum Resurrectionis inchoat gaudiumque solemnitatis per sonitum tintinnabulorum evulgat, quemadmodum expendit Diana concil. tom. 5 tract. 4 n. 3 *in Romana die 23 Ianuarii 1790* §. *Ex.*

3. Licet vero iuxta antiquiorem Ecclesiae disciplinam dies festi essent colendi a vespere in vesperam, uti habetur in Cap. *Omnes* tit. de feriis, ex communi tamen consuetudine per totam Europam recepta, viginti quatuor horae diei festivae, quae est colenda, computantur a dimidia nocte ad aliam dimidiam noctem, uti bene docent Suarez de Relig. tom. 1 lib. 2 cap. 31, Ricciul. lucubr. lib. 6 cap. 9, Gonzalez in Cap. 1 n. 3 de feriis, Anaclet. ad eumdem titulum Decretalium de feriis §. 1 n. 17 et 18 *in Gerunden. die 24 Augusti 1720* §. *Modus.*

4. At sub nomine solemnitatum Sanctis-

simi Natalis et Paschatis comprehenduntur dies consequentes festum Paschatis, non vero dies consequentes festum Natalis, multoque minus solemnitas Epiphaniae et Pentecostes; hinc et sub nomine primis vesperis Sabbati Sancti comprehenditur Missa solemnis Sabbati Sancti, non tamen omnes eiusdem diei functiones *in Romana die 9 Iulii 1785 et die 27 Februarii 1790* (1).

5. Hinc nomine dierum festorum quoad chori servitium comprehenduntur dies festi, in quibus, cum onere audiendi Missam, opera servilia permissa sunt; his enim in terminis proposito dubio: – II. An nomine dierum festorum comprehenduntur dies festi, in quibus, cum onere audiendi Missam, opera servilia permissa sunt in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative – *in Tarraconen. die 23 Martii 1765* (2).

6. Festivitas autem Almae Domus Lauretanae celebranda est in ea Ecclesia, in qua iuxta mentem pii Institutoris fuit semper celebrata, quin obstet facultas a Sacra Congregatione per Heredes obtenta eam alibi celebrandi, cum iidem ad id assequendum falsum exposuerint *in Sancti Angeli in Vado die 20 Novembris 1734.*

7. Iamvero in venerabili Ecclesia SS. Conceptionis, quam vocabant *del Monticello,* Societatis S. Iosephi Civitatis Vadensis ab anno 1626 semper sub die 10 decembris cuiuslibet anni ex hereditariis bonis Hyppoliti Vernatii, iuxta assertam eius piam dispositionem, solemniter celebrata fuit festivitas Almae Domus Lauretanae, eique Capitulum Cathedralis Ecclesiae una cum universo Clero tam Seculari, quam Regulari, nec non Magistratus eiusdem Civitatis semper interesse consueverunt. Exinde autem Patres S. Francisci Ordinis minorum conventualium dictae Civitatis Vadensis instituti heredes universales a Cornelia ultima descendente ex linea praefati Hyppoliti autumantes, se non teneri ad celebrationem praedictae festivitatis, multoque minus posse adstringi ad invitandum Canonicos ac Mansionarios Cathedralis Ecclesiae, aut quidquam eius nomine eleemosynae seu emolumenti praestandum, solemnem coram Vicario Generali emiserunt protestationem, in qua hunc animum declararunt. Verum quia idem Vicarius Generalis praetensionem dictorum Patrum reiecit iuxta definitivum illius Decretum, quod subinde ab A. C. fuit confirmatum, iidem Patres supplicarunt Summo Pontifici, ut dignaretur celebrationem dictae festivitatis ab Ecclesia SS. Conceptionis ad Ecclesiam eorum Conventus transferre; hinc precibus ad Sacram Congregationem remissis, die 22 novembris 1732 prodiit Rescriptum: – Attenta relatione Episcopi S. Angeli in Vado, benigne commisit eidem, ut, veris existentibus narratis, supradictam facultatem celebrandi festivitatem Translationis Almae Domus Lauretanae tantum in propria eorum Ecclesia pro suo arbitrio et conscientia Oratoribus gratis impartiatur –. Cum itaque Episcopus in huius Rescripti sequelam Decretum eorumdem Patrum petitioni conforme edidisset, Administratores seu Officiales praedictae Ecclesiae SS. Conceptionis ad Sacram Congregationem reclamarunt; quare iussus Episcopus referre super novis precibus votumque suum aperire ita rescripsit: – His itaque omnibus consideratis, censeo, honorificentiam eiusdem festivitatis restituendam esse ipsi Ecclesiae S. Iosephi iuxta mentem dicti pii Testatoris, qui in eadem Ecclesia, et non alibi per suos Heredes celebrari voluit festivitatem praedictam –. Porro quod controversa festivitas Almae Domus Lauretanae semper celebrari consueverit in Ecclesia SS. Conceptionis probare contenderunt Administratores, tum ex ipsorummet Patrum confessione, tum ex informatione Episcopi, tum ex nonnullis visitationibus per Ordinarios factis, tum denique ex testimonio plurium Testium; indeque arguerunt, eamdem festivitatem relictam in honorem et cultum praedictae Ecclesiae, cum istius detrimento, transferendam non esse ad Ecclesiam Conventus dictorum Patrum, nec ullo in pretio haberi posse translationem ab Sacra Congregatione ad eorum preces indultam anno 1732, quippe quae nonnisi subreptitie et obreptitie fuerit impetrata, dum falso expositum fuit,

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonicatus,* §. IV, n. 159 ad 164, Tom. IV.
(2) Speciem Causae huius habes in Verb. *Beneficiati,* §. V, n. 26, Tom. III.

ob angustiam dictae Ecclesiae tempore, quo festivitas celebrabatur, oriri contentiones et incommoda plura, et reticitum fuit, eamdem Ecclesiam *del Monticello* in medio Civitatis existentem Clero et Populo commodiorem esse prae Ecclesia Conventus dictorum Patrum, quae sita reperiebatur extra moenia eiusdem Civitatis.

8. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et in qua Ecclesia sit celebranda festivitas Almae Domus Lauretanae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Celebrandam esse in Ecclesia S. Iosephi, et amplius – *in Sancti Angeli in Vado die 20 Novembris 1734.*

9. Quum vero Testator mandaverit construi Oratorium ibique festum divi Bernardi celebrandum, Sacra Congregatio, iustis concurrentibus causis, censuit, locum esse commutationi voluntatis ad effectum acquirendi Altare in Ecclesia eiusdem loci, ibique praedictum festum celebrandi *in Parmen. die 7 Iunii 1788.*

10. Siquidem heredem scripsit anno 1733 Sacerdos Petrus Maria Bósi Collegium Doctorum Theologiae Civitatis Parmae cum onere praesertim celebrandi in quacumque Ecclesia die 4 decembris cuiusque anni festum S. Bernardi Episcopi et Protectoris, donec ex reditibus hereditatis praedictum Collegium extruere posset Oratorium in Civitate Parmensi, vel alteram ex hereditariis domibus in Oratorium convertere valeret; unde utroque in casu huiusmodi Oratorium dedicare debebat in honorem divi Bernardi, ibique in perpetuum celebrare ac solemnizare praedictum festum Missa cum cantu ac eiusdem Collegii interventu, eique in casu inadimplementi Episcopalem Mensam substituit. Non multo post annum 1739, quo Testator decessit, extructum fuit Oratorii aedificium; sed prae illius angustia, in diversum bibliothecae et Congregationum usum conversum est, et in altera ex parochialibus Ecclesiis Civitatis celebratum subinde fuit festum. Semper tamen animo novum aedificium agitarunt Theologi, et ex annuis hereditariis fructibus, qui, omnibus detractis oneribus, scutorum erant 600, cumulum fecerunt scutorum 2000, reliqua in ampliandam bibliothecam in dotes et eleemosynas erogata summa. Mutato consilio, EE. PP. supplicavit Collegium pro facultate subrogandi in locum novi Oratorii decentem aliquam alterius Ecclesiae Capellam, eiusque petitioni ex hoc potissimum favit Episcopus, quod – Civitas isthaec Ecclesiis et Oratoriis plus etiam satis est ornata –; quodque – unicum festum [S. Bernardi in dicto Oratorio ex Testatoris voluntate celebrandum est, ac per consequens integri anni fluxu relatum Oratorium nulli prorsus usui esset –. Ut omnia vero ad deliberandum cognoscerent, EE. PP. imperarunt informationem, ut referret nempe Episcopus, convocato Capitulo per secreta suffragia de eius consensu quoad substitutionem Mensae Episcopalis, et de consensu Rectoris Ecclesiae omniumque interesse habentium quoad Altare designandum –. Secundo igitur retulit Episcopus, novum divi Bernardi Altare non arridere Capitulo, ne rei novitate motus divertat Populus ab Ecclesia Cathedrali, in qua eiusdem Sancti festum celebrabatur, consensum contra praestitisse Rectorem Ecclesiae S. Andreae Apostoli, in qua Altare illud designatum est. Capituli enim vota in eo potissimum posita erant, - ut tota aeris summa, quae ex hereditatis fructibus annuatim obvenientibus in Oratorii constructione fuerat congerenda, Sacelli Cathedralis nostrae, ad quod divi Bernardi sacra Lispaua adservantur, commodo atque utilitati impendatur –. Hoc non obstante, primam informationem confirmavit Episcopus, et haec addidit in secunda: – Minime verendum est, ob petitam ob Oratoribus extructionem Altaris, divo Bernardo dicandi, imminuendum esse eius cultum et Populi affluentiam ad saepedictum Sacellum Ecclesiae Cathedralis –. Nam Theologorum Collegium parcere cupiebat impensae Oratorii, ut redundantes hereditatis fructus in eleemosynas dotes aliaque pia opera a Testatore praescripta converteret. At nulla Pauperibus utilitas, si totum id, quod in novum impendi deberet Oratorium, ad simplex quaerendum ius celebrandi annuum festum in alieno Sacello impenderetur. Longe quippe minori sumptu dominium acquirerent Capellae in Ecclesia S. Andreae.

11. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in ca-

su etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Parmen. die 7 Iunii 1788.*

11. Ceterum quando deficit fundatio aliaque monumenta deficiunt, ex quibus onera Beneficii deprehendi valeant, sed Beneficiatus ex consuetudine ad celebrationem festi S. Catharinae titularis Ecclesiae tantum tenetur, non potest eidem imponi aliud onus, licet semel in actu visitationis enuncietur, non vero in perantiquo Inventario bonorum et redituum dicti Beneficii mentio fiat *in Camerinen. die 12 Iunii 1773.*

12. Siquidem in Ecclesia divae Catharinae Virginis et Martyris Oppidi S. Ginesii erectum erat simplex Beneficium, cuius pro tempore Rectores non aliud subierunt onus, quam celebrandi festum eiusdem Sanctae Titularis, prout semper adimplevit Canonicus Basilius Petrelli, qui ab annis viginti tribus dictum Beneficium possidebat. Exinde autem habita notitia, quod in quadam perantiqua pastorali visitatione mentio haberetur de alio onere duarum Missarum quolibet mense eidem Beneficio adnexo, stimulis conscientiae perculsus dictus Canonicus Petrelli supplicavit ab EE. PP. declarari, quae onera essent ab eo in posterum adimplenda. Interesse habentes ab Episcopo requisiti nihil certi affirmare posse responderunt, libentique animo Sacrae Congregationis iudicio acquiescerent. Episcopus vero testatus est, nullum extare monumentum fundationis Beneficii, de quo tantum meminit pastoralis visitatio gesta in Oppido S. Ginesii anno 1624, quaeque descripta reperiebatur in libro actorum Episcopalium dicti anni fol. 411 a tergo. Inter cetera autem haec asseruit adnotata reperiri: – Die 28 iunii 1624 supradictus D. Iulius Salioppi Rector praefatae Ecclesiae (scilicet S. Catharinae) et Beneficii simplicis sine cura S. Catharinae de iurepatronatus laicorum assignavit Illustrissimo et Reverendissimo D. Episcopo Camerinensi in actu visitationis de ea factae recipere annuatim de fructibus bonorum stabilium dictae Ecclesiae et Beneficii scuta 25 monetae circiter, et habere obligationem celebrandi duas Missas quolibet mense, nec non facere et celebrare festivitatem in die S. Catharinae 25 novembris quolibet anno –. Addidit, in quodam perantiquo et undique corroso Inventario bonorum et redituum dicti Beneficii anno 1675 exarato, haec de illius oneribus adnotata reperiri: – L'obbligo del suddetto Benefizio è di fare la sua festa, e si pagano baiocchi 70 per spoglie e mensa episcopale –. Fatebatur tamen, rem esse admodum implexam, nec tutum proferri a se posse iudicium, quod proinde ab EE. PP. expectabat.

13. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Rector Beneficii S. Catharinae ultra festum eiusdem Sanctae Titularis teneatur ad celebrationem duarum Missarum quolibet mense in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo quoad praeteritum sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo – *in Camerinen. die 12 Iunii 1773.*

14. Quum autem pius Testator mandaverit, ut singulis annis anniversarium celebraretur pro anima Servi Dei Iosephi a Cupertino, et si contigeret eiusdem Servi Dei canonizatio seu beatificatio, solemnizari deberet ipsius festum in die obitus, facta deinde praedicta beatificatione, Sacra Congregatio declaravit, festivitatem Beati Iosephi a Cupertino non esse celebrandam quolibet anno eadem impensa, qua retroactis annis celebratum fuit anniversarium pro eius anima, sed eamdem esse solvendam summam, quae pro alia simili festivitate impendi solebat *in Auximana die 20 Decembris 1760 et die 25 Septembris 1762.*

15. Enimvero in testamento condito anno 1667 Epimenius Ursi inter cetera Legata reliquit Patribus Minoribus Conventualibus S. Francisci Civitatis Auximi, in quorum Ecclesia sepeliri voluit, censum in sorte scutorum viginti quinque et annui reditus scutorum duorum, cum onere celebrandi in perpetuum duo Officia Defunctorum quolibet anno in suffragium eius animae. Instituto autem herede Iosepho Maria filio suo, huic ante aetatem decem et octo annorum sine filiis decedenti substituit Beneficium seu Capellaniam, quam de universa sua hereditate erigi iussit, cum certis designatis oneribus augendis arbitrio Ordinarii; eiusdemque Beneficii Rectori praecepit, quod – debba ogni anno fare un anniversario per l'anima del

servo di Dio Fra Giuseppe da Copertino nella detta Chiesa di S. Francesco; e seguendo la di lui canonizzazione o beatificazione, debba solennizarsi la sua festa nel giorno della sua morte in perpetuo –. Post Testatoris obitum, decessit infra annum sine filiis Ioseph Maria heres institutus; ideoque purificata substitutione, Ordinarius de universa hereditate Capellaniam sub invocatione S. Ioannis Baptistae erexit in Ecclesia Cathedrali, cum onere unius Missae quotidianae. Et Capellanus iniunctum anniversarium annis singulis celebravit, erogato sumptu pro modo Sacerdotum confluentium ad Sacra peragenda, usquequo supervenit anno 1698 commissio introductionis Causae super beatificatione et canonizatione eiusdem Servi Dei Iosephi à Cupertino; postmodum vero uniformem quantitatem iuliorum quindecim anno quolibet solvit Capellanus ipsis Patribus Conventualibus in causam huius legati, nec tenuitatem summae insimularunt Patres etiam post sequutam Servi Dei beatificationem, licet ipsi maiori sumptu scutorum triginta quatuor, ut aiebant, solemni ritu venustaque pompa coluerint illius festum diem, prout decebat in Ecclesia, in qua sacrum Beati corpus quiescebat. Exinde autem supplices insteterunt iidem Patres in Sacra Congregatione, ut cogeretur Capellanus integrum onus dictarum expensarum subire pro solemnizanda festivitate Beati Iosephi a Cupertino vigore dicti Legati Epimenii Ursi.

16. Patres enim Conventuales disputarunt, Legatum Epimenii Ursi, qui praecepit *solennizarsi la festa* Beati Iosephi, favore Religionis late interpretandum esse, et ritum solemnitatis a Testatore non praescriptum determinationem accipere a consueto regionis more, a dignitate Legatarii, et ab opulentia patrimonii legantis, ad Textum in L. *Si servus* 53 §. Si numerus ff. de legat. 1. Consuetum esse defenderunt in Civitate Auximi, solemni ritu colere dies festos SS. Victoris et Coronae, S. Antonii Patavini, et S. Vincentii Ferrerii, non minori erogato sumptu scutorum triginta in Ecclesiae apparatu musicis concentibus et divinorum celebratione; istumque morem, non autem minorum festivitatum ritum sequendum esse in Legato, quo Testator praecepit *solennizarsi la festa*, hoc est solemniter colere et augustiori pompa festum celebrare, iuxta proprietatem verbi *solennizarsi*. Dignitatem Legatarii id etiam suadere contenderunt, intuitu recenti eius beatificationis, et ob illius sacrum corpus in Auximi reconditum, ubi propterea decebat maiori pompa festivitatem explere. Atque demum opulentiam patrimonii Legantis non deficere asseruerunt, fructusque Capellaniae iniuncta onera superare in annuis scutis septuaginta circiter, quibus commode Capellanus subire poterat expensas huius solemnitatis. Nec rationem habendam esse putarunt de quantitate iuliorum quindecim pro anniversario soluta, quia festivitas loco anniversarii subrogata non erat eius indolis et naturae. Excepit vero Capellanus, praestationem prosequendam esse in annuis iuliis quindecim, quantum solvi consueverat pro anniversario, cuius loco subrogata fuit celebratio festivitatis, iuxta regulam subrogatorum, de qua Rota coram Herrera decis. 128 n. 20. Morem Civitatis esse, Sanctorum festum colere Missa cantata cantu Gregoriano aliisque Missis lectis, pro quibus maior expensa iuliorum quindecim non requirebatur; nec in exemplum adduci posse solemnitates SS. Victoris et Coronae, S. Antonii Patavini, et S. Vincentii Ferrerii, quae plurimorum sumptibus vel ex eleemosynis per Quaestores integram Civitatem eiusque territorium circumeuntes recollectis, celebrabantur: et in dispari Civitatis more obligationes interpretandas esse de eo, quod minimum est, Cap. *In obscuris* de reg. iur. in 6. Dignitatem Legatarii magnam quidem esse quoad caelestem beatitudinem, sed pro cultu illi exhibendo servandos esse ritus ab Ecclesia praescriptos, ut solemnitas celebraretur cum solo cantu Gregoriano sine exteriori pompa concentus Musices et obstrepentium instrumentorum in Ecclesia saepe vetita ab Ioanne XXII in Cap. unic. extrav. de vita et honestate Clericorum, et ab Alexandro VII in sua Constitutione 38 et 42 in Bullar. Cherubin. n. 5; et propterea non exiguam videri pompam Missae cantatae cantu Gregoriano cum aliis Missis lectis in festivitate Beati Iosephi, cum ipsi Patres maiorem pompam non adhiberent in festivitate S. Francisci. Nec fructus Beneficii adeo pingues esse, ut a Patribus praedicabantur, quum,

deductis oneribus,vix superessent scuta 18 pro Capellano. Episcopus vero in sua relatione censuit, Capellanum gravari posse ad contribuendum pro celebranda festivitate annuam summam scutorum septem vel paulo plus, quum in die festo S. Mariae ad Nives, quem Cardinalis Spada olim Episcopus Auximanus anno 1721 iniunxit Parocho et Ministro Ecclesiae S. Mariae de Misericordia *solennizare ogni anno,* aequalis summa impendi soleret, ita ut exemplum allatum congruam praebere valeret interpretationem verbi *solennizare,* iuxta morem regionis.

17. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An festivitas Beati Iosephi a Cupertino sit celebranda quolibet anno eadem impensa, qua retroactis annis celebratum fuit anniversarium pro eius anima iuxta dispositionem Epimenidis Ursi? *Et quatenus negative.* II. An et ad quae solemnia et sumptus teneatur hereditas Epimenidis Ursi occasione annuae recurrentis festivitatis eiusdem Beati in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 decembris 1760 respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, teneri iuxta votum Episcopi –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Auximana die 25 Septembris 1762.*

18. Hinc Benedictus XIV in Constitutione *Et si minime* sub datum diei 7 februarii 1742 §. 5, ne festivitates, quae fiunt in Ecclesiis Secularibus et Regularibus impedimento essent Parocho in exercitio docendi doctrinam Christianam, iniunxit Episcopis, ut methodum praefinirent, qua eaedem festivitates essent celebrandae *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782* §. *Ex quibus.*

19. At Patroni publici Oratorii S. Francisci extra Oppidum in agro Parochiae existentis occasione eius festivitatis haud tenentur invitare Parochum pro celebratione Missae cum cantu et interventu Sacerdotum in choro, sine tamen assistentia Diaconi et Subdiaconi, nec in prima Dominica octobris, in qua celebratur festum Beatae Mariae Virginis Sanctissimi Rosarii in parochiali Ecclesia, occurrente festo S. Francisci titularis celebrando in dicto Oratorio, tenentur Patroni illud transferre in aliam diem, celebratio Missarum vero in Oratorio praedicto ea die absolvi debet duabus horis ante meridiem arbitrio Episcopi *in Placentina Festivitatis die 14 Aprilis 1764.*

20. Siquidem Familia Testa ex Oppido Castri novi Foliani alias Tertiorum Placentinae Diaecesis ruri, quod in Oppidi agro possidebat, Oratorium habebat SS. Francisco et Wenceslao dicatum, etiam commodo Accolarum patens, usque ab anno 1697 auctoritate legitima extructum approbatumque, ac congrua dote auctum. Mille circiter passibus distabat ab Ecclesia Parochiae, quae intra Oppidum erat. Viae arduae et impervIae praesertim pluvio tempore atque hyeme erant. Quotidie ibi Sacrum agebatur et etiam solemnioribus anni festis ex privilegio s. m. Benedicti XIV, qui praescripsit tamen, – ut Capellanus vel in medio Missae, vel post celebrationem singulis diebus festis, maxime quando frequens Populus fuerit, fidei rudimenta explicando proponere teneatur –. Festum inibi S. Francisci titularis ea Familia ex Maiorum voluntate celebrabat: Sacrum canebatur, sine tamen Diacono et Subdiacono; septem tantummodo Sacerdotes eo die choro assistebant. Ignatius Rovaldi Archipresbiter et Parochus Castri novi de plurimis antea conquestus est apud Sacram Congregationem, de quibus in praesens Causa non erat. Unice tunc agebat, ut cogeretur Familia patrona ad eum die festo Sancti Francisci invitandum, ut solemnia celebraret, et quod occurrente eodem die festo Rosarii Beatae Mariae Virginis, quod in sua Ecclesia solemniter agebatur, festum Oratorii transferretur, vel aliter saltem provideretur, ne suis solemniis aut Sacerdotes, aut Populus deessent. Nam quoad primum controversiae caput pro se allegavit Constitutiones Synodales, quibus cavebatur, ut liceret Parocho – Oratorium cuiuslibet Sodalitatis intra Parochiae suae fines constructum ingredi, Missae Sacrificium facere absque ullo impedimento, et ubi in eo Missae seu Vesperae decantandae, vel officia pro mortuis celebranda essent, ipse prae ceteris invitetur, locum primum obtineat, Missam si voluerit cantaturus et Officium directurus –. Addidit, has leges observatas

fuisse semper, imo praecipue de Oratorio, de quo agebatur, protulit exempla: nec dici posse Missam, quae sine Diacono et Subdiacono canebatur, non esse solemnem, Constitutiones enim de hoc nullum discrimen facere: deinde rationem invitandi Parochum esse ipsam dignitatem Parochi intra Parochiam, ac praeterea ex receptis ritibus in Missa minus solemni eas caeremonias adhiberi omnes, quae in solemnioribus requiruntur. Consentaneum hinc esse iuri propugnavit, ut invitaretur Parochus; ac asseruit, regulam hanc limitari unice, quando Oratorium publicum non sit, vel quando urbanum fuerit, non rusticum, vel quando proprium Rectorem legitime institutum habeat, vel quando de Ecclesia agatur, quae ad Regulares pertineat, et iurisdictioni ipsius Episcopi aut Parochi non subsit: contrariam theoricam his tantum casibus habere locum; Decreta vero Sacrae Congregationis Rituum, quae contra allegabantur, vim Constitutionum Synodalium et peculiares locorum consuetudines non infringere. De secundo autem quaestionis momento contendit rem claram esse: praeferendum scilicet festum Ecclesiae parochialis, praeferendum festum Rosarii, quod ritu duplici maiori ac de praecepto toto terrarum orbe celebratur, quod antiquius in Oppido erat, ac de maioribus, quae inibi agebantur: Sodalitium ibi esse, quod eidem Altari inserviebat: ex duobus festis eodem die aemulationem progigni, pietatem Populi ac frequentiam minui: commode posse festum S. Francisci transferri in sequentem diem, quo festum agebatur S. Wenceslai, cui simul Oratorium dicatum erat. De tertio capite parum laboravit, et omni casu unicum tantum Sacrum in Oratorio permittendum, ne alias Sacerdotes in parvo Oppido suae Ecclesiae deessent, in qua octo Sacra eo die ex piorum hominum legatis necessario celebranda erant.

21. Contra Patronus sustinuit, non agi de Ecclesia Cathedrali: suum Oratorium itaque de iure non subiici Parocho, etiamsi intra limites Ecclesiae Parochiae esset, nisi ex fundatione privilegio praescriptione aut alio legitimo titulo id Parochus acquisiverit; vetare in eiusmodi Oratoriis Parochum tantum posse, ut functiones parochiales agerentur: rem praesentem esse de celebratione Missae, quae canebatur sine Diacono et Subdiacono; nihil de ea Parochum habere agere, nihil Parocho opus esse, Parocho eam prohibere non permissum. Constitutiones vero Synodales dixit non officere, eas loqui de iuribus parochialibus, eas ipsas Constitutiones Placentinas non loqui de Oratoriis, quae sub dominio et administratione Patronorum sunt, ut declaravit Rota in Placentina Oratorii 2 octobris 1702 coram Muto, eas itidem inefficaces declaravisse Sacram Congregationem in Placentina 27 iunii et 17 augusti 1725. De eo autem, quod afferebatur, Parochum nimirum alias invitatum fuisse, id asseruit referri ad urbanitatem, non exinde Parochum hanc novam de invitatu servitutem acquisivisse, neque tempus ipsum in omnem casum ad eam praescriptionem idoneum intercessisse. Quod respiciebat festi translationem, allegavit sui favore iuris regulam, nullam nempe Ecclesiam, neque ipsam Cathedralem vetare posse, ne in alia Ecclesia festum Titularis, quo die occurrit, celebretur: timendum non esse, ne Populus die festo Rosarii, quod solemniter agebatur et cum publica supplicatione Sodalium ex Oppido rus diverteret pro festo parvi Oratorii, itinere arduo ac difficili. Circa horam autem celebrandi festum conclusit, in iure cautum tantum esse aliquibus casibus, quod Missa non celebretur ante Missam parochialem, reclamante Parocho, quod locum non habet in Oratoriis dissitis et praesertim, quae in agro sunt, Gavant. in manual. Episcop. verb. Missa, Barbos. de Paroch. part. 1 cap. 12 n. 3. Episcopus suam sententiam ita pandebat: – Ioseph Testa manutenendum fore et esse in possessione praenarrati Indulti celebrare faciendi Sacrum in eius Oratorio diebus solemnioribus autumnali et hyemali temporibus. Quo autem ad celebrationem festi S. Francisci dicti Oratorii titularis invitandum quidem esse Parochum, qui si accedere nequeat vel recuset, alterum Sacerdotem mittere poterit, aliter quemcumque Sacerdotem sacram functionem peragere posse. Verum quotiescumque idem festum inciderit die Dominica, qua celebratur festum Sanctissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis in Ecclesia parochiali, expediens fore videretur demandare su-

praedicto Iosepho Testa eiusque filiis et descendentibus sacram functionem et Missas omnes explere debere per binas horas ante meridiem –.

22. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Patroni publici Oratorii S. Francisci occasione eius festivitatis teneantur invitare Archipresbiterum Ecclesiae parochialis Castri novi Fossanorum pro celebratione Missae cum cantu et interventu Sacerdotum in choro, sine tamen assistentia Diaconi et Subdiaconi in casu etc. II. An in prima Dominica octobris, in qua celebratur festum Beatae Mariae Virginis Sanctissimi Rosarii in parochiali Ecclesia, occurrente festo S. Francisci celebrando in dicto Oratorio, teneantur Patroni illud transferre in aliam diem? *Et quatenus negative.* III. An Missarum celebratio in Oratorio praedicto debeat ea die absolvi duabus horis ante meridiem? –, Sacra Congregatio respondit; – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative; et amplius. Ad tertium, Affirmative arbitrio Episcopi; et amplius – *in Placentina Festivitatis die 14 Aprilis 1764.*

23. Qua de re Sacra Congregatio declaravit, festum S. Iosephi maiori pompa et exteriori solemnitate celebrandum esse in Ecclesia Confraternitatis sub titulo eiusdem Sancti nuper aedificata, quam in Ecclesia parochiali S. Michaelis Archangeli, in cuius quadam Capella Beatae Virgini Constantinopolitanae dicata aderat quoque imago S. Iosephi, licet Rector parochialis Ecclesiae et Beneficiatus dictae Capellae praetenderent esse in antiqua possessione recolendi cum pompa solemniori dictam festivitatem *in Bisinianen. Festivitatis die 22 Februarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

24. Enimvero – extat in Terra Lutiorum huius Diaecesis proprio nonnullorum piorum Civium aere nuper aedificata Ecclesia sub titulo S. Iosephi intra Parochiam, ut dicitur Sanctissimae Trinitatis, necessariis ornamentis ad eius cultum instructa, inibique pariter Sodalitium ultra bis centum Confratrum fundatum. Cumque de anno proxime praeterito, occasione celebrationis diei Festi cuiusdam Sancti inconvenientia quaedam et scandala fere consequi viderentur, ex eo quod tam in dicta nova Ecclesia, quam in alia illi per iactum lapidis contigua Ecclesia parochiali S. Michaelis Archangeli, in cuius quadam Capella Beatae Virgini Constantinopolitanae dicata adest quoque Imago S. Iosephi, solemni pompa et tormentorum ignitorum strepitu atque campanarum fragore celebritas confundi videretur cum perturbatione divinorum Officiorum, Episcopus, qui eo tempore antedictam Terram visitatione perlustrabat, ad arcenda huiusmodi absurda, Decretum provisionale edidit, ut Presbiteri praedictae Parochialis tormentorum et campanarum rumore temperarent, donec aliter ab hac Sacra Congregatione fuisset determinatum. Hinc Caietanus Gilius Rector eiusdem Parochialis nec non Beneficiatus dictae Capellae, qui praetendit esse in antiqua possessione recolendi cum pompa solemniori dictam festivitatem, recursum habuit ad eamdem Sacram Congregationem pro remedio opportuno –. His itaque perpensis, proposito dubio: – I. An festum S. Iosephi sit celebrandum in Ecclesia Confraternitatis maiori pompa et exteriori solemnitate, seu potius in altera Parochiae S. Michaelis Archangeli? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Bisinianen. Festivitatis die 22 Februarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

25. Unde Regularibus non licet praeter consuetudinem celebrare in propria Ecclesia festum Sanctissimae Crucis eodem die, quo solemnissimum celebratum fuit ac celebratur in Ecclesia Priorali Sanctissimi Crucifixi, etiamsi Conventus dictorum Regularium in diverso existat territorio penitusque ab altero praefatae Ecclesiae Prioralis distincto, ac una ab altera Ecclesia per milliarium fere distet, nec non pluries in publicis calamitatibus a Regularibus praedictis ad instantiam Communitatis loci celebratum fuerit Sanctissimae Crucis triduum *in Anconitana Translationis Missarum die 14 Martii 1789.*

26. Siquidem Prior Ecclesiae Sanctissimi Crucifixi Humanae Archangelus Trionfi questus est penes Sacram Congregationem de celebrato a Patribus Minoribus de Observantia Conventus Siroli Sanctissimae Crucis festo in propria Ecclesia. Pro-Vicarius Anconitanus retulit: – Diem illum solemnissimum in

Ecclesia Sanctissimi Crucifixi semper fuisse Religiosi ignorare nequeunt. Quare merito igitur Orator conqueritur, eadem die praeter consuetudinem expositionem ipsam in Ecclesia de observantia factam fuisse, ex qua probabiliter praesumi potest, scandalum in Populo ortum esse. Quapropter in posterum omnino prohibendum censeo –. Rem confirmavit Procurator Generalis Ordinis de observantia ex relatione Ministri Provincialis Piceni; nam improbavit – cum D. Pro–Vicario Generali Anconitano factum –; censuitque, – nullatenus faciendum in posterum –, rectissimam implorans EE. PP. decisionem. Notandum autem erat, ex epistola Ministri Provincialis Observantium Piceni ad Procuratorem Generalem Ordinis Conventum Siroli in diverso existere territorio penitusque ab altero Humanae distincto: unam ab altera Ecclesia per milliarium fere distare: pluries in publicis calamitatibus ad instantiam Communitatis Siroli celebratum a Patribus fuisse Sanctissimae Crucis triduum illudque matutinis horis, ne eadem in Priorali Ecclesia turbaretur celebritas. Quaestio igitur esse potuisset, num eius in posterum celebratio absque laesione Regularis libertatis impediri valeret. Maxime quia non probabat Prior assertam privativam, quae absque prohibitione et acquiescentia non inducitur, Constantin. vot. 528 n. 39, et ex uno etiam contrario actu excluditur, Rot. in Recent. decis. 349 n. 26 part. 12. Ursit contra ex relatione Pro–Vicarii, quod Sanctissimae Crucis festum solemnissimum semper fuit in Ecclesia Sanctissimi Crucifixi; quod illud Patres in propria Ecclesia praeter consuetudinem celebraverint de tempore proximo liti. Et votum accedebat Procuratoris Generalis, qui privativum Ecclesiae Prioralis ius implicite admisit, dum censuit, festum Sanctissimae Crucis in Ecclesia Siroli – nullatenus faciendum in posterum –.

27. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An liceat Patribus de Observantia Conventus Siroli celebrare in propria Ecclesia festum Sanctissimae Crucis eodem die, quo celebratur in Ecclesia Sanctissimi Crucifixi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative – *in Anconitana Translationis Missarum die 14 Martii 1789.*

28. Quando itaque adsit inter Partes conventio legitime inita, eadem servanda est; orta enim contraversia inter Clerum secularem Oppidi Collis Torti et Patres Minores strictioris observantiae, proposito dubio: – I. An et cui competat ius celebrandi festivitatem S. Mariae de Monte Carmelo cum solemniori cultu die 16 iulii nec non festivitatis SS. Antonii Abbatis Antonii Patavini Ianuarii et Francisci Xaverii, et in qua Ecclesia in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, servetur pactum ad formam conventionis; et amplius – *in Larinen. die 14 Maii 1746.*

29. Hinc Ursaya in discept. eccles. 13 part. 2 n. 6 et 22 sustinet, quod si agatur de functionibus, quae peragi possunt in Altari absque ulla Ecclesiae servitute, ut est Missarum celebratio sine cantu, et tunc Capellae Patronus illas explere non prohibetur; secus tamen si agatur de functionibus publicis, quae in tota Ecclesia servitutem inducunt, eo enim casu requiritur consensus Rectoris Ecclesiae *in Forolivien. die 21 Augusti 1784* §. *Quoad.*

30. Idcirco solemnitas in honorem divi Peregrini Latiosi Foroliviensis agenda est iuxta formam Decretorum S. Congregationis Rituum et Constitutionum Synodalium, atque Communitati Forolivii competit ius celebrandi in Capella praefati Sancti, in Ecclesia Patrum servorum Beatae Mariae Virginis erecta, solemnitates et functiones de consensu Religiosorum et cum licentia Episcopi iuxta modum et formam ab eodem Episcopo praescribendam *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

31. Iamvero Ordo Servorum Beatae Mariae Virginis inter alios sanctitate et miraculorum fama insignes numerabat etiam divum Peregrinum Latiosum, qui civis erat Foroliviensis et cuius exuviae in Ecclesia eiusdem Ordinis in ea Civitate publice Fidelium venerationi asservabantur. Ad augendam in terris huius Sancti gloriam et cultum communi omnium tum Religiosorum tum Civium studio beatificationis et canonizationis causa instructa fuit: deputata etiam de Episcopi consensu peculiari nonnullorum Foroliviensium Congregatione, cuius cura esset pias Fidelium oblationes excipere illasque

custodire pro necessariis in eam causam sumptibus. Anno 1726 a s. m. Benedicto XIII Beatus Peregrinus in Sanctorum album relatus fuit. Peracto solemni canonizationis festo, compertum est, contractum fuisse aes alienum cum Mensa nummularia S. Spiritus de Urbe in summa scutorum 5223. Religio Servorum Beatae Mariae Virginis iuxta decisionem Congregationis particularis diei 15 iulii 1727 assumpsit onus solvendi scuta 1200 et manutenendi Altare et Capellam. Unde Administratores bonorum et redituum Capellae et Altaris nedum acceptarunt onus dimittendi reliquum aes alienum in summa scutorum 4023, sed et pro eximia erga divum Peregrinum devotione emiserunt obligationem manutenendi praefatum Altare et Capellam, uti prius antea ab ipsis factum fuerat, idque probarunt etiam ratumque habuerunt Patres Servitae. Anno 1774 Congregatio sub nomine divi Peregrini Forolivii erecta, nec non Communitas eiusdem Civitatis inter cetera petierunt manuteneri in possessione manutenendi et ornandi dictam Capellam et Altare divi Peregrini in Ecclesia eorumdem Patrum erecta, nec non celebrandi illius festivitatem. Propositis hinc dubiis: – II. An et quomodo solemnitas in honorem divi Peregrini quotannis habenda die 1 martii in eadem Ecclesia celebrari quoad ecclesiasticas functiones debeat in casu etc. III. An dictae Communitati competat ius celebrandi in Capella divi Peregrini alias solemnitates et functiones in casu etc. *Et quatenus affirmative.* IV. An quo tempore quibus modis et formis quorum consensu et facultatibus dictae functiones et solemnitates sint celebrandae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative, servata forma Decretorum Sacrae Congregationis Rituum et Constitutionum Synodalium; et amplius. Ad tertium et quartum, Affirmative de consensu Religiosorum et cum licentia Episcopi, iuxta modum et formam ab eodem Episcopo praescribendam; et amplius – *in Forolivien. die 11 Septembris 1784.*

32. Hinc Episcopus iure ac merito processiones prohibuit, cum scandala ac mala gravissima ex iis sequerentur, nec non e contra dies Expectationis Beatissimae Virginis Mariae, accedente consensu Capituli et Magistratuum, mandavit, ut festivus haberetur ac esset de praecepto, dum magna cum celebritate recoleretur, ita ut per eumdem gesta Auctoritate Apostolica sint confirmanda *in Antequexen. in Indiis occidentalibus die 22 Aprilis 1719.*

33. Siquidem Episcopus Antequexensis in Indiis occidentalibus Literas dedit Summo Pontifici, in quibus exposuit, quod in sua Civitate plurimae fiebant processiones tempore quadragesimae et signanter in Hebdomada maiori, et quod praesertim tempore noctis, cum functiones illae ad multam noctem producerentur, scandala sequebantur et mala, quae non licebat homini loqui, nedum in vicis et plateis, sed etiam in ipsis Ecclesiis, et quod idcirco ipse prohibuit processiones tempore quadragesimae, exceptis duabus in feria sexta maioris Hebdomadae, lata lege, quod feria quinta Coena Domini omnes Ecclesiae clauderentur hora nona post meridiem, et quod demum spatio quindecim annorum haec omnia feliciter et cum plausu executioni mandata fuerunt, cum Populus non esset durae cervicis, nec dominus esset exasperans. In iisdem quoque Literis exponebatur, quod ad maiorem Dei gloriam, adhibito consilio et consensu Capituli Cathedralis Ecclesiae et Magistratuum, praecepit, ut dies Expectationis Beatissimae Virginis Mariae, qui magna cum celebritate recolebatur, haberetur et esset festivus de praecepto. Cumque Episcopus Summum Pontificem exoraverit pro horum omnium confirmatione, et a summo Pontifice fuerint preces remissae ad Sacram Congregationem, agendum hinc erat, an festa ab Episcopo essent Auctoritate Apostolica confirmanda. His mature perpensis proposito dubio: – An et quomodo precibus sit annuendum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Antequexen. in Indiis occidentalibus die 22 Aprilis 1719.*

1. Feudum dignitatis licet sit individuum et nonnisi penes unam formalem Personam esse queat, nihil tamen vetat, quin haec per plures agnationes tamquam plures materiales Personas unam formalem individuam repraesentantes obtineatur, Innoc. in Cap. *Cum non ignores* n. 1 de praebendis, Hostien. ibid. n. 6, Butr. ibid. n. 4, Zabarell. n. 1, Lotter. lib. 1 quaest. 20 a n. 115, Rot. coram Gregorio decis. 479 per totum *in Sutrina seu Nepesina Parochialis die 20 Ianuarii 1787* §. *Non.*

2. Concessa hinc fuit infeudatio Principatus ad Mensam Archiepiscopalem spectantis et restricta ad lineam masculinam, ut posset extendi ad lineam femininam, itaut ultimus Feudatarius possit relinquere feudum uni ex filiis masculis, vel filiae ultimo nuptae et nascituris vel iam nuptae et natis *in Taurinen. Beneplaciti die 21 Augusti 1694 lib. 44 Decretorum.*

3. Quin imo. Sacra Congregatio censuit, investituram feudorum ad Capitulum Cathedralis dominium directum devolutorum, deficiente linea ultimi investiti, renovandam esse favore filii eam petentis ex iuribus Matris, licet ex secundo toro geniti, exclusis aliis eiusdem familiae, iuxta votum S. Rotae; his enim in terminis proposito dubio: – An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Esse locum renovationi ad formam voti Rotalis – *in Callien. Castrorum die 1 Aprilis 1702 lib. 52 Decretorum.*

4. Hinc Sacra Congregatio declaravit quidem, Feudatarium habentem bona Ecclesiae parochialis in feudum a Papa sibi concessa, cum onere tantum deserviendi Ecclesiae parochiali per Capellanum ab ipso deputandum, licite posse ea possidere, cum Papa eadem ipsi potuerit concedere, nec Concilium huiusmodi concessiones revocaverit *in Dubium ad Cap. 1 sess. 23 de reformatione Posit. 41.*

5. Summus Pontifex vero, audito casu et sententia S. Congregationis, mandavit, deputari Rectorem dictae Parochialis cum assignatione medietatis fructuum favore Feudatarii *in Dubium ad Cap. 1 sess. 23 de reformatione Posit. 41.*

6. Fideicommissum autem intelligitur id, de quo quis suprema defuncti voluntate rogatus est, ut daret vel faceret, Vinn. comm. in Inst. lib. 2 tit. 12 *in Camerinen. die 27 Iulii 1822* §. *Haec.*

7. Unde fideicommissi indoles postulat, ut quis ex disponentis voluntate aliquid successori fideicommissario restituat, Ulpian. in fragm. tit. 25, Inst. de fideicomm. §. In primis 2, Rota in Forolivien. Fideicommissi 4 aprilis 1820 §. 3 coram Gamberini *in Ariminen. Beneplaciti die 31 Ianuarii 1824* §. *Contendit.*

8. Nec dubium, quin fideicommissum etiam ab herede ab intestato relinqui possit, ut in §. Praeterea Inst. de fideicomm. heredit. *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Licet.*

9. Hinc tacitum fideicommissum relictum supponit Textus in L. *In tacitis fidei commissis* 106 ff. de legat. 1: – Quoties quis neque testamento, neque codicillis rogatur, sed domestica cautione vel chirographo obligat se ad praestandum fideicommissum –, cui consonat Textus in L. *Non intelligitur* 3 ff. de iure fisci; et sufficere nudam heredis pollicitationem, etiam sine chirographo censuit Caius in L. *In fraudem* 10 ff. de iis, quae ut indign. auf. *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Licet.*

10. Quare videtur, ad probandum tacitum fideicommissum, opus non esse testamentum aut codicillos exhibere vel Testes producere, quia – tacita fideicommissa frequenter sic deleguntur, si proferatur chirographum, quo se cavisset is, cuius fides eligitur, quod ad eum ex bonis defuncti pervenerit, restituturum –, iuxta censuram Textus in L. *Non intelligitur 3* §. Si quis palam ff. de iure fisci *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Licet.*

11. Immo etiamsi deficeret chirographum, – et neque ex scriptura, neque ex quinque Testium numero, qui in fideicommissis legitimus esse noscitur, possit res manifestari –, statuit Iustinianus, ut Fideicommissarius possit deferre iuramentum heredi, qui vel iurare cogitur, vel fideicommissum praestare: – Quod si is, a quo relictum dicitur, postquam negaverit, confiteatur quidem aliquid a se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrat, omnino solvere cogendus est, ut in §. fin. inst.

de fideicomm. hered., et in L. fin. Cod. de fideicommissis *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Licet.*

12. Hinc regulariter ad probandam fiduciam, quae heredem scriptum obliget ad restitutionem favore praetensi Fideicommissarii, requiruntur verba testamenti illam praeseferentia et causa urgentissima occultandi relictum, alioquin Heres scriptus nihil restituere per fideicommissum cogendus est praeter id, quod sponte fatetur a se praestandum, iuxta firmata per Rotam in Astoricen. Hereditatis 10 iunii 1748 §. 6 coram Cortada, et 10 decembris 1749 §. 5 coram Bussio, et in Romana Locorum Montium et Cedularum 4 iulii 1753 §. 14 coram eodem *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Cumque.*

13. At praelegatum iure institutionis naturam assumit universalis Fideicommissi, et cum tota restitui debet hereditate, Menoch. cons. 884 n. 15, et praesumptio 194 n. 50 lib. 4, Fusar. de substit. quaest. 650 n. 88 *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Tansigere.*

14. Dum purum insuper ac simplex non est praelegatum, sed cum onere fideicommissi favore descendentium in infinitum, comprehensum censetur in universali reliquae hereditatis fideicommisso pro descendentibus ipsis ordinato, Rota in Recent. decis 140 n. 12 part. 15, et coram Penia decis. 645 n. 4 *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Transigere.*

15. Amplia, id praesertim locum obtinet, ubi concurrit praeceptum restituendi integram hereditatem, Fusar. de subst. quaest. 650 n. 71 et 74, Rot. in Recent. decis. 122 n. 12 part. 12 *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Transigere.*

16 Hinc ex dissimili Testatoris dispositione diversa quoque desumitur praelegati et universalis fideicommissi natura, Gratian. discept. 828 a n. 15, Card. De Luca de fideicomm. disc. 128 n. 5, Rot. coram Bichio decis. 278 a n. 10 *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Urget.*

17. Quum itaque de institutione agatur non favore Ecclesiae, sed favore certarum Personarum facta, nil aliud eadem est, quam fideicommissum qualificatum, Rot. coram Ansaldo decis. 21 n. 2, coram Caprara decis. 591 n. 3, coram Molines decis. 1232 n. 3 in Nuperr. decis 394 n. 1, coram Falconerio de miscell. decis. 61 n. 3, in Romana Praelaturae de Vecchiarellis super reintegratione 12 ianuarii 1731 §. 11, ac magistraliter in Romana Laudemiorum et Quindenniorum 27 ianuarii 1758 §. 11 coram Canilliac *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858* §. *Hinc.*

18. Hinc plurium linearum et familiarum sucessivo ordine vocationem fideicommissi progressivam inducere naturam docent Mart. de succ. legal. art. 6 n. 13, De Comitib. decis. Florent. decis. 49 n. 1 tom. 3, Card. De Luca de fideicomm. disc. 89 n. 6, Bonf. ibid. disp. 41 n. 1 et 2, Menoch. de praesumpt. lib. 4 praesumpt. 68 n. 10 *in Perusina Legati die 7 Septembris 1839* §. *Iamvero.*

19. Nam Testatorem ad plures gradus substitutionum digressum, ex gravi ac efficaci coniectura colligitur, inducere voluisse progressivitatem, ceu tradit Rota in decis. 142 Recent. part. 7 n. 1 et 2, decis. 22 a n. 6 de legibus, et de fideicommissis particularibus coram Falconerio decis. 29 n. 1, de miscellan. coram eodem decis. 719 n. 28, in Ferrarien. Primogeniturae 1795 coram Strasoldo, in Pisauren. Immissionis 27 iunii 1796 coram Malvasia *in Perusina Legati die 7 Septembris 1839* §. *Iamvero.*

20. Itaque quum positi sunt in conditione nedum filii, sed nepotes etiam pronepotes ac eorum descendentes in infinitum, masculi et feminae, conditionalis haec tot Personarum et graduum appellatio in infinitum limitationem inducit Glossa in L. *Lucius* 2 verb. liberos ff. de hered. instituen., omnesque in conditione positi dispositive vocati censentur, Rot. in Recent. decis. 690 n. 7 part. 18 tom. 2, in Montis Falisci Bonorum 27 aprilis 1759 §. 12 coram Ratta *in Forosempronien. Reductionis Missarum die 5 aprilis 1794* §. *Urgent.*

21. Hinc etiam in primogenituris, cum masculi praelative vocentur, feminarum tamen successio non inde prorsus excluditur, sed in suspensum quodammodo remanet, donec mares supersint, quibus haud extantibus, ipsae succedendi iure potiuntur, maxime si Testator collectivo nomine ad successionem invitavit, Peregrin. de fideicomm. art. 27 n. 21, Card. De Luca de iurepatronat. disc. 22 n. 13

in Ferrarien. Iurispatronatus die 1 Februarii 1840 §. *Neque.*

22. Sane in fideicommissis marium nomine, modo absoluta Testatoris voluntas contrarium minime edoceat, non mares solum a maribus, sed et mares a feminis descendentes venire tradit Fulgosius in cons. 85, cuius sententiae adstipulantur Alrograd. iur. controv. 68 n. 37, Torr. variar. iuris quaest. tit. 1 quaest. 12 a n. 28, De Comit. in addit. ad decis. 8 de fideicomm. n. 16, Rota coram Caprara decis. 721 n. 7, coram Ansaldo decis. 752 a n. 8, Palma Nep. alleg. 221 n. 7, et Card. De Luca de fideicomm. disc. 26 n. 4 *in Ferrarien. Iurispatronatus die 1 Februarii 1840* §. *Neque.*

23. Imo Fusarius de substit. quaest. 379 n. 62 tradit, de iure communi etiam in fideicommissis masculos cum feminis concurrere, nisi istae expresse excludantur; et Rota in Ravennaten. Immissionis 5 maii 1777 coram Sentmanat ad fideicommissum pro feminina linea statutum in defectu masculinae in illius ingressu feminas etiam cum maribus admisit *in S. Severini Beneficii die 26 Iunii 1841* §. *Quin.*

24. Unde compertissimi iuris est, ex una remotiorum vocatione vel in ipsis fideicommissis semper praesumi vocatos etiam proximiores, utpote magis dilectos, Peregr. cons. 43 n. 2 et 5 lib. 2, Fusar. de substit. quaest. 484 n. 30, Rot. in Imolen. Capellaniae 18 februarii 1842 n. 5 coram De Retz *in Imolen. Canonicatus die 17 Decembris 1842* §. *Tullius.*

25. Quin imo ubi perpetuum deficit fideicommissum, vel expressa deficit ratio conservationis bonorum in familia, non extenditur alienationis prohibitio ad ulteriores heredes, Mantic. de coniect. ult. volunt. tit. 6 lib. 14 n. 23, Mascard de probat. concl. 1242 n. 77 et 92, Valent. de ult. volunt. vot. 14 n. 33 part. 1 *in Aprutina die 19 Maii 1787* §. *Quoad.*

26. Quamvis vero iisdem fere legibus iurapatronatus ac fideicommissa regantur, non ideo tamen ita in omnibus aequiparata sunt, ut nullum inter ea sit discrimen; quod quidem potissimum in agnatione dignoscere datum est, cuius ratio ex doctrina Pitonii de controv. patron. alleg. 75 non aeque militat in iurepatronatus, uti in fideicommisso; et etiamsi militaret, operaretur, donec extant agnati, non autem per posterius in eorum defectum, quod esset odium consanguineorum neutiquam praesumendum *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Aprilis 1853* §. *Quod eo.*

27. Quum enim fideicommissum suapte natura praesertim ex origine sapiat aliquid agnationis, iuspatronatus vero est materia indifferens et ordinata ad providendos Clericos de sanguine, ceu monet Garcia de Benef. part. 7 Cap. 15 n. 21, in qua ideo verba sunt benigne et late interpretanda, Card. De Luc. de praeem. disc. 13 a n. 7. Eoque fortius vim facere videtur ratio haec, quoties non agatur de Institutore habente familiam effectivam, sed de Viro ecclesiastico, qui ideo per vocationem Familiae suae nullam distinctionem inter suos agnatos et cognatos fecisse dicendus est, vel si quam fecerit distinctionem, haec demum esse potuit in eo, quod scilicet agnatos cognatis praeferret, minime vero, ut, cognatis posthabitis ac spretis, extorres omnino a suo faceret beneficio, extraneos substituendo *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus die 23 Aprilis 1853* §. *Quod eo.*

28. Idcirco etsi liceat ordinario a fideicommisso ad patronatum arguere, grave tamen in multis discrimen, permanet, de quo praestat audire Card. De Luca in disc. 22 de iurepatronat. n. 13 et 14, ubi ait: – Nullibi in iure cautum esse, ut in iurepatronatus dare debeamus eumdem ordinem per prius et per posterius, qui datur in fideicommissariis successionibus in dubio regulandis, iuxta ordinem intestatae successionis, et ex ea ratione, quod dum feminae prorogant familiam admittendae non sint, stantibus masculis, quum ad proprios filios extraneos transmitterent. Istae siquidem considerationes non cadunt in patronatu, qui tamquam individuus dicitur extare penes omnes de familia in solidum, considerato in singulis solo exercitio, unde non incongruit, omnes de familia eodem tempore admitti, sive masculos, sive feminas, qui de tempore singularum vacationum reperiuntur, absque gradus vel sexus discretione – *in S. Severini Beneficii die 26 Iunii 1841* §. *Quin.*

29. Neque pariter, cum de patronatu gentilitio agitur, ulla ratio municipalibus legibus vel observantiae habenda videtur. Illae siquidem cum hereditarias respiciant successiones, iis utique aptari possunt, quae hereditario iure deferuntur, proindeque illi patronatui, qui hereditaria pollet qualitate; at non item iis, quibus iure sanguinis, et ex puta Institutoris praeordinatione succeditur, veluti in gentilitio patronatu accidit, Surd. cons. 572 a n. 71, Brun. de statut. fem. exclud art. 8 n. 104, Gratian. disc. 813 n. 32, Torr. de success. in primog. Ital. part. 1 cap. 25 n. 74, Rot. in Mantuana Beneficii 3 iunii 1689 coram Ursino impressa post. discept. eccles. 11 Pitonii. Hinc est, quod in emphyteusi ecclesiastica concessa pro generatione masculina et feminina, masculis deficientibus, mares et feminas ex generatione feminea ortas ex eadem ratione succedere firmat Constant. vot. 499 tom. 4 a n. 10 post. Galvan. cons. 11 n. 22 33 35 36, Rot. decis. 295 a n. 4 coram Durano, decis. 32 n. 1 coram Coccino; additque, quod cum per lineam femininam agnatio non conservetur, ob eius vocationem ratio statuti deficit *in S. Severini Beneficii die 26 iunii 1841* §. *Neque*.

30. Nam in fideicommissis agnati semper excludunt cognatos, nulla habita ratione ad gradum maioremque proximitatem, ut docet Pitonius de controv. patron. allegat. 65 n. 8, ubi ait: – Tam de iure, quam ex observantia censeo, datum esse ordinem succedendi per prius et posterius inter istos de linea, scilicet primo illos per lineam masculinam, et per posterius illos peu lineam femininam descendentes, et quidem virtute praedilectionis agnatorum supra cognatos – *in Neapolitana Iurispatronatus die 10 iunii 1848* §. *Licet*.

31. At ubi Testator ordinavit successivum fideicommissum, quin constituerit ordinem succedendi ab eo diversum, quod lex civilis vel municipalis praecipit, idipsum succedendi ordinem in fideicommisso demandasse praesumitur, Gloss. in L. *Cum ita,* Soc. iun. cons. 26 n. 25, Peregrin. cons. 45 n. 23, cons. 47 n. 16 lib. 2, Fusar. de substit. quaest. 379 n. 62; censetur enim vigentibus legibus voluntatem suam accomodasse, et praesertim patriis statutis, ceu firmat Bart. in L. *Iusiurandi* §. si liberi col. 1 ff. de oper. libert., et alii apud Fusar. cons. 73 n. 8 *in S. Severini Beneficii die 26 Iunii 1841* §. *Quod*.

32. Hinc est, quod licet ad fideicommissum filiis relictum veniant tam masculi, quam feminae, ut probat Fusar. de substit. quaest. 311, attamen affirmant Doctores, quod in loco, ubi statutum viget, ab intestatis successionibus feminas excludens, si masculi extent, ad fideicommissum filii mares dumtaxat, exclusis sororibus, admittuntur, Bald. in L. *Tres fratres,* et ibi Ancharanus, Cravet. cons. 80 col. 2, Peregrin. cons. 56 n. 8 lib. 3, Mantica de coniect. ult. volunt. lib. 8. tit. 7 n. 1, Fusar. de substit. quaest. 379 n. 64. Et quando Testator in longa substitutionum serie masculos vocavit, iisque deficientibus, lineam femininam substituit, et defecta reapse masculina progenie, successio delata est ad feminas vel ad aliquem ex illis descendentibus, qui postea decessit, relictis masculis et feminis, tenet idem Fusar. loco citato, ob praefatum statutum feminas a fideicommisso arcendas esse, atque hanc esse sententiam Peregr. in cons. 44, et ita a Tribunalibus decisum refert *in S. Severini Beneficii die 26 Iunii 1841* §. *Quod*.

33. Statutum autem fideicommissum in dimidia parte, – si non fuerit portio adiecta, dimidia pars debetur –, ut inquit Textus in L. *Nomen* 184 ff. de verb. signif., et tradunt Glossa in L. *Titius Stichi* 85 verb. consequens ff. de legat. 1, Cuiacc. tom. 6 pag. 198 litt. C., et Tiraquell. in L. *Si unquam* verb. omnia vel partem aliquam Cod. de rer. donat. pag. 9 a n. 8 *in Ragusina die 11 septembris 1762* §. *Cum*.

34. Unde cum certa sit voluntas Fideicommittentis per legem determinata parte dimidia, non posse videtur Heres onus, quod indefinitum fassus fuit, ad certam quantitatem determinare dimidia minorem, L. *Huiusmodi* 86 §. Stichum ff. de leg. 1 *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Cum*.

35. At licet ex Principis privilegio, eoque auctorante, fiat adrogotio, attamen ea tanti non est, ut ex hac iuris fictione tolli possit ius alteri legitime quaesitum. Hinc nequit adrogatus successionem in fideicommisso vel emphyteusi praepedire iis, qui ex lege institutionis vel conventionis vocati sunt, Text.

in L. *Fideicommissi* 76 de cond. et demonstr., Lotter. de re Benef. lib. 2 quaest. 39 n. 18 *in Lucana Legati die 26 Augusti 1820* §. *Eoque.*

36. Quin imo quamvis filio heredi gravato una de iure civili permittatur detractio legitimae, tamen – in praxi et Gentium plerumque usu comprobata est dispositio Iuris canonici, qua duplicis quartae legitimae atque trebellianicae detractio filiis permissa est –, ut ex intima iurisprudentia docet Voet in pandect. lib. 36 tit. 1 ad senatusconsult. Trebell. n. 52. Huiusmodi ergo detractiones competunt Fundatori Capellaniae ex fideicommissaria hereditate Patris, et hoc propterea titulo sustinenda videtur fundatio Capellaniae, nisi de consumptione detractionum concludenter doceatur, Ciriac. controv. 5 a n. 5, Cardinalis De Luca de legit. disc. 25 n. 55 *in Montis Politiani Capellaniae die 5 Aprilis 1794* §. *Quamvis.*

37. Consonum hinc est praesumptae Testatoris voluntati atque affectioni, ut in suos magis, quam in ceteros charitatis subsidium conferatur, iuxta Textus in L. *Cum avus* ff. de condit. et demonstr., et L. *Cum acutissimi* Cod. de fideicommissis, quibus decernitur, ut demandatae in casu obitus fideicommissi restitutioni non sit locus, si gravatus cum liberis aut nepotibus decesserit *in Romana Subsidiorum Dotalium die 21 Novembris 1772* §. *Praemittit.*

38. Posita vero scientia substitionis proximiorum, ex bonis dumtaxat liberis volita dicenda est Canonicatus erectio, nec facile per reductionem onerum frustrari debere videtur, quod Fundatrix disposuit, Can. *Ultima voluntas* 13 quaest. 2, et L. *Omnium* 19 Cod. de testamentis *in Nullius Sublacen. Reductionis Onerum die 15 Maii 1790* §. *Licet.*

39 Verum licet fideicommissum sub conditione et in diem relictum ante conditionis existentiam cedi non possit a Substituto, L. *Si ita scriptum* §. 1 ff. de legibus, nihilominus de eo pacisci, pendente adhuc conditione, permittitur, L. *Et heredi* §. Filius familias, L. *Pactum* de legibus, Donellus ad L. *Conditionis* Cod. de pactis n. 7 *in Anagnina Erectionis Capellaniae die 14 Martii 1772* §. *Super.*

40. Nam per repudiationem in tempus praesens fideicommissum eventuale remittitur, quod fieri non potest, quia purificatio fideicommissi pendet ab eventu, sed conveniri de fideicommisso potest in tempus futurum, illudque renunciari, quando ceperit deberi, Donell. loco citato, et ideo sustinetur renunciatio, si iniquae conditiones non fuerint adiectae, et iuramento firmata comperiatur, quum ratione etiam iuramenti vim habeat, Cuman. in L. *Is, qui heres* n. 3, Dec. cons. 379 n. 10, Seraphin. de privil. iuram. privil. 109 n. 3 *in Anagnina Erectionis Capellaniae die 14 Martii 1772* §. *Super.*

41. Unde qui fideicommissum a Maioribus relictum disperdit, in locum bonorum fideicommissariorum subrogare tenetur sua bona libera: hanc enim subrogationem exigunt omnia iura, ne fideicommissa disperdantur in perniciem eorum, qui ad ea vocantur, L. fin. Cod. de legatis, L. *Imperator* ff. de legatis 2 *in Panormitana Legati Missarum die 19 Septembris 1818* §. *Quod.*

42. Haec autem subrogatio non directe quidem et ex iure inducitur, sed cognitis alienationibus et causa, ac propterea opus est Decreto Iudicis *in Panormitana Legati Missarum die 19 Septembris 1818* §. *Praeterea.*

43. Hinc despicienda prorsus est fideicommissaria dispositio tamquam super aliis, quam super bonis Testatoris fundata, sin minus coarctanda ad ea tantum bona, quae certo certius ad Testatorem pertinebant, ceu post Textum in L. *Servi* §. fin., L. *Stichum, qui mens* 6 ff. de legat., et L. *Verbis* 120 ff. de verb. significat., L. *Uxor patrui* Cod. de legat., docet Bald. in L. 1 *In secundo* qui testam. facere possunt, ubi Castr. et Isai. n. 4, Decius cons. 454 n. 11, quos refert et sequitur Surd. cons. 113 n. 14, et cons. 224 n. 6, iisque concinit Rota decis. 170 Recent. part. 12 n. 21 *in Reatina Capellaniae die 6 Maii 1848* §. *Praeterea.*

44. Quum autem legitime non constet, sua bona libera Fideicommissarius in bonorum fideicommissariorum locum subrogaverit, sed imo potius pateat, eum Legatum Missarum ex propriis instituisse pecuniis, locus est satisfactioni dictarum Missarum, etiamsi fideicommissum perierit, cum praesertim observantia accedat, ex indulgentia tamen indulge-

tur condonatio et absolutio quoad praeteritas omissiones, celebrato vero intra certum determinatum temporis spatium aliquo numero Missarum *in Panormitana Legati Missarum die 19 Decembris 1818.*

45. Siquidem exposuit Petrus Piaggia, se ex publica mensa nummularia, quae extabat Panormi, annuum reditum percipere unciarum Sicularum viginti. Hoc certo reditu, licet Missarum celebrationi ab eius bisava Materna destinato, libere frui posse autumabat ex praecedenti fideicommisso, ad quod iure proprio vocabatur, quin tale onus eidem imponi potuisset. Verum cum non impositum tantum, sed et religiose exequutum illud videret a suis Praedecessoribus, ab anno scilicet 1711 ad annum usque 1803, conscientiae stimulis agitatus, sanationem quoad praeteritum tempus, declarationemque, qua incertitudo omnis in futurum tolleretur, humiliter supplicavit. Vicarius Capitularis retulit, quod ab anno 1684 ultimis, quibus decessit, tabulis Angelus Passalacqua perpetuum fideicommissum instituit, ad quod, duas, quas habebat filias, Antoniam et Eleonoram earumque descendentes in infinitum vocavit, cum reciproca substitutione. Bona utrique sorori assignata fuerunt, et Antonia quae nupta Ioachimo Battaglia dotem acceperat in unciis Siculis 443, bis centum alias habuit uncias; Eleonorae adhuc innuptae, praeter annuum reditum unciarum quatuor, unciae 400 in pecunia numerata tributae fuerant, ea tamen lege, ut annuus ex ea reditus constitueretur. Utriusque portio, intestata praemortua Eleonora, in Antoniam coaluit: mortuo etiam Ioachimo eius viro anno 1706, cum heres ab eo una cum filiis instituta esset Antonia, dotem, quam attulerat, et cetera, quae tum in ipsam, tum in sororem a Patre profecta occupaverat Vir, ab eius hereditate separavit, ac fideicommisso a Patre suo instituto vindicavit sibique addixit. Ea, quae supererant Ioachimi bona vix ac ne vix quidem satis fuerunt aeri alieno dissolvendo, quo eius gravabatur hereditas, super qua ceteroquin et ipse fideicommissum instituerat. Sedulo notandum erat, sequenti anno post obitum Viri sui, nimirum 1707, summam unciarum 560 deposuisse Antoniam de suis propriis pecuniis apud Sacerdotem quemdam nomine Cardinale cum expressa lege, – ut quanto citius cum dictis unciis 560 emere debeat tot reditus tutos et securos, eosque assignare Francisco Battaglia et Passalacqua Antoniae filio, cum expresso vinculo et fideicommisso, in quo succedant descendentes etc., et extincta linea Francisci Battaglia succedere debeat Anna Xaxia filia legitima et naturalis Antoniae, et descendentes in infinitum in stirpes et non in capita –. Paulo post solemni pariter instrumento declaravit idem Cardinale, cum praefatis unciis 560 aliisque unciis quadraginta ab ipsa Antonia habitis ipsiusque propriis reditus emptos fuisse unciarum viginti quatuor – pro causis et effectibus in praecedenti actu declaratorio expressis –. Rebus ita compositis, anno 1711 diem obiit supremum Antonia, heredemque universalem ac fideicommissarium instituit filium masculum Franciscum, eidemque substituit nascituros ex eo liberos, in quorum defectu filiam Annam eiusque descendentes vocavit. Codicillis vero, quos antea testamento confirmaverat, haec quoad Missarum celebrationem, de qua quaerebatur, disposuit: – Lascia una Messa perpetua giornale coll'assegnazione di onze venti da pagarsi sopra le onze 24, che gli rende la tavola di Palermo ogni anno –. Sacerdos Hieronymus Galassi Capellanus, ad dictarum Missarum celebrationem, ab Antonia nominatus, annuum reditum percepit a Testatricis morte Missasque celebravit. Anno 1716 dictus Franciscus obtinuit a Regia Curia Praetoriana Panormi – mandato di assenso sulle onze 24 annuali dovute dalla deputazione delle nuove gabelle, quali furono assentate insieme col capitale di oncie 600, lasciando oncie 20 annue per sodisfo della Messa quotidiana..... Dietro ciò vendè le restanti onze quattro, e durante sua vita consumò il patrimonio libero di sua Madre –. Antonius Francisci filius eiusque heres cum sororibus anno 1738 dictum reditum unciarum viginti sibi pro sacro Patrimonio assignavit; deinde vero anno 1774 nupturae sorori Susannae cum aliarum sororum consensu dotis nomine promisit eumdem reditum, post dotantis mortem ab ipsa consequendum, adiecto etiam fideicommissario vinculo filiorum favore, qui fortasse ex ineundo a sorore Matrimonio cum Antonio Piaggia orirentur. Anno 1803 praefatus reditus pervenit in Ioannem Piaggia Susan-

nae filium, qui aliquando solum, aliquando cum fratre Francisco Piaggia illum possedit, integreque in praesens retinebat ex eiusdem Fratris dotatione. Ab eodem anno 1803 exinde viginti unciarum reditum suum semper fecit Ioannes, quin Missarum onus, quibus ex Antoniae voluntate gravabatur, unquam adimpleverit. Sacrum aliquod vix quotannis ad expiandam Testatricis animam celebrari curavit, ut scrupulum omnem evelleret ex animo.

46. Haec erat factorum series, ex qua Orator sibi suadebat, ex Sacrae Congregationis oraculo immunem se ab omniMissarum onere renunciandum esse. Quaecumque enim, sic ipse arguebat, fuerit Antoniae dispositio quoad indictum onus, quomodocumque exequutum ipsum fuerit seculi prope spatio, illud certissimum videbatur, viginti unciarum reditum non ad fideicommissum pertinere ab Angelo Passalacqua institutum, cui Antonia eius filia primo successit, et cui nullum Missarum onus imponere potuit, qui integrum illud restituere obstringebatur ceteris a Testatore vocatis, nimirum liberis ab se descendentibus, quorum in numero Ioannes Piaggia in praesens recensebatur ac unicus existebat de genere vocatorum, ad fideicommissum ab Angelo Passalacqua institutum pertinere videbatur summa unciarum sex centum, quae conflabatur ex duabus summis Antoniae et Eleonorae filiabus relictis. Ad dictam summam unciarum 600 adamussim respondebat pretium, quod pro acquisitione annui reditus impensum fuit ab Antonia, in qua utraque summa coaluit, perpetui tamen fideicommissi vinculo innodata. Quod si praedictus reditus propriis Antoniae pecuniis comparatum fuisse fingeretur, nihilominus nullo Missarum onere gravari ab ea potuisse manifestum erat. Quum enim nulla alia fideicommissaria bona superessent Angeli Passalacqua, nec aliud fructuosum caput, prout praeseferebat Fideicommittentis placitum, acquisiverit unquam Antonia, si illud exciperetur annui reditus unciarum 24, quodque propriis emisse nummis supponebatur, sponte sua sequebatur, paternam substantiam totumque fideicommissum a Patre relictum disperdidisse ipsam Antoniam. Quo res cum perducta fuerit, et illud sequeretur luculentissimum iuris axioma, in bonorum fideicommissariorum locum subrogata fuisse bona libera Antoniae, et eo vel magis hunc, de quo agebatur, reditum, qui ex eius bonis tantummodo supererat. Subrogationem quidem istam exigunt iura omnia, ne fideicommissa impune disperdantur in perniciem eorum, qui ad ea vocantur. Hisce tamen non obstantibus, ius Antoniae fuisse quomodolibet de viginti unciarum reditu disponendi, ex duobus eruebatur publicis instrumentis Sacrae Congregationi exhibitis, ex eo scilicet anno 1707, quo tradidit Francisco Cardinale uncias 560, quas ex aere proprio derivatas dixit, alteroque eiusdem anni, quo idem Cardinale reditum unciarum 24 pecuniis Antoniae propriis emisse iterum declaravit. Quae cum ita essent, immerito unciae illae subrogatae dicerentur in locum fideicommissi Angeli Passalacqua, cum inter antiquitatis tenebras lateret quale quantumque fideicommissum illud fuerit, ac integrum in Antoniae manus pervenisse asserebat Piaggia, citato quidem, sed nullo allato monumento. Praeterea subrogatio in fideicommissis non directe quidem ex iure et tacite inducitur, sed tum demum ipsi locus patet, quum cognita causa cognitisque alienationibus decreta fuerit a Iudice. Eo minus vero subrogationi locus dandus erat in themate, quo longius ab eo provocanda abfuisse videbantur quotquot ab Antoniae intercesserunt usque ad Petrum Piaggia fideicommissi possessores, a quibus Missarum onus constabat exacte fuisse adimpletum. Quod si Missarum onus adhuc subsistere videretur, id prae oculis habendum erat, num bona fides, qua ab anno 1803 nonnisi paucas exinde Ioannes Piaggia Missas celebravit, suffragari illi posset ad dispensationem et Apostolicam absolutionem obtinendam.

47. His mature perpensis, propositis dubiis: - I. An et quomodo sit locus satisfactioni Legati Missae quotidianae, de qua agitur, in casu? II. An sit consulendum Sanctissimo pro condonatione et absolutione quoad praeteritum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad formam fundationis Antoniae Passalacqua. Ad secundum, Affirmative celebratis Missis mille intra triennium – *in Panormitana Legati Missarum die 19 Decembris 1818.*

48. Nihil tamen vulgatius, quam Gallorum copiis Italiam occupantibus, omnia fidei-

commissorum vincula fuisse deleta, et Lege 7 Florile anno VI, nempe diei 2 aprilis 1798 cautum fuisse: – Gli usufrutti progressivi ossia transitorii con ordine successivo in più generazioni o famiglie cadono sotto le prescrizioni della Legge 6 Termidoro anno V –; huius autem notissimae Legis articulo 3 statutum fuerat: – Le sostanze s'intendono fatte libere nella persona dell'attuale possessore, che ne potrà tosto disporre come di ogni altra sostanza – *in Ariminen. Beneplaciti die 31 Ianuarii 1824* §. *Quaestio.*

Item *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858* §. *Dum.*

49. Sancitum hinc generaliter fuit: – Dalla pubblicazione della presente Legge si dichiara annullato qualsivoglia vincolo fideicommissario in oggi vigente sotto qualsivoglia denominazione – *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858* §. *Dum.*

50. Quum igitur ad convalidandam institutionem haud accesserit cuiusvis ecclesiasticae Auctoritatis sanctio, ipsa institutio in merum simplex legatum resolvitur, adiecto onere praestitutum Missarum numerum celebrandi, quoties agatur de Capellania: ita passim docente Rota in Romana seu Ferentina Immissionis 21 iunii 1823 §. 5 coram Tiberi, in Narnien. Divisionis 12 februarii 1830 §. 3 coram Rivadeneyra, in Treien. Immissionis 21 ianuarii 1856 coram De Witten, ac in tribus confirmatoriis *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858* §. *Quod.*

51. Unde quidquid de huiusmodi vinculorum abolitione Gallicis Legibus fuerat constitutum, legitimo redintegrato Summi Pontificis imperio, fuit publicae utilitatis ratione confirmatum, uti perpendit Rota in Auximana Primogeniturae 4 iulii et 12 decembris 1817, et 2 martii 1818 §. 2 et 6 coram Zinanni *in Ariminen. Beneplaciti die 31 Ianuarii 1824* §. *Quaestio.*

52. Siquidem ex Motu-proprio in vulgus edito a s. m. Pontifice Pio VII die 6 iulii 1816 sancitum fuit art. 132 et 133: – La durazione dei fidecommessi conservati nel precedente articolo non avrà luogo, che negli immobili complessivamente ascendenti ad un valore al di sopra di scudi 15000 – *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858* §. *Nec.*

53. Sancitum praeterea fuit: – art. 142. Le riserve di semplice usufrutto formale, purchè non contengono progressività di successione, li patti e le providenze delle investiture enfiteutiche, e le riserve di giuspatronati attivi e passivi non si comprendono nelle precedenti disposizioni abolitive riguardanti le sostituzioni ed i fidecommessi – *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858* §. *Nec.*

54. Locus vero non est divisioni bonorum inter Familias vocatas, ex quibus, detractis pro legatorum piorum adimplemento impensis, reliquum iuxta Testatoris voluntatem impendendum est pro Iuvenum ex lineis vocatis descendentium educatione, licet sustineatur, praefatum Testatorem nil aliud instituisse, quam simplex fideicommissum progressivum, ac leges gallicas omnia fideicommissa abrogasse, nec Pium VII huiusmodi fideicommissum, quod haud 15000 scutis constabat, in vitam revocasse, quum ex dispositione sacrorum Canonum piae fidelium voluntates religiose sint servande, quin Pontifex Pius VII aliquid detraxerit ecclesiasticis sanctionibus, dum circa temporale suae ditionis dominium leges tulit *in Perusina Legati pii die 23 Novembris 1839.*

55. Iamvero Herculanus Melinelli Perusinus, supremo elogio die 9 iunii 1634 pluribus Missarum aliisque in animae suae piationem legatis demandatis, universales sibi scripsit heredes septem familias, quarum stipites recensuit ac designavit sanguine sibi copulatas; voluitque, – che non solo i sopradetti, ma ancora i discendenti loro Maschi in infinito, ed in difetto de' maschi anco le femmine de' sopranominati, purchè sieno nati di legittimo matrimonio, siano compresi o nominati ed istituiti eredi e sostituiti rispettivamente –. Mox ex recensitis septem Familiis quatuor Adolescentes selegit, eos sibi primum dicens heredes ea lege, ut Testatoris domum incolerent ad annum usque vicesimum quintum, quo expleto, repellerentur, et in eorum locum alii substituerentur ex sinu earumdem Familiarum, eligendi ab Administratore pro tempore, qui vel politioribus disciplinis ac scientiis, vel liberalibus artibus vacarent, – conchè giudicandolo meglio detto Amministrato re si possano mettere detti giovani, come sopra eletti, nel Seminario o in altro luogo, dove a lui parrà

più espediente, ed ivi dargli il bisogno pel vitto –. In defectu horum Adolescentium mandavit, ut fructus omnes hereditatis meliori, quo fieri posset, modo pro dotatione Puellarum ex dictis descendentium Familiis inservirent: ac si totaliter progeniem vocatam deficere contingeret, instituit ac respective substituit heredes Societatem dictam *delle Vergini* et Locum pium *delle Derelitte*. Tandem qualibet bonorum alienatione expressim prohibita, eorum administrationem tradidit aut Presbitero, si adesset, ex Familiis ad hereditatem vocatis, aut extraneo ab heredibus deputando, qui Testatoris domum habitaret, Iuvenibus instituendis incumbens, ibique victum et annua scuta decem pro vestitu reciperet; eique onus iniunxit annuatim reddendi suae gestionis rationem tribus revisoribus, ex vocatis ad hereditatem Familiis seligendis. Verum a die mortis Testatoris usque in praesens nullum extare dicebatur documentum, nullam memoriam, ex quibus colligi aliqua ratione posset, Testatoris voluntatem quoad Adolescentium Collegium fuisse unquam servatam. Imo, ut aiebat Episcopus Perusinus, – ignoratur modo quaenam fuerit, et in qua Civitatis regione extiterit Testatoris domus ab Adolescentibus, iuxta tabulas testamentarias, habitanda –. Illud potius liquere dixit, ad annum usque 1832 bona hereditaria ita fuisse penes Administratores pro tempore, ut, adimpletis ceteris piis oneribus ac legatis, quidquid reliquum erat, titulo emolumentorum sibi ipsi tribuerint; ideoque nullam aut fere nullam utilitatem Familiae vocatae capere exinde potuerunt. Anno 1832 mediis Iudicibus compromissariis electis ac deputatis, ad definiendas inappellabiliter nonnullas controversias inter superextantes ex vocatis lineis, scilicet Melinelli ex stipite Franciscae Melinelli, et Calderini ex stipite Emiliae exortas, hac super re sententia arbitramentalis seu laudum latum fuit statumque; 1°. ab administratione repellendum esse Franciscum Melinelli, eique onus impositum reddendi de bono et aequo suae gestionis rationem; 2°. locum esse novae electioni Administratoris, iuxta modum a Testatore praescriptum; 3°. satisfacienda primo loco esse pia legata, dein ex fructibus hereditatis Administratori pro tempore tradenda esse annua scuta 40, et tandem singulis Adolescentibus ex lineis Calderini et Melinelli annua scuta 30 tribuenda, prout vires hereditatis patiebantur, ut scientiis vel artibus sedulam operam navarent. Ast Familiae Melinelli, cum animadverterent penes se haud adesse Adolescentes scientiis et artibus aptos, cumque in vera egestate versarentur, Sacrae Congregationi preces admoverunt et expostularunt, – che prelevato un capitale atto a rendere un frutto capace alla soddisfazione del legato delle Messe ed altre lascite pie, potesse dividere il di più colle famiglie del ramo Calderini, attribuendone una metà per ciascun ramo: onde così poter disporre della quota, che gli competerà per sovvenire alla massima indigenza, in cui si trovano –.

56. Etenim praedictae Familiae sustinuerunt, Herculanum Melinelli nil aliud instituere voluisse, quam simplex fideicommissum progressivum: ast vi legum gallicarum omnia fideicommissa abrogata fuerunt, et bona huiusmodi subiecta vinculis libera evaserunt, quae libertas et abrogatio Motu-proprio diei 6 iulii 1816 a s. m. Pio VII sub artic. 131 ratae habitae sunt in illis bonis, quae ad scuta 15000 valorem non conscendebant, cuiusmodi esse dixerunt bona, de quibus agebatur. Pro huiusce iuris confirmatione in medium adduxerunt sententiam, quam anno 1813 die 12 aprilis Tribunal in prima instantia Perusinum, qua divisionem dictorum bonorum inter Calderinios et Melinellios mandavit; cumque ab ea nunquam interposita fuisset appellatio, eadem in rem iudicatam transivit. Deinde etiam ex aequitate idem propugnarunt; et animadvertentes, moraliter esse impossibile, ut substitutioni unquam locus esset, cum ex dictis lineis plusquam centum adessent individui, illum excludere voluerunt obicem, qui ex laesione iuris Locorum piorum, quae substituta erant, descendebat atque promanabat. Quum autem in extrema se versarentur egestate, praesumptionem iuris urserunt, ex quo Testator si heredum, maxime consanguineorum, egestatem praevidisset, opem ipsis foret allaturus. Ex adverso tamen perpendebatur, per praedictarum Familiarum vota destrui quodammodo Testatoris voluntatem cum praeiudicio etiam Reipublicae, cui Adolescentium educatio valde

cordi est. Quidquid vero ipsae disputarent circa Testatoris dispositionem, quam fideicommissi naturam praeseferre contendebant, quamque ideo ab omni vinculo iam solutam inferebant; illud in propatulo erat, Testatorem piam respexisse institutionem, quatenus mandaverit, ut, detractis aliis oneribus, omne hereditatis compendium erogaretur pro quatuor Iuvenibus informandis, qui ex septem Familiis designatis eligendi erant, vel totidem ex iisdem Familiis Puellis dote augendis. At nihil solemne in iure sacrorum Canonum, quam ut piae fidelium voluntates religiose serventur, Cap. *Tua nobis* de testamentis. Quare deducendum iure videbatur, Summum Pontificem, qui supremus erat sacrorum Canonum vindex et custos, noluisse aliquid vel minimum detrahere ecclesiasticis sanctionibus, dum circa temporale suae ditionis dominium leges ferebat, cum praesertim bona, de quibus agebatur, ad annum usque 1727 publico censu reperiebantur inscripta nomine Capellaniae Melinelli, eorumque census in actis Cancellariae inter bona habebatur Locorum piorum. Idcirco nedum Presbiter Franciscus ex Melinelliis Rector Puellarum vulgo *Derelitte* ac Societas *delle Vergini* nuncupata adversabantur, sed et ipse Episcopus, qui, dum necessitatem Clericorum urgebat, simul animadvertebat, quod praedictae Familiae Melinelli – levamen nonnisi tenue ac temporaneum perciperent, si, salvis ceteris legatis piis, bonorum superextantium medietas inter eas distribueretur. Altera enim medietas distribuenda foret Familiis Calderini, quae e contra in conditione sufficienter commoda versantur –.

57. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Oratorum in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et assignata Administratori annua summa scutorum 12, superextantes reditus erogandos esse in educationem tot Adolescentium, quot fieri poterit iuxta votum Episcopi ad formam testamenti, et habita ratione paupertatis Familiae Melinelli, ac idem Episcopus curet fieri inscriptionem hypothecariam bonorum extantium, ac vindicationem fundorum alienatorum – *in Perusina Legati pii die 23 Novembris 1839.*

58. Idcirco quum plura in medium proferrentur, quibus ostendi videbatur, Fundatorem Praelaturae nil aliud instituisse, quam fideicommissum qualificatum, illudque ex gallicis legibus extinctum fuisse, quin exinde ex Motu-Proprio Pii VII excitatum iterum in vitam fuerit, ob idque inter Personas arctissimis sanguinis vinculis coniunctas ad litem dimovendam proponeretur transactio, qua bona eiusdem Praelaturae inter eas dividi deberent, seposito tamen fundo cumuli vinculo supponendo ad praedictam Praelaturae reintegrationem, Sacra Congregatio, attentis etiam statu et conditione Oratorum, resolvit, locum esse approbationi propositae transactioni, aucto vero fundo multiplico supponendo in pecunia numeranda pro reintegratione eiusdem evehenda ad summam, quam Fundator praestituit *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858.*

59. Enimvero dives censu et sui in aevum asservandae agnationis studiosus Iacobus Ferri Fanensis ultimo, quo decessit, elogio Primogenituram et Praelaturam simul instituere curavit, utramque electivam. Ius namque activum ad unam alteramque nominandi contulit prius Carolo, qui erat ex filiis natu maior; eodem vero in nominatione deficiente, ius ipsum ceteris filiis concessit eo ordine, ut primum ad filium Iosephum, deinde ad Philippum, tertio demum ad Christophorum pertineret. Hisce sed vita functis, constituit, ut nominatio semper ac quandocumque explenda foret ab eo, qui Primogenitura potiretur – da quello, che ne sarà l'ultimo possessore –. Quoad ius vero nominationis passivum, in primum locum vocavit Iosephi filios, hisce tamen deficientibus, in spem secundam vocabat – la linea e discendenza mascolina del maschio più prossimo all'ultimo gravato coi medesimi pesi e privilegii, come nella prima istituzione –. Quod si forte aliquando contigeret, ut nullus ex sua agnatione superesset, qui vel Primogenituram vel Praelaturam assequi valeret, tunc voluit, – che chi sarà l'ultimo attuale possessore di detta Primogenitura, quando si estinguesse la sua linea, debba nominare, conforme io nomino e chiamo di propria bocca, uno dei suoi parenti più prossimi anche discendenti da femmine –, eo tamen adiuncto onere, – che esso nominato debba assumere ed usare sen-

za veruna mistura il cognome ed arme di mia casa, ed a quello così nominato sostituisco i di lui figli legittimi e naturali maschi dei maschi in infinito, sempre però coi pesi e privilegii della prima istituzione, cioè di primogenitura elettiva –. Idemque quoad Praelaturam servari mandavit, constituens artic. 33 testamentariae dispositionis: – Rispetto poi alla Prelatura voglio e dispongo, che circa le Persone, che debbono aver la facoltà di nominare a quella, e circa le Persone da nominarsi, si osservi e si debba osservare in tutto e per tutto lo stesso ordine e stabilimento, che di sopra ho prescritto e fissato intorno alla Primogenitura –. Testatoris voluntas plures per annos fideliter et ad unguem servata est: sed anno 1854 quum ab hac vita migrasset comes Ioannes Iacobus ultimus ex descendentia masculina familiae Ferri, gravissimae exortae sunt controversiae inter comitem Vincentium Machirelli, qui ex Eleonora Ferri ipsius Iacobi Amita genitus est, et eiusdem Iacobi Matrem Sororesque, quae ipsi intestato iure successerunt. Duo namque iudicia inter eosdem mota fuerunt. Movit alterum Vincentius coram Pisaurensi primarum instantiarum tribunali in eum finem, ut decerneretur, – che il fideicommisso elettivo e diritti annessi istituito dal Conte Giacomo Ferri spetta all'Istante –. Alterum vero coram Fanensi Vicario per Matrem ac Sorores defuncti Iacobi promotum fuit ad evincendam – l'insussistenza del detto preteso vincolo fidecommissario di detta Prelatura, a cui furono un tempo soggetti, cioè sino all'aggregazione di questi Paesi e Provincia al Regno d'Italia, i beni rustici nelle citate iscrizioni e rinnovazioni notati –. Primum ex hisce inimica Instanti sententia dimissum fuit a Pisaurensibus Iudicibus, qui Primogenituram Ferri, ob gallicas invectas leges, evanuisse prorsus rati sunt. Alterum vero vix inchoatum pendebat adhuc in Fanensi Curia. Ita se res habebant, dum curante praecipue, qui Pisaurensi Provinciae praeerat, de controversia super Praelatura amice componenda agi ceptum fuit. Nec difficili quidem negocio inter Personas arctissimis sanguinis vinculis coniunctas transactio conciliata fuit hisce sub conditionibus, quod scilicet bona omnia ad Praelaturam spectantia inter Collitigantes ita partirentur, ut Machirellius sibi addicere posset – tre quinti ed un trentesimo dei beni componenti la dotazione della Prelatura –, quae vero superessent ad Mulieres Ferri pleno iure pertinerent. Post haec Machirellius supplex petiit, ut EE. PP. ea in parte ratam habere voluissent transactionem, quae respiciebat Causam piam. Advocatus autem Tucchi futuris vocatis a Pisaurensi Tribunali curator designatus duplici sub conditione dictam transactionem accepto habuit; primo scilicet, quod venia a Supremo Principe nedum quoad Praelaturam, verum etiam quoad Primogenituram abolendam impetraretur; secundo, quod e controversis bonis caput aliquod seponeretur cumuli vinculo supponendum ad Praelaturae reintegrationem: quas sane conditiones ratas habuerunt tum Mater Sororesque Ferri, tum Machirellius, qui ad Primogenituram ac Praelaturam eodem tempore reintegrandas partem trigesimam fundorum omnium, quibus eaedem constabant, sponte obtulere.

60. Machirellius ac Mulieres Ferri itaque disputarunt, si Iacobi senioris Ferri elogium perpenderetur, clarissime undique patere, non veram propriamque Praelaturam instituere eumdem cogitasse, sed fideicommissum potius qualificatum, onere scilicet possessori adiecto suum nomen in Praelatorum albo inscribendi. Nam dum ex integro testamenti contextu impensissimum undique emicabat desiderium propriae asservandae agnationis, nec verbum nec vola occurrebat, ex qua argui posset, Testatorem ad Praelaturam huiusmodi instituendam ea de causa motum fuisse, ut aliquis ex suis descendentibus sese manciparet Ecclesiae ac S. Sedis servitio nec non maiori Dei gloriae, quae sane expressiones nunquam deesse solent in verae ac propriae Praelaturae erectione, cum praesertim ipse nil ex ecclesiasticis reditibus percepisset, sed omnia quotquot sibi erant bona, vel ex hereditate maiorum, vel propria industria comparavisset. Insuper ius nominandi in agnatos et descendentes praefatus Testator contulit absque ecclesiasticae cuiusvis auctoritatis interventu, nec non ius passivum tribuit primum filiis Iosephi; hisce deficientibus, – dalla linea e discendenza del maschio più

prossimo all'ultimo gravato –. Exarescente demum ipsius agnatione, mandavit – che chi sarà l'ultimo attuale possessore di detta Primogenitura, quando si estinguesse la sua linea, debba nominare, conforme io nomino e chiamo di propria bocca, uno dei suoi parenti più prossimi anche discendente da femmine–, addita conditione, quae praecipue notanda erat, – che esso nominato debba assumere ed usare senza veruna mistura il cognome ed arma di mia casa –. Illud etiam accedebat, quod Testator, quoties vacaret Praelatura, ob defectum Personae ex vocatis lineis ad eamdem assequendam idoneae, quin assentiretur, ut Praelatura extraneae Personae conferretur, expresse mandaverit, eiusdem reditus cumulo subiiciendos fore – in beneficio ed accrescimento tanto di detta Prelatura, quanto della Primogenitura egualmente e per eguali proporzioni –. Demum Testator facultatem dedit ei, qui Primogenitura potiretur, ex Praelaturae reditibus decerpendi non modo quidquid necessarium foret – a mantenere il detto soggetto (scilicet ad Praelaturam designatum) allo studio in qualche Collegio –, sed aliquid etiam ad congruam quibusdam in casibus dotem filiabus suppeditandam. Verum enimvero si Praelaturam reapse, potiusquam fideicommissum sub nomine tantum Praelaturae, instituere cogitasset Iacobus, si Ecclesiae servitio, potiusquam propriae familiae decori prospicere voluisset, haud credendum, vel quod Praelaturae possessionem in suspenso relinqueret, quoties nullus ex familia idoneus adesset, vel quod sineret, ut ex Praelaturae reditibus aliquid decerperetur ex causa educationis vel dotationis; ac minus etiam ut integri reditus vacantis Praelaturae non in ipsius tantum, sed indiscriminatim tum in Praelaturae, tum in Primogeniturae augmentum erogarentur. Quare cum Praelatura non favore Ecclesiae, sed favore certarum Personarum instituta fuerit, nil ea aliud erat in substantia, quam fideicommissum qualificatum, quum praesertim, neque in eadem constituenda, neque posterius ad ipsam convalidandam, nunquam accesserit ecclesiasticae cuiusvis Auctoritatis sanctio; adeoque in merum simplex Legatum resolvebatur. Dum vero omnia deficiebant, quae ad veram Praelaturam constituendam requiruntur, omnia e contra in casu adesse videbantur, quae in fideicommisso vel substitutione desiderantur. Adesse quippe prohibitionem expressam bona quandocumque et quomodocumque alienandi, indicta etiam in contraventorum caducitatis poena; adesse plurium Personarum ac linearum in perpetuum factam substitutionem; adesse votum impensissimum propriae servandae agnationis; adesse demum legem expressam sumendi nomen et arma Fundatoris absque ulla commixtione semel iterumque repetitam, quoties exarescente Testatoris agnatione masculi ex feminis agnatis ad praelegatum arcessendi forent. Hisce concurrentibus extremis, haud ambigi poterat, quin facta per Iacobum institutio sub effrenis gallicae legis verbis comprehensa extiterit. Nec contendi poterat, huiusmodi institutionem excitatam iterum in vitam fuisse ex Motu-Proprio in vulgus edito a s. m. Pio VII die 6 iulii 1816. Plura enim in medium proferebantur, quibus id probari videbatur. Idcirco aequissima et omnino approbanda erat supramemorata transactio a Machirellio et a Matre ac Sororibus Ferri proposita, ex eo etiam quod agebatur de litis periculo amovendo inter Personas arctissimis sanguinis vinculis coniunctas, quae semper potissima causa a Sacra Congregatione habita fuit ad transactiones validandas. Accedebat insuper, Comitem Machirellium non modo imparem omnino esse ad litis ferendas impensas, sed inopia penitus laborare; nec ullum in praesentiarum adesse, nec facile sperari posse, qui Praelaturam assequi valeret, iuxta leges a Testatore praestitutas. Machirellius namque absque uxore et filiis quadragesimum iam aetatis suae annum excesserat. Ex Sororibus autem Ferri, Maria natu maior aliquibus ab illinc annis Comiti Bertotio nupta, nulla adhuc prole laetabatur; ceterae adhuc innuptae manebant, nec spem proximam habebant Matrimonii ineundi. Advertebatur tamen ex officio, huiusmodi rationum momenta aequitati tantummodo inniti; et quoties de vera Praelatura res esset in Ecclesiae ac S. Sedis Apostolicae servitium, potiusquam ad Familiae decorem erecta, leges et auctoritates, ad evincendum fideicommissum qualificatum adductas, prorsus exulare in casu.

61. His mature perpensis, proposito du-

bio: - An et quomodo sit approbanda proposita transactio in casu? -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, aucto tamen fundo multiplico supponendo ad scuta quatuor mille in pecunia numeranda pro reintegratione Praelaturae evehenda ad scuta quadraginta mille, iuxta mentem Testatoris, cura et diligentia Ordinarii, facto verbo cum Sanctissimo - *in Fanen. Transactionis die 27 Martii 1858.*

62. Quin imo attenta gravi paupertate, Sacra Congregatio censuit, locum esse confirmationi Apostolicae derogationis fideicommissi *in Melevitana Confirmationis Apostolicae die 3 Decembris 1712 lib. 62 Decretorum.*

63. Siquidem - conditis supremis tabulis sub anno 1649 Isabella Haber, suas nuncupavit heredes Annam Hagius Magdalenam Librerii aliasque Neptes, perpetuum inter eas ordinando fideicommissum, quibus tamen decedentibus absque prole, in hereditate substituit Monasterium Patrum Carmelitarum Civitatis Valettae cum onere Missarum, aliaque peragendi pietatis opera. Quoniam vero inter descendentes iam dictae Isabellae impraesentiarum nonnullae sunt Puellae nobiles, aliquae viduae, altera filium in captivitate apud Turcas habet, omnes vero onerosa familia ac extrema pauperie premuntur, neque his valent consulere indigentiis, cum bonis liberis destituantur: propterea derogationem praememorati fideicommissi a magno Magistro Melitensi impetrarunt, auditis Patribus Carmelitis Valettae, qui ulterius renunciationem cuicumque iuri sibi ipsis competenti ad praefatam hereditatem capitulariter emiserunt, eo sub motivo, quod imparibus oneribus sit gravata, quemadmodum ex instrumento in Summario exhibendo. Hinc ut rato firmoque successu derogatio huiusmodi ac renunciatio consistat, praelibati descendentes supplicarunt Sanctissimo Domino Nostro pro Apostolica confirmatione, qui preces ad Sacram Congregationem reiecit. Post sane reportatam supra expressorum comprobationem ab Episcopo tum pridem defuncto, qui ceteroquin votum suum in Sacrae Congregationis iudicio reposuit, sub die 16 maii anni ultimo elapsi, relatis precibus per Summarium, reiecta fuit Oratorum instantia, qui denuo in eorum paupertate insistentes, ac tenuitatem hereditatis praetexentes, adeo quod pluries lacessito Procuratore Fiscali R. Fabricae pro omni suo iure et interesse, eorum preces absque Contradictore usque nunc pertranseunt, humiliter in praesenti rogant in praemissis exaudiri sub dubio: - An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Pro gratia directa Inquisitori Apostolico in forma commissoria - *in Melevitana Confirmationis Apostolicae die 3 Decembris 1712 lib. 62 Decretorum.*

FILIUS SEU FILII

1. Nomine Filiorum Filiae quoque veniunt, L. 16 ff. in princ. de testam. tut. *in Montis Falisci Canonicatus dei 28 Martii 1857* §. *Et relatis.*

2. Nemo enim ignorat, nomine Filiorum in iure venire tam masculos, quam feminas, ut ex lege *Filii* 84 ff. de verb. signif, L. *Si ita* 45 vers. Si ita scriptum ff. de legat., L. *Qui duos* 62 in fin. de legat. 3, Rot. coram Falconerio tit . de statut. excl. fem. decis. 2 *n. 6 in Sabinen. Nominationis die 18 Maii 1850* §. *Re.*

3. Amplia, Legatariorum Filiorum ac descendentium nomine continentur etiam Feminae, Rot. coram Molin. decis. 127 n. 3, et decis. 507 n. 1 *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Urget.*

4. Unde nullo facto sexus discrimine verba generalia - aliis Filiis tuis eorumque Filiis -, etiam Filias comprehendunt, L. 26 ff. de test. tut., L. 201 ff. de verb. signif., Ruin. cons. 140 n. 5 lib. 2, Mantica de coniectur. ult. vol. lib. 8 tit. 7, De Pretis de interpr. ult. vol. lib. 3 dub. 8 fol. 2 n. 24, Rot. in Recent. decis. 163 part. 1 n. 1 *in Mileten. Iurispatronatus die 3 Martii 1855 Perperam.*

5. Quinimo ex Textu in lege *Iusta* 201 et L. *Liberorum* §. Sed et Papinius de verbor. signific. habetur: - Filii enim appellatione saepe et Nepotes accipi multifariam placere -

in Auximana Dispensationis die 5 Iulii 1777 §. *Ad alterum.*

Item *in Montis Alti Dispensationis die 3 Augusti 1782* §. *Ponderandum; in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *At; in Mileten. Iurispatronatus die 3 Martii 1855* §. *Sed.*

6. Per hos enim Textus ita et taliter intelligi Filios pro Nepotibus tradunt Doctores, ut non dicatur fieri extensio et impropriatio verborum, sed dicatur comprehensio, ceu punctim Roman. cons. 15 n. 81 et 87, Card. De Luca de fideicomm. disc. 71 n. 44, Rocca disp. iur. tom. 1 cap. 27 n. 21, Fusar. de substit. quaest. 319 n. 12, et quaest. 320 n. 32, Rot. coram Merlino decis. 206 n. 28 et 29 *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *At.*

7. Quod igitur sub Filiorum appellatione veniant nedum Nepotes, sed omnes etiam descendentes, eo vel magis dum de institutione perpetua res est, ac apposita adest clausula – in infinitum –, in dubium revocari non posse ex lege 220 ff. verb. signif. monent Peregrin. de fideicomm. art. 22 n. 51, Rot. decis. 206 n. 16 coram Merlino, decis. 229 n. 9 coram Celso, decis. 345 Recent. part. 16 n. 11, ut adeo in reliquis omnibus descendentiae gradibus idem successionis ordo servandus sit *in Praenestina Capellaniae die 1 Decembris 1855* §. *Contra.*

8. Quum enim, ait Pitonius in alleg. 51 controv. patron. a n. 4 – praeterire Nepotes et proprium sanguinem propter extraneum sit ineptia clara, et quae nulli etiam bestialissimo Fundatori in mentem venire potest, utique quoties Fundator dedit clarum signum praedilectionis erga suum sanguinem.... sub hac generica vocatione aliorum Filiorum unusquisque videt debere includi Nepotes, ne sequatur absurdissimum et monstruosum exemplum, quod extraneus debeat admitti exclusive ad sanguinem Fundatoris praedilectum, ut ratione huius absurdi evitandi, quod semper nomen Filiorum includat Nepotes, est conclusio, quam nullus Doctor controvertit, et eam probant duo Textus literales in L. *Uxorem* §. Concubinâ de legat. 3, et in L. *Liberorum* §. Papinius ff. de verb. signif. – *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *Quod.*

9. Unde Sacra Congregatio hac innixa fuisse amoris ratione videtur, cum Antoniae Bertazzoli Carnevaliae, licet expresse non contemplatae, filios ad Beneficium vocatos declaravit praelative ad extraneos in Imolen. Canonicatus die 2 martii superioris anni *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *Quod.*

10. Nam ubi agitur de admittendo absurdo praelationis extranei prae sanguine iuncto, oportet in hoc casu, – quod literis apertissimis Testator expresserit, se voluisse hanc absurditatem et bestialitem, quod nempe excluserit Nepotes propter extraneos, aut alios minus dilectos, quod non aliter probari potest, quam ubi Testator contradistinxisset Nepotes a Filiis, et in uno casu vocasset Filios, in altero autem Filios et Nepotes –, Piton. loc. cit. n. 16 *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *Nec.*

11. Quum igitur nomine *Figli* veniant etiam Nepotes, praenomen *suoi* aeque de istis verificatur; maxime dum genuino grammaticali modo Testator dicere debuisset *loro*, quod respondet latino vocabulo *eorum*: at in dispositionibus huiusmodi praenomen praeseferentibus, illud non stare restrictive, sed demonstrative ad designandum nomen Patris tradit Rocca disp. iur. cap. 27 n. 23, Rota coram Merlino decis. 260 n. 33; et in fortioribus de verbis illis *ex suo corpore natis*, quod non excludantur Nepotes, qui etiam ex corpore aut procreati dicuntur per medium Patris docet Rust. cons. 2 n. 140 et 141, et in L. *Cum avus* l. 6 cap. 13 n. 14, Castren. cons. 164 n. 3 *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *Ad primam.*

12. Quapropter nomine liberorum continentur Nepotes ac ceteri descendentes, si agatur de re favorabili, ac praesertim de iurepatronatus, Card. De Luca de fideicomm. disc. 71 n. 11, Pitón. de controv. patron. allegat. 51 per totum, Rot. decis. 206 n. 28 coram Merlino *in Guastallen. Institutionis die 28 Ianuarii 1860* §. *Qui.*

13. Nam Filii nomen late sumptum, ceu accipiendum est in materia iurispatronatus, Piton. de controv. patron. alleg. 51 n. 14, ulteriorem quemcumque descendentem complectitur *in Firmana Capellaniae die 28 Iulii 1838* §. *Ad.*

14. E converso autem Nepotes non comprehendi sub Filiorum appellatione sancivit Textus in L. *Quod si Nepotes* 6 ff. de testam. tut., et in §. fin. Instit. Qui testament. tutor. dar. poss. *in Auximana Dispensationis die 5 Iulii 1777* §. *Ad.*

15. Compertum enim est, Filiorum nomine venire dumtaxat stricto sensu Filios, non autem Nepotes inferioresque descendentes, ad L. 6 ff. de testam. tut. – ibi – Aliter enim Filii, aliter Nepotes appellantur - *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *Filiorum.*

16. Nec ab hac naturali interpretatione et verborum proprietate recedendum esse, nisi iusta interpretatio id suadeat, ad L. *Iusta* 20 ff. de verb. signif. tradit Vinnius in Inst. lib. 1 tit. 14 §. 5, – quod tamen talibus coniecturis probandum est, ut omnis disputatio eliminetur, iis penitus despectis, quae rem non necessario concludunt –, Rot. in Aquilana Iurispatronatus 7 aprilis 1758 §. 3 coram Canilliac *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *Filiorum.*

17. Id propterea edicendum est non modo dum nulla urget praepotens ratio, cur verbum *figli* praeter communem loquendi usum et naturalem sonum detorqueatur, sed eo vel magis dum plures exigunt rationes, ut in primitiva sua significatione firmum sartumque teneatur: id sane exigit praenomen *suoi* immediate praecedens ipsi verbo *figli*, nec non subsequens animadversio, *se ne avranno*. Nam quoties adiicitur praenomen *suoi*, Testator restricte et limitate loqui dicitur, et ob id comprehendere voluit filios primi gradus tantum, non autem Nepotes, qui immediate Filii dici non possunt, ut ait Menochius de praesumpt. lib. 4 praesumpt. 94 n. 3. Maxime quum Testator vernaculo sermone *figli* usus fuerit, cuius vi – comprehensio Nepotum semper excluditur –, Fusar. de substit. quaest. 185 n. 106, Rot. in Asculana Beneficii super iure nominandi 14 ianuarii 1833 coram Bofondi, in Aquilana Iurispatronatus 21 ianuarii 1757 §. 5 coram. Borullo *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *Filiorum.*

18. Ad utramque itaque conciliandam Iuris communis dispositionem subintrare videtur distinctio, quod si res est de dispositione Ascendentis, et eo casu procedit supramemorata lex *Iusta* et lex *Liberorum* praescribens Nepotum comprehensionem sub nomine Filiorum: at vero si agitur de dispositione Transversalis, et tunc locum obtinet dicta lex *Quod si Nepotes* et §. fin. Instit. Nepotes excludens sub Filiorum appellatione *in Auximana Dispensationis die 5 Iulii 1777* §. *Ad.*

19. Nam potissima coniectura ad excludendos Nepotes sub appellatione Filiorum ea est, – quando sumus in transversalibus: in iis Nepotes non veniunt appellatione Filiorum –, ut tradunt Fusar. de substit. quaest. 321, Menoch. de praesumpt. lib. 4 praesumpt. 94 n. 3, Rot. in Recent. decis. 507 part. 2; quia scilicet in transversalibus ea deficiat amoris ac dilectionis praesumptio, quae ad omnes descendentes porrigitur, Rot. in Asculana Beneficii super iure nominandi 14 ianuarii 1833 §. 3 coram Bofondi *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845* §. *Filiorum.*

20. Verbum autem Filius cum adiectione etiam Matris personalitatem inducit, satisque ostendit, eiusmodi vocationem ad unum dumtaxat Matris filium cohibitam fuisse, nec ad alios protrahi descendentes, Rot. in Forolivien. Immissionis 5 februarii 1753 §. 8 coram Caprara *in Firmana Capellaniae die 28 Iulii 1838* §. *Singulis.*

21. Verum Filius sequitur Genitoris originem, L. *Assumptio* 6 ff. ad municip. et de Incolis *in Narnien. Subsidiorum dotalium die 21 Augusti 1762* §. *Novas.*

22. Cognitissimum siquidem est, Filios Patris, non Matris originem sequi, L. 1 ff. ad municipal., L. *Filios* Cod. de municip. et origin. lib. 10, Rot. in Pampilonen. Beneficii 14 iunii 1751 §. 5 coram Elephantutio *in Civitatis Castellanae Admissionis ad Legatum studiorum die 23 Augusti 1755* §. *His.*

Item *in Aesina Capellaniae die 20 Iunii 1767* §. *Deesse.*

23. Mater enim conventione in Matrimonium transit ad civilitatem Mariti, et licet originem propriam ad aliquos iuris effectus retineat, hoc tamen personam eius non egreditur, neque ad filios porrigitur, L. *Imperatores* §. Item rescripserunt ff. ad municipal.,

L. *Mulieres* Cod. de Incolis *in Civitatis Castellanae Admissionis ad Legatum studiorum die 23 Augusti 1755* §. *His.*

24. Qua de re Filius, qui natus est ex Genitore orto in loco, ubi Testes referunt, domum et praedium adhuc indivisim cum eius fratribus possidere, pro originario eiusdem loci habendus est, L. *Assumptio* 6 §. Filius ff. ad municip., et Rot. coram Merlino decis. 63 n. 16 et 17, in Recent. decis. 459 n. 6 et 7 part. 19 n. 1 *in Montis Alti Canonicatus die 24 Iulii 1762* §. *Nec.*

25. Quum igitur Pater tam origine, quam domicilio et adlectione aliquo in loco civilitatem acquisiverit, Filius seu filia licet ex accidenti alibi ortum habuerit, nihilominus Patris originem sequitur, et non solum civilitate illa paterna, sed etiam omnibus privilegiis et legatis Civibus praedicti loci relictis fruitur, Cyriac. controv. 292 n. 30, Card. De Luca de matr. disc. 14 n. 11 *in Fanen. Subsidii dotalis die 15 Februarii 1772* §. *Inquit.*

26. Quidquid itaque acquirit Filius, vivente Patre, non sibi, sed Patri acquirit *in Reatina Capellaniae die 6 Maii 1848* §. *Bernardinus.*

27. Filius enim, licet Sacerdotii charactere praefulgeat, non propterea a patria potestate emancipatus censeri potest, cum in iure solum excellentia Cardinalatus et Episcopalis dignitas hunc effectum parere inveniatur, Cap. *Venerabilem* qui filii sint legitimi, Gloss. in Extrav. *Execrabilis* de Praebendis inter communes vers. solemnitatem *in Reatina Capellaniae die 6 Maii 1848* §. *Bernardinus.*

28. Idcirco Filiusfamilias, superstite Patre, nullum ius habet in ipsius bonis, sed tantum ad alimenta, L. *Si impuberi* ff. de collat. bonor., Surd. de aliment. lib. 8 priv. 26 a n. 1, Rot. coram Crescentio decis. 176 n. 8 *in Bononien. Patrimonii Sacri die 18 Augusti 1827* §. *Animadvertit.*

29. Imo cogere potest Patrem ad Patrimonium sibi constituendum, ut sacris Ordinibus valeat insigniri, Barbos. de offic. et potest. Episcop. allegat. 19 n. 63, Card. De Luc. de dot. disc. 162 n. 10, et disc. 32 n. 8, Sanchez de Matrimon. lib. 4 disp. 26 n. 7 *in Bononien. Patrimonii sacri die 18 Augusti 1827* §. *His.*

30. Attamen haud Patris factum impugnare valet Filius, ac per consequens heres, L. *Heres in omne* de acquir. heredit., L. *Nihil aliud* ff. de reg. iuris, Piton. de controv. patron. allegat. 24 n. 20, Rot. coram Molin. decis. 1294 n. 5 *in Nepesina Dotium die 21 Augusti 1790* §. *Secundam.*

31. Nam ex pervulgato exiomate: – Filius, ergo heres –, donec contrarium constiterit, Rot. decis. 364 n. 9 coram Seraphino, in Recent. decis. 173 n. 8 part. 5 n. 1, coram Durano in Lauden. Iurispatronatus 22 maii 1643 *in Firmana Iurispatronatus die 28 Iulii 1838* §. *Ad.*

32. Mantica autem de coniectur. ult. vol. lib. 11 tit. 12 n. 10 inquit, quod assertio Patris – prodesse Filiis debet quoad praeiudicium Parentum et eorum successionem; sed quod praeiudicium faciat fideicommissariis substitutis non puto hoc facile recipiendum esse –, quia non cessat commentum fraudis, concinit Rota decis. 32 n. 13 post Mich. de fratribus *in Senogallien. Capellaniae die 21 novembris 1840* §. *Quod.*

33. Unde in Curiam admittebant prisci Romani Senatorum filios, ut rectius negotia paterno gererent exemplo, ut ex Gell. refert Tholos. Syntagm. iur. part. 3 lib. 47 cap. 9 n. 23; cautumque voluerunt Leges 5 et 6 ff. quod cuiusque univers. nom., ut invicem suffragari possent *in Cervien. die 17 Aprilis 1790* §. *Iniustitiae.*

34. Qua de re Q. Fabii Maximi Filius consul monuit venientem Patrem, ut ante se equo descenderet, qui nihil iratus respondit, se non fecisse antea, ut videret, – an Filius sciret Consulem agere – *in Terracinen. Setina et Privernen. die 1 Martii 1766* §. *Non semper.*

35. Maior itaque est favor liberorum, quam pia Causa; divus Augustinus enim in Can. ult. 17 quaest. ult. inquit: – Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere Ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, imo, Deo propitio, inveniet nullum –, ubi cum Glossa Doctores monent, maiorem esse favorem liberorum, quam piae Causae, quoties nimirum de legitima hereditatis portione agatur, prout limitat Fagnanus in Cap. *Cum esses* de testam. n. 3 et n. 156 *in Pisau-*

ren. Commutationis Voluntatis die 24 Aprilis 1852 §. Perpendant.

36. Quin imo causa Filiorum, licet hi agant ultra legitimam sibi debitam, praefertur Causae piae; quia regulariter Filiorum favor est potior causa Religionis et Ecclesiae, Bartol. et alii in L. *Papinianus* §. Imperator ff. de inoffic. testam., Alex. cons. 43 n. 21, Socin. iun. cons. penult. n. 76 lib. 2, Ioann. Navarr. tract. de incert. et mal. oblat. privileg. 6 n. 1 et 5, Tiraquel. de privileg. Caus. piarum *in Burgen. Reductionis die 1 Martii 1777 §. Franciscus.*

Item *in Faventina Iuris nominandi et dispensationis die 25 Ianuarii 1845 §. Ad primam.*

37. Notum hinc omnibus est, filios etiam adoptivos agnationem iura et familiam retinere et cognationem ex adoptione induci, Inst. tit. de legit. agnat. success. vers. Nec dubium, L. *Qui in adoptivos* ff. de adopt., L. 1 ff. unde cognati *in Lucana Subsidiorum dotalium die 17 Iunii 1769 §. Affirmat.*

38. Unde Filius Baroncelli, actu officium exercentis, potest ab Episcopo prima Tonsura insigniri et ad alios Ordines promoveri, ei nullatenus obstante huiusmodi exceptione *in Aquen. die 26 Novembris 1650 lib. 19 Decretorum pag. 92.*

39. Quin imo quum illegitimus non sit reputandus ille, cuius Mater, supposita morte primi Viri, servata forma Sacri Concilii Tridentini, transivit ad secundas nuptias, post quas, iam genito Filio, redux vivus primus Vir suam Uxorem repetiit, ne dubium quidem, quod huiusmodi Filius assequi valeat Beneficium in eadem Ecclesia, in qua secus Pater obtinet *in Patavina Ordinationis die 20 Maii 1662 lib. 23 Decretorum pag. 147.*

40. Hinc Filius legitimus est capax pensionis super Beneficio ab eius Patre resignando *in Brictinorien. die 9 Iunii 1651 lib. 21 Decretorum pag. 1.*

41. Amplia, Filius legitimus ex Patre naturali legitimato potest praesentari ad Ecclesiam parochialem de iurepatronatus suae familiae, non obstante ei Concilio in Cap. 15 sess. 25 de reformatione, et habet ius succedendi in bonis hereditariis sui Patris *in Senogallien. die 9 Novembris 1647 lib. 18 Decretorum pag. 413.*

42. Imo Filius illegitimus potest obtinere Ecclesiam filialem unitam accessorie et per viam subiectionis Matrici possessae a Patre, dummodo Pater in ea non ministraverit, neque est taliter unita, ut intitulatus in una censeatur intitulatus in alia, sive in utraque *in Brachanen. mense Iulii 1588 lib. 5 Decretorum pag. 168.*

43. Potest pariter Filius illigitimus obtinere Canonicatum in Ecclesia, in qua Pater alium obtinuerat, cuius tamen nunquam nec Literas expedivit Apostolicas, nec unquam possedit; secus vero si Literas Apostolicas expediverit et possessionem acceperit, licet per Procuratorem, nec aliquos fructus percepit, nec in ea Ecclesia ministravit *in Miranden. lib. 1 Decretorum pag. 9 a tergo.*

44. Non est tamen capax decanatus Ecclesiae Callegiatae, qui habet onus certis statutis temporibus antiphonam et collectas canere in Cathedrali, in qua illius Pater Archidiaconus vel Canonicus fuit *in Leodien. mense Augusti 1586 lib. 4 Decretorum pag. 173.*

45. Neque potest praesentari a Patre Archidiacono ad aliquod ex Beneficiis sitis in Ecclesiis parochialibus, in quibus dictus Archidiaconus ratione officii habet ius visitandi, nec non percipit aliquot fructus, obstante Concilio in Cap. 15 sess. 25 de reformatione *in Legionen. die 13 Iunii 1648 lib. 18 Decretorum pag. 484.*

46. Multo minus igitur praesentari valet ad parochialem Ecclesiam, quae habet onus per quatuor vices quolibet anno recitandi nonnullas orationes in Ecclesia, in qua Pater fuit Rector et curam animarum exercuit, etiamsi Pater Filium susceperit, dum adhuc erat laicus et ex Muliere soluta, obstante Concilio in Cap. 15 sess. 25 de reformatione *in Nullius seu Vercellen. die 2 Septembris 1645 lib. 17 Decretorum pag. 509.*

47. Potest tamen obtinere Beneficium in Ecclesia unita Ecclesiae a Patre possessae, si servitium et residentia sunt separata in dictis Ecclesiis *in Dubium ad Cap. 15 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

48. Verum Filius illegitimus non potest obtinere Beneficium, quod Pater eius minus legitime nec pacifice possedit. *in Calaguritana anno 1588 lib. 5 Decretorum pag. 133.*

49. Neque potest obtinere Beneficium in

ea Ecclesia, in qua Pater obtinuit Canonicatum litigiosum, et cui post longam litem cessit, si illius possessionem obtinuit vel apprehendit etiam per Procuratorem; secus vero si nullam apprehendit possessionem, neque per se, neque per Procuratorem *in Dubium ad Cap. 15. sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

50. Hinc multo minus Filius illegitimus assequi valet Beneficium in Ecclesia, in qua Pater obtinuit, etiamsi Pater, dimissis Beneficiis, matrimonio se copulaverit, et in illo pluribus annis vixerit *in Dubium ad Cap. 15 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

51. Nec is potest obtinere Beneficium in Ecclesia, in qua Pater solam sedem habet in choro ratione Abbatiae, quam in alia Ecclesia obtinet *in Dubium die 14 Februarii 1585 ad Cap. 15 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

52. Amplia, nec potest obtinere pensionem super Beneficio, quod eius Pater obtinuit, antequam illum procreasset *in Dubium ad cap. 15 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

53. Filio tamen illegitimo Clerici senis permittitur, ut cum Patre habitare valeat *in Calaguritana mense Iunii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 133.*

54. Non potest vero Filius illegitimus Presbiteri celebrare Missam in Ecclesia, ubi Pater habet vel habuit Beneficium *in Nullius mense Iulii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 137.*

55. Amplia, is neque potest Missam celebrare in ea Ecclesia, in qua Pater celebravit *in Dubium ad Cap. 15 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

56. Quin imo neque potest confessiones audire in ea Ecclesia, in qua suus Pater fuit Parochus *in Oritana die 4 Iulii 1648 lib. 18 Decretorum pag. 492.*

57. Nec potest esse Cantor in ea Ecclesia, in qua suus Pater est Beneficiatus *in Dubium die 2 Decembris anno 1574 ad Cap. 15 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

58. Filius tamen illegitimus haud prohibetur ministrare in ea Ecclesia, in qua Pater intitulatus non fuit *in Ostunen. die 19 Decembris 1620 lib. 12 Decretorum pag. 58.*

59. Neque prohibetur esse Capellanus amovibilis in eadem Ecclesia, in qua eius Pater fuit pariter Capellanus amovibilis *in Calaguritana mense Iulii 1585 lib. 4 Decretorum pag. 40.*

Item *in Pampilonen. mense novembris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 206; mense Ianuarii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 226.*

60. Obstat ei vero dispositio Concilii Tridentini in cap. 15 sess. 25 de reformatione, itaut non possit deputari Capellanus amovibilis in Ecclesia, in qua suus Pater est Parochus, etiamsi Capellania sit de iurepatronatus *in Pampilonen. Indulti die 29 Novembris 1692 lib. 42 Decretorum.*

61. Idcirco multo minus Filius naturalis Archidiaconi admitti valet ad participationem eleemosynarum, quae pro Missarum celebratione distribui solent inter Sacerdotes, qui longius servitium praestiterunt, non obstante, quod vivente Patre eoque defuncto per decem et ultra annos in eadem Ecclesia celebraverit *in Ostunen. Participationis die 15 Aprilis 1684 lib. 34 Decretorum pag. 113.*

62. Qua de re Filius illegitimus vel natus ex damnato coitu non potest deputari in Subcollectorem spoliorum a Nuncio Apostolico; proposito enim dubio: – VI. An illegitimus vel natus ex damnato coitu possit deputari Subcollector, vel quatenus fuerit iam deputatus, licite possit in dicto Officio continuare? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad sextum, Negative ad primam partem; et quoad secundam, respondebitur in casibus particularibus – *in Bituntina Deputationis Subcollectoris die 4 Maii 1697 lib. 47 Decretorum.*

63. Amplia, Filius illegitimus, ex dispensatione Apostolica promovendus ad Clericatum, non potest adscribi Ecclesiae, in qua Pater Beneficium obtinet, etiamsi in illa Civitate nulla alia Ecclesia Collegiata vel Parochialis existat *in Hydruntina die 4 Augusti 1668 lib. 26 Decretorum pag. 43.*

64. Unde Sacra Congregatio declaravit, Filium illegitimum dispensatum ad Ordines non esse dispensandum ad Beneficia in eadem Ecclesia, in qua eius Pater fuit Beneficiatus, etiamsi non essent eadem Beneficia a Patre possessa, et iste a triginta sex annis iam decessisset *in Pampilonen. die 18 Augusti 1668 lib. 26 Decretorum pag. 75.*

65. Simpliciter tamen dspensatus ad Beneficia et Pensiones potest obtinere Pensionem super Beneficio, quam Pater a se legitime obtentam, legitima facultate suffultus transtulit postea in Filium *in Segobricen. mense Martii 1608 lib. 11 Decretorum pag. 31.*

Item *in Dubium die 20 Decembris 1614 lib. 11 Decretorum pag. 145.*

66. Dispensatus vero ad Beneficia et Canonicatus, Canonicatum obtinens, non potest per optionem ascendere ad Dignitatem in eadem Ecclesia *in Dubium ad Cap. 15 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

67. Hinc dispensatus ad Beneficia, et Beneficiatus cum Patre in eadem Ecclesia, non potest in ea Beneficium retinere, etiamsi Pater suum resignet *in Dubium ad Cap. 15 sess. 25 de reformatione Posit. 151.*

68. Quin imo dispensatus ad Beneficia et Dignitates non censetur dispensatus, ut recipi possit in Seminario *in Bracharen. die 16 Martii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 112* (1).

FONS BAPTISMALIS

1. Certum est, quod in ecclesiastica antiquitate soli Episcopi Baptisma primum conferebant in solis Ecclesiis Cathedralibus, veluti post alios observarunt Io. Dartis ad Gratian. Decret. part. 3 de consecrat. dist. 4 §. Sed non erat, et Marten. de antiqu. Eccles. ritib. lib. 1 pag. 11 *in Caesenaten. Fontis Baptismalis die 15 Ianuarii 1780* §. *Et.*

Item *in Reatina Iurium parochialium die 14 Ianuarii 1860* §. *Iamvero.*

2. Postquam enim Dionysius Papa I proprios cuique Gregi constituit Pastores, ut colligitur ex Can. 1 quaest. 1, et Cap. *Pastoralis* de iis, quae fiunt a Praelatis, deferebantur Neonati omnes ad Civitatem, ubi Episcopus residebat, suscipiendi Baptismatis causa, Catalan. in comment. ad Pontific. Roman. tom. 2 tit. 1 de benedictione et impositione primi lapidis pro Ecclesia aedificanda §. 1 n. 27 *in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* §. *Postquam.*

3. Idcirco antiquitus in Ecclesia dumtaxat Cathedrali aderat Fons Baptismalis, Frances de eccles. cathedr. Cap. 19 n. 22, Scarfanton. lucubrat. canon. addit. 39 n. 36 *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 20 Novembris 1824* §. *Privativum.*

Item *in Reatina Iurium Parochialium die 11 Iunii 1825* §. *Alteram.*

4. Unde complures quidem casus enumerantur, quibus facultas construendi inferiores Ecclesias concedebatur, expressa tamen addita prohibitione erigendi Baptisterium, S. Gregor. lib. II epist. 12, lib. IX epist. 70, Marten. de antiq. Eccles. ritib. lib. 1 cap. 1 art. III §. 4, Chardon. stor. del Sacram. lib. 1 cap. 10 pag. 135. Quae sane mirabitur nemo, qui consideret, Apostolis tantum atque Episcopis in eorumdem Personis mandatum dedisse Christum: – Euntes... baptizate omnes gentes –. Quamobrem uno ore tradiderunt Canonistae, proprium Episcopi officium esse collationem Baptismatis, teste Wan-Espen ius eccles. univ. part. 2 tit. 2 cap. 2 §. 1 *in Reatina Iurium parochialium die 14 Ianuarii 1860* §. *Iamvero.*

5. Qua de re invaluit utique post nonum praesertim seculum consuetudo concedendi Parochis usum Baptisterii, sed in ruralibus solummodo Ecclesiis, haud vero in Civitatibus, in quibus residebat Episcopus, Benedict. XIV Inst. 1 §. 5, Chardon. lib. 1 cap. 17 pag. 226; in hisque apud Cathedrales Ecclesias solum superfuit Fons Baptismalis, et Canonici locum Episcoporum in Baptismate conferendo subierunt. Ex quo factum procul dubio est, ut solae Ecclesiae Cathedrales Baptisterium perenniter servarint in celebrioribus Italiae ac potissimum Pontificiae Ditionis Civitatibus. Quod si alibi Baptisterium aliis quoque in Ecclesiis erectum fuit, id suadente temporum locorumque necessitate permissum est *in Reatina Iurium parochialium die 14 Ianuarii 1860* §. *Invaluit.*

6. Idcirco exinde pro maiori Fidelium commodo ad Matricem cuiusque loci Ecclesiam, quae una Baptismalem habebat Fontem, Neonati deferebantur, Panvin. in opusc. de se-

(1) Reliqua habes in Verb. *Dispensatio*, §. V, Tom. VII.

ptem Urb. Eccles. *in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* §. *Postquam.*

7. Aucto namque fidelium numero, in Matrice deinde seu maiori cuiusque loci Ecclesia permissa fuit illius erectio, ad quem cuncti aliarum Paraeciarum Infantes baptizatum deducebantur, Thomassin. de veter. et nov. Eccles. disciplin. part. 1 lib. 1 n. 8, Reclus. de re Paroch. tit. 1 part. 1 n. 43 *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 20 Novembris 1824* §. *Privativum.*

8. Quin imo aucto adhuc numero eorum, qui Baptisma suscipiebant, in Ecclesiis parochialibus, quae discretae fuerunt a Cathedralibus, Fontes Baptismales constituti sunt; et Parochi tamquam Episcopi Vicarii et Coadiutores, Fagnan. in Cap. *Literae quas* de matrim. contrahen. n. 18, Abb. in Cap. fin. de officio Archipresbiteri, huius Sacramenti ministri esse ceperunt, interdicto aliis Ecclesiis iure habendi Fontem, sive filialibus, sive intra ambitum Parochialis existentibus, ita ut collatio Baptismatis nunc inter parochialia iura censeatur, eaque non in aliena Parochia, nec ab alieno, sed a proprio Parocho, et in sua parochiali Ecclesia administrari debet, ut suas agnoscat oves, quae per Baptismi Sacramentum in gregem Christi Domini cooptantur, ut solide advertit Rota in Romana Iuris baptizandi 12 ianuarii 1733 fere per totum coram Samminiato *in Caesenaten. Fontis Baptismalis die 15 Ianuarii 1780* §. *Et.*

9. Orta hinc est distinctio in Ecclesias baptismales et simplices parochiales, quam Tridentina Synodus in sess. 24 cap. 13 de reformatione sartam tectamque servavit, secundum Reclus. de re paroch. tom. 1 tit. 3, et Rot. coram Crescentio decis. 263 n. 24 *in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* §. *Postquam.*

10. Etenim parochiales Ecclesias a Baptismalibus distinguit Tridentina Synodus sess. 21 cap. 4 de reformatione, ubi disiunctive legitur: – Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus – *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Supplex.*

11. Quapropter retentio Fontis Baptismalis et administratio Sacramenti Baptismatis de iuribus videtur esse parochialibus ex Can. *Clericos* de consecrat. dist. 1, et Clement. unic. de Baptism. *in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* §. *Qua de re.*

12. Nam - baptizare pertinet ad minores Principes Ecclesiae –, quemadmodum quoque eruitur ex Textu in Can. *Clericos* de consecrat. dist. 1, Clement. unic. de Bapt., atque e Sacrae Congregationis Decretis in Neapolitana Iuris baptizandi 22 septembris 1687, 21 februarii et 28 augusti 1688 *in Reatina Iurium parochialium die 14 Ianuarii 1860* §. *Nec.*

13. Hinc Fons Baptismalis est de iuribus privativis Ecclesiae parochialis, Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 29 n. 9 *in Constantien. Iurium parochialium die 18 Decembris 1762* §. *Exclusa.*

14. Compertum tamen est, Parochorum officio ius baptizandi minime inhaerere, neque a parochiali qualitate Ecclesiae ad ius retinendi Baptisterium posse argumentum educi. Recte propterea Sacri Canones Ecclesias Parochiales a Baptismalibus distinguunt, Fagnan. in Cap. *Cum contingat* de decimis n. 54, Brufald. comment. in Ritual. Roman. cap. 11 n. 1; et S. Rituum Congregatio in Decreto Urbis et Orbis 10. decembris 1703 resp. ad VI declaravit, benedictionem Fontis Baptismalis - non esse de iuribus mere parochialibus – *in Reatina Iurium parochialium die 14 Ianuarii 1860* §. *Haec.*

15. Idcirco Fons Baptismalis non est necessario de iuribus parochialibus, cum in alia Ecclesia esse possit vel privilegio, vel longa consuetudine, vel transactione *in Neapolitana Decretorum die 29 Februarii 1744* §. *Secundo.*

16. Unde Card. Petra in comment. ad Const. 2 Gregor. XI tom. 4 n. 19 advertit, contingere posse, quod Fons Baptismalis reperiatur in Ecclesia, licet non Parochiali, quodque gratia, ut ibidem de novo etiam construatur, de consensu Ordinarii et aliorum, quorum interest, concedi queat *in Urbevetana Fontis Baptismalis die 1 Septembris 1742* §. *Plura.*

17. Qua de re Fontem Baptismalem ad essentiam Paraeciae pertinere negant Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 6 n. 48, Barbosa de iur. eccles. lib. 2 cap. 1 n. 25, Card. De Luca de Paroch. disc. 37 n. 10, Card. Pe-

tra in comment. ad Constit. 2 Gregorii XI n. 17 *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 20 Novembris 1824* §. *Necessitatem.*

Item *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Supplex; in Sulmonen. Fontis Baptismalis die 18 Iulii 1835* §. *At.*

18. Siquidem testatur Fagnanus in Cap. *Contingat* de decimis, olim fuisse a Sacra Congregatione editum in Causa Urbinaten. hoc Decretum: – Censuit Sacra Congregatio, in omnibus Ecclesiis parochialibus debere esse Fontem Baptismalem, nisi essent in aliquibus specialiter Ecclesiis deputati Fontes Baptismales, qui Matrices vel Baptismales Ecclesiae vocantur, ita ut fiat distinctio Matricum Ecclesiarum ab aliis Curatis –; quod etiam refert Nicolius lucubr. can. tom. 2 lib. 3 tit. 42 n. 6 *in Fabrianen. Fontis Baptismalis et Iuris baptizandi die 24 Maii 1732* §. *Hinc.*

Item *in Guardien. Erectionis Fontis Baptismalis et praeeminentiarum die 23 Aprilis 1735* §. *In Urbinaten.; in Reatina Iurium parochialium die 14 Ianuarii 1860* §. *Haec.*

19. Quapropter non est locus erectioni Fontis Baptismalis, et iuri baptizandi respective in Ecclesia parochiali Civitatis, quum Canonici Cathedralis Ecclesiae sibi asserant ius huiusmodi privativum, ac sustineant, incommoda, quibus Infantes afficiuntur, nova non esse, et ius baptizandi non esse necessario parochiale *in Camerinen. Erectionis Fontis Baptismalis et Iuris baptizandi die 10 Februarii 1748.*

20. Enimvero ex tribus Ecclesiis parochialibus, quae Camerini erant, una Cathedralis, ceterarum Mater, Fontem Baptismalem a tempore, cuius nulla erat hominum memoria, retinuit; et ad eum Fontem Infantes omnes deferebantur, ut lustralibus aquis purgarentur. Fontem in parochiali Ecclesia S. Venantii erigere cupientes eiusdem Ecclesiae Canonici Sacrae Congregationi preces obtulerunt, iis propositis rationibus, quod Ecclesiae parochiali erectio Fontis conveniret, quod hyemali praesertim tempore plurimis incommodis Infantes afficerentur. Episcopus censuit, id esse innegabile Canonicis Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Venantii: verum id iis omnino esse negandum contenderunt Canonici Cathedralis Ecclesiae, qui sibi asserebant ius privativum retinendi Fontem et Infantes baptizandi. Disputarunt, incommoda nova non esse, et ius baptizandi non esse necessario parochiale. Proposito hinc dubio: – An sit locus erectioni Fontis Baptismalis et iuri baptizandi respective in Ecclesia Collegiata et Parochiali S. Venantii Camerini in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Camerinen. Erectionis Fontis Baptismalis et Iuris baptizandi die 10 Februarii 1748.*

21. Nam ex sola parochialitate Ecclesiae haud fiunt Baptismales, quemadmodum scite observat Fagnanus in Cap. *Cum contingat* de decim. n. 59, Garcias de Benef. part. 3 cap. 2 n. 167, Cavalier. tom. 4 cap. 21: – Quae gratia novi Fontis, cum etiam post editum Concilium et laudatum Decretum Benedicti XIII ab eadem Sacra Congregatione Concilii saepe negata fuerit et aliquando concessa, dubium quodvis tollitur, quod parochialibus Ecclesiis non continuo licet erigere Fontem Baptismalem, ubi ex veteri disciplina unus dumtaxat vel alter habetur – *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Supplex.*

22. Idcirco urgere quidem potest necessitas, ut omnes Parochi Civitatis retinere ac ministrare debeant Oleum Sanctum in suis respective Ecclesiis, licet ex consuetudine penes duas tantum Ecclesias illud semper retentum fuerit, sed non propterea eamdem necessitatem urgere dicendum est, ut etiam in omnibus Ecclesiis parochialibus erigi debeat Fons Baptismalis, unde ob id locus haud est erectioni Fontis Baptismalis *in Vercellen. Iurium parochialium die 18 Novembris 1747.*

23. Siquidem diuturno usu et longa consuetudine observatum est, ut ex quatuor Parochiis, quae in Civitate Vercellensi erant, duae tantum Fontem Baptismalem haberent et Oleum Sanctum retinerent; Civibusque omnibus Baptisma et Oleum Sanctum administrarent, eaeque erant Ecclesia Cathedralis et Ecclesia S. Mariae Maioris. Hoc in causa fuit, ut, quum anno 1669 alii duo Parochi postulassent ab Episcopo facultatem extruendi in eorum Ecclesiis Fontem Baptismalem et

retinendi Oleum Sanctum, Cathedralis Ecclesiae Canonici sese praestiterint contradictores, et Canonicorum votis annuens Episcopus Parochorum postulationem reiecerit. Quieverunt Parochi ad annum usque 1744, quo tempore Episcopus iussit, Parochos omnes teneri ad servandum Oleum Sanctum in propriis Ecclesiis, vase ad id comparato: Renuentibus poenam indixit scutorum viginti quinque et suspensionis a divinis. Obtemperarunt quidem Decreto huic Parochi Urbani, sed continuo appellarunt in devolutivo ad Sacram Congregationem. Contenderunt enim, quod sicuti ex vetusta consuetudine obtinuit Ecclesia Cathedralis atque altera S. Mariae Maioris, ut non posset ab ipsis erigi in propriis Ecclesiis Fons Baptismalis et retineri Oleum Sanctum, ita eadem ratione obtinere ipsi deberent Decreti Episcopalis revocationem, ne ad imparia iudicarentur. Addiderunt, eo casu, quo consuetudo haec esset abroganda, omnem postulare iuris rationem, ut non pro parte, quae respiciebat retentionem Olei Sancti, sed etiam parte ex altera, quae respiciebat erectionem Fontis Baptismalis abrogaretur, cum eadem esset ratio necessitatis, quae in utraque re locum habebat. Si enim consulendum Infirmis erat, ne sine sacra unctione decederent, consulendum etiam erat Infantibus, ne vel sine regenerationis lavacro perirent, vel baptizati quidem, sed sine sacris caeremoniis morerentur: iura quippe omnia, quae Parochis ministrationem sacrae unctionis iniungunt, ad Infantes etiam baptizandos teneri Parochos decernunt.

24. His mature perpensis, proposito dubio: – II. An locus sit erectioni Fontis Baptismalis in singulis Ecclesiis parochialibus dictae Civitatis Vercellensis in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam resolverit, teneri alios Parochos Urbanos retinere in suis Ecclesiis Oleum Sanctum atque intra cuiuslibet Parochiae limites ministrare, responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et ad mentem – *in Vercellen. Iurium parochialium die 18 Novembris 1747.*

25. Compertum hinc est, retentionem Fontis Baptismalis singulis Parochiis permissam quidem esse, dummodo tamen altera non sit Ecclesia, improprie etiam Matrix, quae privativum habeat ius illum retinendi, nam in praeiudicium Ecclesiae Matricis nec Episcopus permittere valet aliorum Fontium erectiones, ut in Guardien. Fontis Baptismalis 8 augusti 1649 lib. 19 Decretorum pag. 160 *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 24 Februarii 1720* §. *Episcopus.*

Item *in Fabrianen. Fontis Baptismalis die 24 Maii 1732* §. *Hinc; in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* §. *Qua de re.*

26. Ubi enim privativum et exclusivum baptizandi ius alicui Ecclesiae, praesertim Matrici, consuetudo immemorabilis indubium fecisset, in ea una Ecclesia Infantes lustralibus undis regenerandos, nec in alia quadam Ecclesia novum Fontem Baptismalem esse construendum pluries definivit Sacra Congregatio: haud siquidem adversum est ecclesiasticae disciplinae, ut in aliqua Civitate unus tantum Baptismalis Fons reperiatur *in Spoletana Fontis Baptismalis die 18 Ianuarii 1832* §. *Supplex.*

27. Qua de re non est locus erectioni novorum Fontium Baptismalium in Civitate, sed constat de iure privativo, ita ut sit manutenendum Capitulum in possessione administrandi et erigendi unicum Fontem Baptismalem, etiamsi eius Cathedralis Ecclesia extra moenia Civitatis extet, quum a pluribus seculis relatione Episcopi ac iudicio Testium in arte medica peritorum nec non quamplurium Civium nullum unquam detrimentum obvenerit Pueris, dum hyemali praesertim tempore ad Cathedralem Ecclesiam Baptismi causa deferebantur, atque Populi commoditati satis sit ex Fonte in praedicta Cathedrali posito *in Sulmonen. Fontis Baptismalis die 22 Augusti 1835.*

28. Iamvero Cathedralis Ecclesia Sulmonensis brevissimo sane tractu, sexta scilicet milliarii parte, ab ipsa Urbe distans, et in planitie collocata, Fontem habebat Baptismalem, in quo Infantes omnes, qui in eo loco nascebantur, sacris aquis lustralibus ablui debebant, nullusque Fons Baptismalis in alia Civitatis Ecclesia, ac neque in iis Paraeciis deprehendebatur. Hoc subinde aegre ferentes aliquot Sulmonenses Cives supplicem Summo Pontifici porrexerunt libellum, in quo narrantes, gravissimis incommodis affici, ac in ipsum vitae discrimen adduci Pueros, dum

hyemis praesertim tempore ad Cathedrale Templum Baptismi causa deferebantur, exorarunt, ut damnum antevertere abusumque corrigere dignaretur, quo unus tantum Fons Baptismalis Infantes omnes in amplissima Civitate natos exciperet; isque, quod gravius erat, positus extra Civitatem ipsam, cui malo facile occurri profecto posset, si prout ubique consuevit, singulis Paraeciis suus Fons tribueretur. Contra ea Capitulum Cathedralis Ecclesiae suum ius ab ipsa Sedis Episcopalis fundatione repetendum dixit, constantemque hanc observantiam confirmatam in Diaecesana Synodo celebrata anno 1629, ac nullum unquam incommodum in tam longo seculorum decursu ac tot rerum vicissitudinibus consequutum, nullam querimoniam ab aliquo excitatam, quin immo etiam in praesens quam plurimos Cives id postulare, ut ne quid in antiquissimae huius observantiae detrimentum statueretur. Dum haec agebantur, iidem Sulmonenses Cives Siciliarum Regi eadem incommoda exponentes, ab eo obtinuerunt, ut, pendente interim Romae lite, Episcopus in una ex Civitatis Ecclesiis magis opportuna per modum provisionis Fontem Baptismalem erigeret, qui propterea ad id Ecclesiam S. Philippo Nerio dicatam designavit. Precibus autem Civium et Capituli ad Sacram Congregationem a Summo Pontifice ablegatis, Episcopus Ecclesiae Sulmonensis origine a seculo tertio rerumque serie expositis, haec ad rem retulit: – Longa non est distantia, quae inter Civitatem intercedit et Cathedralem, uti constat ex documento n. 11. Quae vero via ad Cathedralem ducit lata aperta et sub dulci caelo sita. Hinc sequitur, etiam in hyeme nunquam interruptam fuisse consuetudinem ducendi ad Baptisterium praedictum Infantes, qui nequaquam aliquid mali sunt passi, cum de hoc testimonium perhibebant Parochi et Medici. Quoties enim aliquid mali ob distantiam Cathedralis, vel ob aeris rigorem perpessi fuissent Infantes ad Baptisterium perducti relatum, Incolarum numerus esset notabiliter minutus, et Episcopi quidem atque Populus conquesti essent, et in hoc casu non in Cathedrali, sed in Capitulari Ecclesia S. Ignatii, quae stat in Civitatis centro, iam inveniretur situm. Ex quo autem tempore longissimo reperitur in Cathedrali Baptisterium nullus est auditus questus super Parvulorum periculo; Episcopi semper, ut Infantes ducerentur ad Cathedralem pro Baptismo, praeceperunt; Patres Infantium alacri animo cum suis Parvulis ad eamdem Piscinam Baptismalem concurrerunt festinanter etiam asperrima hyeme, et Populus quotidie augetur. Ergo commentitium est periculum ab adversariis praedicatum. Nec obiiciendum maiori in numero hic perire Infantes hiberno tempore, quam in aestate, cum haec calamitas in omnibus appareat locis, ob rationes a Medicis relatas, quas praetereo, ne taedio EE. VV. afficiam. Quum ergo exposita in precibus sint omnino falsa, cum Capitulum undecim ab hinc seculis, nullo perturbante aut conquerente, Fontem Baptismalem possideat; cum Synodus Diaecesana Episcopi D. Francisci Cavalerii solummodo Canonicos declaraverit Ministros Baptismi legitimos, praecipiendo eodem tempore, omnes ducendos esse Infantes ad Cathedralis Baptisterium; cum idem praescriptum fuerit ab Episcopo de Rubeis Visitatore Apostolico; et cum denique nihil periculi imminuerit vel immineat Parvulis, qui tempore hyemali ad Cathedralis Baptisterium deferuntur, sentio, dummodo placeat Beatissimo Patri, manutenendum in sui iuris possessione Capitulum –.

29. Sulmonenses vero dixerunt, Baptismi Sacramentum ex laudabili Ecclesiae consuetudine tribui Infantibus vix in lucem editis: ipsorum autem tenello ac delicato corpuscolo nimis exitiosum esse frigus, quo affici necessario debebant, dum sub hyemem ad Cathedralem Ecclesiam ab Oppido dissitam perducebantur. Sulmo enim gelidus uberrimus undis iacet sub caelo frigido ac nimboso, subest enim monti, quem vocant *Maiellà*, ac est positus e regione alius mons, ut dicunt *gran sasso d' Italia*, quem prae ceteris omnibus Apennini montibus altissimum praedicant Geographi, estque in summo cacumine perpetua nive repletus. Unde testimonio Magistratus demonstrarunt, sumpto calculo ex ultimo decennio, Puerulos unius mensis a navitate mori hiberno tempore quintuplo plures, ac fortasse etiam magis, quam tempore aestivo: quod profecto nonnisi a gravi frigoris sensu, quem hyeme percipiebant, dum ad Ecclesiam Cathedralem Baptismatis causa deferebantur,

proficisci asseruerunt. Novum hinc etiam erat et nullibi gentium auditum, ut in satis ampla Civitate, quae decem fere hominum millibus constabat, et quorum numerus in dies augebatur, (etenim anno 1810 censebantur homines 7461, anno autem 1833 censebantur 9576) unus tantum Fons Baptismalis haberetur, isque in Ecclesia, quae extra Urbis moenia et non brevi intervallo ab ea distans ad septemtrionalem plagam sit collocata. Addiderunt, apud Sulmonenses omnes publicam constantemque famam obtinere a remotissimis temporibus Fontes Baptismales extitisse in singulis octo Paraeciis, quot ibi numerabantur, donec retroactis seculis, Civitate ipsa terraemotus vi funditus eversa, Baptismum in sola Cathedrali Ecclesia interim administrari ceptum, nec in Paraeciis Fontes amplius instauratos, ut fieri necessario debuisset; quin asserta conventio quaedam hac super re inita obesset, cum haec nunquam extiterit, nec in damnum Fidelium perfici potuerit, legitima Auctoritate sancita fuerit. At Canonici contenderunt, Ecclesiam S. Pamphilii anno 499 Cathedralis honore insignitam fuisse, ut ex decisionibus Rotalibus anno 1626 editis; et ex Decreto Signaturae Iustitiae lato anno 1731 probarunt, Parochos omnes professos esse se subiici Capitulo Cathedralis; addideruntque, in nulla ipsorum Paraecia Fontem Baptismalem unquam revera extitisse. Praeterea iidem protulerunt tria monumenta, primum diei 16 augusti 1207, alterum 16 decembris 1346, tertium 6 ianuarii 1347, ex quibus eruebatur, hosce, qui in praesens vocabantur Parochi, antiquitus nil praeter Capellanos fuisse Ecclesiae Cathedralis ad nutum amovibiles, adeoque ius matricitatis, licet postea Parochi facti fuerint, penes Ecclesiam Cathedralem permansit. Quin imo in comitiis habitis die 6 maii 1480 decretum fuit, – quod unusquisque Canonicus faciat suam hebdomadam Puerorum baptizandorum, et quod nullus Canonicus audeat facere hebdomadam alterius Canonici sine licentia illius Canonici, cuius est hebdomada –. Unde libri omnium Baptizatorum penes Ecclesiam Cathedralem perpetuo extiterunt; idque die 21 octobris 1834 omnes octo Parochi declararunt, nec non centum quinquaginta Sulmonenses Cives deposuerunt, unum tantum Fontem semper extitisse et hunc in praesens in Ecclesia Cathedrali positum, quae brevi tractu distabat a Civitate, ac nullo unquam detrimento affectos fuisse Infantes, dum illuc delati fuerunt, quamvis summa hyeme. Duo hinc Decempedatores ab Episcopo rogati testabantur, Cathedralem a Porta per sextam milliarii partem distare. Quoad assertum vero Puerorum damnum duo in arte medica Viri excellentes testabantur, quod eadem esset aeris temperies ac plagae amoenitas tam in Civitate, quam in Cathedrali; adeoque Infantes, qui ad Cathedralem deferebantur, nullum unquam damnum eousque tulerunt, vel posthac perferre possent.

30. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de iure privativo, itaut sit manutenendum Capitulum in possessione administrandi et erigendi unicum Fontem Baptismalem in casu etc. II. An sit locus erectioni novorum Fontium Baptismalium favore Parochorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus; et amplius. Ad secundum, Negative; et amplius – *in Sulmonen. Fontis Baptismalis die 22 Augusti 1835.*

31. Licet enim non constet de Ecclesiae matricitate, sed eius tantum maioritate, constare tamen potest de iure privativo habendi Fontem Baptismalem, ita ut eius Parochus seu Archipresbiter sit etiam manutenendus in possessione peragendi in propria Ecclesia prae aliis Parochis loci benedictionem dicti Fontis *in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* (1).

32. Quum igitur in Oppido quinque millium animarum adsint plures Ecclesiae parochiales, sed in una tantum ex iisdem, quae iure gaudet maioritatis, non vero matricitatis, extat Fons Baptismalis, ibique liber Baptizatorum asservatur, in alia Ecclesia tamen Collegiali, opportuniori in loco sita, alius habeatur Fons pro casu necessitatis, haud licet Parochis, Fontes Baptismales erigere in respectivis Ecclesiis, dum nihil est innovandum, unde in

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Archipresbiter*, §. II, n. 71, Tom. II; et in Verb. *Ecclesia Matrix*, n. 97 et 98, Tom. VIII.

praefata Ecclesia Collegiali, iam diruta, si reaedificetur, in ea alius Fons pro casu necessitatis reponendus est, alias Episcopus pro suo arbitrio providere debet *in Boianen. Iurium parochialium et praeeminentiarum die 24 Maii 1732.*

33. Siquidem Oppidum Campi Bassi Boianensis Diaecesis quinque millium Incolarum quatuor habebat parochiales Ecclesias, quarum prima sub titulo S. Mariae maioris ab Archipresbitero, aliae vero tres, scilicet S. Georgii, S. Bartholomaei et SS. Angeli et Mercurii, a distinctis Parochis regebantur. Quaelibet ex dictis Ecclesiis suos habebat Presbiteros participantes cum onere coadiuvandi Parochos tam in administratione Sacramentorum, quam in satisfactione Missarum cum cantu vel sine cantu in eisdem Ecclesiis celebrandarum. Populus vero dictis Parochiis subiectus non distinguebatur per domos materiales, sed formaliter per certas determinatas familias in dicto Oppido dispersas. Aderat quoque Ecclesia Collegiata S. Leonardi, cuius Capitulum constituebatur ex dicto Archipresbitero ac Rectoribus aliarum Ecclesiarum ac etiam a reliquis Presbiteris participantibus, qui omnes insignibus condecorati horas canonicas aliasque capitulares functiones in dicta Ecclesia S. Leonardi persolvebant. Fons Baptismalis communi usui omnium Parochorum in Archipresbiterali Ecclesia S. Mariae Maioris asservabatur, ibique etiam retinebatur liber omnium Baptizatorum. Provisum tamen olim fuit ab Episcopis, ut aqua a praedicto sacro Fonte asportata ad Ecclesiam Collegiatam S. Leonardi, quae opportuniori in loco sita erat, ibi etiam (quandocumque ob asperitatem hyemis vel copiam imbris necessitas id postularet) salutari Baptismate consecrarentur Infantes. Quum plures itaque controversiae inter Archipresbiterum Ecclesiae S. Mariae Maioris ac Rectores et Presbiteros participantes aliarum trium Ecclesiarum exortae fuissent, inter cetera propositis dubiis: – III. An liceat unicuique Rectori dictarum Ecclesiarum S. Georgii S. Bartholomaei et SS. Angeli et Mercurii erigere propriis sumptibus in suis respectivis Ecclesiis particulares Fontes Baptismales? *Et quatenus negative.* IV. An et quomodo providendum sit in defectum Fontis Baptismalis Ecclesiae Collegialis S. Leonardi recenter dirutae? –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, constare de parochialitate dictarum Ecclesiarum, nec non de maioritate, non vero de matricitate Ecclesiae S. Mariae Maioris, respondit: – Ad tertium, nihil innovandum. Ad quartum, reponendum esse in Ecclesia S. Leonardi, quatenus fuerit reaedificata, alias provideat Episcopus pro suo arbitrio – *in Boianen. Iurium parochialium et praeeminentiarum die 24 Maii 1732.*

34. Unicus namque Fons Baptismalis in Civitate indicat superioritatem illius Ecclesiae, et reservationem iuris baptizandi, Butr. in Cap. *Ad audientiam* de eccles. aedif., Rot. in Gerunden. Iuris sepeliendi 28 martii 1757 §. 27 coram Stadion *in Fulginaten. Funerum die 28 Augusti 1773* §. *Quo.*

35. Quin imo nulla urgente necessitate, nec potestas indulgetur Parochis Civitatis Baptisterium alterum loco apportuno in communem usum erigendi, quum illud a prioribus Ecclesiae seculis in Cathedrali Basilica retentum fuerit, nec etiam Capitulo obligatio iniicitur remittendi ad unumquemque Parochum schedulas, quae collatum testentur Pueris in eorumdem Paraeciis degentibus Baptisma, etiamsi Parochi ius hoc sibi inesse enixe contendant, ac alias plura incommoda, quae obvenirent, in medium proferant *in Reatina Iurium parochialium die 14 Ianuarii 1860.*

36. Enimvero unicum Reate extabat Baptisterium, quo omnes cuiuslibet Paroeciae Pueri ad suscipiendum Baptisma allati semper fuere, illudque a prioribus Ecclesiae seculis in Cathedrali Basilica (cuius origo ad secundum usque seculum remeare ferebatur) retentum fuisse non dubia facti argumenta coniicere sinebant. Decem erant, volvente anno 1515, totius Civitatis Paraeciae, easque inter Paraecia S. Ioannis recensebatur, quae cum prae ceteris esset angustior et pene contigua Cathedrali Basilicae, ab Emo Episcopo Pompeio Colonna predicto anno eidem Basilicae unita fuit: cuiusmodi unionem die 4 Novembris 1556 confirmavit Legatus a latere S. Sedis Emus Card. Grimani. Eo tum a Capitulo translatum fuisse videbatur Baptisterium; atque hinc factum, ut, quae S. Ioannis primitus nuncupabatur, eadem subinde nuncupari

ceperit Ecclesia S. Ioannis in fonte. Certo tamen constabat, per Pontificium Breve s. m. Gregorii XVI die 26 martii 1836 evulgatum Paraeciam hanc suppressam fuisse, reservato nihilominus Cathedrali Basilicae Baptisterio ac iure exclusive Sacramentum Baptismatis administrandi tam Civitatis, quam Suburbii et agri circumiacentis Pueris. At inde Parochi omnes Reatini apud Sacram Congregationem institere, ut ius ipsis tribueretur Baptisterium alterum loco opportuno in communem usum erigendi, sin minus Capitulo obligatio iniiceretur remittendi ad unumquemque Parochum schedulas, quae collatum testarentur Pueris in eorumdem Paraeciis degentibus Baptisma. Petitionem suam facti iurisque momentis sustentare studuit Parochorum Collegium. Et quoad factum commemoravit, ideo Baptisterium antiquitus in Cathedrali Ecclesia fuisse retentum, quod ea unica erat Civitatis universae Paraecia: deinceps autem, adaucto animarum numero ac dispertita in plures Paraecias Civitate, omnes Pueros baptizatum adductos semper fuisse ad Ecclesiam Cathedralem, eo quod in reliquis Paraeciis Baptisterium deerat. Deventum ita est ad annum 1836, quo Capitulum, diuturna praeeunte contentione, aboleri parochialitatem Ecclesiae suae obtinuit; proindeque, Parocho seu Canonico Curato dimisso, Baptismatis collationem Coetui Clericorum commisit. Eos vero, sive ex oscitantia, sive ex ignorantia, in errores defectusque non leves saepe incidisse conquerebatur. Hisce factis praemonitis, demendum esse contendit Cathedrali Basilicae privativum ius retinendi Baptisterium, non modo quia, causa cessante, effectus quoque cessare debere rationi congruum erat, sed etiam quia necessitas removendi errorum ac defectuum occasionem idipsum suadebat. Nec iuris subsidio se destitui Parochi subdiderunt, ut Baptisterium, nisi in singulis Paraeciis, in loco tamen omnibus opportuniore ad communem Collegii usum extruere possent. Dixerunt enim, ius baptizandi cunctis Parochis inhaerere; adeoque, amissa ab Ecclesia Cathedrali parochialitate, nefas erat, Parochorum iura usurpare, aut muneri suo commodius obeundo semitam ipsis praecidere. Etsi autem ius retinendi Baptisterium denegari Parochis vellet, hoc saltem concedendum sibi contenderunt, ut Capitulum remittere semper ad Parochos deberet schedulas collati Baptismatis, non secus ac Parochi cum Episcopo agebant quoad Pueros, qui sacro roborabantur Chrismate. Hac enim ratione Pueros in Paraecia natos eorumque Parentes illico quisque Parochus agnosceret, exactumque Familiarum regestrum conficere posset; aetatem singulorum, quae a fallaci plerumque alterius dicto haurienda erat, e suis libris depromeret. Quod sane quamplurimas ob causas necessarium Parocho erat; puta, ne Pueris septennio minoribus sacrum Chrisma conferretur, ne Puellae, quae decimum sextum annum aetatis suae haud attigerint, in notulam pro collatione dotium reciperentur contra supremam Testatorum voluntatem, ne qui error impingeret, quum nomina in Defunctorum librum conscriberentur, quorum aetas erat designanda ad tramites Ritualis Romani, atque ita porro.

37. Ordinarius hoc tantum animadvertit, – inconvenentiam quoad descriptionem Baptizatorum in libris, qui apposito in archivio Cathedrali servantur, aliaque huiusmodi in precibus Parochorum memorata, emendata fuisse, cautumque insimul, ne amplius renoventur –. Capitulum autem ius Parochorum retinendi Fontem Baptismalem omnino exclusit, cum ab ipso Ecclesiae initio soli Episcopi Baptismata contulerint: unde unicus penes Cathedralem Ecclesiam erat Fons, licet plures exinde parochiales Ecclesiae fuerint erectae; adeoque Parochorum officio ius baptizandi minime inhaeret, neque a parochiali qualitate ad ius retinendi Baptisterium potest argumentum educi. Ad factum descendens Capitulum, nullatenus comprobari dixit Ecclesiam suam parochialitatis iure potius, quam uti Cathedralem retinuisse Baptisterium, atque administrasse universae Civitatis Pueris Sacramentum Baptismatis. Unionem Ecclesiae parochialis S. Ioannis eiusque annexionem cum Catherali mere accessoriam fuisse subdidit, ita ut illa neque curam animarum, neque parochialia sua iura amiserit, nec invicem Capitulum Cathedralis Basilicae iuris baptizandi eamdem participem fecerit. In id autem capitularia statuta ac plurium Episcoporum Synodos retulit, e quibus patere asseruit, ius Baptisterii et collationis Baptismatis Capitu-

lum ut suum privative asservasse perpetuoque exercuisse. Sed praeter erectionem Baptisterii, negandum quoque esse contendit ius condicendi Baptizatorum schedulas. Metuendum imprimis erat, ne exinde praetextus iurgiorum adaugeretur. Praeterea id servitutis speciem redoleret Canonicis gravissimam, indignam Cathedralis Basilicae, quae hoc pacto a Parochis quodammodo penderet, ac demum inusitatam eousque, uti exempla tot aliarum Cathedralium testabantur. Quod vero spectabat ad ea damna, quae vitari aliter nequire autumabant Parochi, quam per communicationem schedularum, id obtendi non posse Capitulum respondit, quin gravis iniuria innumeris Episcopis ac Summis Pontificibus irrogaretur, qui nunquam tot damnis occurrere sategissent, dum quidem tot in locis una Cathedralis Ecclesia Baptisterium retinet, absque eo quod schedulas Baptizatorum ad Parochos transmittat. Nec satis: cuncta, quae ad fulciendam petitionem suam Parochi obiiciebant, singillatim refellere Capitulum aggressum est. Ad numerum Puerorum, qui in Paraeciis nascebantur, dignoscendum schedulis opus non erat: nunquam enim hominum memoria in Civitate accidit, ut Parentes occultarent liberos suos legitimos. Quoad illegitimos autem, ii absque Parentum, plerumque ignotorum, nomine adnotabantur, ideoque in una potius, quam in altera Paraeciae Familia recenseri non poterant. Inutiles item erant schedulae pro status animarum confectione: hic enim – praescribitur, ut testimonium praebeat de existentia, non autem de aetate Personarum –, Brufald. comment. ad Ritual. Roman. edit. Venet. ann. 1763 pag. 246. Pro collatione sacri Chrismatis haud requirebatur litteraliter aetas annorum septem, sed tempus, quo natura atque effectus Sacramenti concipi animo possent: id vero parochiales libri neutiquam testari valebant. Puellis dotandis nunquam omnino fidem suscepti Baptismatis Capitulum recusavit. Postremo Defunctorum aetatem adnotari iubet Rituale Romanum, – si scire possit –; ideoque Monacellius in suo Formulario modulam pro regestro Mortuorum tradit iis verbis: – Aetatis annorum..... circiter etc. –, tit. 10 form. 10. Ceterum si hunc in finem schedulae Baptizatorum tradendae essent Parochis, eodem iure has sibi vindicarent Ecclesiae S. Augustini S. Dominici ac S. Francisci, in quibus longe maior, quam in Paraeciis numerus Mortuorum sepeliri solebat; quod nemo non videbat, quanto graviorem Capitulo servitutem afferret. Neque erat praetereundum, novem circiter ex decem Populi partibus proletariis constare, queis nulla erat stabilis mora, nulla habitatio sua, adeo ut de una in aliam Paraeciam domumque quotidie commigrarent. Quare etsi schedulae Parochis traderentur, imperfectus semper ac pluribus erroribus et defectibus obnoxius maneret animarum status.

38. His utrinque perpensis, propositis dubiis:-I. An et quamodo sit annuendum petitioni Parochorum pro erectione Fontis Beptismalis in casu? *Et quatenus negative.* II. An sit locus traditioni schedularum collati Baptismatis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative – *in Reatina Iurium parochialium die 14 Ianuarii 1860.*

39. Quum enim legitima deficeret causa, Sacra Congregatio mandavit, Fontem Baptismalem in sola Cathedrali Matrice esse asservandum, eoque Infantes totius Civitatis ad Sacramentum Baptismatis suscipiendum esse deferendos *in Licien. die 19 Aprilis 1606.*

40. Idcirco, si absit necessitas, Sacra Congregatio haud confirmat erectionem Fontis Baptismalis per Episcopum expletam; quandoquidem instantibus Archipresbitero Ecclesiae S. Mariae Maioris et Parocho S. Georgii Terrae Civitae Campomarani, Sacra Congregatio censuit, ex deductis erectionem Fontis Baptismalis in Ecclesia S. Georgii ab Episcopo novissime factam non esse confirmandam *in Guardien. die 13 Iunii 1654.*

41. Unde si locorum necessitatibus satis Incolis provisum fuerit, nec erectio novae Parochialis, nec electio Vicarii Curati perpetui cum iure Fontis Baptismalis indulgetur *in Eugubina Dismembrationis die 31 Iulii 1790* (1).

42. Nam quando Parochianorum necessitati ac utilitati satis est provisum per Constitutionem Coadiutoris in Ecclesia loci, haud

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Ecclesia parochialis*, §. IV, n. 225, Tom. VIII.

est in ea erigendus Fons Baptismalis; quandoquidem cum proposuisset Episcopus, quod indivisa remanente Parochia S. Iuliani Civitatis Castrivillarum alter Fons Baptismalis collocaretur in Ecclesia S. Iosephi intra limites eiusdem Parochiae existente, Sacra Congregatio innixa praesertim dispositioni Concilii Toletani relatae a Gratiano in Can. *Plures* caus. 16 quaest. 1 duplicem hanc Fontis Baptismalis erectionem intra fines unius Parochiae prorsus improbavit *in Cassanen. Dismembrationis die 22 Iulii 1741* (1).

43. Quapropter quum in Terra Cirdarii adesset Ecclesia S. Petri, quae Parochialis ac Matrix erat, atque in eius territorio reperiretur Ecclesia S. Mariae *dell'armi*, ubi duo Capellani praeerant, ibique Infantes exponebantur, et oblati ac oblatae recipiebantur, Sacra Congregatio declaravit, non posse in dicta Ecclesia erigi Fontem Baptismalem in praeiudicium Matricis S. Petri *in Cassanen. Iurium parochialium die 9 Iulii 1672.*

44. Vetitum enim est, plures Baptismales Ecclesias in una eademque terminatione sive Paraecia retineri, uti a Concilio Toletano statutum legitur in Can. *Plures* caus. 16 quaest. 1, et tradit Barbosa iur. eccles. lib. 2 cap. 1 n. 24 *in Urbevetana Fontis Baptismalis die 1 Septembris 1742* §. *Praeter.*

Item *in Neapolitana Decretorum die 29 Februarii 1744* §. *Secundo.*

45. Idcirco expresse reprobatur a iure, duos Fontes Baptismales intra limites eiusdem Parochiae retineri *in Cassanen. Dismembrationis die 22 Iulii 1741* §. *Verumtamen.*

46. Unde Sacra Congregatio, innixa antiquitati ecclesiasticae spretisque, quae proponebantur, periculis Infantium hyemali tempore et difficultate ac longitudine itinerum, erectionem Fontis in Ecclesia adiutrice pluries denegavit *in Neapolitana Decretorum die 29 Februarii 1744* §. *Praesertim.*

Item *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 20 Novembris 1824* §. *Quamobrem.*

47. Nam et illud est quoque in iure firmatum, in succursalibus scilicet Ecclesiis duodeno milliario ab parochiali Templo distantibus, Fontem Baptismalem non licere Episcopo constituere, licet gravissimis rationibus suffulto, Barbos. in Cap. 4 sess. 21 Conc. Trid. n. 11, Ald. tit. 8 n. 20 *in Fesulana Dismembrationis et Erectionis die 30 Aprilis 1836* §. *Fatendum.*

48. Idcirco haud indulgetur facultas erigendi Fontem Baptismalem in Ecclesia Commendae Ordinis Hierosolymitani, quae non est vere parochialis, sed est et manet Capella privilegiata, iuxta Constitutiones et consuetudines Ordinis *in Constantien. Iurium parochialium et Exemptionis die 18 Decembris 1762.*

49. Siquidem Commenda Villingensis Ordinis Hierosolymitani proprium habebat circuitum muris septum, in quo, praeter Ecclesiam S. Ioanni Baptistae dicatam, nonnullae continebantur aedes pro Commendatarii eiusque Familiarium et Ministrorum usu destinatae. Contendens autem modernus dictae Commendae Praefectus seu bonorum Oeconomus, eamdem Ecclesiam esse veram parochialem, postulavit in Curia Episcopali Constantiensi, ut in illa Fons Baptismalis erigeretur; et reiectus Decreto iudiciali provocavit ad S. Sedem. Episcopus retulit, quod Capellanus S. Ioannis consueverit ab immemorabili Sacramenta Poenitentiae Eucharistiae et extremae Unctionis ministrare intra septa Commendae, tum Commendatario, tum eius Familiaribus, ad formam tamen privilegiorum Ordinis; quodque Sacramenta Baptismi et Matrimonii, pro unica coniugata Familia Oeconomi intra septa residente, non a Capellano, sed a Parocho Oppidi Villingae administrata semper fuerunt in Ecclesia parochiali, excepto Baptismo collato Filiis antecessoris Oeconomi, quos Parochus invitatus sacra lustrali aqua abluit in Ecclesia S. Ioannis, cum assistentia Capellani superpelliceo et stola induti, et excepto Matrimonio moderni Oeconomi contracto coram Capellano anno 1753, quod tamen revalidandum esse coram Parocho decrevit Curia Episcopalis, et de illius validitate lis pendebat in Sacra Congregatione; ideoque censuit, dictam Ecclesiam – neutiquam esse vere parochialem, sed esse et manere Capellam privilegiatam, iuxta

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Ecclesia parochialis*, §. IV, n. 80 ad 83, Tom. VIII.

Constitutiones et consuetudines Ordinis. Proposito igitur dubio: – V. An praefato inclyto Ordini Hierosolymitano indulgenda sit facultas erigendi Fontem Baptismalem in supradicta Ecclesia Commendae Villingensis ad sacris lustralibus aquis abluendos Infantes intra illius septa nascituros in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, eam non esse vere parochialem, responsum tulit: – Ad quintum, Negative; et amplius in omnibus, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo - *in Constantien. Iurium parochialium et exemptionis die 18 Decembris 1762.*

50. Nam de iure Fons Baptismalis retineri ac asservari debet in Ecclesia parochiali, non vero in Ecclesia simplici, etiamsi in hac propter Parochianorum commoditatem asservari ex consuetudine soleat *in Amalphitana Asservationis Sacramentorum die 29 Aprilis 1713 lib. 63 Decretorum.*

51. Iamvero – binae comperiuntur in Oppido Atrani principaliores Ecclesiae, Parochialis una ac Collegiata sub invocatione S. Mariae Magdalenae, altera simplex sub titulo SS. Salvatoris: in utraque asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, Fons vero Baptismalis et sacra Olea in Ecclesia dumtaxat SS. Salvatoris retinentur; ceterum Praepositus iam dictae Collegiatae, cui totius Oppidi animarum cura incumbit, parochialia quaedam munera ibi explet, praeter doctrinam christianam, quam in secundodicta Ecclesia docet, exindeque etiam extrema Unctio ac sacra Synaxis Infirmis defertur, exceptis iis, qui circum Collegiatam procumbunt. Verum sacris Canonibus omnino inconsonum reputans Archiepiscopus Amalphitanus, quod in simplici Ecclesia SS. Salvatoris divinum Sacramentum et sacra Olea custodirentur, saepe Praepositum monuit ac tandem decrevit, ut species Eucharistiae inibi conservatae consumerentur, nullisque futuris temporibus reponi possent. Hinc pro parte iam dicti Praepositi expedito coram A. C. Monitorio super manutentione in possessione vel quasi Sacramenta ministrandi ac retinendi in secundodicta Ecclesia, subindeque ab R. P. Auditore Sanctissimi remissa cognitione huiusce controversiae ad hunc Sacrum Consessum, impraesentiarum Archiepiscopus enixe contendit, Ecclesiam S. Mariae Magdalenae totius Oppidi parochialem dumtaxat existere, quae nuper de anno 1707 in Collegiatam erecta fuit, proptereaque in ipsa Sacramenta quaelibet ministranda ac respective conservanda esse, eaque omnino retineri non posse in Ecclesia SS. Salvatoris, quae parochiali qualitate destituitur, quemadmodum satis liquere asserit ex instrumento iam de anno 1579 stipulato, in quo expresse enunciatur, Ecclesiam saepedictam SS. Salvatoris simplicem esse, ibique propter unicam tantum Parochianorum commoditatem divini Sacramenti ac sacri Olei custodia permittitur, ita ut nullo unquam tempore animarum cura ob id inducta censeatur. Ceterum iam dictus Archiepiscopus pluribus inficiatur quamlibet assertam causam et consuetudinem a Praeposito forte allegandam, eo praesertim quia Eucharisticum Sacramentum extra parochialem Ecclesiam asservari nequeat absque Apostolico Indulto; quamplurima etiam minus probanda, quae exinde oriuntur, idem exaggerat. Quoniam vero saepedictus Praepositus in antiqua consuetudine rationabiliter, ut inquit, inducta enixe insistit, ulterius contendens, quod Parochus prohiberi nequeat, quin Sacramenta ministret in quibuscumque Ecclesiis, quae intra fines Plebaniae iacent; idcirco infrascriptum dubium inter Partes concordatum fuit, quod ex utrinque deducendis dignabantur EE. VV. sapienter definire: – An Sanctissimum Sacramentum Eucharistiae Fons Baptismalis et Oleum Sanctum debeant retineri et asservari in Ecclesia S. Mariae Magdalenae loci Atrani, vel potius liceat etiam illa retinere in Ecclesia SS. Salvatoris dicti loci in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Amalphitana Asservationis Sacramentorum die 29 Aprilis 1713 lib. 63 Decretorum.*

52. Hinc attentis rerum circumstantiis non est quidem removendus Fons Baptismalis positus in Ecclesia, quae ad Monasterium Nullius Diaecesis pertinet, quaeque sita extat in territorio parochiali Diaeceseos alterius Ordinarii, sed eo dictum Monasterium seu eius Abbas uti non potest, nisi consulta Sacra Congregatione *in Caputaquen. Iurisdictionis die 11 Decembris 1756 die 30 Iulii 1757 et die 13 Martii 1762.*

53. Siquidem Ecclesiam habebant Monachi Congregationis Montis Virginis, quae dicebatur S. Honuphrii de Massa diruta sita in territorio parochiali *di Abetina* Diaeceseos Caputaquensis. Erat in ea Fons Baptismalis: sed Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis contendit, illum esse removendum. Sacra Congregatio, postquam declaraverit, praefatum Monasterium esse Nullius Diaecesis, sed non expedire, ut eius Priori seu Abbati liceret facultatem concedere Sacerdotibus secularibus vel Regularibus ab Ordinario minime approbatis audiendi confessiones Personarum secularium in dicta Ecclesia S. Honuphrii, quam tamen concedere posset Confessariis a proprio Ordinario approbatis, proposito dubio: – V. An Fons Baptismalis in eadem Ecclesia positus sit removendus? –, die 11 decembris 1756 responsum dedit: – Ad quintum, Negative; et ad mentem, et mens est, quod non utatur, nisi consulta Sacra Congregatione –. Reproposito dein cum ceteris praefato dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 iulii 1757 respondit: – In decisis, et amplius –; atque Abbas obtinuit, editas resolutiones confirmari auctoritate apostolica, per Breve Summi Pontificis sub datum 15 maii 1759, cum solita clausula: – salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium –. Episcopus Caputaquensis autem, impetrata venia a Summo Pontifice, iterum adiit Sacram Congregationem, quae eidem die 6 decembris 1760 novam indulsit audientiam. At reproposito cum aliis praedicto dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis in omnibus, et amplius – *in Caputaquen. Iurisdictionis die 13 Martii 1762.*

54. Itaque Sacra Congregatio declaravit, – Episcopum Sedunensem non posse constituere Fontem Baptismalem in dicta Ecclesia sub Parochia Leucensi constituta; sed illum, concurrente necessitate seu incommodo propter distantiam eiusdem parochialis Ecclesiae, in nova Parochia constitui posse ad praescriptum cap. 4 sess. 21 de reformatione *in Sedunen. die 17 Augusti 1626 lib. 13 Decretorum pag. 93.*

55. Unde, attentis rerum circumstantiis, quandoque Sacra Congregatio declarans, locum esse erectioni novae Parochiae in loco designando, quoad etiam petitionem erectionis Fontis Baptismalis rem uni ex Cardinalibus cum facultatibus ipsius Sacrae Congregationis committit *in Terracinen. Dismembrationis die 30 Iulii 1785* (1).

56. Quin imo licet Sacra Congregatio primum declaraverit, non esse locum novae constructioni Fontis Baptismalis iuxta Decreta in visitatione edita ab Episcopo in alia Ecclesia eiusdem Paraeciae, cum ille iam existeret penes alteram Ecclesiam, quae ad eamdem unicam Paraeciam spectabat, nihilominus ob congestas subinde plures rationes nec non pericula et necessitatem permisit erectionem alterius Fontis Baptismalis in praefata Ecclesia, quin vero altera Ecclesia debitis fraudaretur obsequiis *in Urbevetana Fontis Baptismalis die 22 Septembris 1742 die 2 Decembris 1747 die 3 Augusti et die 14 Decembris 1748.*

57. Iamvero in Oppido Vulsinii Urbevetanae Diaecesis duae extabant Ecclesiae, Collegiata nempe sub titulo SS. Georgii et Christinae in planitie posita, et altera S. Salvatoris dicata super verticem montis in regione, quam vocabant *Castelli,* quarum utraque ad unam eamdemque Paraeciam spectabat, a Praeposito aliisque Canonicis eiusdem Collegiatae Ecclesiae curam animarum habentibus administratam: verum sola Ecclesia S. Salvatoris sacrum habebat Fontem Baptismalem. Id animadvertens Episcopus occasione sacrae visitationis, quam sub annum 1735 peregit, novum in praedicta Collegiata Ecclesia extrui iussit regenerationis lavacrum, eiusque locum constituit prope ianuam maiorem ipsius Ecclesiae ea ex parte, quae respiciebat cornu Evangelii, quamvis ibidem heredes Canonici Quadrelli sepulchri ius haberent, longe antea constructi; idemque Decretum, quod interea temporis non fuerat executioni commissum, in alia visitatione inita sub annum 1739 ite-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Ecclesia parochialis,* §. IV, n. 161 ad 163, Tom. VIII.

rum confirmavit. Reclamarunt ab huiusmodi Decreto non solum memorati heredes Canonici Quadrelli, verum etiam omnes ii ex Populo montanariam Oppidi partem prope Ecclesiam S. Salvatoris incolentes. Nam praeter illa, quae ratione loci ab Episcopo designati opponebant dicti heredes Canonici Quadrelli, contendentes, auferendum sibi non esse ius sepulchri iamdiu quaesitum, praedicta Fontis erectio, veluti minime cohaerens dispositioni sacrorum Canonum, impugnabatur, cum vetitum esset, plures Baptismales Ecclesias in una eademque terminatione sive Paraecia retineri. Huic iuris sanctioni vetustissima accedebat consuetudo, quum sola S. Salvatoris Ecclesia eo usque habuerit Fontem Baptismalem; quae quippe consuetudo vigebat etiam in Urbevetana Cathedrali Ecclesia, ad quam Infantes omnes illius Civitatis deferebantur, suscipiendi Baptismatis causa, tametsi plures in eadem Civitate non deessent parochiales Ecclesiae, longeque maior esset multitudo, quam Populi Oppidi Vulsinii, vix mille supra tercentos numerum conficientis. Insuper Ecclesiam illam S. Salvatoris praerogativa matricitatis praeditam esse coniiciebatur, tum ex usu inchoandi ab ea quascumque publicas supplicationes, tum etiam ex potiori loco, quem in solemni processione die decima mensis maii quotannis fieri solita Incolae Regionis Castelli tenebant supra reliquum Populum. Contra vero Collegiatam Ecclesiam non Parochialem modo, sed et Matricem esse propugnavit Capitulum, quum in ea parochiales omnes functiones exercerentur, non vero in altera S. Salvatoris, quam parochialis cuiuscumque iuris expertem, atque olim adnexam Monasterio Sanctimonialium, ex vetusta quadam traditione testatum faciebant plures ex eisdem Canonicis: unde constabat, longe prius Fontem Baptismalem in Collegiata Ecclesia extitisse, quemadmodum ex quibusdam pastoralibus visitationibus sub annos usque 1357 et 1564 expletis aperte coniiciebatur. Illud etiam accedebat, quod difficile nimis ac plenum periculis esset hyemali praesertim tempore iter ad Ecclesiam S. Salvatoris, veluti in culmine montis positam, atque per dimidium circiter milliarium dissitam ab inferiori Oppidi parte, in qua maxima degebat Populi multitudo mille animarum numerum excedens: nonnulli hinc Testes referebant, quod Praepositus, dum ab Ecclesia Collegiata Sanctissimum Viaticum deferret ad Infirmum in Regione Castelli commorantem, ob asperitatem viarum, fuerit una cum Sacra Pixide in terram prolapsus. Sed hanc itineris difficultatem prorsus exulare sustinuit Defensor Ecclesiae S. Salvatoris ex distinctis Medici Chirurgi et Obstetricis attestationibus, quas proferebat. Episcopus praeter rationes per Capitulum adductas addidit, ad removendas querelas heredum Canonici Quadrelli oblatum eis fuisse ab eodem Capitulo alium ipsius Ecclesiae locum, ubi possent sepulchrum sibi aedificare.

58. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus novae constructioni Fontis Baptismalis in Ecclesia Parochiali et Collegiata SS. Georgii et Christinae Martyrum Terrae Vulsinii iuxta Decreta in visitatione edita ab Episcopo Urbevetano diebus 19 aprilis 1735 et 12 aprilis 1739 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 septembris 1742 responsum dedit: – Negative, et amplius –. At exinde die 12 augusti 1747, novo oblato libello, rescriptum fuit: – Audiatur, et ad D. Secretarium iuxta mentem –. Capitulum igitur, pluribus congestis rationibus, disputavit, aut a decisis esse recedendum, aut saltem novam concedendam esse Fontis Baptismalis erectionem ob pericula et necessitatem. Propositis vero dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 22 septembris 1742 in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem.* II. An sit locus erectioni alterius Fontis in Ecclesia SS. Georgii et Christinae Vulnisii in casu etc.: –, Sacra Congregatio die 2 decembris 1747 respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, Negative; et ad mentem, et mens est, ne Ecclesia S. Salvatoris debitis fraudetur obsequiis –. Capitulum novo libello novisque iuribus postulavit recedi a decisis. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis super secundo dubio proposito die 2 decembris 1747 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 augusti 1748 rexponsum tulit: – Praevio recessu a decisis, Affirmative; et Episcopus incumbat omnino, ne Ecclesia Sanctissimi Salvatoris debitis fraudetur obsequiis –. Iterum ita-

que Causam agi voluerunt Habitatores Regionis Castelli; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, et amplius – *in Urbevetana Fontis Baptismalis die 14 Decembris 1748.*

59. Quapropter sustinetur Decretum Archiepiscopi, quo ob loci situm ventorum vim aestusque fervorem erigi mandavit Fontem Baptismalem in Ecclesia filiali, licet Vicarius perpetuus Ecclesiae Matris eiusque Commendatarius enixe obsisterent ac sustinerent, causas illas vel ex facto nullatenus subsistere, vel ex iure satis non esse, quum praesertim duae res iudicatae existerent *in Neapolitana Decretorum die 29 Februarii 1744.*

60. Siquidem unica parochialis Ecclesia S. Michaelis Archangeli erat in Insula Prochyte, quam regebant Monachi Benedictinae Familiae, quaeque postea in commenda data est: sed ut Incolarum per universam Insulam habitantium numero et commoditati plenius consuleretur, Card. Caracciolus, qui et Archiepiscopus Neapolitanus et Abbas Commendatarius erat, anno 1672 Oeconomum constituit in Ecclesia S. Mariae Annunciatae, qui facultatem haberet, praevio consensu Vicarii, ecclesiastica tantum Sacramenta ministrandi, quae necessitatis dicuntur; et ut Incolarum per universam Insulam habitantium numero et commoditati plenius consuleretur, alias duas anno 1679, praevio consensu Vicarii perpetui, erexit Coadiutorias in Ecclesiis filialibus S. Mariae Gratiarum et S. Antonii Abbatis, distributis unicuique finibus, et data Oeconomis facultate ecclesiastica Sacramenta ministrandi, – iuribus tamen Abbatialibus semper salvis et expresse reservatis –. Quum inde anno 1742 Emus Card. Spinellius Archiepiscopus Neapolitanus Prochytam appulisset sacram visitationem acturus, preces ei oblatae fuerunt a Syndico Universitatis illius Insulae, quibus petebat, ut decerneretur, iisdem Capellanis Coadiutoribus nedum Sacramenta necessitatis, sed alia etiam ecclesiastica Sacramenta Populo, cuius numerus ad undecim fere capitum millia auctus erat, ministrare licere. Omnia igitur secum reputans Emus Archiepiscopus, inter cetera quoad Sacramenti Baptismatis administrationem decrevit, ut, qui intra fines Ecclesiae S. Mariae Gratiarum adsignatos nascerentur, in parochiali Ecclesia Baptisma susciperent: ratione tamen distantiae et itinerum longitudine et periculorum, quibus Infantes necessario exponerentur, ob Insulae situm ventorum vim aestusque fervorem voluit, in Ecclesia Annunciationis Beatae Mariae Virginis extrui Fontem Baptismalem, quo lavarentur ii, qui ortum habebant intra fines illius Ecclesiae, atque alterius S. Antonii Abbatis, ab Oeconomo sive Capellano primae Baptismatis Ecclesiae, qui nomina Infantium describeret et singulis mensibus Vicario perpetuo traderet, ut ab eo in libros parochiales referri possent, a quibus tantum suscepti Baptismatis testificationes excipi deberent. Provocarunt ab huiusmodi Decreto Emus Ruffus illius Ecclesiae Abbatialis Commendatarius atque Vicarius perpetuus: nam contenderunt, laesum fuisse praedicto Decreto ius Ecclesiae Matris, ex eo quod in themate res haud erat de Ecclesiis parochialibus, quae plenum ius habent administrandi Sacramenta, cum iis vetari ab Ecclesia Matre non possit, ut habeant Fontem Baptismalem, si iusta intercesserit causa, sed praecise de Ecclesiis adiutricibus agebatur, quae Sacramentorum administrationem iure proprio non habebant, sed unam cum Ecclesia Matre Parochiam constituebant, et ob id nequibat in iis novus Fons constitui, qui unus in qualibet Parochia esse debet, ut est aperta sententia Can. *Plures* 16 quaest. 1. Idcirco sustinuit, Decreto Emi Archiepiscopi eversam fuisse iuris dispositionem, quae vult unum in singulis Parochiis Fontem haberi, illatum Parocho et Ecclesiae Matri detrimentum, et sublatam rem iudicatam sententia anni 1684, qua definitum fuerat, – non posse Oeconomos Sacramentum hoc ministrare, nisi de licentia Vicarii Curati, et in praedicta Abbatiali Ecclesia –: et si qui Fontes erecti fuissent, evellendos esse et destruendos; eversamque pariter alteram rem iudicatam anni 1691, qua data fuit tantum administratio Sacramentorum necessitatis, et vetitum Capellanis, – ne in aliorum Sacramentum administratione ullo modo se intromitterent –. Unde ex his consequens erat, non esse spectandas rationes causasque, quas habuit Emus Archiepiscopus, cum illae vel ex facto non subsiste-

rent, ut contrariis testificationibus probabat Emus Commendatarius, vel ex iure satis non essent cum novae non essent, sed dudum extiterint, cum ex eventu penderent, cum etiam in aliis Ecclesiis contingere possent.

61. His maturae perpensis, proposito dubio: – 11. An substineatur Decretum Emi Archiepiscopi super erectione novi Fontis Baptismalis in Ecclesia seu Grancia Sanctissimae Annunciationis, seu potius Fons Baptismalis sit retinendus in sola Ecclesia Curata Matrice in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative ad primam partem, de consensu tamen Vicarii, Negative ad secundam; et ad mentem – *in Neapolitana Decretorum die 29 Februarii 1744.*

62. Unde in locis, ubi sunt plures Parochiales Ecclesiae, certis finibus separatae et distinctae, quarum quaelibet plenum ius habeat administrandi Sacramenta, tunc quamquam una eorum mater sit et antiquior, quae Fontem semper habuerit, si aliae velint Fontem extruere, vetari iis ab Ecclesia Matre non potest, ut ex doctrina Innocentii in Cap. *Cum dilectus* n. 4 de Capell. Monach. defendunt Fagnan. in Cap. *Cum contingat* n. 59 de decimis, Vanespen. in ius eccles. univ. part. 2 tit. 2 Cap. 2 n. 16, Emus Albicius in disc. de Iurisdict. Cardinal. impress. apud Card. De Luca de Iurisdict. quaest. 6, Emus Petra ad Constit. Apostol. tom. 4. pag. 286 n. 13 *in Neapolitana Decretorum 29 Februarii 1744* §. *Secundo.*

63. Quin imo licet Collegiatae et Parochiales Ecclesiae super altera Ecclesia parochiali in eodem Oppido existenti iure maioritatis, non vero matricitatis gauderent, nec non ipso iure privativo habendi Fontem Baptismalem potirentur, nihilominus Sacra Congregatio, attentis rerum circumstantiis, resolvit, consulendum esse Sanctissimo pro concessione Fontis, iuxta votum Episcopi, addita lege assistentiae Parochi praefatae Ecclesiae parochialis benedictioni Fontis, quin Parochiani ad alienas Paraecias amplius Infantes baptizatum deferrent, nihil omnino obstante, quod primum Parochus non recte gratiam erigendi Fontem obtinuisset, nec non quod ius illud privativum Collegiatarum habendi dictum Fontem ad non ius reduci videretur *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 22 Februarii 1823 die 20 Novembris 1824 die 14 Maii 1825 et die 22 Iulii 1826.*

64. Enimvero una olim Ecclesia Collegiata et Parochialis S. Mariae Maioris Oppidi Hispelli Fonte gaudebat Baptismali, dein eum etiam Collegiata et Parochialis Ecclesia S. Laurentii eiusdem loci ex transactione cum illa inita obtinuit: hinc quum Parochus Ecclesiae S. Andreae, quae Patribus Minoribus Conventualibus concredita erat, Fonte dumtaxat careret, supplex adiit Sacram Congregationem; exposuitque, quod eius Parochiani, quorum plerique agrum Hispellensem incolebant, dum nulla tenerentur lege transferendi Pueros ad Paraecias Hispelli, ut salutari regenerarentur lavacro, eos ad finitimas, extra Diaecesim etiam existentes, deferebant Paraeciam. Quamobrem et saepe Parochum S. Andreae latebat, ubinam fideles ipsi subiecti Baptismum suscepissent, et Parochiani documentum suscepti Baptismi habere et invenire nequibant. Igitur ad haec declinanda incommoda facultatem in sua Ecclesia Fontem Baptismalem erigendi instanter postulavit. Preces remissae fuerunt Episcopo pro informatione et voto, atque ut, auditis praesertim aliis Parochis ac Definitorio Ordinis, referret de erectione Paraeciae, cuius favore fuerit reservatus Fons Baptismalis; et de vera necessitate ac de honoris signo substituendo favore Paraeciae Matricis. Ipse autem has dedit Literas: – Accersivi P. Bonaventuram Mattei Parochum S. Andreae Hispelli, ab eoque comperi, Rmum Patrem Iosephum Mariam de Bonis Ministrum Generalem eiusdem Ordinis eiusque Definitorium ratum ac gratum habere Baptismalem Fontem in dicta Ecclesia erigi ac perpetuo conservari. Contra vero aliis Hispelli Parochis non placet huiusmodi Fontis erectio, non quia ius privativum habeant S. Andreae Parochianos baptizandi, sed potius ne amittant illud qualecumque lucrum, quod percipiunt, vel ex nummis, vel ex candelis, quae ex antiqua consuetudine offeruntur a Baptizandorum Parentibus vel Patrinis. Verum quod Parochi duarum Collegiatarum Hispelli ius nullum privativum habeant in eos, qui nascuntur in districtu S. Andreae, constat ex eo, quod huiusmodi nati pro libito deferuntur ad alios Fontes non solum Diae-

cesis, sed etiam extra Diaecesim; baptizantur enim nunc Fulginiae, nunc Cannariae Assisiensis Diaecesis, nunc Mevaniae Diaecesis Spoletanae. Accedit, quod neutra ex dictis Collegiatis Ecclesiae Matricis nomen mereatur, cum sint eiusdem dignitatis, et ideo unaquaeque eorum spatio unius anni alteri praecedit. Plures autem rationes militant pro erectione Fontis in laudata Ecclesia S. Andreae: ipsa enim excedit numerum animarum unius ex Collegiatis curam habentibus. Paraecia est antiquissima, nam possidetur a Patribus Conventualibus ab ipso seculo eorum Patriarchae S. Francisci: in eadem Ecclesia depositum est corpus Beatae Andreae Coccioli eiusdem Ordinis et Patroni minus principalis Hispelli: tandem in eadem propter sufficientem Religiosorum numerum Dei cultus cum aedificatione ac Populi frequentia peragitur –. Supplici Parochi libello cum Episcopi informatione Sacrae Congregationi per Summaria precum die 22 februarii 1823 proposito, rescriptum fuit: - Pro gratia, iuxta petita –; eoque Rescripto fretus Parochus Fontem Baptismalem in sua Ecclesia S. Andreae confestim extruendum curavit. Aegre id tulerunt Collegiatarum Canonici, ac preces obtulerunt, quibus facultatem a Parocho S. Andreae obtentam tamquam obreptionis et subreptionis vitio laborantem traduxerunt. Quare iterum datae sunt Episcopo Literae pro informatione et voto; atque ut, firmo interim remanente Sacrae Congregationis Rescripto, terminum Partibus praefigeret ad deducendum iura sua in eadem Sacra Congregatione. Episcopus retulit, se ad discordias sedandas Canonicis proposuisse signum maximum subiectionis et dependentiae Ecclesiae parochialis S. Andreae erga utramque Collegiatam, quod scilicet in Sabbato Sancto omnium et singulorum annorum Ecclesia S. Andreae non posset benedictionis Fontis sacram functionem peragere, sed aquam benedictam recipere deberet ab ea Collegiata, quae praecedebat. At haec propositio non placuit, quia placuit illis litigare. Verum esse dixit, Parochos S. Mariae Maioris et S. Laurentii ab ipso non fuisse auditos, neque eorum assensum circa erectionem novi Fontis Parochum S. Andreae exquisivisse; quia certi erant de eorum dissensu, ob iurisdictionis diminutionem et lucri praeiudicium. Dein quae in praecedenti superius allata informatione illustravit; atque conclusit, EE. EE. rogans, – ut Rescriptum pro erectione Fontis a vobis emissum confirmatis, et dignissimum Parochum S. Andreae a molestiis et persecutione liberetis –.

65. Collegiatarum Defensor vero novi Fontis erigendi concessionem Parocho S. Andreae indultam subreptionis et obreptionis vitio infectam arbitratus est, tum quia Parochus inficiatus est, Collegiatas S. Mariae et S. Laurentii privativo gaudere iure Pueros ad Paraeciam S. Andreae pertinentes salutaribus aquis abluendi, neutram ex Collegiatis Matricis nomen mereri; tum quia a veritate alienum existimavit, plura ex defectu Fontis in Ecclesia S. Andreae Parochianis obvevire incommoda, veramque intercedere necessitatem novi Fontis erigendi. Quum enim Ecclesia S. Mariae maioris ad annum 1130 Episcopalis Sedis honore resplenduit, hinc ipsa tantummodo privativo iure praedita erat Fonte Baptismali, et in eo omnes saltem Hispelli Pueri salutari aqua tingebantur. Ius hoc privativum patebat etiam ex transactione super praeeminentiis inita anno 1539 cum Ecclesia Collegiata S. Laurentii, quae etiam tunc temporis Fonte caruit, quin antea illum obtinere potuisset. Item ius idem scatebat ex concessione Fontis Baptismalis favore Paraeciae S. Mariae Castri Collupini, quem Episcopus anno 1563 impertitus est, – attenta spoliatione iuris baptizandi Pueros ac consensu coram nobis pro praemissis per RR. DD. Priores et Canonicos dictarum Ecclesiarum Collegiatarum –. Tandem dictum ius manifestum erat ex actibus Sacrae Visitationis anni 1580 testantibus, quod – Pueri eius Parochiae (S. Andreae) baptizantur in Collegiatis Ecclesiis S. Mariae et S. Laurentii –; nec non ex dictis plurium Testium idem deponentium. Nec necessitas novi Fontis in Ecclesia S. Andreae urgebat ex incommodis, quae cunctis Paraeciis Fonte destitutis communia sunt, cum haec iustam non praebeant causam eumdem erigendi. Hinc nec ex eo quod Pueri in agro Hispellensi pro suscipiendo Baptismate ad Paraecias Spoletanas et Assisienses, quibus viciniores erant, ex abusu deferebantur, iusta exurgebat causa

erigendi Fontem. Paraecia enim S. Andreae intra Hispelli moenia adeo proxima erat Collegiatis, ut ab Ecclesia S. Mariae sexaginta quinque, et ab Ecclesia S. Laurentii octo supra centum et triginta geometricos distaret passus: ac propterea Familiae in agro Hispellensi degentes, si propter distantiam ad Collegiatas Pueros baptizatum non deferebant, nec eos ad Paraeciam deferrent S. Andreae, eademque iugiter eveniebant damna, sive Ecclesia S. Andreae Fonte careret, sive gauderet. Idcirco quum Parochus S. Andreae ius privativum habendi Fontem et matricitatem utriusque Collegiatae, nullamque pro novo Fonte extruendo intercedere necessitatem ostendisset, Sacra Congregatio petitam facultatem denegasset. Nihil tamen veri reticitum, nihil falsi narratum, Parochi S. Andreae Defensor contendit: namque affirmavit, veritati consonum esse, Incolas eiusdem Paraeciae nullo obstringi sive iuris, sive transactionis, sive consuetudinis vinculo Infantes baptizandos ad Collegiatas Hispellenses deferendi. Unde ipsa cum esset parochialis, ius habebat erigendi Fontem, quin obstaret transactio anni 1539 inter praedictas Collegiatas inita, cum nihil in ea quoad Paraeciam S. Andreae cautum fuerit. Consuetudo praeterea, quam laudabant Canonici, nullius erat roboris, cum de actibus ageretur facultativis, ita ut Puerorum delatio ad praedictas Collegiatas adeo penderet ex Parentum arbitrio, ut praesertim ruri orti ad exteras, etiam extra Diaecesim existentes, Paraecias, sine ulla Collegiatarum querela et contentione, delati fuerint, ac etiam tunc deferrentur, prout Testes fide dignissimi affirmabant. Neque huiusmodi privativum ius sibi arrogare posse Collegiatas, subdidit Parochi Defensor, filiationis vel subiectionis titulo. Neutra enim Matrix erat: et Ecclesia S. Andreae, quae ante S. Basilii aetatem iamdiu existebat, antiquitate et celebritate utramque Collegiatam forte praecellebat. Hinc nec fundationem, nec dotationem a Collegiatis subsidio indigentibus repetebat, sed primo a Basilianis, dein a Camaldulensibus, tandem a Minoribus Conventualibus; adeoque ipsa in electione Parochi, in Sacramentorum administratione, aliisque omnibus sacris functionibus libera erat, et a Collegiatis independens. Fontis igitur erectio conveniens erat, imo necessaria ad incertitudines dissensiones perturbationes, quae magis magisque in dies augebantur, avertendas. Nam dissensio erat inter Parentes et Patrinos, quaenam Paraecia foret adeunda: hinc Baptismi fides ex Baptizantis negligentia vel oblivione in Baptizatorum codices non deferebatur; hinc Parochum S. Andreae ipsosque Parochianos latebat, ubinam Baptismum susceperint, quemadmodum Hispellensium testimonio comprobabatur. Quapropter ex aucto etiam Parochianorum numero ruri commorantium ipsemet Episcopus auctor fuit, ut controversus Fons erigeretur; cuius quidem auctoritatis pondus in iis, quae animarum respiciebant regimen, maximi erat faciendum.

66. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - II. An constet de iure privativo Fontis Baptismalis favore Collegiatarum in casu etc. III. An et quomodo sit servandum Rescriptum S. Congregationis in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, constare de maioritate, non vero de matricitate dictarum Collegiatarum (1), die 20 novembris 1824 respondit: – Iterum proponatur –. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 14 maii 1825 respondit: – Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, consulendum Sanctissimo pro concessione Fontis iuxta votum Episcopi, addita lege assistentiae Parochi S. Andreae benedictioni Fontis in Collegiatis; et ad mentem –. Mens autem fuit, – ut Episcopus omnibus iuris et facti remediis cogat Parochianos, ut Infantes ad propriam Paraeciam deferant ad suscipiendum Sacramentum Baptismatis, facta etiam Parochis, quatenus opus sit, inhibitione alienos Parochianos baptizandi –. Neutra pars laeta omnino discessit ab iudicio: Canonici enim tertii dubii resolutionem impugnarunt; Minores autem Conventuales contenderunt, recedendum esse a decisis quoad secundum dubium, et quoad tertium petierunt, ut tolleretur lex, qua Parocho S. Andreae assistentia praescribebatur benedictioni Fontis in Collegiatis. Itaque Canonici pro-

(1) Ceu videre est in Verb. *Ecclesia Matrix*, n. 117 et 118, Tom. VIII.

pugnarunt, admisso Collegiatarum iure privativo habendi Fontem, non posse Ecclesiae S. Andreae concedi Fontem Baptismalem; secus enim huiusmodi ius ad non ius reduceretur. Nec gratiae locum esse poterat; tum quia gratia aliorum iura laedere non debebat, tum potissimum quia Summus Pontifex supplici libello, quo Minores Conventuales postularunt, ut indultum Fontem Baptismalem in Ecclesia S. Andreae Apostolica Auctoritate confirmaret, die 12 martii 1826 rescribi mandaverat: – Utatur iure suo in propositione Causae –. At vero Minorum Conventualium Defensor nullum revera Canonicis privativum ius esse sustinuit, ex eo quod non exemplis concessionum, quas fecerant ex transactione Collegiatae S. Laurentii, et ex consensu praestito Ecclesiae Collupini, sed probationibus directis agendum erat. Insuper S. Laurentii et Collupini Ecclesiae filiales erant S. Mariae, quod quidem aliter se habebat de Ecclesia S. Andreae. Tandem quidquid privativi iuris Collegiatae habuissent, illud per contrariam consuetudinem iam amiserant, cum centum et supra ab illinc annis Parochiani S. Andreae quas mallent in Ecclesias, etiam extra Diaecesim, Pueros baptizatum deferrent. Nullum autem esse Fontis privativum ius, ubi liberum cuique est ad quascumque Ecclesias baptizatum accedere, docuit Sacra Congregatio in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 22 iunii 1720, et in Fabrianen. Fontis Baptismalis 2 maii 1733.

67. His mature perpensis, repropositis dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium dubium in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius, et Episcopus omnino curet adamussim impleri conditiones appositas in resolutione die 14 maii 1825, et a Sanctissimo approbatas – *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 22 Iulii 1826.*

68. Nam tametsi Fons Baptismalis superiori tempore adesset dumtaxat in Ecclesia Cathedrali et in altera Collegiata, quarum Parochi sacro Baptismo inaugurare solebant Infantes in ceteris quoque Parochiae ortos, nihilominus Sacra Congregatio probavit erectionem Fontis Baptismalis factam ab uno ex aliis Civitatis Parochis, quum id esset magis consentaneum dispositioni Concilii Tridentini nec non Constitutionibus Synodalibus, quibus cavebatur, Parvulos baptizandos deferri debere ad propriam Parochiam, ut a proprio baptizarentur Parocho *in Fabrianen. Fontis Baptismalis et Iuris baptizandi die 21 Iunii diē 22 Novembris 1732 et die 2 Maii 1733.*

69. Siquidem in Civitate Fabrianensi quatuor existebant Ecclesiae Parochiales: prima nimirum Cathedralis S. Venantii, secunda Collegiata S. Nicolai, tertia S. Blasii, quae regebatur a Monachis Camaldulensibus, et quarta S. Benedicti, cui praeerant Monachi Silvestrini. Fons Baptismalis superiori tempore erat dumtaxat in Ecclesia Cathedrali et in altera Collegiata, quarum Parochi Sacro Baptismo inaugurare consueverunt Infantes in ceteris quoque Parochiis ortos. At anno 1729 Monachi Camaldulenses Fontem Baptismalem erexerunt in eorum Ecclesia S. Blasio dicata. Nova haec res querimonias Capituli Ecclesiae Cathedralis excitavit. Contendit enim, eamdem Ecclesiam S. Venantii matricitatis iure pollere, matricem semper appellari consuevisse, atque omnibus potiri praerogativis, quae Ecclesiae proprie matrici conveniunt. Quin etiam satis constare existimavit, Ecclesiam S. Blasii institutam fuisse Parochialem per sectionem Parochiae, cui antiquitus praeerat Ecclesia S. Venantii. Itaque Capitulum arguit, non licuisse Monachis Fontem Baptismalem instituere in sua Ecclesia, quamvis Parochiali, cum per hoc laederetur ius competens Ecclesiae matrici, quae ideo talis appellabatur, quia sicut Mater generat Filios, ita haec regenerat homines salutaribus aquis, ut notatur in Clement. 1 in Gloss. verb. Matricem de sententia excommunicationis. Impugnarunt Monachi vero, quod Ecclesia S. Blasii esset subiecta Ecclesiae S. Venantii tamquam Matrici; ac ius administrandi Sacramentum Baptismi, adeoque habendi Fontem Baptismalem, adstruere curarunt ex ipso parochiali iure. Episcopus confirmavit, nunquam ante annum 1729 extitisse Fontem Baptismalem in memorata Ecclesia S. Blasii; addidit, se Abbati, a quo significata tunc ei

fuerat deliberatio de instituendo ibidem Fonte Baptismali, respondisse, ut faceret quidquid ei ex iuris praescripto liceret.

70. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An erectio Fontis Baptismalis facta in Ecclesia parochiali S. Blasii substineatur? –, Sacra Congregatio die 21 iunii 1732 responsum tulit: – Ad primum, Negative –. Petentibus Monachis, haec decisio mox ad trutinam revocata est; reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 21 iunii proxime praeteriti in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 novembris 1732 respondit: – Ad primum, recedendum a decisis –. Qua de re Parochus Ecclesiae Cathedralis enixe institit priscae consuetudini regenerandi ibidem sacro Baptismate indiscriminatim Infantes alienis etiam Parochiis subiectos: sed Monachi contenderunt, in sua quemque Parochia et a proprio Parocho salutaribus aquis initiari consentaneum magis est sacris Ecclesiae legibus, innovatis a Tridentina Synodo cap. 13 sess. 14 de reformatione; in casu praesertim, ubi in Constitutionibus Synodalibus editis anno 1726 peculiariter cautum fuerat, Parvulos Baptismo inaugurandos deferri debere ad propriam Parochiam, ut a proprio baptizaretur Parocho. Reproposito igitur dubio sub formula: – I. An quoad primum dubium sit standum in primo, vel secundo loco decisis?–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, standum esse in secundo loco decisis; et amplius – *in Fabrianen. Fontis Baptismalis et Iuris baptizandi die 2 Maii 1733.*

71. Siquidem Synodus Tridentina memorato cap. 13 sess. 14 de reformatione haec statuit: – In iis quoque Civitatibus ac locis, ubi parochiales Ecclesiae certos non habent fines, nec eorum Rectores proprium Populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, mandat Sancta Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto Populo in certas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant – *in Fabrianen. Fontis Baptismalis et Iuris baptizandi die 2 Maii 1733* §. *Accedit.*

72. Hinc Parochus nequit baptizare Pueros, qui in aliena nascuntur Paraecia: explorata namque est regula, ut a proprio tantum Parocho, excepto necessitatis casu, Sacramentum Baptismi debeat cuique ministrari *in Fabrianen. Fontis Baptismalis et Iuris baptizandi die 24 Maii 1732* §. *Sed.*

Item *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Ergo.*

73. Nam nisi legitime inductam admitti posse consuetudinem, per quam alicui Ecclesiae quaesitum fuerit ius abluendi piaculari aqua Infantes etiam alteri parochiali Ecclesiae subiectos, docent Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 6 n. 52, aliique, quos citat Emus Petra in comment. ad Constit. 2 Gregorii XI n. 35 tom. 4 *in Fabrianen. Fontis Baptismalis et Iuris baptizandi die 24 Maii 1732* §. *Sed.*

Item *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Ergo.*

74. Idcirco ius baptizandi centenaria tantum ac diuturna observantia praescribitur, Barbosa de offic. et potest. Paroch. part. 2 cap. 8 n. 7 *in Marsorum Iurium die 30 Ianuarii 1830* §. *Ergo.*

Item *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Ergo.*

75. Qua de re Sacra Congregatio declaravit, si non est specialiter institutus Fons Baptismalis in Matrice, non esse de novo instituendum, sed quamlibet Parochiam posse et debere habere suum Fontem Baptismalem *in S. Agathae Gothorum ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

76. Unde quum in Oppido duae extarent Ecclesiae parochiales, sed in una dumtaxat adesset Fons Baptismalis, Sacra Congregatio resolvit quidem, erectionem Fontis Baptismalis in alia etiam Ecclesia factam non esse confirmandam, cumque vero inter Partes inita subinde fuerit concordia, qua potestas erigendi Fontem Baptismalem indulgebatur, Sacra Congregatio, licet Successor Parochi, qui dumtaxat iure habendi Fontem olim pollebat, contenderet, irritam declarari debere dictam concordiam et exequenda Decreta Sacrae Congregationis, mandavit, ut potius concordia observaretur *in Guardien. Erectionis Fontis Baptismalis et praeeminentiarum die 21 Maii 1735.*

77. Enimvero in Oppido Civitatis Campimarani, quod constabat septingentis supra mille Incolis, binae erant parochiales Ecclesiae, altera sub titulo S. Mariae Maioris, altera vero in honorem S. Georgii erectae: Parochus huius posterioris, praevia quidem licentia Episcopi in actu pastoralis visitationis, nullo tamen Archipresbiteri Sanctae Mariae Maioris praehabito consensu, in dicta sua Ecclesia Fontem Baptismalem anno 1653 constituit. At reclamante ad Sacram Congregationem memorato Archipresbitero, in cuius Ecclesia Baptismi Fons iampridem reperiebatur, die 8 augusti 1654 rescriptum fuit: – Erectionem Fontis Baptismalis in Ecclesia S. Georgii ab Episcopo novissime factam non esse confirmandam –, ut in lib. 19 Decretorum pag. 160; subindeque ad eiusdem Archipresbiteri petitionem non semel iniunctum fuit Episcopo, ut enunciatum Sacrae Congregationis Rescriptum executioni demandaret. Verumtamen praefato Decreto nondum executo, sub annum 1666 inita fuit inter Partes concordia, qua cautum fuit, ut Archipresbiter S. Georgii libere in sua Ecclesia parochiali facere posset benedictionem Fontis (1), eamque Episcopus Sedis Apostolicae Delegatus hisce verbis approbavit: – Inhaerendo dispositioni Sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 13 de reformatione, omnia praenarrata concordata approbamus, mandantes, quod praedicti Archipresbiteri se subscribant ac iurent in forma. Anno autem 1698 Franciscus Antonius Violi tunc temporis Archipresbiter memoratae Ecclesiae Sanctae Mariae Maioris dictam concordiam impugnare cepit coram A. C.; eamque subinde ab Sacra Congregatione irritam declarari postulavit Nicolaus Piccarini modernus eiusdem Ecclesiae Archipresbiter, dum contendit, executioni demandandum esse praefatum Decretum anni 1654.

78. His mature perpensis, proposito dubio: – I. An concordia anni 1666 sit observanda, vel potius sint exequenda Decreta huius Sacrae Congregationis emanata sub die 8 augusti 1654? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Guardien. Erectionis Fontis Baptismalis et praeeminentiarum die 21 Maii 1735.*

79. Itaque sustinetur erectio Fontis Baptismalis in Ecclesia parochiali, cum sit omnino independens, relicta tamen Parochianis libertate deferendi iuxta solitum Filios baptizandos ad alias Parochias *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 22 Iunii 1720.*

80. Siquidem Episcopus Fulginatensis anno 1718 in sacra visitatione Decretum edidit, quod scilicet in parochiali Ecclesia S. Mariae Novae Castri Seronis Fons Baptismalis erigeretur, facta tamen per Parochianos, qui pro erectione Fontis supplicaverant, obligatione subministrandi omnes expensas necessarias pro constructione et Fontis manutentione. Episcopus autem annuit supplicationibus Parochianorum praedictae parochialis Ecclesiae, licet praecedenter in ea Fons Baptismalis non adesset, tum quia putavit id conducere ad maiorem Dei gloriam et ad animarum salutem, tum quia iuxta resolutiones Sacrae Congregationis in omnibus Ecclesiis parochialibus debent esse Fontes Baptismales, nisi Fontes Baptismales extent in aliquibus Ecclesiis, quae Matrices vel Baptismales vocantur, ut ponderat Fagnanus in Cap. *Cum contingat* n. 59 de decimis. Absque eo quod huic erectioni Fontis in Ecclesia parochiali S. Mariae Novae obstare potuerit praetensio Parochi Ecclesiae S. Ansovini Collis Casulis, in cuius Ecclesia, ante novi Fontis erectionem, baptizabantur Pueri, qui nascebantur in Parochia S. Mariae Novae; primo, quia Parochiani Castri Seronis ante novi Fontis erectionem non solum deferebant suos Infantes ad Ecclesiam S. Ansovini, sed etiam ad alias finitimas Parochiales, ut in illis Baptismum reciperent; secundo quia Ecclesia S. Mariae Novae Castri Seronis erat totaliter independens ab Ecclesia S. Ansovini, immo maioritatem obtinebat super ipsa, cum in Parochiali Seronis fieret processio Euchari-

(1) En verba praedictae concordiae; scilicet – Che l' Arciprete di S. Giorgio possa fare liberamente la benedizione del Fonte nella sua Parochiale, con questa condizione, che la funzione del Sabbato per sempre si abbia da fare prima dall' Arciprete di Santa Maria Maggiore col suo Clero in quella Chiesa, e sonare prima le campane al Gloria in memoria dell'antica osservanza –.

stiae in solemnitate Corporis Christi, quando eadem processio fiebat in parochiali S. Ansovini Dominica infra octavam; et tertio tandem, quia via ducens a Parochiali Seronis ad Parochialem S. Ansovini aliquando propter nives remanebat invia, ita ut necessarium omnino fuerit Fontem erigere, de quo agebatur.

81. His stantibus, proposito dubio: – An sustineatur erectio Fontis Baptismalis in Ecclesia parochiali S. Mariae Novae Castri Seronis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, relicta libertate Parochianis S. Mariae Castri Seronis deferendi iuxta solitum filios batizandos etiam ad alias Parochias; et amplius – *in Fulginaten. die 22 Iunii 1720.*

82. Nullum namque est Fontis privativum ius, ubi liberum cuique est ad quascumque Ecclesias baptizatum accedere *in Fulginaten. die 22 Iulii 1826* §. *At.*

83. Unde in Ecclesia olim filiali, subinde ex translatione in aliam Diaecesim ab huiusmodi subiectione soluta, dubio procul Fons Baptismalis erigendus est, quum per tres et forsan quatuor milliaria ab altera distet Ecclesia, nec non iter longum sit ac difficile praesertim tempore hyemali, ita ut nives et venti frigidiores viarum incommoditatem exasperent *in Caesenaten. Fontis Baptismalis die 19 Februarii 1780.*

84. Iamvero plebana Ecclesia S. Luciae Terrae Sabiniani Diaecesis Ariminensis Matrix olim erat plurium parochialium Ecclesiarum, quas inter connumerabatur tum Ecclesia parochialis S. Laurentii Terrae Gattei, tum altera S. Angeli in Salute intra fines territorii Gattei sita. Has parochiales Ecclesias una cum aliis Summus Pontifex subinde seiunctas a Diaecesi Ariminensi transtulit in Diaecesim Caesenatensem, ita ut per hanc translationem utraque parochialis Ecclesia soluta fuerit a filiali subiectione erga plebanam Ecclesiam S. Luciae Oppidi Sabiniani, quae permanebat in Diaecesi Ariminensi. Verum cum ruralis et parochialis Ecclesia S. Angeli Fonte Baptismali careret, hinc illius Parochiani ultra mille et centum, qui pro regenerandis lustralibus aquis eorum neonatis Infantibus cogebantur modo ad unam, modo ad alteram per longum et impervium iter convolare cum Infantium vitae periculo, instantiam promoverunt in praesens ad ipsorum Ordinarium Caesenatensem, ut Fons Baptismalis erigeretur in dicta parochiali Ecclesia S. Angeli. Eorum petitioni contradictorem se praebuit Archipresbiter parochialis Ecclesiae Terrae Gattei contendens, Infantes parochialis Ecclesiae S. Angeli Baptismum, ut eo usque gestum fuit, in eius parochiali Ecclesia, ubi Fons aderat, suscipere debere. Haec contradictio in causa fuit, ut Parochiani S. Angeli in salute preces porrexissent Sacrae Congregationi, pro obtinenda in eorum parochiali Ecclesia Fontis Baptismalis erectione. Contenderunt enim, Ecclesiam S. Angeli, utpote congrue dotatam cum certa Populi separati ac distincti propriorumque finium assignatione, veram esse parochialem; ideoque quum desierit esse subiecta plebanae Ecclesiae S. Luciae, Baptismalem Fontem habere debere firmavit Fagnanus in lib. 3 Decret. de decim. Cap. *Cum contingat* n. 59. Ipsa quippe cum non amplius esset filialis dictae Ecclesiae S. Luciae Terrae Sabiniani, nec unquam fuerit ac esset filialis parochialis Ecclesiae S. Laurentii Oppidi Gattei, Parochiani eorum Infantes pro Baptismi receptione nedum ad Ecclesiam S. Laurentii, sed etiam ad alias finitimas Parochiales maximo cum incommodo deferebant. Quin imo probarunt, Plebanum tunc Matricis Ecclesiae S. Luciae pluries hortatum fuisse Parochum S. Angeli, ut Fontem Baptismalem extrueret; Ecclesiam vero S. Laurentii Terrae Gattei per tres et forsan quatuor milliaria distare a rurali Ecclesia S. Angeli, iter longum esse ac difficile praesertim hyemali tempore, quo Infantes ad Ecclesiam S. Laurentii Gattei transferri non poterant absque eorum vitae discrimine. Episcopus pro suo voto requisitus censuit, locum esse gratiae, – et id utilius fore sollicito Infantium remedio, praecipue cum nives et venti frigidiores viarum incommoditatem exasperant, ut quum ea, quae pro parte opposita adducere possent, ad me referre detrectaverit –.

85. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit locus erectioni Fontis Baptismalis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Caesenaten. Fontis Baptismalis die 19 Februarii 1780.*

86. Quando enim Ecclesia distet ab altera, ubi adest Fons Baptismalis, tres vel quatuor milliaria, iter longum sit ac difficile praesertim hyemali tempore, etiamsi Ecclesia haec sit Matrix, ab ea tamen erectio Fontis Baptismalis in illa vetari non potest, ne contingat, Pueros recens natos mori sine Baptismate, ut ex doctrina Innocentii in Cap. *Dilectus* n. 4 de Capell. monach. in 6 defendit Fagnanus in Cap. *Cum contingat* de decim. n. 59, Barbosa ad Conc. Trid. sess. 21 cap. 4 de reform. n. 11, et Rota coram Molin. decis. 706 n. 9 *in Caesenaten. Fontis Baptismalis die 15 Ianuarii 1780* §. *Addunt.*

87. Hinc, ob magnum Populi commodum atque difficilem ad Ecclesiam Baptisterio praeditam accessum, legitima censetur causa erigendi Fontem Baptismalem, etsi adsit Ecclesia Matrix privativo baptizandi iure praedita *in Guardien. Fontis Baptismalis et praeeminentiarum die 23 Aprilis 1735* §. *In.*

Item *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Etenim.*

88. Quum igitur Capitulum Cathedralis Ecclesiae contenderet, Fontem Baptismalem haud erigi posse in parochiali Ecclesia Sancti Nicolai ultra Mossam, sed omnes Infantes in ea natos salutaribus aquis regenerandos esse a Parocho Ecclesiae Matricis nuncupatae Beatae Virginis ad Fontes eidem Capitulo unitae, Parochus dictae Ecclesiae S. Nicolai exponens, eius Paraeciam sub se habere octo mille Incolas, distare ab Ecclesia Matrice unum circiter lapidem, Fortalitium tunc recens constructum ita impedimento esse, ut cum spirituali Puerorum periculo facilis habere non posset aditus ad eamdem Ecclesiam Beatae Virginis ad Fontes, obtinuit disputari dubium: – An sit locus erectioni Fontis Baptismalis in Ecclesia Sancti Nicolai ultra Mossam? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Leodien. Erectionis Fontis Baptismalis die 7 Iunii 1692 lib. 42 Decretorum pag. 327.*

89. Quin imo ob viarum asperitatem nimiamque distantiam et auctum Populi numerum, nedum locus est dismembrationi et erectioni novae Paraeciae, sed etiam erectioni Fontis Baptismalis, etiamsi ad occurrendum spiritualibus necessitatibus Incolarum loci iam constitutus fuerit Capellanus Curatus; his enim in terminis proposito dubio: – I. An et quomodo sit locus dismembrationi et erectioni novae Paraeciae, ita ut congruum etiam evadat Parochi stipendium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi, erecto Fonte Baptismali – *in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 4 Iunii 1836* (1).

90. Iustis hinc de causis ac accedente praesertim consensu Episcopi et aliorum, quorum interest, indulgetur facultas erigendi Fontem Baptismalem; quandoquidem – Sacra Congregatio censuit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, gratiam petitam erectionis Fontis Baptismalis concedi posse, de consensu tamen Ordinarii et interesse habentium – *in Massilien. Ecclesiae S. Stephani die 7 Ianuarii 1640 lib. 16 Decretorum pag. 313.*

91. Quum itaque Episcopus in visitatione anno 1691 peracta ad instantiam Populi Planellarum parochialem Ecclesiam eiusdem loci exemisset ab omnimoda subiectione erga Plebanam Ecclesiam loci Trivotii, eamque in Archipresbiteratum, non tamen insignem, erexisset, tributa facultate illius Archipresbitero benedicendi Fontem Baptismalem die Sabbati Sancti, sed huiusmodi Decretum subinde impugnaverit Plebanus loci Trivotii, proposito dubio: – An Decretum Episcopi sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Placentina Plebanatus die 22 Aprilis 1698 lib. 48 Decretorum pag. 184.*

92. Locus propterea est erectioni Fontis Baptismalis, dum in Oppido tres sunt Ecclesiae parochiales, et in una earum dumtaxat extat Fons Baptismalis, unde id sit grave nimis et incommodumPopulo aeque ac Parochis aliarum Ecclesiarum, qui Ecclesiam illam in angulo praefati Oppidi positam adire tenentur *in Verulana Fontis Baptismalis die 24 Martii 1736.*

93. Siquidem quum in Oppido Castri, quod tribus parochialibus Ecclesiis constabat, unus dumtaxat reperiretur Fons Baptismalis in Archipresbiterali Ecclesia S. Olivae pridem

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Ecclesia parochialis*, §. IV, n. 254, Tom. VIII.

erectus, Episcopus Verulanus agnoscens, plura inde oriri mala, quippe quia grave nimis et incommodum esset Populo aeque ac Parochis aliarum Ecclesiarum, quia pluribus annis Infantes suorum Parochianorum ibi baptizare consueverunt, eamdem Ecclesiam in angulo Oppidi positam adire, mandavit, ut novus Fons in Ecclesia S. Mariae altera ex dictis Parochiis erigeretur. Mandatis Episcopi obsequens Hiacynthus Bernola Rector eiusdem Ecclesiae Sanctae Mariae novum Fontem construxit: at huic erectioni sese opposuit Paulus Nucci modernus Archipresbiter praefatae Ecclesiae S. Olivae, ex eo quod Ecclesia sua aliarum Parochiarum esset Matrix, ac proinde Infantes tam sub ea, quam sub dictis aliis Parochiis nati, vel ab ipso Archipresbitero, vel si a proprio eorum Parocho, praevia tamen Archipresbiteri licentia, baptizari consueverint. E converso autem eamdem erectionem tamquam iustam et validam defendit praefatus Hiacynthus, qui assertam Matricitatem Ecclesiae S. Olivae pluribus argumentis impugnavit. Proposito hinc dubio: – An sit locus erectioni Fontis Baptismalis in Ecclesia parochiali S. Mariae Terrae Castri in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Verulana Fontis Baptismalis die 24 Martii 1736.*

94. Qua de re quum ab immemorabili tempore Ecclesia tantum Cathedralis, quae Matricis praerogativa pollebat, nec non Collegiata Ecclesia extra Civitatis moenia, quae olim propria fruebatur Cathedra, Fontem Baptismalem haberent, in quibus omnes aliarum Paraeciarum Infantes salutaribus abluebantur aquis, sed in una subinde ex huiusmodi Paraeciis Fonte carentibus hunc Patres Oratorii S. Philippi Nerii Rectores extruxerint, ac trium annorum spatio Infantes etiam aliarum Parochialium baptizaverint asserentes, se oretenus a Summo Pontifice facultatem habuisse, atque Ordinarius testaretur, mentem laudati Pontificis fuisse, ut in omnibus Paraeciis Fons Baptismalis erigeretur, Sacra Congregatio resolvit, probandam esse Fontis huius erectionem iuxta votum praefati Ordinarii pro Infantibus dictae Paraeciae tantum, firma facultate Parochianis eiusdem Ecclesiae libere deferendi Infantes baptizandos ad dictam Ecclesiam Cathedralem et Collegiatam, oblato quotannis Metropolitanae Ecclesiae canone unius librae cerae *in Spoletana Fontis, Baptismalis die 18 Februarii 1832.*

95. Enimvero ex omnibus Paraeciis, quae in Civitate Spoleti et Villis suburbanis proximioribus existebant, Fontem Baptismalem ab omni antiquitate binae tantummodo Ecclesiae habuerunt; Ecclesia nimirum Cathedralis, quae Matricis praerogativa pollebat, et Collegiata Ecclesia S. Petri Apostolorum Principis, quae ad milliarii quadrantem extra Civitatis moenia distabat, quaeque olim propria fruebatur Cathedra, antequam seculo octavo modernum Cathedrale Templum extrueretur. Anno 1825, quum s. m. Leo XII sedulam operam ordinandis Spoleti Paraeciis dedisset, novam ipse Paraeciam erexit in Ecclesia Deo in honorem S. Philippi Nerii dicata, quam Patres Congregationis Oratorii regebant et administrabant. In huiusmodi novo autem Paraeciarum ordine Apostolicis in formam Brevis Literis praelaudati Pontificis constituto nil quidquam constabat fuisse sancitum, ad augendum Fontium Baptismalium numerum, adeo ut duobus postea labentibus annis nec alii Parochi in veteribus Ecclesiis parochialibus, nec Patres Congregationis Oratorii in nova Paraecia Baptismalem Fontem susceperint erigendum, atque omnes proinde Infantes in Ecclesiis aut Cathedrali aut Collegiata de more regenerari perrexerint. Sed anno 1827 die 14 iunii factum est, ut a Patribus Oratorii in nova parochiali Ecclesia S. Philippi Nerii Fons Baptismalis, praeter omnium expectationem, excitatus fuerit. Quoniam vero iidem Patres Baptismatis Sacramentum illico administrare ceperant, eaque de re interrogati supremam memorati Pontificis auctoritatem ad id verbis allegabant, hinc Adrianus Luparini Prior et prima Dignitas Cathedralis Ecclesiae Spoletanae supplicem statim libellum eidem Pontifici porrexit, rogans obsecransque, ut suam ipse voluntatem Oratori patefacere ac declarare dignaretur. Modernus Archiepiscopus, qui eo tempore ad Spoletanam Sedem evectus, adhuc tamen Romae degebat, ex audientia Sanctissimi diei 20 eiusdem iunii ita respondit: – Il S. Padre significò all' infrascritto essere

sua volontà, che ogni Parocchia abbia il suo fonte –. Haec quum ita se haberent, Patres Congregationis Oratorii Infantibus non modo Paraeciae suae, sed aliarum etiam Paraeciarum Sacramentum Baptismatis aggressi sunt administrare. Igitur mense aprilis 1830, reclamante Ecclesiae Cathedralis Parocho, Praepositum Congregationis S. Philippi ad se accersivit Archiepiscopus, qui eum ex Theologorum doctrina serio monuit de illicita Baptismatis administratione erga alienos subditos gesta, dimisitque praecipiens, ne quid in posterum simile a Patribus Oratorii perpetraretur. Id tamen minime arrisit Patribus, adeoque s. m. Pium VIII humillime efflagitarunt, ut sibi Baptismalis Fontis confirmaretur erectio, et potestas baptizandi quoslibet aliarum etiam Parochiarum sive urbanarum sive ruralium Infantes ex peculiaribus rationum momentis decerneretur. Etenim Patres adfirmabant, se, posteaquam Ecclesia S. Philippi a s. m. Leo XII in Paraeciam erecta fuerat, complurium Familiarum precibus fuisse adauctos, ut a Summo Pontifice veniam sibi impetrarent extruendi in Ecclesia sua Fontem Baptismalem, ut indistincte omnes baptizare possent, quemadmodum eousque factum erat in Ecclesia Cathedrali et Collegiata, quae tantum sacrum Fontem habebant. Hanc veniam ab eo Pontifice fuisse oretenus concessam profitebatur P. Philippus Maria Rocchi, qui per id temporis Congregationi praeerat, quique simul adiiciebat, eum ipsum Pontificem novae Baptisterii erectioni annuisse, – ripetendo sempre la bellezza della nostra chiesa, e la sua commoda situazione per tutta la Città –, quae quippe commoditas tum Cathedrali, tum Collegiatae Ecclesiae deficiebat. Quare praedicti Patres pro certo habebant, s. m. Leonem XII ad id concedendum fuisse plane commotum, tum magno Populi commodo, tum difficili ad binas veteres Ecclesias Baptisterio praeditas accessu. Nec quidquam sibi obesse putabant Patres, quod ipsi a s. m. Leone XII nullum de concessa venia erigendi Baptisterii haberent exaratum Rescriptum. Non enim ambigendum inculcabant, gratiam Pontificis solo eiusdem verbo perfici, quin ulla opus sit scriptura ad rei substantiam, sed ad faciliorem tantummodo concessionis probationem. At in themate gratiam concessionis s. m. Leo XII confirmaverat Moderno Archiepiscopo, qui eius voluntatem Adriano Luparini Priori et primae Dignitati Cathedralis Ecclesiae testari ac declarari debuit. Quum insuper exercitium baptizandi promiscue omnes Infantes cuiuslibet Paraeciae per tres annos actum esset cum scientia laudati Pontificis, ex eo quod eum nil gravis momenti in eiusdem patria contingens latebat, praesumpta scatebat concessio, quae expressae, iam Patribus concessae, aequiparabatur.

96. Supplex huiusmodi libellus a s. m. Pio VIII ad Sacram Congregationem ablegatus est. Capitulum Cathedralis itaque contendit, improbandam esse in Ecclesia Patrum Congregationis Oratorii erectionem Fontis Baptismalis, quum a remotissimis usque temporibus ad ipsam Cathedralem Ecclesiam privativum et exclusivum ius baptizandi tamquam etiam Matricem spectaret; adeoque erectionem novi Baptisterii Patribus praedictis licere nunquam potuisse, nisi Apostolica niterentur concessione legitimis modis obtenta. At inauditis, quorum intererat, Ecclesia Cathedrali et Collegiata, nulloque innotescente Archiepiscopo assensu, memorati Patres Baptismalem Fontem extruxerunt, una freti s. m. Leonis XII, ut aiebant, venia oretenus impertita, quae, utpote scripto non consignata, ut plurimum haud sufficiens censeri solet ad ius certum inferendum, ad tradita per Regulam Cancellariae 27, Rigant. ad Reg. Cancell. tom. 1 pag. 34 n. 13, Piton. discept. eccles. 143 n. 8, Rot. in Nuperr. tom. 5 decis. 318 n. 11. Neque putarunt Capitulares prodesse ad rem posse aut sufficere gravissimum licet Archiepiscopi testimonium de illiusmodi concessione Patribus Oratorii facta, quum ad tradita per Paris. de resignat. lib. 8 pag. 2 n. 2, et Piton. discept. eccles. 141 n. 3 – gratia non possit per Testes probari de stylo Curiae –. Quin imo etsi aliquid reapse Rescriptum idonea ratione ac formà impetratum penes Patres existeret, illud quidem sustinuerunt Capitulares omnino in lucem proferri apud Archiepiscopalem Curiam debuisse, ut inde perpendi posset, utrum obreptionis aut subreptionis vitio laboraret, cum Pontifex rem in themate concessisset, iuri alterius quaesito noxiam, et ecclesiasticis legibus mi-

nus consonam, adeoque revocandam. Quod si Fontis Baptismalis erectio ex legitima quavis concessione profluere diceretur, non ideo defenderunt Capitulares posse ab iisdem Patribus baptizari Pueros, qui in aliena etiam nascebantur Paraecia, cum Infantes a proprio deberent Parocho baptizari. Ius enim baptizandi alienos Pueros non trium annorum exercitio, sed centenaria tantum ac diuturna observantia praescribitur, quam quippe consuetudinem favore Cathedralis Ecclesiae praescriptam esse vindicarunt, quum ab immemorabili tempore illud ipsa exercuerit. Archiepiscopus vero haec retulit: – Inepte autem prorsus in sui favorem Patres Oratorii clamant, quod pro adeunda Cathedrali Spoletana incommodum grave et periculum vitae Infantium immineat, cum e contra ad eorum Ecclesiam brevior sit via facilior aditus et longe absit periculum. Ineptum ac falsum hoc vindicant aspectus et viae Civitatis. Sola viarum asperitas in Civitate Spoleti a portis Civitatis incipit, et usque ad segmentum, ubi domus et Ecclesia S. Philippi sita est, ostenditur. Semper in altum extenditur Civitas tota, donec platea, quae est ante fores dictae Ecclesiae, fuerit ascensa. Ibi incipit via, quae ducit ad Cathedralem. Haec in perfecto plano est; tota melioribus aedibus circumscripta et paucissimis passibus longa, ita ut post asperas totius Civitatis vias idem sit Ecclesiam S. Philippi ac Ecclesiam Cathedralem attingere. Nulla ergo longitudo maior, nulla asperior via, nullum periculum pro Infantibus occurrit, pro adeunda Ecclesia Cathedrali... Igitur quae mea opio sit in controversia et quid sentiam, breviter dicam. Quidquid sit de Fontis Baptismalis etiam arbitraria erectione a mense iunii anni 1827, in Ecclesia S. Philippi peracta, iam quatuor elapsi sunt anni, ex quo Fons iste existit, et Baptismus in eo ratione et titulo Parochiae confertur. Rumor et clamor Populi, maxime Parochianorum, esset inevitabilis, si alia induceretur novitas. Tolerandum proinde videretur, ratione etiam voluntatis mihi oretenus expresse a s. m. Leone XII, et Priori Cathedralis per me communicatae, quidquid est factum; imo legitime sananda erectio Fontis Baptismalis in Ecclesia S. Philippi Spoleti in Paraeciam noviter erecta. Hac tamen lege huiusmodi sanatio mihi facienda videretur, ut firma remaneat et dignoscatur superioritatis et matricitatis praerogativa favore Ecclesiae Cathedralis; in cuius signum certus et determinatus canon quotannis eidem ab Ecclesia Patrum S. Philippi in festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis perpetuo persolvatur; et interdicta per modum regulae semper intelligatur quaelibet administratio Sacramenti Baptismalis Infantibus aliarum quarumcumque Paraeciarum tam Civitatis, quam locorum campestrium. Haec temperatio, quantum intelligere potui, non aliena etiam a Partium consensu esset –.

97. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo probanda sit Fontis Baptismalis erectio in Ecclesia parochiali S. Philippi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus iuxta votum Archiepiscopi pro Infantibus Paraeciae S. Philippi tantum, firma facultate Parochianis eiusdem Ecclesiae libere deferendi Infantes Baptizandos ad Ecclesiam Cathedralem et Collegiatam S. Petri, oblato quotannis Metropolitanae Ecclesiae canone unius librae cerae – *in Spoletana Fontis Baptismalis die 18 Februarii 1832.*

98. Hinc et Sacra Rota in Romana Iuris baptizandi 12 ianuarii 1733 coram Samminiate adversus Capitulum Ecclesiae S. Laurentii in Damaso confirmavit Baptismalis novi Fontis erectionem in parochiali Ecclesia S. Mariae in Monticelli, quae nonnisi facultatem vivae vocis oraculo a s. m. Benedicto XIII factam praeseferebat *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Nec.*

99. Gratia enim Pontificis solo eiusdem verbo perficitur, quin ulla opus sit scriptura ad rei substantiam, sed ad faciliorem tantummodo concessionis probationem, Card. De Luca de pension. disc. 1 n. 3, Rota in Recent. part. 7 decis. 21 n. 7 *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Nec.*

1. Beneficiatus seu Capellanus aequiparatur Usufructuario, Cap. *Praesenti* 9 de offic. Ordinan. in 6, Cap. *Requisisti* 15 de testamentis, Cap. *Si quis* 6 de peculio Clerici *in Nullius S. Aedisti Capellaniae die 30 Maii 1772* §. *Altera.*

Item *in Alexandrina die 28 Iulii 1787* §. *Petitae; in Praenestina die 8 Augusti 1800* §. *Neque; in Fabrianen. Canonicatus die 19 Decembris 1801* §. *Haec sunt; in Signina Constitutionum capitularium die 24 Ianuarii 1829* §. *Rem.*

2. Quin imo Beneficiatus reliquis antecellit Usufructuariis ac potiora habet iura, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 3 a n. 13 *in Aprutina die 28 Iulii 1787* §. *Perpetua.*

3. Unde Beneficiatus tenetur ad conservationem bonorum, Leg. *Usufructu legato* 7 §. 2 ff. de usufructu, Leg. *Eum ad quem* 7 Cod. eod. tit., et manutentionem Altaris, Cap. *Si Monachus* 22 Caus. 16 quaest. 1, Cap. *Quaecumque* 1, et Cap. *De his* 3 de eccles. aedif., Concil. Trid. sess. 11 Cap. 7 de reformatione, Pignatell. Consult. 15 n. 5 tom. 6, Sperell. decis. 68 n. 11 *in Nullius S. Aedisti Capellaniae die 30 Maii 1772* §. *Altera.*

4. Administrare igitur Beneficiatus Usufructuarii instar tenetur bona Beneficii absque mercede, Lotter. de Benef. lib. 1 quaestio 3 n. 12 *in Alexandrina die 28 Iulii 1787* §. *Petitae.*

5. Nam ex ipsa Beneficii possessione congruam habet compensationem, nec aliam pro oneribus Beneficio inhaerentibus consequi debet mercedem, Rot. post Zacch. de salar. decis. 1 a n. 16 *in Alexandrina die 28 Iulii 1787* §. *Neque.*

6. Unde Doctores docent, quod – dominium rerum Ecclesiae est penes ipsam Ecclesiam, administratio autem penes Praelatum seu Beneficiatum, qui statim ac nanciscitur possessionem Beneficii censetur acquisivisse possessionem omnium illorum bonorum –, Corrad. prax. Benef. lib. 4 cap. 8 n. 40 *in Callien. Administrationis Bonorum die 19 Maii 1821* §. *Atque.*

7. Rectores enim Beneficiorum non sunt illorum domini, sed administratores tantummodo, cum facultate percipiendi fructus eosque in proprios usus convertendi, uti monuit Rota in Asculana Beneficiorum 26 iunii 1820 §. 6 et 7 coram Gamberini *in Sutrina Emphyteusis die 29 Maii 1822* §. *Nihil.*

Item *in Anconitana Emphyteusis die 14 Augusti 1824* §. *Arduum.*

8. Haec tamen generalis regula limitari quandoque contingit ex iis conditionibus, quas piis Fundatoribus adiicere placuit, et quibus vetitum minime est generalem iuris communis dispositionem moderari, ut tradunt Card. De Luca de Benef. disc. 95 n. 10, Fagnanus in Cap. *Cum in cunctis* n. 72 et 73 de electione, Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 4 de praeb. et dignit. §. 5 de erect. Benef. n. 110, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 12 cap. 1 *in Callien. Administrationis bonorum die 19 Maii 1821* §. *Quare.*

9. Qua de re Beneficiati Vicarii nuncupati Collegiatae Ecclesiae Tungrensis potiri non debent distributionibus quotidianis ex massa Canonicorum provenientibus, iis tamen potiri debent, quae ex Anniversariis, in quibus non obstat lex fundationum, proveniunt; quandoquidem quum praedicti Vicarii propugnarent, distributiones fuisse institutas ad Ecclesiae servitium augendum et pro modo interessentiae inter praesentes omnes esse dividendas, iisdem ideo continuo interessentibus eas non esse denegandas, emolumenta quoque Anniversariorum in utilitatem praesentium cedere debere, nisi aliter a Fundatoribus cautum fuerit, et contra Capitulum negaret, Vicarios participes fieri posse distributionum quotidianarum, quae privative spectabant ad massam Canonicorum, ex eo quod Vicarii contenti esse deberent fructibus suarum Vicariarum, non vero appetere privativas Canonicorum distributiones, quin tamen impugnaret participationem Anniversariorum ad formam consuetudinis Ecclesiae, exlusis nempe iis tantum Anniversariis, quae privative spectabant ad Massam Canonicorum, et de quibus eousque Vicarii nunquam participes fuerant, proposito dubio: – VI. An iidem distributionibus quotidianis potiri debeant et de ac quibus Anniversariis participare in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12

maii 1770 responsum tulit: - Ad sextum, dilata; et scribatur iuxta instructionem (1) –. Reproposito dein dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Ad tertium, Vicarios potiri non debere distributionibus quotidianis ex massa Canonicorum provenientibus; in reliquis, Affirmative pro iis Anniversariis, in quibus non obstat lex fundationum, et amplius – *in Leodien. die 30 Augusti 1777.*

10. Quum igitur Rector et Deputati Ecclesiae ab heredibus pii Testatoris congruam recepissent dotem ad effectum erigendi praedictam Ecclesiam in Collegiatam cum una Dignitate ac pluribus Canonicatibus, sed illa iam erecta in Collegiatam postmodum iidem Rector ac Deputati institerint pro reductione fructuum Dignitati et Canonicis ad formam fundationis solvendorum, ex eo quod dicti fructus diminutos esse asserebant, vel pro restitutione praedictae dotis Dignitati et Canonicis, Sacra Congregatio declaravit, non esse locum nec reductioni fructuum nec restitutioni dotis, atque mandavit, ut firmaretur status bonorum Ecclesiae *in Senen. Reductionis Fructuum Canonicatuum die 3 Octobris 1711 et die 20 Februarii 1712 lib. 61 et 62 Decretorum*

11. Siquidem – Laelius Taia patricius Senensis de anno 1631, condito suo ultimo testamento, reliquit Ecclesiae SS. Virginis de Provenzano illius Civitatis ducatos sex mille consistentes in diversis partitis censuum in eodem testamento specificatis, iniuncto onere Deputatis eiusdem Ecclesiae procurandi erectionem dictae Ecclesiae in Collegiatam cum uno Praeposito dignitate principali, cui deberent assignari ex fructibus dictorum censuum annu ducati centum, et cum quatuor Canonicis, i quibus singulis ex eisdem fructibus assignandi essent annui ducati quinquaginta. Expensas vero occurrentes pro dicta erectione voluit Testator esse prius deducendos ex eisdem fructibus, interim suspensis oneribus iniunctis Praeposito et Canonicis ad Praeposituram et Canonicatus delectis. Eorum autem iuspatronatus activum et praesentandi certas Personas qualificatas suis heredibus addixit. Praeposito quippe triginta Missas, Canonicis vero singulis quindecim in quemlibet mensem celebrandi munus adiunxit. Heredes porro universales instituit Fulvium suum germanum fratrem ac Iulium et Flaminium item suos ex alio fratre nepotes de Taia eorumque respective filios masculos in infinitum; quibus sane deficientibus, substituit primodictam Ecclesiam Beatae Virginis de Provenzano ad effectum, ut iuxta quantitatem redituum hereditariorum augeatur numerus supradictorum Canonicatuum cum assignatione quinquaginta scutorum pro quolibet Canonico et centum pro Dignitatibus. Subiecit tandem bona sua Testator arctae prohibitioni alienationis statuens, ut si quando contingat necessitas eorum aliquam partem alienandi pro constituendis vel restituendis dotibus, tunc eiusmodi necessitatis declaratio pertineat ad Rectorem et sapientes saepedictae Ecclesiae cum interventu Archiepiscopi Senarum pro tempore et cum consilio Theologorum, prout fusius ex exemplari testamenti in summario exhibendo. De anno 1634 Rector et Deputati Ecclesiae praedictae obtinuerunt a Sede Apostolica illius erectionem in Collegiatam nedum cum dicto Praeposito et quatuor Canonicis de Taia, verum etiam cum aliis quatuor Canonicis ex fructibus eiusdem Ecclesiae sustendandis, iuxta seriem facti recensitam in folio similis Senen. Suppressionis Canonicatuum sub

(1) Scilicet Episcopus, Partibus auditis, curet quoad Vicarios referre, an praeter Praebendas peculiaribus potiantur distributionibus, et qui sint praecipue eorum reditus, et ad quam summam ascendant, et an inspecta istius regionis consuetudine tenues, seu potius congrui censeri valeant. Quo vero ad Capitulum enucleatius explicare qualitatem massae distributionum eiusdem; an hae a Capitularibus percipiantur dumtaxat, seu potius omnibus choro inservientibus debeantur. Recensendo insuper ea Anniversaria, quae seclusa peculiari disponentium voluntate Capitulum ad eius massam privative spectare; et de quibus ad formam consuetudinis Ecclesiae Vicarios nunquam participasse supponit. Praeter haec de modo et qualitate servitii, quod a Capitularibus Ecclesiae praestatur, de numero chori inservientium, an peculiari aliquo in munere etiam inserviant Vicarii, an Ecclesiae servitium omnium interventum requirat; et qua tandem ratione in concedendis eisdem Vicariis vacationibus Capitulum hactenus se gesserit, distincte referat. Super his et aliis, quae ad rem conferre putaverit, documenta necessaria transmittat, sententiam suam significet, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 33 die 12 Maii 1770.*

die 8 augusti proxime defluxi (1), quantum ad praesentem inspectionem attinet, benigniter reassumendo.

12. Recepta itaque summa dictorum scutorum 6000 per Ecclesiam ab heredibus dicti Laelii, continuavit illa annuam solutionem scutorum 100 Praeposito et 50 cuilibet ex dictis Canonicis; sed de anno 1709 eiusdem Ecclesiae Deputati recursum habuerunt ad SS. D. N., precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, et sub praetenso motivo, quod summa scutorum 6000 non fuerit soluta Ecclesiae ab heredibus de Taia ad formam testamenti, eiusque fructus reperirentur diminuti, rogarunt vel pro reductione dictae annuae summae scutorum centum pro Praeposito et 50 pro quolibet Canonico, vel pro facultate restituendi sive Praeposito et Canonicis, sive Patrono supradicta capitalia recepta per Ecclesiam ad effectum, ut haec imposterum eximatur a solutione fructuum eorumdem. Unde citatis dictis Canonicis et Patrono, demandata fuit Episcopo constructio formalis processus, servatis servandis, conficiendi; eoque iam constructo et transmisso, concordata fuere infrascripta dubia, quae Partibus hinc inde monitis, proponuntur modo, ut ex utrinque deducendis libeat EE. VV. sapienter definire: - I. An summa annuorum scutorum centum pro Praeposito et scutorum quinquaginta pro quolibet Canonico ex iis, de quibus agitur, quae solvitur ab Ecclesia S. Mariae de Provenzano, sit reducenda et ad quam summam, vel potius capitalia recepta per Ecclesiam a dominis de Taia sint restituenda Praeposito et Canonicis vel Patronis, remanente Ecclesia exempta a praedicta solutione in casu etc. *Et quatenus negative ad utramque partem.* II. An debeat dicta Ecclesia continuare solutionem praedictarum summarum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 octobris 1711 respondit: – Ad primum, ex hactenus deductis Negative quoad utramque partem; et firmetur status bonorum Ecclesiae. Ad secundum, provisum in primo –. Repropositis dein dubiis sub formula : – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 3 octobris 1711 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis - *in Senen. Reductionis Fructuum Canonicatuum die 20 Februarii 1712 lib. 62 Decretorum.*

13. Idcirco novus Rector Beneficii participare debet de introitibus seu emolumentis, quae de facto antiquus percipiebat, quum Fundator ob id Capitulo summam pecuniae donaverit *in Paderbonen. Participationis die 12 Novembris 1712 et die 8 Iulii 1713 lib. 62 et 63 Decretorum.*

14. Iamvero – Beneficium simplex sub titulo Sanctorum trium Regum, cuius reditus Apostolica Auctoritate olim uniti fuerunt Collegio Societatis Iesu, ad primaevum statum redigere percupiens Ioannes Villelmus Baro Wolff Matternich Canonicus Cathedralis Paderbonensis, pia aeque ac liberali manu eiusdem Capellam iam fatiscentem instauravit, atque annuam dotem septingentorum Imperialium constituit pro Rectore nominando, cui sane onus indixit duarum Missarum hebdomadalium, nec non choro inserviendi aliorum Beneficiatorum more, cum participatione quotidianarum distributionum et emolumentorum, quae ab antiquo Rectore extincti Beneficii percipi consuevere, eaque propter sex centum Imperiales Capitulo donavit; quam subinde erectionem sive restitutionem ab Ordinario laudatam, assentientibus tam eodem Capitulo, quam Patribus Societatis Iesu, ab hac Sacra Congregatione approbari pius Fundator obtinuit in Paderbonen. 12 ianuarii 1697. Hoc dictum Beneficium possidet Ioannes Scherff, qui in praesentiarum excludi supplex condoluit a participatione nonnullorum emolumentorum cuiusdam Sacelli Chryptae nuncupati, qui inter Beneficiatos dictae Ecclesiae distribui consuescunt; nihil attento, quod ab antiquo Rectore iam dicti Beneficii percipiebantur, quemadmodum ex documentis in Summario dandis satis liquere autumat. Requisitus itaque super huiusmodi controversia Ordinarius Paderbonensis nonnulla iura pro Oratore transmisit in Summario pariter recensenda, atque terminum statuisse praesignificavit Beneficiatis, quo eorum iura sapientissimo EE. VV. iudicio subiicerent. Hinc saepius monito ipsorum Causae Patrono, proponitur infrascriptum concordatum dubium, ut decernatur: – An

(1) Quam habes in Verb. *Canonicatus*, §. III, n. 170 ad 175, Tom. IV.

Rector simplicis Beneficii sub titulo trium Regum siti in Ecclesia Cathedrali Paderbonensi vigore Decreti Sacrae Congregationis diei 12 ianuarii 1697 participare debuerit et debeat etiam de introitibus seu emolumentis Chryptae, sicut alii Beneficiati Chryptanei in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 novembris 1712 responsum tulit: – Affirmative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 12 novembris 1712 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Paderbonen. Participationis die 8 Iulii 1713 lib. 63 Decretorum.*

15. Nulla hinc iusta subsistente causa, Sacra Congregatio reiecit Capituli preces, quibus petebatur, ut reducerentur emolumenta per Summum Pontificem Beneficiariis statuta in actu erectionis, utque fructus Beneficiorum vacantium accrescerent Capitulo, non vero Beneficiatis, nec non ut idem Capitulum eximeretur ab onere solvendi praedictis Beneficiariis scutum unum occasione eorum interventus in qualibet ex processionibus *in Romana Reductionis die 12 Februarii 1746.*

16. Siquidem Constitutione Clementis VIII lata anno 1597 postulante Odoardo Farnesio S. R. E. Cardinali cautum fuit, ut ex reditibus Archipresbiteratus Ecclesiae Collegiatae Sancti Eustachii Urbis, cui curam animarum data fuerat, detraheretur una portio canonicalis ex duabus, quas possidebat, et quarum quaelibet reddebat annua scuta 200, nec non canon perpetuus annuorum scutorum 90, hisque reditibus ab Archipresbiteratu detractis erecta fuit Vicaria perpetua, cui datum fuit onus curae animarum, et tria Beneficia ecclesiastica *servitoria,* lege adiecta, ut Vicarius perpetuus et Beneficiarii choro interessent, Sacra quaedam agerent, processionibus adessent, aliaque agerent, quae in eadem Constitutione relata fuerunt, dotis vero nomine tradita fuit portio illa canonicalis et canon mensae Capitularis, ut a Camerario Capituli solverentur Vicario annua scuta 58, qui ea haberet praecipua ultra habitationem et parochialia emolumenta, ac tum Vicario, tum aliis tribus Beneficiariis solverentur alia scuta 224 annua in usum distributionum quotidianarum, ex quibus distributionibus Vicarius dimidiam, singuli vero Beneficiarii integram portionem percipere rent, iuxta providam ordinationem ab ipso Cardinali Odoardo faciendam, ac absentium portio praesentibus pro rata accrescerent. Servata fuit semper Constitutionis huius sanctio: sed inde Canonici eiusdem Collegiatae Ecclesiae, quibus decreverunt Praebendae et Portiones Canonicales, suppressione cuiusdam Secretariatus Apostolici, quae facta fuit motu proprio ven. Servi Dei Innocentii XI anno 1678, reditus enim Secretariatus illius erat annuorum scutorum 1418, dein vero ex eius pretio nonnisi annua scuta 330 percipiebantur, petierunt a Summo Pontifice diminutionem annuae illius praestationis assignatae Beneficiariis, ne detrimentum reditibus mensae capitularis illatum suppressione Officii Canonicorum tantum esset, non vero etiam Vicarii et Beneficiatorum; postularunt etiam declarationem, qua Canonici absolverentur a solutione scuti unius, quae fiebat Beneficiariis pro qualibet pompa seu processione, cum Beneficiarii tenerentur absque alio compendio processionibus adesse, quo implerent onus datum Clementina Constitutione; rogarunt demum, ut fructus Beneficiorum vacantium, qui, cum vacationes contingerent, distribui solebant inter Beneficiarios, amplius inter eos non distribuerentur, sed in arca et mensa capitulari remanerent. Nerius Corsinus vero S. R. E. Cardinalis et eiusdem Collegiatae Ecclesiae Diaconus titularis rogatus, ut de his animi sui sententiam aperiret, respondit disertissima epistola secundum Beneficiarios censens, nihil esse innovandum.

17. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus reductioni emolumentorum designatorum in Bulla s. m. Clementis VIII favore Beneficiariorum S. Eustachii Urbis in casu etc. II. An fructus Beneficiorum vacantium accrescant aliis Beneficiatis, seu potius Capitulo in casu etc. III. An debeatur a Capitulo eisdem Beneficiatis scutum unum occasione eorum interventus in qualibet ex processionibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium, Affirmative; et amplius in omnibus – *in Romana Reductionis die 12 Februarii 1746.*

18. Idcirco fructus Beneficii residentialis decursi tempore absentiae nec Beneficiato seu Portionario, qui haud rite privatus fuit, nec novo proviso debentur, sed interessentibus accrescunt; his quippe in terminis proposito dubio: - II. An et cui fructus sint restituendi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad secundum, neutri deberi, sed accrescere interessentibus - *in Larinen. Privationis die 2 Maii 1711 lib. 61 Decretorum* (1).

19. E contra, iusta concurrente causa, congrua indulgetur provisio; quandoquidem quum in parochiali Ecclesia S. Eulaliae sita in suburbio Leopoli Syndici eiusdem loci octo Beneficia, constituta dote, fundaverint, proposito dubio: - IV. An Beneficiatis possidentibus Beneficia erecta anno 1620 iniungendum sit, quod habeant Massam separatam et particularem, eisque prohibendum, ne quidquam accipiant ex reditibus Beneficiorum in eadem Ecclesia tam prius, quam posterius fundatorum in casu etc. -, Sacra Congregatio, postquam in secundo dubio facultatem dederit Archiepiscopo eius arbitrio et prout de iure supprimendi Beneficia ob dotis deficientiam, responsum dedit: - Ad quartum, ad eumdem Archiepiscopum prout de iure, ut in secundo - *in Calaritana Suspensionis Beneficiorum et attentatorum die 22 Martii 1755* (2).

20. Quum itaque Beneficiati Vicarii nuncupati Collegiatae Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Tungrensis contenderent, auctis oneribus, augendum quoque emolumentum, nihil enim aequius, quam ut ob innumera per Capitulum iniuncta eisdem onera retributio quoque ex massa communi tribueretur, sed e contra Capitulum sustineret, nullam retributionem nec ordinariam, nec extraordinariam Vicariis deberi, nam advertit, onera modernorum Vicariorum ea ipsa esse, quae ab anno 1444 eorum Praedecessores ad ea usque tempora semper tulerant, imo probavit, meliorem in praesens evasisse illorum conditionem, utpote qui ultra fructus suarum Vicariarum admissi erant etiam ad participationem emolumentorum residentiae et anniversariorum ad instar aliorum Beneficiatorum, et etiam in aliquibus Anniversariis ad lucrandas fallentias tam Canonicorum, quam Beneficiatorum absentium, proposito dubio: - V. An et quae retributio eisdem Vicariis debeatur intuitu onerum et servitii Ecclesiae in casu etc. -, Sacra Congregatio die 12 maii 1770 responsum tulit: - Ad quintum, arbitrio Capituli -. Reproposito dein dubio sub formula: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad quintum dubium in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Leodien. die 30 Augusti 1777.*

21. Alias enim leges fundationis sunt adamussim servandae: siquidem exorta controversia inter Canonicos et Capellanos Beneficiatos Cathedralis Ecclesiae Astensis quoad massae distributionum participationem, propositis dubiis: - IV. An iidem Canonici possint in propriam utilitatem convertere laudemia debita ex alienatione bonorum spectantium ad officium massae quotidianarum distributionum, vel potius illa sint inter Canonicos et Capellanos Beneficiatos pro parte rata partienda? V. An iidem Canonici possint in suam utilitatem convertere laudemia debita ex alienatione bonorum spectantium ad cetera Officia, vel potius illa converti debeant in utilitatem uniuscuiusque Officii, ad quod bona alienata spectant? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad quartum, Negative ad primam, Affirmative ad secundam. Ad quintum, ut supra - *in Asten. Administrationis et Participationis die 12 Iulii 1687 lib. 37 Decretorum pag. 421.*

22. Quod si res, attentis legis fundationis rerumque circumstantiis seu varia hinc inde allata observantia, implexa valde appareat, Sacra Congregatio eam ad rite extricandam remittit ad Iudices suos; quandoquidem quum Canonici Cathedralis Ecclesiae sustinerent, medietatem fructuum, quae amittebatur a Canonicis Sacerdotali Ordine nondum decoratis, adiudicandam esse ceteris tantum Canonicis, quin eam participare possent Beneficiati, proposito dubio: - An Beneficiati et Clerici participare debeant de medietate redituum, quae Canonicis non constitutis in sacris decre-

(1) Species Causae huius prostat in Verb. *Beneficia*, §. XX, n. 36 ad 39, Tom. III.
(2) Species Causae huius prostat in Verb *Attentata*, n. 161 ad 166, Tom. II.

scit? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad Iudices suos – *in Reatina Iuris accrescendi die 13 Septembris 1675.*

23. Nullum vero dubium, quin fructus rei ad favorem Loci pii ab iis emptae, qui illud regebant administrabantque, sed inde ab illo discesserunt ac sese in aliud receperunt, nequeant in hoc transferri, cum debeantur illis, qui in illud successerunt *in Tusculana die 30 Ianuarii et die 23 Aprilis 1768.*

24. Enimvero Cynthia Marchetti, Dominica Asciutti, Margarita Balzani et Maria Stainer habitu Tertiariarum Carmelitarum indutae, postquam ad aliquot annos munus obiverunt Magistrarum piarum in suburbicario Oppido Arcis Priorum, anno tandem 1762 maluerunt eam domum scholamque deserere, quam se subiicere mandatis et obedientiae regiae celsitudinis Emi Episcopi Tusculani, qui propterea coactus fuit eidem Domui ac scholae alias praeficere Magistras pias, quae iam ibi moram trahebant concreditoque officio fungebantur erudiendo et excolendo in pietate et bonis moribus Oppidi Puellas. Urbem hinc petentes dictae Tertiariae Carmelitae, ibique novum Magistrarum piarum Conservatorium habentes, quadriennio post preces Summo Pontifici dederunt rogantes, ut dignaretur in hoc novum Conservatorium in Urbe erectum transferre quatuor Loca Montium cum dimidio ex propriis subsidiis dotalibus Domui Arcis Priorum acquisitorum. At Promotor Fiscalis dixit, saepedictas Mulieres dedisse Summo Pontifici preces pro investimento subsidiorum dotalium favore Conservatorii Arcis Priorum: Pontificem intuitu eiusdem Conservatorii extinctionem et erogationem indulsisse: Literis patentalibus non Oratricum insertum nomen, sed Conservatorii et scholae Magistrarum piarum Arcis Priorum: Conservatorium hoc et scholam adhuc persistere; quapropter inspecta tum clara Pontificis mente, tum Locorum Montium dominio, non ad eas Mulieres illorum fructus, sed ad Conservatorium et Scholam spectare. Nec obesse, quod subsidia dotalia ad eas Mulieres spectarent: advertit enim, ea exigi nequivisse, nisi inito coniugio vel spirituali vel temporali; neutro proinde, nec etiamnum verificato, nullum ius eisdem esse petendi dicta subsidia, vel ex eorum fructibus se alendi. Qua de re cum Summus Pontifex subsidiorum exactionem indulserit favore Scholae Arcis Priorum, ita quidem, ut illa, si deficeret eadem Schola, non ad dictas Mulieres, sed ad respectiva Loca pia reverti deberent, eorumdem idcirco fructus Magistris piis dumtaxat in praesens in dicto Oppido Puellas erudientibus deberi, non curata Personarum mutatione, Bruneman ad leg. 75 ff. de iudic., Rot. in Recent. decis. 58 n. 2 part. 18 tom. 1. Constabat quippe, Loca Montium empta fuisse – ad favorem Conservatorii Magistrarum piarum Terrae Arcis Priorum –. Ambigi propterea non posse videbatur, eorumdem dominium non ipsis Tertiariis, sed ipsi Conservatorio et Scholae, quae adhuc extabat, acquisitum fuisse, L. 1 3 et 8 Cod. Si quis alteri, et L. *Si ex ea* Cod. de rei vindicatione. Tota hinc inspectio eo reducebatur, an dictae Mulieres repetere possent, si non ipsas res, pretium saltem erogatum in acquisitionem. Praestabat autem in primis advertere, an erogatum pretium libere et pleno iure ad easdem spectaret, ita ut pro repetitione agere possent: praestabat item distinguere, an dictae Mulieres sponte vel iusta coactione discesserint a dicta Schola, nam tunc sibi imputare deberent, si recesserunt vel recedere debuerunt, nullumque ex proprio arbitrio vel culpa compendium consequi paresset, an vero per iniustam coactionem Scholam deserere debuerint, et tunc iniquum esset, ex alterius culpa earumdem iuribus praeiudicium irrogari et propriis emolumentis spoliari.

25. His igitur perpensis, proposito dubio: – III. An fructus Locorum quatuor cum dimidio Montis S. Petri primae erectionis transferri debeant in Oratrices, seu potius debiti fuerint et debeantur Domui seu Scholae Magistrarum piarum Oppidi Arcis Priorum Tusculanae Diaecesis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 Ianuarii 1768 responsum tulit: – Ad tertium, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, ad formam Rescriptorum s. m. Benedicti XIV –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium dubium, in decisis; et amplius – *in Tusculana die 23 Aprilis 1768.*

26. Amplia, id procedit etiamsi postmodum Personae dicti Loci mutatae fuerint, ut docet Alfenus in L. 76 de iudiciis: – Proponebatur ex his Iudicibus, qui in eamdem rem dati essent, nonnullos causa audita excusatos esse, inque eorum locum alios esse sumptos, et quaerebatur, singulorum Iudicum mutatio eamdem rem, an aliud iudicium fecisset? Respondi, non modo si unus aut alter, sed etsi omnes Iudices mutati essent, tamen et rem eamdem et iudicium idem, quod antea fuisset, permanere. Neque in hoc solum evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed et in multis ceteris rebus. Nam et legionem eamdem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii subiecti essent: et Populum eumdem hoc tempore putari, qui ab hinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc viveret; itemque navem, si ideo saepe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quae non nova fuisset, nihilominus eamdem navem esse existimari. Quod si quis putaret, partibus commutatis,aliam rem fieri, fore ut ex eius ratione nos ipsi non iidem essemus, qui ab hinc anno fuissemus, propterea quod, ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hae quotidie ex nostro corpore decederent, aliaeque extrinsecus in earum locum accederent. Quapropter cuius rei species eadem consisteret, rem quoque eamdem esse existimari – *in Tusculana die 16 Ianuarii 1768* §. *Idque.*

27. Ceterum fructus Beneficii S. Petri, quod duabus unitum extabat Ecclesiis parochialibus S. Mariae de Longobardis et S. Nicolai, dividendi sunt aequaliter inter duas Ecclesias praedictas, nullo habitu respectu maioris vel minoris numeri Presbiterorum praefatis Ecclesiis inservientium, ex eo quod etiam onera Beneficii aequaliter ab ipsis alternatim adimplentur; proposito enim dubio: – I. An fructus Beneficii S. Petri sint aequaliter in duas partes dividendi inter Ecclesiam et Presbiteros S. Mariae de Longobardis et Ecclesiam et Presbiteros S. Nicolai, seu potius dividendi sint per capita inter Sacerdotes inservientes utrique Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Venusina die 27 Martii 1751.*

28. Beneficiarius autem proprie acquirit ius in Beneficio non ex nominatione Patroni, sed ex collatione vel institutione Episcopi, quemadmodum tradunt Murga de Benef. quaest. 3 n. 11 35, Rebuff. in prax. Benef. in reg. de subrog. gloss. 4 a n. 22 *in Firmana Capellaniae die 9 Augusti 1732* §. *Fortius.*

29. Qua de re Lotterius de re Benef. lib. 3 quaest. 20 n. 117 ait: – Fundus autem Beneficii post factam collationem spectat ad provisum, cui fingitur usque a momento vacationis facta provisio, unde inspecta iuris communis dispositione ei debentur fructus usque ab initio vi retroactiva –; et consonant Surd. cons. 333 n. 23 et 24, et Rota in Romana Clericatus Benef. 21 iunii 1781 coram de Salm §. 18, maxime cum lis instituitur circa Beneficii assecutionem, ut eruitur ex Constitutione *Cordi nobis* S. Pii V 30 martii 1568 §. 2, et Rota in Ianuen. Beneficii super fructibus 10 iunii 1757 coram Olivatio, aliisque sex centis *in Montis Falisci Canonicatuum die 7 Augusti 1841* §. *Ad fructus.*

30. Cum enim alicui fuerit collatum Beneficium illiusque apprehenderit possessionem, ius ad rem et in re acquisivit, Cap. 2 de Praebendis, ut fructus quoscumque ex suo Beneficio provenientes sibi addicat, quique alimentorum loco succedant *in Romana Distributionum die 24 Martii 1821* §. *Sacerdoti.*

31. Celebrem in hanc rem post sacrum Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 14 de reformatione sanctissimus Pontifex Pius V edidit Constitutionem, quae incipit: *Durum nimis*, editam die 13 iulii 1570, in qua ita sancivit: – Revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia consuetudines et statuta quarumcumque Ecclesiarum etc. etiam iuramento confirmatione Apostolica aut alio quovis praesidio munita ac etiam supra hominum memoriam et longissimo ac quantocumque tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis Ecclesiarum vel Praelatorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis etiam maioribus maximis et urgentissimis causis concessa etc., quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum Dignitatibus Canonicatibus Praebendis Beneficiis fructus ac etiam quotidianas distributiones ex eis

primo ab ipsa vacatione anno aut longiore vel etiam breviore tempore proventuri mensae Episcopali seu Capitulari aliove loco integre vel partim remaneant seu applicentur aut in communes usus cedant seu inter alios Canonicos et Personas Ecclesiae seu Capituli dividantur - *in Romana Distributionum die 24 Martii 1821* §. *Sacerdoti.*

32. Innumerae hinc sunt Sacrae Congregationis definitiones, in quibus reprobatur quaevis consuetudo, per quam novus provisus de aliquo Canonicatu vel Beneficio privaretur perceptione fructuum, qui cederent in utilitatem aliorum *in Romana Distributioonum die 24 Martii 1821* §. *Innumerae.*

33. Siquidem proposito dubio: – An sustineri possit consuetudo, iuxta quam Canonici noviter recepti non percipiunt fructus primi anni, sed inter Canonicos antiquos dividuntur? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Hanc consuetudinem esse sublatam per Concilium cap. 14 sess. 24 de reformatione et per Constitutionem S. Pii V, et ideo esse tollendam - *in Avenionen. mense Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 188.*

34. Similiter, ceteris hic missis, proposito dubio: - An media annata fructuum, ut praetenditur, exigi solita per Capitulum Tudertinum a noviter provisis, debeatur a R. P. D. Morellio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Tudertina Mediae Annatae die 8 Augusti 1744* (1).

35. Quum autem vigere videretur consuetudo, qua, dum in aliquo aut pluribus annis ex redituum defectu portio Beneficialis summam pro singulis Beneficiatis statutam non attingebat, supplebatur ex reditibus sequentium annorum cum praeiudicio eorum, qui postea de aliqua Beneficiali Praebenda provisi erant, Sacra Congregatio, antequam in id resolutionem emitteret, plura scitu digna ac necessaria exquiri censuit *in Romana Distributionum die 14 Aprilis 1821.*

36. Iamvero exeunte anno 1814 Sacerdos Marianoni Beneficium chorale et Sacerdos Malagricci Clericatum Beneficiatum in Ecclesia S. Laurentii in Damaso per provisionem Apostolicam obtinuerunt. Uterque nacti sunt Beneficii possessionem de mense novembris eiusdem anni: at licet unus et alter servitium chorale diligenter obirent, nihil tamen ex suis Beneficiis percipiebant, quia apud Collegium Beneficiatorum et Clericorum invaluerat stylus, ut, quidquid annuatim ex massa communi, deductis oneribus, supererat, erogaretur in dimissionem mensualitatum, quae usque ad numerum 44 insolutae remanebant. Statutum autem in Constitutionibus erat, ut quilibet Beneficiatus percipere deberet annua scutata septuaginta, et Clericus Beneficiatus scutata quinquaginta. Capito hinc 17 cautum ita erat: – Item statuimus, si introitus reditus et proventus Collegii Beneficiatorum et Clericorum aucti vel diminuti fuerint, quod augeantur vel minuantur proportionabiliter pro rata iuxta dispositionem et formam Bullae erectionis ipsius Collegii –. Et sequenti cap. 18 praecipiebatur, – quod ex omnibus reditibus sive proventibus Collegii Beneficiatorum et Clericorum fiat una massa, cum omnia bona et per eos quomodolibet recuperanda debeant inter ipsos esse communia –. Usque ab anno 1778 haec communis massa aere alieno gravata, et ob reditus imminutos impar cum esset constituendo patrimonio sacro pro Beneficiatis et Clericis, Pius VI die 16 februarii 1778 et Pius VII anno 1801 nec non Sacra Congregatio die 15 septembris 1804 et 16 maii 1816 eius indigentiae subsidium et opem contulerunt. Fervebat interea quaestio inter antiquos Beneficiatos, qui omnem reditum massae communis sibi addicebant in solidationem mensualitatum non solutarum, et Marianoni ac Malagricci, qui manibus vacuis chorale servitium obire tenebantur. Ad preces Emi Card. Vice-Cancellarii die 12 ianuarii 1816 per Secretariam Memorialium – Sanctissimus, attentis expositis, remisit preces arbitrio et prudentiae domini Cardinalis Vice-Cancellarii cum facultatibus ad effectum, de quo in precibus, necessariis et opportunis, contrariis quibuscumque non obstantibus –; unde Emus Vice-Cancellarius die 17 ianuarii 1817 decrevit, – quod creditum resultans favore Antianorum quadraginta quatuor mensualitatibus non

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Beneficia*, §. V, n. 204 ad 213, Tom. III; ibique plura etiam huiusmodi habentur.

solutis in concursu modernorum Beneficiatorum Malagricci et Marianoni praelative satisfieri, imposito universis silentio –. Licet Marianoni et Malagricci e re sua putaverint iudicium Emi Vicc-Cancellarii venerari, emissa tamen protestatione, post biennium die 30 ianuarii 1819 obtinuerunt a Summo Pontifice facultatem obloquendi contra praedictum Decretum penes Sacram Congregationem. Mortuo interim Malagricci, Sacerdos Marianoni contendit, sibi de iure deberi omnes sui Beneficii fructus a die captae possessionis, cum iidem cedere non possent in aliorum quorumcumque utilitatem, etiamsi adesset contraria consuetudo. Nec summa scutorum septuaginta taxativa erat; nam – si reditus Collegii Beneficiatorum et Clericorum aucti aut diminuti fuerint, quod augeatur vel minuatur proportionabiliter pro rata iuxta dispositionem et formam Bullae erectionis Collegii –. Idcirco si in aliquo aut pluribus annis ex defectu redituum portio Beneficiatis summam scutorum septuaginta non attingeret, haud deberet suppleri ex reditibus sequentium annorum cum praeiudicio eorum, qui postea de aliqua Beneficiali Praebenda provisi fuerint. At contra Collegii Defensor servandum esse putavit Decretum die 17 ianuarii 1817 editum a s. m. Cardinali Carafa, utpote conforme consuetudini differendi solutionem mensualitatum, quae consuetudo initium habebat ab anno 1740, quaeque narrata perhibebatur Pio VI et prae oculis habita fuit a Sacra Congregatione anno 1804, dum Collegii indigentiae opem tulit per suspensionem Praebendarum et Missarum. Insuper praefata consuetudo edicebatur conformis iustitiae ex regula iuris, qui prior in tempore, potior in iure; nec non probata perhibebatur ab ipso Marianoni, qui in supplici libello Summo Pontifici porrecto confessus est triennalem dilationem ad percipiendas mensualitates, ut exemptionem a choro obtineret.

37. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quae mensualitates et a quo tempore debeantur Beneficiato Iosepho Marianoni a Collegio Beneficiatorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et ad Emum Vicc-Cancellarium, qui cogat Collegium ad exhibendam redditionem rationum, indicata erogatione omnium subventionum provenientium ex chirographo s. m. Pii VI et Indultis Sacrae Congregationis, et dignetur referre, cur solutis currentibus mensualitatibus non sint ex annuo superextante reditu solvendae si quae sunt mensualitates adhuc debitae, et cur in posterum si reditus augeantur vel minuantur non sint proportionabiliter pro rata augendae vel minuendae mensualitates ad formam Bullae erectionis, et prout de iure – *in Romana Distributionum die 14 Aprilis 1821.*

38. Verum valida et licita reputatur, nec sub lege Tridentinae Synodi cap. 14 sess. 24 de reformatione et Constitutionis S. Pii V comprehenduntur statuta vel consuetudines Ecclesiarum, quibus cautum est, ut Canonici aut Sacerdotes noviter recepti per aliquod temporis spatium illarum servitio gratis incumbere teneantur; quandoquidem – Sacra Congregatio censuit, Decretum cap. 14 sess. 24 de reformatione et Bullam S. Pii V super eadem re editam non comprehendere consuetudinem Ecclesiarum deserviendi per annum vel aliquod tempus et nihil percipiendi interim de massa grossa, nisi peracto integre dicto servitio – *in Militen. mense Martii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 229* (1).

39. Quum igitur ex lege in actu erectionis indicta Beneficiatus amittere debeat quarta pars fructuum Sacristiae applicanda, nisi intra annum Sacerdos fiat, ne dubium, quod locus sit huiumodi poenae, si ipse propter redituum tenuitatem non habeat titulum, quo se promoveri faciat, licet Emus Urbis Vicarius et Emus Collegiatae Ecclesiae Titularis faveant, sed Canonici adversentur; his quippe in terminis proposito dubio: – An sit locus poenae privationis quartae partis fructuum ob non promotionem ad sacros Ordines in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Romana die 18 Aprilis 1750.*

40. Qua de re quum Capellania esset tantum habitu Sacerdotalis, nec Capellanus teneretur celebrare Missas per se ipsum, sed obligatus esset intra annum assumere Sacerdotium, Sacra Congregatio primum manda-

(1) Reliqua prostant in Verb. *Canonici*, §. III, Tom. IV.

vit, ut ipse pro receptione fructuum instaret postquam in tempore praescripto factus fuerit Sacerdos cum obligatione solvendi utensilia pro celebratione Missarum, sed inde quia Capellania satis non erat pro sacro Patrimonio, neque is supplementum aliunde habebat, iuravit tamen, se esse promptum et paratum ad sacros Ordines suscipiendos, et terminus ad recipiendum Presbiteratum fuerat ad alium annum prorogatus, resolvit, fructus deberi, et celebrandas esse Missas a die, quo idem constitutus fuit in aetate, qua promoveri potuit ad Sacerdotium, et in futurum iuxta mentem Testatoris *in Romana Capellaniae die 6 Iunii 1716 die 10 Iulii die 11 Septembris et die 27 Novembris 1717 lib. 66 et 67 Decretorum.*

41. Siquidem – Petrus Paulus de Avilà in codicillis erectionem Capellaniae Ioanni Baptistae Altovito heredi his verbis praescripsit: « Una Capellania a beneficio et in vita solamente del Signore Matteo Francesco Cionci Chierico Romano etc., quando però detto Matteo Francesco sarà arrivato all' età di celebrare il Santo Sacrificio colla dote e provisione di scudi 50 l' anno etc., il quale sia obbligato e durante sua vita celebrare il Santo Sacrificio ogni giorno etc. ». Hinc inter praefatum Cioncium iam a die 10 octobris 1713 perventum ad aetatem pro Sacerdotio necessariam et Altovitum heredem plures ortae sunt controversiae congruis propositis dubiis ab hac Sacra Congregatione iam decisae sub diebus 12 maii 1714 12 ianuarii et 20 septembris 1715; et praecipue resolutum fuit, Capellaniam esse tantum habitu Sacerdotalem, Capellanum non teneri celebrari per se ipsum, et obligatum esse intra annum assumere Sacerdotium. Praetendente autem Cioncio fructus Capellaniae a die 10 octobris 1713, eiusque instantia extra ordinem et folium proposita, die 7 decembris novissime elapsi prodiit Decretum: « Non retardata erectione Capellaniae, praefigatur Cioncio terminus unius anni incipiendi a die crastina ad recipiendum Presbiteratum, fiat depositum per Altovitum scutorum quinquaginta pro nunc sine praeiudicio maioris summae, et deinde videatur particulariter, a quo tempore debeantur fructus ». Delata controversia super exequutione huius Decreti ad A. C. Cincium antequam in Causa pronunciaret, R. P. D. Auditor Sanctissimi decrevit, fructus fundi Capellaniae libere Cioncio esse consignandos, nec teneri ad fideiussionem petitam ab Altovito pro restitutione fructuum percipiendorum, si ad Sacerdotium Statuto tempore non promoveretur, successive Altovitus parendo mandatis huius Sacrae Congregationis die 2 ianuarii deposuit in S. Monte Pietatis scuta quinquaginta, et die 30 martii devenit ad erectionem Capellaniae cum assignatione pensionis pro intranti quantitate Palatii hereditarii Testatoris. Quare Cioncius non solum renovat instantiam pro consequutione fructuum Capellaniae a dicta die 10 octobris 1713, quamvis adhuc nullo sacro Ordine insignitus, sed ulterius praetendit, heredem condemnandum ad sacra utensilia pro celebratione Missae quotidianae, ideoque Partibus informantibus summae EE. VV. sapientiae dubia proponuntur: – I. An et a quo tempore fructus debeantur et Missae sint celebrandae in casu etc. II. An Cioncius Capellanus teneatur solvere utensilia necessaria pro celebratione Missae quotidianae, vel potius heres in casu etc. –, Sacra Congregatio die 6 iunii 1716 respondit: – Ad primum, instet postquam in tempore praescripto factus fuerit Sacerdos. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam –.

42. Verum – Cioncius acquiescens resolutioni secundi dubii, preces renovat pro definitione primi, quamvis ad Sacerdotium promotus non sit, praecipue quia Capellania non sufficiat pro sacro Patrimonio, neque supplementum aliunde habeat, ex quo est, ut a die 8 mensis iunii elapsi anni penes acta Notarii promptum se esse et paratum ad sacros Ordines suscipiendos iuraverit; et terminus unius anni ad recipiendum Presbiteratum ab EE. VV. die 7 decembris anni 1715 praefixus, ad alium annum die 28 novembris proxime praeteriti fuit prorogatus. Quare ab EE. VV. iterum exquiritur: – An et a quo tempore fructus debeantur et Missae sint celebrandae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 10 iulii 1717 responsum tulit: – Affirmative fructus deberi, et celebrandas esse Missas a die, quo Cioncius constitutus fuit in aetate, qua promoveri potuit ad Sacerdotium,

et in futurum iuxta mentem Testatoris –. Altoviti autem resolutioni non acquiescentes, controversiam sub consueto dubio reproponunt: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 11 septembris 1717 respondit: – Dilata ad secundam post aquas –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Romana Capellaniae die 27 Novembris 1717 lib. 67 Decretorum.*

43. Beneficiatus vero neque favore ipsius Beneficii cedere potest eiusdem fructus; quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, Beneficium non posse absque Sedis Apostolicae Beneplacito dare in solutum annuos reditus Beneficii pro emenda re stabili ad favorem eiusdem Beneficii *in Firmana die 21 Iunii 1653 lib. 19 Decretorum pag. 254.*

44. Quapropter ei, qui absque Beneplacito Apostolico emit commodum percipiendi ex fundis Beneficiorum pensiones ad vitam Beneficiati, a die initi contractus, compensata sorte, fructus tantum superextantes sunt restituendi, quum huiusmodi contractus sit omnino nullus, licet adesse videatur immemorabilis consuetudo et bona fides; cuinam vero restituendi sint fructus ab altero huiusmodi emptore ex iam resoluto contractu percepti, res ad D. Secretarium cum Sanctissimo iuxta mentem remittitur *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788 die 17 Ianuarii 1789 et die 18 Decembris 1790* (1).

45. Quin imo nedum nullae sunt fructuum Beneficiorum cessiones ex Constitutione Benedicti XIV, quae incipit: *Volentes,* sed etiam sub poena excommunicationis aliisque poenis statutis contra alienantes bona Ecclesiae vetitae sunt omnibus Clericis Fructuum cessiones, quacumque dignitate et privilegio insignitis *in Veliternen. Sanationis Contractus die 19 Maii 1821* §. *Requidemvera.*

46. Qui vero, praevia Ordinarii obtinenda licentia, simplicis Beneficii annuos fructus Clerico perfruendos libere concedit, ea quantitate, quae ad constituendam pro sacris Ordinibus congruam iuxta respective Diaecesis statuta requiritur, donec aliter provideatur, hac simul adiuncta conditione, quod interim ipse concedens praedicti Beneficii constanter sibi retineat titulum eiusque tenuem congruam, imo fructuum portionem ad sui obitum usque percipere semper valeat, haud incidit in simoniae labem; quandoquidem his in terminis proposito dubio: – II. An simoniaca sit conditio super reservatione partis fructuum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative – *in Soanen. Tituli sacrae Ordinationis die 15 Septembris 1838.*

47. Idcirco simoniaca non est conventio, qua alius ex duobus Clericis ad litem inter eos exortam dirimendam cessit alteri Capellaniam, hic vero alteri remisit fructus omnes, quos perceperat et percepturus foret ad integrum annum, accedente tamen assensu Summi Pontificis, qui de facto exinde assensum praestitit *in Forosempronien. die 3 Aprilis et die 26 Ianuarii 1756.*

48. Enimvero ut voluntatem Alexandri Suzii, cuius heres fuerat, exequeretur Carolus Chiappolinius in Romano foro advocatus, Capellaniam laicalem fundavit ad Altare Sanctissimi Crucifixi in Ecclesia Patrum Reformatorum S. Francisci Civitatis Forosempronii, reservato sibi suisque heredibus et successoribus in infinitum iurepatronatus eiusdem. Defuncto Advocato, qui et Patronus et primus Capellanus fuerat, duo eius Fratres Regulares in Ordine Heremitarum divi Augustini postularunt sibi dari Capellaniam; sed audito Episcopo Forosemproniensi, censuit hic, Capellaniam ex voluntate Fundatoris esse ecclesiasticam, neque potuisse ab Advocato Chiappolinio eius herede atque exequutore illius mutari: idem visum est amplissimis Patribus; ideoque Regularium preces reiectae fuerunt. Sed unus ex iis Patribus veluti Patronus nominavit Dominicum Panzinum Clericum Forosemproniensem, qui, adito Episcopo, Capellaniae possessionem nactus est die 8 maii anno 1753. Re comperta a Clerico Trepetti, Capellaniam impetravit a Sede Apostolica ex causa affectionis, quod Advocatus Patronus et Capellanus in Curia decessisset: nudum tamen Beneficii titulum assequutus est; nam Panzinius monitorio Tribunalis A. C.

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Alienatio*, §. III, n. 297 ad 313, Tom. I.

possessionem suam defendebat. Dum lis inter eos agebatur, Consanguinei de transactione egerunt, et post longas disputationes convenerunt, ut Panzinius Capellaniam cederet Trepetto, hic vero remitteret Panzinio fructus omnes, quos perceperat et percepturus fuisset usque ad integrum annum 1753, ita tamen, ut accederet assensus Summi Pontificis, alias nulla esset conventio, et unusquisque ad sua prima iura regrederetur. Hanc conventionem approbarunt litigantes, scripta apocha; inde adito Summo Pontifice, et re omni integre narrata, postularunt et impetrarunt eius assensum. At rem omnem turbarunt Patronae Capellaniae, quae in Episcopali Curia Forosemproniensi Clericum Trepetti de crimine simoniae accusarunt. Contra hanc accusationem preces Sacrae Congregationi obtulerunt Panzinius et Trepettus. Auditus igitur Episcopus secundum eos respondit. Disputarunt itaque Clerici, abesse omnem simoniae labem, quia reservatum fuerat Apostolicum Beneplacitum, quia conventio Summo Pontifici narrata fuerat: nec mutare, quod Panzinius ante assensum Pontificium fructus perceperit, quia non iure conventionis, sed iure possessionis, in qua erat, lite pendente, eos perceperat.

49. His mature perpensis, proposito dubio: – An conventio, de qua agitur, sit simoniaca in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 aprilis 1756 respondit: – Negative –. Redierunt quidem subinde Patronae, sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, sed nullum prodiit responsum, cum amplius Causa non fuerit proposita *in Forosempronien. die 26 Iunii 1756.*

50. Nam praefatae Benedictinae Constitutionis finalis causa in eiusmodi cessionibus fuit, ne Ecclesiastici, cum omnem substantiam suam receperint, totam illico, – uti prodigus Evangelicus, absumant per contractus privatos vivendo luxoriose, et deinde facta fame valida cogantur vivere de siliquis immundorum animantium –, adeoque laudatus Pontifex prohibuit, ne Clerici – in posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem et commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo praetextu et colore vendere ac distrahere suorum respective Beneficiorum reditus et proventus, vel ad vitam vel in longum tempus, recepta ab emptore, per unam vel per plures solutiones, pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per eiusdem temporis vel vitae spatium probabiliter consequi potuissent – *in Soanen. Tituli sacrae ordinationis die 28 Iulii 1838* §. *Ad.*

51. Unde tradunt Doctores, quod Beneficiatus quisque possit in quasdam donationes (dummodo non remuneratorias) servata moderatione christiana et ecclesiastica Beneficii fructus convertere, Molina disp. 145 §. eodem modo, Sanchez lib. 2 consil. cap. 2 dub. 41 n. 2, Lugo tom. 1 disp. 4 n. 73, Ferraris verb. Beneficiatus n. 31 *in Soanen. Tituli sacrae Ordinationis die 28 Iulii 1838* §. *At.*

52. Hinc Sacra Congregatio confirmavit Decretum Visitatoris Apostolici, qui praecepit, ut Capellani Beneficiati Cathedralis Ecclesiae Astensis participes fieri deberent quorumcumque redituum et emolumentorum etiam sub praetextu regaliarum, quae sub massa distributionum veniebant *in Asten. Distributionum die 17 Iunii 1673.*

53. Concordia mox vero mediante interpositione Episcopi peracta fuit die 19 februarii 1674, in qua Capellani Beneficiati quosdam cappones regaliarum iure debitos annuatim Canonicis relaxarunt; at, exorta subinde controversia inter praedictos Capellanos Beneficiatos et Canonicos, proposito dubio: – VI. An et quomodo servandum sit Decretum Sacrae Congregationis editum die 17 iunii 1673, vel potius servanda concordia inita anno 1674? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad sextum, servandam esse concordiam quoad contrahentes tantum; et, quoad non contrahentes et Beneficiatos successores, servandum esse Decretum Sacrae Congregationis anni 1673 – *in Asten. Administrationis et Participationis die 12 Iulii 1687 lib. 37 Decretorum pag. 421.*

54. Quilibet hinc Episcopus de reditibus intuitu Ecclesiae suae comparatis libere per actum inter vivos disponere potest, iuxta communiorem sententiam, quam tuentur D. Thom. 2. 2. quaest. 185 per totum, Gonzalez in Cap. *Cum olim* n. 6 de privilegiis, Barbos. de offic. et potest. Episcop. alleg. 114 n. 20, Piton. discept. eccles. 102 tom. 4, et doctissime Card. Petra tom. 3 ad Const. 11

Clem. IV n. 13 *in Vigilien. die 14 Aprilis 1736* §. *Momentum.*

55. Idcirco Episcopus, qui per actum inter vivos disposuit de summa pecuniae eiusque fructibus pro Seminarii constructione, nulliter de eadem pecuniae summa et fructibus subinde disposuit ad causas pias *in Vigilien. die 14 Aprilis et die 7 Iulii 1736.*

56. Siquidem Pompeius Sarnellius Episcopus sub die 14 maii 1715, praemissa in chirographo declaratione, se velle de ducatis mille et quingentis, quos a duobus circiter annis investiendos tradiderat Primicerio Sergio Baldini, in constructionem novi Seminarii pro recta Puerorum educatione disponere, hanc legem adiecit, - quod dicti ducati mille et quingenti et aliae summae proveniendae ex fructibus et implicandae, ut supra, non possint amoveri, nec modo quocumque disponi aut distrahi pro causa constructionis praedicti Seminarii, nisi post nostrum obitum, ex eo quia omnes dictas summas et quantitates in quocumque tempore nobis reservavimus, prout reservamus facultatem disponendi pro nostris necessitatibus ad nostrum libitum voluntatem et beneplacitum, praedicta assignatione non obstante, quae summae intelliguntur applicatae pro effectu praedicto post obitum nostrum, et non aliter nec alio modo etc. -; et infra: - post obitum nostrum tam proprietates, quam fructus praedictorum capitalium existentium consolidari debere ad dictum Seminarium construendum, si aliter in cursu nostrae vitae naturalis non fuerit per nos dispositum -; deindeque parem omnino destinationem de aliis ducatis quingentis eidem Primicerio Baldini postmodum consignatis expressit in alio chirographo, quod die 14 augusti 1716 exaravit. In codicillis autem sub annum 1724 conditis dictam pecuniam in plura pia Legata disposuit. Sequuto praefati Episcopi obitu, Deputati, quos modernus Episcopus illius immediatus successor ad curandam novi Seminarii erectionem constituerat, exponentes Sacrae Congregationi, Seminarium ob inopiam Civitatis et deficientiam congrui reditus nullo modo erigi posse, humillime postularunt, ut eius loco publicum grammaticae cantus aliarumque scientiarum Gymnasium, assignatis eidem reditibus per dictum Episcopum Sarnellium relictis, aperiri posset; cumque auditus Episcopus Deputatorum precibus fuerit in sua relatione suffragatus, Sacra Congregatio die 21 augusti 1734 Episcopi arbitrio petitam facultatem indulsit. At Capitulum Cathedralis Ecclesiae ceterique Legatarii memorati Episcopi Sarnellii contenderunt, dispositionem seu destinationem enunciatae pecuniae ab illo factam pro erectione novi Seminarii, veluti per eius codicillos revocatam, nullo in pretio habendam esse, bene vero servandam fore posteriorem ipsius dispositionem in praefatis codicillis contentam. Sustinuerunt enim, praefatam pecuniarum destinationem pro Seminario, in chirographis expositam, conditionatam fuisse, neque per eam Episcopum Sarnallium a se abdicasse illarum dominium, ita ut postmodum sibi licuerit de iisdem aliter disponere in suis codicillis, quorum validitas asserebatur impraesentiarum controverti non posse, quum ea fuerit in alia Causa adversus eumdem modernum Episcopum ab Auditorio Rotae approbata. Momentum itaque Causae in eo videbatur constitui, num ex priori memorata destinatione pecuniae ab Episcopo praedicto in suis chirographis declarata pro constructione novi Seminarii satis coniicietur, eum de pecunia praedicta per actum, qui dicitur inter vivos, absolute ac irrevocabiliter disposuisse. Cum enim Episcopus de reditibus intuitu Ecclesiae suae comparatis libere per actum inter vivos disponere potuerit, Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis, qui autumabat, ex memoratis chirographis compertam reddi perfectam Episcopi voluntatem erogandi controversas pecunias in erectionem Seminarii, deduxit, primaevam illam dictam Episcopi dispositionem sustineri, minime vero posteriorem in eius codicillis expressam, praesertim quia Episcopo id de iure vetitum est.

57. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An dispositio seu destinatio pecuniarum facta ab Episcopo Sarnellio pro erectione Seminarii sustineatur in casu etc. II. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 21 augusti 1734 in casu etc. III. An sustineatur dispositio facta ab eodem Episcopo Sarnellio in suo codicillo in casu etc. -, Sacra Congregatio die 14 aprilis 1736 respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum,

in decisis, donec fieri possit erectio Seminarii, et si quid ex fructibus quotannis supererit, investiatur in eamdem Causam. Ad tertium, Negative –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Vigilien. die 7 Iulii 1736.*

58. Nam Episcopo in ultimis vitae periodis constituto de bonis ratione Ecclesiae acquisitis etiam ad Causas pias disponere vetitum est per Textus in Cap. *Episcopus*, Cap. *Sint manifestae*, Cap. *Cum officiis*, et Cap. *Ad haec* de testamentis *in Vigilien. die 14 Aprilis 1736* §. *Momentum.*

59. Quin imo Episcopus nec favore Canonicorum et Mansionariorum Cathedralis Ecclesiae disponere potest in testamento de bonis intuitu Ecclesiae suae acquisitis etiam sub onere celebrationis Missarum, adeoque iidem assignare tenentur favore eiusdem Cathedralis summam ab eius hereditate retractam et pro satisfactione dicti oneris Missarum investitam *in Boianen. Spolii die 10 Martii 1742.*

60. Enimvero in testamento sub annum 1738 condito Nuncius Baccari Episcopus Boianensis et Emi Vicarii in Urbe Vicesgerens Cathedralem suam Ecclesiam heredem scripsit ex bonis, quae in Boianensi Diaecesi possidebat, imposito tamen onere, ut ex eorumdem bonorum fructibus tot Missae ac unum Anniversarium a Canonicis et Mansionariis ipsius Cathedralis quotannis in animae suae suffragationem celebrarentur; in ceteris vero bonis extra dictam Diaecesim existentibus heredem esse voluit Philippum Baccari Fratris sui filium, utens Apostolico Indulto disponendi de rebus ecclesiasticis, quo uti Episcopus Pontificio Solio assistens potiebantur. Testamentariam hanc dispositionem Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Boianensis, secuto Testatoris obitu, cepit impugnare contendens, eam ex duplici capite irritam esse, altero scilicet, quod destituta esset solemnitatibus ad testamenti validitatem praescriptis in notissima L. *Hac consultissima* Cod. de testamentis, altero autem, quod eidem Episcopo minime licuerit, neque in propriae animae suffragationem disponere de bonis illis, qui vi vulgatae Constitutionis Innocentianae incipien. *Inscrutabili* debebant in beneficium Cathedralis erogari. Ad haec autumavit idem Promotor Fiscalis, quod si dispositio praedicta iuxta suam petitionem invalida iudicaretur, cogendi erant Canonici et Mansionarii omnia bona hereditaria dicti Episcopi restituere, ut eorum valor in compendium Cathedralis expenderetur. Modernus Boianensis Episcopus late in sua relatione exposuit momenta, quibus Promotor Fiscalis postulationis suae iustitiam conatus est evincere. Capitulum vero Sacrae Congregationis iussu ad deducenda iura sua sub consueta congrui termini praefixione excitatum nihil eousque obtulit. Ex resolutionibus Sacrae Congregationis tamen patebat, eamdem Sacram Congregationem non semel irritas declarasse similes dispositiones in fraudem spolii factas, etiam sub onere Missarum. Propositis igitur dubiis: – I. An constet de nullitate testamenti bo. me. Nuncii Baccarii Episcopi Boianensis quoad onus iniunctum Canonicis et Mansionariis Cathedralis Boiani pro celebratione Missarum perpetuarum in suffragium eius animae in casu etc. II. An dicti Canonici et Mansionarii assignare teneantur favore eiusdem Cathedralis summam ab eius hereditate retractam et pro satisfactione oneris dictarum Missarum investitam in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad utrumque, Affirmative – *in Boianen. Spolii die 10 Martii 1742.*

61. Prudenti autem arbitrio Episcopi relicta est applicatio redituum Beneficiorum in dimittendo aere alieno, quod Beneficiati contraxerunt, Garz. de Benef. part. 3 cap. 2 n. 150, Barbos. in Concil. Trid. sess. 25 cap. 14 de reformatione n. 15 *in Spiren. Canonicatus die 18 Augusti 1764* §. *Affirmat.*

62. Compertum hinc est, fructus Beneficii vacantis, iure communi inspecto, in utilitatem Ecclesiae ab Episcopo expendendos esse, vel futuris Personis fidelibus esse reservandos, Cap. *Cum vos* de officio ordinarii *in Praenestina Distributionum die 25 Maii 1833* §. *Illud.*

Item *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Nec contra; in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 9 Iulii 1842* §. *Circa.*

63. Idcirco fructus vacantis Beneficii de-

bent ab Oeconomo per Episcopum deputato percipi, iique in Ecclesiae utilitatem sunt expendendi aut futuris Successoribus fideliter reservandi, Cap. *Cum vos* de officio ordinarii, Cap. *Praesenti* eod. tit. in 6, et Cap. *Quia saepe* de elect. in 6 *in Illerden. die 11 Ianuarii 1727* §. *Promotor.*

Item *in Astoricen. Visitationis sacrorum Liminum die 28 Novembris 1733* §. *Quod.*

64. Hinc plures Interpretes deducunt, tales fructus esse dividendos, et dimidiam eorum partem fabricae Ecclesiae esse applicandam, aliam vero similem portionem Beneficiariis successoribus obvenire debere, ut observat Gonzalez in Cap. *Cum vos* n. 2 de officio ordinarii *in Astoricen. Visitationis sacrorum Liminum die 28 Novembris 1733* §. *Quod.*

65. Limita, dummodo tamen fructus huiusmodi alicui Personae de speciali privilegio consuetudine vel statuto non competant; alias enim ad eam pertinere debent ex Cap. *Tua nobis* de verborum significatione, Cap. *Si propter* de rescriptis in 6, Cap. *Si praesenti* de officio Ordinarii in 6 *in Illerden. die 11 Ianuarii 1727* §. *Capitulum.*

66. His vero missis, quum in Cap. *Cum vos* de officio iudicis ordinarii, Cap. 9 eodem titulo in 6, et Cap. 42 de electione ad vacantium Beneficiorum reditus Ecclesia semper primo loco nominetur, Doctores rectius existimant, ipsam praecipue, si in angustiis versetur, Successoribus ad eadem Beneficia fore praeferendam *in Praenestina die 8 Augusti 1800* §. *Quod.*

67. Unde Sacra Congregatio censuit, posse Episcopum ad effectum instaurationis Ecclesiae, ubi Beneficia sunt fundata et pro conficiendis sacris supellectilibus, reditus eorumdem Beneficiorum sequestri fidei dare *in Narnien. die 24 Martii 1657.*

68. Fructus igitur Canonicatus vacantis, qui iuxta statutum Ecclesiae applicantur per tres annos Fabricae Ecclesiae, possunt applicari per alios tres annos, si is, qui fuerit promotus, Literis expeditis et Capitulo intimatis, absque eo tamen quod unquam receptus fuerit aut resederit, e vita migraverit *in Colonien. die 26 Aprilis 1636 lib. 15 Decretorum pag. 349.*

69. Qua de re Sacra Congregatio, attenta redituum tenuitate Praebendarum Collegiatae Ecclesiae Cavarum, mandavit, ut fructus Canonicatus, pendente lite inter nominatos percepti, favore Sacrarii applicarentur *in Praenestina die 8 Augusti et die 19 Decembris 1801* (1).

70. Ceterum Episcopus potest quidem fructus vacantis Beneficii applicare in fabricae Ecclesiae utilitatem, dummodo vero fructus vacantium Beneficiorum non spectant ad Cameram Apostolicam, quia ista tunc succedit loco Ecclesiae ex Constitutione Pii IV edita 30 iulii 1560, ac altera die 7 septembris eiusdem anni *in Praenestina die 8 Augusti 1801* §. *Quod.*

71. Postea enim in Ecclesiae vel Successoris locum Apostolicus Fiscus suffectus est, Adlectoribus caducorum Pontificis Maximi, Curatoribus nempe Spoliorum in id causae propositis, Pius IV Const. *In suprema,* Gregor. XIII Const. *Sicut accepimus,* Filiucc. de spol. cap. 6 n. 7 *in Praenestina Distributionum die 25 Maii 1833* §. *Illud.*

72. Unde id etiam patet ex Constitutionibus Pauli III, quae incipit: – *Romani,* Iulii III *Cum sicut nobis nuper,* Sixti V *In conferendis,* quibus vacantium Beneficiorum fructus iure spolii Apostolicae Camerae applicati sunt, Pignatell. consult. 126 tom. 4, Ferrar. verb. Spolium, Girald. Exposit. Iur. Pontif. tom. 1 sect. 188 *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Ceterum.*

73. Fructus itaque Beneficiorum, quae obtinentur a Promoto ad Episcopatum, ubi Thesaurarius Generalis Camerae Apostolicae non habet ius spolii, ex iure communi sacrorum Canonum debentur eidem a die praeconizationis usque ad diem possessionis per eumdem Promotum post consecrationem tempore a sacro Concilio Tridentino praescripto sequutam *in Sardiniae die 3 Decembris 1630 lib. 16 Decretorum pag. 306.*

74. Unde iuri communi maxime congruit, ut praediorum fructus, sive naturales simpliciter sint, sive industriales, ad eum integre pertineant, qui collectionis tempore ea ipsa praedia possideat, L. *Si usufructua-*

(1) Resolutio Causae huius prostat in Verb. *Canonici,* §. III, n. 308, Tom. IV.

rius 13 ff. quib. mod. usufr. amittitur, L. 63 ff. de usufructu, Donell. de iur. civil. lib. 4 cap. 25 §. 12 tom. 1 *in Signina Constitutionum capitularium die 24 Ianuarii 1829* §. *Rem.*

75. Quare iure canonico quoad Beneficia sancitum constat, ex praediorum fructibus eos tantummodo, qui a solo separati iam fuerint, ad heredes defuncti Beneficiarii pertingere; secus vero si fructus huiusmodi adhuc pendeant, ad Successorem in Beneficio spectare, quantumcumque institerit in Praedecessoris obitu eorumdem collectio, Gloss. in Cap. *Si propter* verb. Primi anni de rescript. in 6, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 44 n. 23 ad 29, Rigant. ad Reg. Cancell. 69 n. 41 tom. 3 *in Veliterna Capellaniarum die 25 Maii 1822* §. *Iuxta.*

Item *in Signina Constitutionum Capitularium die 24 Ianuarii 1829* §. *Rem.*

76. Aequitati vero non solum, sed etiam iustitiae consonum est, ut, quo tempore Beneficii quisque sui onera tulit, per id ipse debeat eiusdem Beneficii commoda sentire. Quamvis enim praescriptionibus, qui de usufructuario traduntur, inhaerendum sit, ubi agitur de possessoribus Beneficiorum simplicium, qui usufructuario sine onere comparantur; aliter tamen sentiendum videtur de Rectoribus Beneficiorum curam animarum administrationem aut residentiam cum officio adnexam habentium; postremo siquidem casu fructus dicuntur onerum praemium et laboribus muneratio, veluti post Paris. de resignat. lib. 1 quaest. 6 docet Card. De Luca de Benef. disc. 84 n. 6, et disc. 100 n. 12. Quapropter nonnulli Antistites in Synodis Diaecesanis, quos inter Card. Mathaeius in Synodo Veliterno part. 4 cap. 2 n. 17 sub titulo de Capitulo Cathedralis Ecclesiae, uti habetur apud hanc Sacram Congregationem in Veliterna Capellaniarum 25 maii 1822 (1), sanxerunt, ut fructuum partitio in dies, quibus quisque pro temporis diuturnitate operam Ecclesiae navavit, accurate conficeretur *in Signina Constitutionum Capitularium die 24 Ianuarii 1829* §. *Verum* (2).

77. Idcirco etiam heredibus Canonici consignandi sunt fructus Canonicatus decursi durante illius vita, quum Capitulum ei tradere renuerit *in Moguntina Consignationis Fructuum die 15 Maii 1723.*

78. Siquidem Ottho a Malsburg Canonicatum obtinuit in Collegiata Ecclesia Sancti Petri extra muros Civitatis Moguntinae una cum dispensatione retinendi etiam Canonicatum in Ecclesia Metropolitana dictae Civitatis et alium Canonicatum et Decanatum Collegiatae et Equestris Ecclesiae S. Ferrutii memoratae Moguntinae Diaecesis, et post absolutam annalem residentiam, quam vocabant rigorosam, et adimpleta alia, quae erant adimplenda, admissus fuit ad actualem possessionem; cumque Capitulum S. Petri eidem controvertere cepisset consignationem fructuum sub obtentu, quod ad formam antiqui Statuti non habitabat in aedibus claustralibus Ecclesiae, lis exorta est et ad Sacram Congregationem delata, quae incepit tempore utique vitae Otthonis, sed eodem hoc interim defuncto, suam habebat prosecutionem, instantibus eiusdem heredibus, qui inter noviter ad fidem conversos enumerabantur. Fundamentum Capituli, uti colligebatur ex informatione Ordinarii, constituebatur in statuto demandante, quod Canonicus habitaret intra immunitatem Ecclesiae in domo sibi assignata ad effectum, ut fructus percipere valeret, de cuius validate statuti dixit non esse dubitandum, cum esset antiquum, fuerit ab Ordinario confirmatum anno 1499, nec non a Summo Pontifice Alexandro VI, et semper fuerit et esset in viridi observantia. Adversus haec dicebatur ab heredibus Canonici Otthonis, in Ecclesia S. Petri multa reperiri statuta, quae adversabantur statuto, cui Capitulum innitebatur; aderat enim unum statutum, ut nemo posset admitti ad Capitulum, nisi prius intra immunitatem Ecclesiae S. Petri habitaverit per unum annum diem et mensem, et integram fecerit residentiam. Aderat rursus aliud statutum, in quo pro lucrandis fructibus non ponebatur in conditione habitatio intra terminos immunitatis,

1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capellanus*, §. I, n. 56 ad 60, Tom. V.

(2) Idque Sacra Congregatio indulsit in huiusmodi Signina, quae prostat in Verb. *Capitulum*, §. VIII, n. 72 ad 74, Tom. VI.

sed praesentia personalis in primis vesperis S. Petri ad vincula, in primis vesperis omnium Sanctorum. Aderat denique tertium statutum, in quo disponebatur, quod admissus ad Curiam claustralem teneretur in ea cum sua familia continuo habitare, aut eam honestis personis locare, hinc inferendo, non posse dici impositam obligationem continuo habitandi intra immunitatem pro fructibus consequendis in sequelam statuti, cui tot alia statuta adversabantur. Addidit Ordinarius in sua informatione, quod statutum allegatum a Capitulo fuit quidem confirmatum ab Ordinario, sed non a Summo Pontifice, et quod idem statutum de inhabitanda Curia nec olim, nec hodie ab omnibus observabatur, quod etiam confirmabant tres Notarii Civitatis Moguntinae.

79. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An heredibus quondam Canonici Othonis a Malsburg debeantur fructus Canonicatus, de quibus agitur, decursi durante illius vita in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius – *in Moguntina Consignationis Fructuum Canonicatus die 15 Maii 1723.*

80. Hinc si legitima adsit consuetudo, rata fructuum Archipresbiteratus vel Canonicatus, quae respondet tempori, quo Archipresbiter vel Canonicus defunctus intra annum servitium Ecclesiae praestitit, debetur eius heredibus, non autem novo Archipresbitero vel Canonico *in Ferentina Fructuum die 2 Augusti 1749.*

81. Iamvero diuturna consuetudine, quae ab anno 1686 in ius scriptum transiit, observatum est et observabatur in Ecclesia Collegiata S. Agatae Proxeudis Ferentinae Diaeceseos, – che quando muore l'Arciprete o Canonico o Beneficiato si facciano dell' entrate all' anno del defonto dodici parti, e la rata, che li tocca per il tempo servito, si dia al suo erede, e l'anno incominci il primo settembre –. Hoc iure ductus Ioseph Grasselius filius sororis et heres Archipresbiteri Raimundi, qui obiit die 24 martii 1748, petiit ab Archipresbitero successore Peregrino Fornasari, qui Archipresbiteratus possessionem nactus est die 23 aprilis eiusdem anni, fructuum et redituum partem, quae respondebat septem mensibus, quibus a die 1 septembris anni 1747 ad diem 24 martii anni 1748 servitium praestitit Ecclesiae Archipresbiter Mecoli. Recusavit Fornasarius: Grasselius eum vocavit in ius ad Sacram Congregationem; et disputavit consuetudinem, quae eousque servata fuit, ut testificationem faciebant Canonici, esse servandam. Proposito igitur dubio: – An rata fructuum Archipresbiteratus Terrae Proxeudis a mense septembris 1747 usque et per totum diem 24 martii 1748, quo obiit bo. me. Archipresbiter Mecoli, debeatur illius heredibus, seu potius moderno Archipresbitero in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Ferentina Fructuum die 2 Augusti 1749.*

82. Qua de re quum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Turritanae contenderet, in universis Regni Sardiniae invaluisse consuetudinem, ut fructus ante Antistitum praeconizationem pendentes et post eam maturati inter ipsos et Cathedralium Capitula pro rata temporis dividerentur, sed modernus Archiepiscopus consuetudinem huiusmodi impugnans ad se pertinere sustineret, Sacra Congregatio mandavit, ut coadiuvarentur hinc inde probationes intra spatium trium mensium *in Turritana die 15 Novembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

83. Siquidem – postquam Beatus Pius V ad consulendum aliquo modo reparationi et indigentiae Ecclesiarum Cathedralium Regni Sardiniae speciali sua Constitutione edita 8 februarii 1567 spolia defunctorum Archiepiscoporum et Episcoporum fructusque illarum vacatione durante decurrentes, qui antea Successoribus in Episcopatu reservabantur, ab ipsis Successoribus abdicavit, eisdemque Cathedralibus applicavit et addixit, ut in illarum fabricam opportunamque reparationem ac respective in sacrorum ornamentorum et paramentorum emptionem, prout utilitas vel necessitas exegisset, a singulis ipsorum Capitulis erogarentur, laudabilis invaluisse dicitur in universis dicti Regni Sardiniae Capitulis consuetudo in haec usque tempora servata, ut fructus ante eorumdem Successorum praeconizationem pendentes et post eam maturati inter Successores ipsos et dictarum Cathedralium Capitula pro rata tem-

poris dividerentur, sicuti omnia eadem Capitula unanimiter testantur. Cum tamen modernus Rm̃us Archiepiscopus Turritanus consuetam huiusmodi divisionem impugnans omnes et singulos fructus ante praeconizationem suam pendentes et postea maturatos ad se pertinere contenderet, idcirco ex debito commissae sibi per eamdem Pianam Constitutionem dictorum fructuum administrationis Capitulum sese opposuit –. Proposito interim dubio: – I. An omnes fructus Mensae Archiepiscopalis Turritanae pendentes ante praeconizationem et post eam maturati integre spectent ad Rm̃um Archiepiscopum, vel sint dividendi pro rata inter ipsum et Cathedralem in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, dilata; et coadiuventur hinc inde probationes super asserta consuetudine, et distinguantur qualitates fructuum, praefixo termino trium mensium, quo elapso, Causa reproponatur – *in Turritana die 15 Novembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

84. Quum autem Testator mandaverit erectionem Archipresbiteratus post obitum heredis usufructuariae, fundis in id specialiter assignatis, huiusmodi fructus post obitum praedictae heredis usufructuariae usque ad diem petitionis iudicialis erogandi sunt in expensas constructionis sedilis, reliqui spectant ad Archipresbiterum, non vero ad hereditatem *in Tolentina Erectionis Archipresbiteratus die 5 Decembris 1744.*

85. Iamvero Petrus Franciscus Nardius Canonicus Cathedralis Ecclesiae Tolentinae, instituta herede universali Causa pia, praecepit, ut post obitum heredis, quam scripserat in usufructu, altera Dignitas in dicta Ecclesia Cathedrali erigeretur, datis adsignatisque in hanc rem praediis rusticis tribus unoque urbano, adiectoque onere agendi quotannis centum viginti quinque Sacra in Ara maiori eiusdem Templi. Inde aliis pluribus scriptis Legatis voluit Testator, ut, e vivis erepta herede usufructuaria, bona universa distraherentur, eorumque pretio dos primum Puellis Moriconiae Familiae solveretur, inde quod reliquum esset erogaretur in Sacra quanto celerius fieri poterat agenda in praedicta Ecclesia Cathedrali. Licet impleri voluntatem hanc suam iusserit Testator continuo post obitum usufructuariae, ea tamen anno 1743 defuncta, moram iniiciebat Exequutor testamentarius erectioni Dignitatis, fructus interim percipiens e praediis assignatis, ut Theodorus Moriconius a Patrono nominatus curaverit protestationem emitti, et petierit a Iudice, ut de fructibus praediorum aliqua ratione caveretur. Ille Oeconomum nominavit, Theodorus vero adiectum onus implens Sacra agi curavit, deditque operam, ut Episcopus et Capitulum consensum erectioni praestarent, quod feliciter obtigit, nec tamen punctum tulit. Nam Iacobus Benaduccius exequutor testamentarius iura hereditatis defendebat, negabatque, cogi eam posse ad erogationem pecuniae, quae necessaria erat ad erectionem; fructus praediorum ante eamdem erectionem perceptos ad hereditatem pertinere intendebat. Patebat vero, huiusmodi fructus non ad hereditatem, sed ad Archipresbiterum pertinere ex eodem testamento eademque iuris dispositione. Nam cum Testator ab hereditate sua diviserit et separaverit tria praedia, quae Dignitati assignavit, consequebatur, dominium praediorum, defuncta herede usufructuaria, in Dignitatem erigendam translatum fuisse, ut fructus, qui e praediis obvenerunt, non ad hereditatem, sed ad Dignitatem eiusque Rectorem pertinere deberent iure dominii, ut recte respondit Rota coram Falconerio decis. 48 de fideicomm. n. 1, et in Mantissa Card. De Luca lib. 13 dec. 43 n. 7; atque hoc eo amplius esse custodiendum, quod non hereditatis, sed Dignitatis erigendae gratia dilata fuerit a Testatore eiusdem erectio post obitum usufructuariae, et consequenter fructus etiam temporis erectionem antecedentis sive intermediarii ab herede esse praestandos, iuxta aequissimam distinctionem Pegasi, quam probat Pomponius in L. *Si ita relictum* 44 §. Pegasus de legat. 2, qua in nostra specie utuntur Fagnanus in Cap. *Nos quidem* de testam. n. 8, Bartol. cons. 18 lib. 2, Gratian. discept. cap. 358 a n. 15 ad 18, Mantica de coniect. lib. 7 tit. 10 n. 10, et Rota ad Theatr. Card. De Luca lib. 11 decis. 10 n. 16, praesertim cum Theodorus voluntatem Defuncti et onus adiectum impleverit, qui Sacra agi curavit.

86. His igitur perpensis, proposito dubio: – II. An fructus bonorum specialiter designatorum pro dicta erectione spectet ad

hereditatem dicti Testatoris, vel ad Archipresbiterum a die obitus Testatoris? –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, expensas pro erectione Dignitatis seu Archipresbiteratus faciendas esse sumptibus hereditatis comprehenso etiam sedili (1), respondit: – Ad secundum, fructus post obitum heredis usufructuariae usque ad diem petitionis iudicialis erogandos esse in expensas constructionis sedilis, reliquos vero spectare ad Archipresbiterum – *in Tolentina Erectionis Archipresbiteratus die 5 Decembris 1744.*

87. Quod si duo Coniuges uno condito testamento vicissim se usufructuarios scripserint heredes, proprietariam vero Capellaniam, post obitum utriusque Coniugis erigendam, sed alter ex illis priorem mutaverit voluntatem ac de respectiva hereditate, postquam per plures annos iam defuncti bonis gavisus fuerat, disposuerit, huius hereditas haud tenetur restituere fructus interim perceptos *in Signina die 29 Novembris 1788* (2).

88. Quapropter licet tres fratres in id convenerint, ut post omnium obitum ex integra ipsorum hereditate designatus erigeretur Locus pius, sed duobus ex illis e vivis ereptis tertius, postquam per plures annos reditus utriusque hereditatis perceperit, mutata penitus voluntate iam in supremis tabulis exarata, propria ac fratrum bona alteri Loco pio donavit, nulla quidem est donatio bonorum aliorum fratrum, adeoque cum bonis etiam fructus sunt restituendi, nedum vero is valide respectiva bona donavit ac ea propter huiusmodi fructus restitui haud debent, verum nec fructus sunt restituendi, quos idem ex praedictis fratrum bonis percepit *in Amerina praetensae Erectionis Seminarii die 12 Novembris 1712 die 17 Iunii 1713 et die 1 Decembris 1714 lib. 62 63 et 64 Decretorum* (3).

89. Quum vero Testator mandaverit, ut statim secuto ipsius obitu ex bonis hereditariis erigeretur Capellania, omnes fructus inde percepti sunt omnino restituendi ac erogandi in emptionem capitalium pro augenda dote praedictae Capellaniae, ex eo praesertim quod bonorum detentor in mala fide fuerit constitus *in Civitatis Plebis Erectionis Capellaniae die 27 Novembris 1784* (4).

90. Idcirco fructus hereditatis, qua Testator mandavit, ut post obitum Uxoris erigeretur Capellania seu Beneficium, et quidquid praestitis ei alimentis superesset, favore praedicti Beneficii erigendi servaretur, haud debentur Capellano ab eodem Testatore nominato, sed in augmentum capitalis memorati Beneficii sunt conferendi *in Asten. Capellaniae die 28 Augusti 1751.*

91. Siquidem anno 1742 Ioannes Iacobus Beccaris testamento mandavit erectionem Capellaniae in Ecclesia Collegiata S. Secundi, et Ioannem Christophorum Coppa nominavit primum Capellanum. Hinc Exequutor et Capitulum contenderunt, fructus hereditatis, qui in summa scutorum 60 in manu erant Administratoris, non deberi Ioanni Christophoro Coppae, sed in augmentum Capellaniae sive Beneficii erigendi cedere debere ex dispositione iuris, quae vult, fructus hereditatis iacentis, vel currente temporis deliberandi, vel nondum adita ab herede hereditate, augere hereditatem ipsam et in assem cedere, ut est in L. *Item veniunt* §. Item non solum ff. de pet. hered., L. fin. §. Et si praefatam Cod. de iure deliberandi. Praesertim accedente voluntate ipsius Testatoris, cuius voluntatis optima ac vehemens educebatur coniectura ex his, quae habuit de alimentis Uxori relictis; quidquid enim iis ei praestitis superesset, Exequutor testamentarius id totum penes se retinere deberet, ad effectum uniendi massae hereditatis nec non constituendi fundum favore Beneficii seu Capellaniae residentialis aut simplicis. Quod igitur fieri voluit Testator, viva Uxore alimentaria, longe magis eum voluisse putandum erat, alimentaria defuncta, et prius quam fieret erectio sive Capellaniae residentialis, sive Beneficii simplicis, omnemque cessare disputationem ex litera testamenti, ex qua

(1) Ceu videre est in Verb. *Damna* etc. n. 132, Tom. VII.
(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capellania*, §. I, n. 48, Tom. V.
(3) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Donatio*, n. 59 ad 63, Tom. VIII.
(4) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capellania*, §. II, n. 11, Tom. V.

constabat, eum noluisse, ut fieret erectio, nisi postquam finitus esset usufructus seu verius onus alimentorum, quae Viduae praestari debebant, et post dispuncta debita hereditatis et asse hereditario ab oneribus omnibus debitisque soluto: neque accusari posse Exequutores de negligentia et mora, ex qua nondum facta fuerit erectio; id enim non ex culpa Exequutorum, sed ex ipsa rei natura evenisse ipse tradidit Episcopus. His igitur perpensis, proposito dubio: – II. An fructus hereditatis decursi post obitum Testatoris debeantur Sacerdoti Coppa Capellano nominato, seu potius sint conferendi in augmentum capitalis Capellaniae sive Beneficii erigendi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Asten. Capellaniae die 28 Augusti 1751* (1).

92. Qua de re quum fructuum perceptio sit sequela possessionis Capellaniae etiam laicalis, si iidem fuerint sequestrati haud sunt consignandi, qui eam adhuc non habet, sed est locus applicationi favore ipsius Capellaniae in augmentum eius fundi *in Ripana Capellaniae di 7 Maii 1791* (2).

93. Quod si plures Testatores domandaverint erectionem Canonicatus, sed diu neglecta fuerit erectio, fructus inde decursi debentur Reverendae Fabricae S. Petri, quum eos suos facere non potuerit nec Executor testamentarius, nec illius Successores tamquam Patroni *in Viterbien. Erectionis Canonicatus et Applicationis Fructuum die 28 maii 1796 et die 21 Ianuarii 1797* (3).

94. Regula canonica autem est, erogari non debere in alios etiam pios usus, quod celebrationi destinatum est Missarum, Cap. *Tua nobis* de testamentis, Card. De Luca annot. ad Concil. Trid. disc. 21 n. 3, Pignatell. consult. 50 n. 1 tom. 6, Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. can. lib. 4 tit. 5 tom. 2 in animad. n. 1 *in Melevitana Applicationis die 15 Iulii 1797* §. *Primo*.

95. Unde licet reditus Beneficiorum imminuti notabiliter videantur, non propterea permittitur, ut fructus inexacti et assignati pro Missarum celebratione et Anniversariis, ex censibus provenientes, augeant sortem ad effectum habendi maiores distributiones *in Vicen. die 16 Maii 1767*.

96. Enimvero Ecclesia parochialis Beatae Mariae Villae Pratorum Regis Vicensis Diaeceseos Communitatem habebat viginti trium Presbiterorum, quorum alter Rector, alter Vicarius, et Reliqui Beneficiati nuncupabantur. Hi omnes, duobus tantum exceptis, absque ulla distributione choro diebus festis assistebant, Missam Conventualem cantabant, et horas canonicas, nempe tertiam sextam nonam vesperas et completorium recitabant, pluribus processionibus interveniebant, ac conspicuo numero Missarum et Anniversariorum gravabantur. Fructus autem et reditus certi eorumdem Beneficiatorum vix ad annua scuta quatuor monetae ascendebant, incerti vero ex residentia celebrationibus Missarum et Anniversariorum, non detracto Procuratoris salario, constituebant in totum annua scuta 1121 50. Cum vero capitalia pro dictis Missis Anniversariis et supplicationibus maxime consisterent in censibus, fructus inexacti ob debitorum inopiam anno 1762 pervenerunt ad scuta 6857: hinc Communitas Beneficiatorum ad occurrendum suorum Beneficiorum tenuitati ac propriae indigentiae supplicavit, ut ex dictis fructibus et reditibus inexactis augerentur dicta capitalia, pro inde habendis maioribus distributionibus; utque etiam ex proportionata singulorum capitalium contributione certum statueretur capitale librarum 1500 annui reditus librarum 45 deponendi in archivio Ecclesiae pro necessariis expensis litium et indigentiis, pro conservatione capitalium et redituum cuiusque fundationis, hac tamen lege, quod pervento deposito ad libras 100, omne id quod superesset erogaretur singulis annis pro dimidia parte in celebrationem tot Missarum, et pro alia dimidia in tot Anniversaria pro animabus Fundatorum cum consueta Ecclesiae eleemosyna. Aequitati enim et iustitiae consonum esse dixit, ut sibi distributiones augerentur,

(1) Speciem Causae huius latius habes in Verb. *Beneficia*, §. XII, n. 224 ad 229, Tom. III. Reliqua quoad fructus, quos Capellanus percipere potest, prostant in Verb. *Capellanus*, §. I. Tom. V.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capellania*, §. IV, n. 85 et 86, Tom. V.

(3) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Canonicatus* §. III, n. 214 ad 218, Tom. IV.

ne alias a servitio Ecclesiae recedere vel victum emendicare aut vilia exercere cogerentur. Nec obesse, quod dicti reditus et fructus inexacti destinati essent pro tot Missis Anniversariis et Officiis: advertit enim, olim fructus census ad septem vel octo pro quolibet centenario fuisse, in praesens vero ex Regia pragmatica vix ad tria pro quolibet centenario redactos fuisse; plura insuper capitalia periisse, et ob debitorum inopiam difficilem esse exactionem, mutatum ideo esse Ecclesiae statum et valde decrevisse Presbiterorum distributiones, iustam hinc esse causam, ut pro tuendo Ecclesiae servitio Missae ac Anniversaria reducerentur, immo esse etiam necessariam, ne Sacerdotes congruo subsidio privati ab Ecclesiae servitio recederent. Providam item contendit esse contributionem a singulis fundationibus praestandam pro constituendo capitali librarum 1500: assiduas dixit esse lites contra debitores censuum, nec levem esse confusionem ac laborem in detrahendis ex reditibus fundationum expensis litium et aliis, quae fiebant in utilitatem et conservationem earumdem fundationum; expedire idcirco summopere, ut certus fundus pro dictis litibus ferendis constitueretur ad capitalium conservationem et fructuum exactionem. Episcopus propterea Communitati Presbiterorum favit.

97. His tamen perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit annuendum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative - *in Vicen. die 16 Maii 1767.*

98. Quapropter fructus Legati pii ob intermissam Missarum celebrationem superextantes erogandi sunt in earum celebrationem, ad formam fundationis ne volitis Legans fraudetur suffragiis, deductis tamen expensis, quae necessariae sunt pro constituendo Legato; quandoquidem quum Legatum pium a Ioseph Stropeno relictum in creditorum concursu gradum obtinuerit integrumque consequutum fuerit capitale scutorum 118, cum quibus subinde erectus est census ad rationem scutorum quinque pro centenario et anno cum Communitate Arimini, et illius fructus decursi ab anno 1792, quo intermissa fuit Missarum celebratio, ad diem 15 iunii 1795 ascendebant ad summam scutorum 18 15, quae deposita extabant in Ariminensi Monte Pietatis, proposito dubio: - III. An et quomodo erogari debeant fructus superextantes in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad tertium, Affirmative ad formam fundationis ad taxam obulorum 12 $^1/_2$, deductis expensis pro constituendo Legato necessariis, ab Ordinario liquidandis - *in Ariminen. Legati die 11 Februarii 1797.*

99. Nam ut piae voluntates Testatorum adamussim serventur, et ne Defunctorum animae debitis fraudentur suffragiis, Sacra Congregatio definivit, fructus pro Missarum celebratione assignatos in capitalis augmentum convertendos non esse, ut in Bononien. Legati Missarum 7 decembris 1667 et 9 augusti 1668 et 4 septembris 1702 *in Feretrana die 8 Aprilis 1843* §. *Quoad.*

100. Verumtamen eadem Sacra Congregatio ad magis plenam piae voluntatis exequutionem in Ariminen. die 3 iulii 1819 decrevit, esse investiendos fructus haud integre erogatos in solemnia, quae una cum Missarum celebratione ad honorem cuiusdam Sancti peragenda erant, quamvis Testator prohibuisset, ne in alios usus converterentur. Sic pariter in Ripana 7 maii 1791 fructus alicuius Capellaniae vacantis sub sequestro positos in capitalem converti iussit. Expedit sane, ut cum ob redituum diminutionem vel tenuitatem impleri Legata pia nequeant vel negligantur, meliori, quo fieri potest, modo bona augeantur, etiam suspensis interdum oneribus, ne aliunde piae Testatorum dispositiones penitus destituantur; atque id consonum eorumdem Testatorum voluntati dici potest *in Feretrana die 8 Aprilis 1843* §. *Verumtamen.*

101. Idcirco quum fructus hereditatis in tot Missas erogandi valde aucti fuerint, Sacra Congregatio, attenta Parochiae inopia ac necessitate habendi Vice-Curatum, mandavit quidem fructus praedictae hereditatis erogandos esse ad formam testamenti, detracta tamen favore Vice-Curati summa ab Episcopo designanda *in Montis Regalis die 9 Septembris 1797.*

102. Siquidem Matthaeus Restagno heredem instituit anno 1757 animam suam, destinatis in executores testamentarios Prioribus Societatis Suffragii erectae in parochiali Ecclesia *di Niella del Tanaro* Diaecesis Montis Re-

galis: mandavitque, ut suorum mobilium pretium in tot erogaretur Missas, idemque quotannis fieret de fructibus bonorum stabilium, quorum reditus in annuis consistebat scutis circiter 77. Hisce vero distractis ad occupandum pretium in Montibus Augustae Taurinorum, ab anno 1791 auctus est reditus ad scuta circiter 133, praebuitque huiusmodi augmentum Praeposito Parochiae occasionem petendi EE. PP. applicationem auctae summae in manutentionem Vice-Curati, ut rectius numerosum curare posset Gregem, vel delegationem Episcopi Montis Regalis cum facultate capiendi in id opportunam provisionem. Episcopus autem Montis Regalis retulit, annuum Paraeciae reditum modo in pastoralibus visitationibus affirmari scutorum 60, modo 100, assertione vero quorumdam Parochianorum, vel – poco affetti al loro Parroco –, vel – spinti da una troppo favorevole prevenzione per la loro Parrocchia –, ascendendere ad scuta 160, licet non multo ante propositis edictis ad effectum locandi omnes reditus parochiales ad triennium pro annuis scutis sexaginta, nemo comparuisset. Verum admisso etiam reditu scutorum 160, quem tamen nullatenus Episcopus credebat, ipsius tamen Episcopi iudicio, satis non erat ad honestam Parochi eiusque Coadiutoris sustentationem. Retulit insuper, initio fundationis Parochiae, satis pro animarum cura fuisse unum Parochum; sed aucto deinde Parochianorum numero adhiberi cepisse anno 1645 Capellanum Curatum, cui stipendium praestabat Communitas Montis Regalis. Hac vero defecta praestatione, uti consuevisse Parochos ministerio alicuius localis Sacerdotis, plerumque consanguinei vel amici cum tenuissima remuneratione alicuius incerti emolumenti vel prandii diebus festis. Ab anno tamen 1783, quo novissimus decessit Vicecuratus, ob defectum localis Sacerdotis vel exteri, qui cum ea remuneratione ministerium praestare vellet, Parochiae pondus sustinere unum Parochum, eumque imparem curae animarum 1500, quae per agros longe dissitos reperiebantur, neque spem ei esse habere Vicecuratum, nisi ei praestaret alimoniam et annua scuta viginti. Certiores inde fecit EE. PP. de Missis ab anno 1782 celebratis iuxta dispositionem Testatoris, celebratas nimirum fuisse ultimo decennio ad totum annum 1791 Missas 6564 seu 656 singulis annis; ab anno vero 1791 ad ea tempora alias supra eum numerum celebratas quotannis esse Missas 43, ob aucta fructuum pretia. Petitioni autem Oratoris prius consensum praestitisse Sodales legitime congregatos, deindeque eorum partem consensum revocasse. Hoc tamen non obstante, irrationabile censuit illorum dissensum, adeoque suum aperuit votum favore Oratoris ad effectum suspendendi celebrationem Missarum pro ea quantitate, quae necessaria erat pro manutentione Vicecurati, vel saltem ipsi Episcopo tribuendi facultatem, qua id posset impendere, quod iuxta circumstantias opportunum censeret. Quoties tamen rescriberetur pro applicatione, deliberandum erat de modo. Postulavit enim Orator redundantes reditus: quod secumferebat applicationem scutorum 56, quum tunc bona pii legati redderent scuta 77, in praesens scuta 133, contra expressam voluntatem Testatoris, qui omnem erogari voluit reditum in celebrationem Missarum. Idem vero obtineri potuisset finis, salva Testatoris voluntate. Celebratae eousque fuerunt cum solita eleemosyna unius iulii. De Missis agebatur perpetuis, pro quibus deberetur eleemosyna ad taxam perpetuae. Hac igitur decreta eleemosyna obulorum 20 pro qualibet Missa, lucraretur Capellanus summam scutorum 66 59, et gravari posset onere coadiuvandi Parochum in cura animarum.

103. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sint erogandi reditus hereditatis Restagno in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad formam testamenti, detracta tamen favore Vice-Curati summa ab Episcopo designanda – *in Montis Regalis Applicationis die 9 Septembris 1797.*

104. Attenta hinc praedilectione Testatoris erga Ecclesiam parochialem nec non Parochi congrua, quae vix est dimidia conciliaris in annuis scutis quinquaginta, indulgetur facultas erogandi fructus inexactos, qui ad summam circiter 260 ascendunt, ut reinvestiantur pro summa scutorum biscentum ad augendos in perpetuum annuos reditus Parochi pro tempore dictae Ecclesiae parochialis *in Camerinen. die 18 Novembris 1797.*

105. Iamvero heredem instituit anno 1775 Petrus Paulus Card. de Comitibus equitem Iosephum germanum eius fratrem. Cardinali Testatore defuncto, exequi cepit illius voluntatem P. Thomas de Comitibus; sed ob gravem aetatem adversamque valetudinem in suum locum substituit Canonicum Venantium Valenti. Demandatum munus suscepit Canonicus Valenti,et reaedificata Ecclesia S. Mauri iuxta dispositionem Testatoris, eam aliasque duas sacris instruxit utensilibus, deputavitque Sacerdotem Sanctem Lamponi pro celebrandis Sacris a mandante praescriptis, cum eleemosyna iuliorum trium pro quolibet, ea insuper lege, ut ex superextantibus fructibus Locorum Montium undecim tot alia faceret Sacra. Haec omnia profecto, quae Card. Testator eius Executor testamentarius P. Thomas de Comitibus et Canonicus Valenti praescripserunt, adimpleta fuerunt ad annum 1790, quo tandem Canonicus Valenti omnem negotii curam dimisit. Quum ab eo autem tempore ob defectum Administratoris inexacti essent Locorum Montium fructus, neglecta Sacra et trium Ecclesiarum supellex, indigeretque reparatione Ecclesia S. Mariae *del Rivo* (quam de cetero Camerinensis Archiepiscopus veluti superfluam et inutilem suspendit), Summo Pontifici propterea supplicavit Marchionissa Theresia Grassi, heres equitis Iosephi Conti defuncti eius viri et dictarum Ecclesiarum patrona, ut confirmare dignaretur methodum a P. Thoma et Canonico Valenti constitutam, et aliquot per annos in spirituale bonum Populi S. Mauri servatam, sibique facultatem concederet exigendi praeteritos et futuros Locorum Montium fructus, ex quibus adimpleret, quae Testator praescripsit, et P. Thomas executor testamentarius eiusque procurator Canonicus Valenti ex communicata sibi illius voluntate addiderant. Archiepiscopus id conveniens esse censuit, ponderandum etiam rogavit, – aeque conveniens esse ac summopere expediens, quod fructus dictorum Locorum Montium decursi et decurrendi, qui supererunt, factis dumtaxat necessariis expensis iuxta mentem ac expressam voluntatem Testatoris, reinvestiantur pro summa saltem scutorum bis centum ad augendos in perpetuum annuos reditus Parochi pro tempore praedictae Ecclesiae S. Mauri, praesertim quia Parochus ex bonis huiusmodi parochialis Ecclesiae vix annuatim percipit scuta quinquaginta –. Providit enim Testator trium Ecclesiarum Paraeciae S. Mauri S. Mariae *del Trivio* et S. Mariae *del Rivo* manutentioni, et Executor celebrationi Missarum, non item Parocho, de quo nec verbum fecerunt: hinc licet ad augendam Parochi congruam ex reditibus destinatis in beneficium dictarum trium Ecclesiarum deroganda esset illorum voluntas, quod facile fieri non debet ex Tridentina Synodo sess. 22 cap. 6 de reformatione, notabatur tamen, quod in themate ageretur de Parocho alterius ex Ecclesiis a Testatore praedilectis, cui vix erat dimidia conciliaris congrua, cum praesertim per erogationem scutorum 200 in augmentum parochialis congruae non multum detraheretur Ecclesiarum manutentioni, quia exigendi erant fructus Locorum Montium undecim ab anno 1790, seu summa scutorum circiter 260.

106. His igitur perpensis, proposito dubio: – IV. An et quomodo sint erogandi fructus inexacti Locorum Montium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative iuxta votum Archiepiscopi – *in Camerinen. die 18 Novembris 1797.*

107. Quod si annua fructuum summa a Fundatore praescripta pro investimento decreverit, investienda et multiplicanda est summa tantum, quae excedit canonicam taxationem *in Romana die 6 Decembris 1721.*

108. Siquidem R. P. D. Ioannes de Bussis perpetuam Praelaturam instituit et voluit, quod pro eius augumento primus ipsius heres et praelatus R. P. D. de Pactis investiret quolibet anno scuta 500 monetae, et quod alii in dicta Praelatura successores quolibet anno investire tenerentur scuta 1000, cuius tamen investimenti fructibus frui possent. Secuto obitu dicti R. P. D. de Pactis, Praelatura delata est ad Raphaelem de Fabrettis: sed inter obitum de Bussis et obitum de Pactis Praelaturae reditus decreverunt; tempore enim obitus de Bussis ascendebant ad annua scuta 3000, ac dein detractis detrahendis ascendebant ad annua scuta 1786. Procedendo autem ad tramites Constitutionis Alexandrinae 88 §. 5 Bullar. tom. 6 summa scutorum

1500 in annuo reditu erat necessaria pro alendo Romanae Curiae Praelato; impossibile hinc erat, quod anno quolibet fieri posset investimentum scutorum 1000. Proposito igitur dubio: – An et quomodo et in qua summa fieri debeat quolibet anno investimentum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Esse investienda et multiplicanda quolibet anno scuta bis centum iuxta modum, et in reliquis ad mentem – *in Romana die 6 Decembris 1721.*

109. Sustinetur itaque investimentum pecuniarum provenientium ex reditibus superextantibus hereditatis, quam Testator reliquit Loco pio, ab Ordinario demandatum pro manutentione alterius Capellani iuxta dispositionem praefati Testatoris, nec non fructus seu pecuniae deductis oneribus superextantes ex hereditate, quam alius Testator Ecclesiae reliquit, sunt erogandae in celebrationem aliarum Missarum, ultra taxatas a praedicto Testatore et ab Ordinario, ac oneri Missarum subiacere debent etiam fructus bonorum ad Ecclesiam heredem reversorum per mortem Legatarii, atque celebratio Missarum expleri debet a Capellanis deputandis, praevio investimento dictorum fructuum pro eorum dote et manutentione, non vero celebrari debent a Sacerdotibus gregariis *in Firmana Legatorum die 12 Februarii 1729.*

110. Enimvero Dominicus Clerichettus anno 1655 heredes instituit Syndicos pro tempore Hospitalis S. Michaelis Molleani Firmanae Diaecesis cum onere retinendi duos Presbiteros confessarios a Communitate approbatos, ac etiam plures, qui Missas quotidie celebrare deberent, si ita iudicaretur; dictaque hereditas fuit a Syndicis acceptata, praevia Ordinarii licentia. Card. Gualterius Archiepiscopus in actu visitationis mandavit revideri computa administratoribus dictae hereditatis, eisdemque duobus Capellanis a Testatore nominatis taxavit mercedem seu eleemosynam in posterum solvendam, ac etiam iniunxit, ut reditus superextantes describerentur in quodam libro, ut, si exinde reditus augerentur, alter Capellanus eligi deberet, iuxta Testatoris dispositionem; idque rursus subinde mandatum fuit in alia visitatione de anno 1698. In revisione autem computorum facta anno 1717 repertus fuit ingens cumulus redituum superextantium, et propterea Syndici dicti Hospitalis insteterunt pro electione alterius Capellani penes Archiepiscopum, qui mandavit, dictos reditus esse investiendos, priusquam ad alterius Capellani electionem deveniretur: hinc anno 1722 fuerunt investita scuta 300 in tot censibus perpetuis. Ultra supradictam hereditatem Syndici eiusdem Hospitalis ac Ecclesiae S. Mariae de Platea, cui dictum Hospitale reperiebatur unitum, aliam quoque acquisiverunt hereditatem Columnelli Hyacinthi Sgamba, qui anno 1657 Dominico eius filio naturali usumfructum tot stabilium valoris scutorum 1500 titulo legati reliquit sub ea lege, quod ipso sine filiis defuncto bona reverterentur ad suam hereditatem, heredem vero universalem instituit Theodoram Coniugem, et post eius obitum dictam Ecclesiam S. Mariae de Platea seu illius Syndicos, cum onere duarum Missarum quolibet mense celebrandarum a Sacerdotibus ex sorore descendentibus in Ecclesia S. Iosephi, nec non tot Missarum, quot Archiepiscopus pro tempore declararet. Purificato casu restitutionis dictae hereditatis favore Ecclesiae S. Mariae per mortem dictae Theodorae, praefati Syndici de anno 1663 rationem reddiderunt Card. Gualterio Archiepiscopo, qui considerans integrum statum hereditatis, ultra plures provisiones pro bona illius administratione, mandavit eligi quatuor Capellanos, quorum tres erant Testatoris nepotes, quartum vero extraneum eligendum de triennio in triennium a Communitate, quibus iniunxit onus celebrandi tot Missas, quas ibidem specificavit: diminutis tamen reditibus, dictum quartum Capellanum anno 1668 removeri mandavit; ac demum, cognita impotentia dictae hereditatis, omnes Capellanos anno 1681 abstulit, ac etiam voluit supersederi in aliorum electione, donec hereditas ad meliorem statum perveniret. Aucti subinde fuerunt introitus dictae hereditatis, ideoque anno 1688 permissa fuit electio trium Capellanorum, anno 1693 electus fuit quartus, ac demum anno 1694 superadditus quintus Capellanus, qui omnes usque ad praesens onus Missarum exacte adimpleverunt, interim ob mortem Dominici filii naturalis dicti Testatoris sine liberis, hereditas pinguior evasit per reversionem supradictorum bono-

rum valoris scutorum 1500. Insurrexit anno 1722 Commissarius Reverendae Fabricae, qui mandavit applicari dictae R. Fabricae omnes fructus superextantes tam ex prima hereditate Dominici Clerichetti de mandato Ordinarii investitos, quam ex alia Hyacinthi Sgambae sub motivo, quod tot Missae quolibet die et anno celebrari debuissent per Sacerdotes gregarios, quod fructus percepti fuerant ex bonis hereditariis, non vero poterat esse locus eorumdem investimento pro manutentione alterius Capellani.

111. Causa vero remissa ad Sacram Congregationem, propositis dubiis: – I. An investimentum pecuniarum provenientium ex reditibus superextantibus hereditatis quondam Dominici Clerichetti ab Ordinario demandatum pro manutentione alterius Capellani iuxta dispositionem Testatoris sustineatur in casu et ad effectum etc. II. An fructus seu pecuniae deductis oneribus superextantes ex hereditate Hyacinthi Sgambae sint erogandae in celebrationem aliarum Missarum ultra taxatas a Testatore et ab Ordinario in casu etc. III. An celebratio Missarum expleri debeat a Capellanis deputandis, praevio investimento dictorum fructuum seu pecuniarum pro eorum dote et manutentione, seu potius statim Missae celebrari debeant a Sacerdotibus gregariis in casu etc. IV. An oneri Missarum subiacere debeant etiam fructus bonorum valoris scutorum 1500 ad Ecclesiam heredem reversorum per obitum Legatarii sine filiis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative ad primam partem, celebratis tamen Missis a Capellanis ad rationem manualis, Negative ad secundam. Ad quartum, Affirmative; et amplius in omnibus – *in Firmana Legatorum die 12 Februarii 1729.*

112. Unde fructus Locorum Montium, quae per industriam addita sunt pio Operi, erogandi sunt in alia dotalia subsidia, ex quibus auctum est capitale, quum huius naturam ex propria indole sequantur, nec non ex illis detrahi debent expensae Sodalitii S. Apolloniae Urbis, eo quod ad rectam pii Operis administrationem necessarium est dictum Sodalitium, cui propriae adnexae sunt expensae, redintegrato tamen prius ex capitali fundo pii legati, atque celebrato quotannis Anniversario pro Fundatoribus et Benefactoribus, nec non ex iisdem fructibus conferenda sunt subsidia dotalia, iuxta respectivas fundationes pro rata fructuum capitalium ad unumquodque legatum respective pertinentium, nec non locus est absolutioni, ex eo quod praefatum Sodalitium disposuit quidem de pecunia piorum Operum per investimentum ad libitam ipsorum dispositionem, quodque magis erat, ad proprium creditum, eiusdemque capitalis fructus contra formam erogarunt fundationum, proindeque in censuras fortasse inciderunt sacri Concilii Tridentini sess. 22 cap. 11 de reformatione, verum mereri poterant absolutionem ob erroneam ceteroquin opinionem, quod facultas ipsis tributa quoad unam hereditatem Martiani, disponendi scilicet de superfluis reditibus sive in supellectiles Altaris, sive in alias dotes - prout ipsis Confratribus utilius videretur -, ad alias extendi posset posteriores fundationes, a quibus etiam novum procedebat capitale; his quippe in terminis propositis dubiis: – I. An et quomodo sunt erogandi fructus Locorum Montium, de quibus agitur in casu etc. II. An et quomodo ex iisdem fructibus sint conferenda subsidia dotalia in casu etc. III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in alia subsidia dotalia, redintegrato tamen prius ex capitali fundo legati Egidii, et deductis ex fructibus expensis Sodalitii pro administratione bonorum, nec non celebrato quotannis Anniversario pro Fundatoribus et Benefactoribus. Ad secundum, Affirmative iuxta respectivas fundationes pro rata fructuum capitalium ad unumquodque legatum respective pertinentium. Ad tertium, Affirmative – *in Romana Subsidiorum dotalium die 31 Maii 1794.*

113. Nam in alium usum haud converti debere videtur, quod in certam relictum est causam, per Cap. *Tua nobis* de testamentis, Pignatell. Consult. 50 n. 1 tom. 6, Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. can. lib. 4 tit. 5 tom. 2 in animad. n. 1 *in Lisbonen. Applicationis die 27 Novembris 1790* §. *Expressa.*

114. At pii Operis reditus, cuius difficilis sit exequutio, in aliud erogari valet ecclesiastica potestate, ex Clem. *Quia con-*

tingit de religiosis domibus, Tondut. quaest. Benef. part. 3 cap. 22 n. 22 *in Pharaonen. Applicationis die 25 Iunii 1791* §. *Unioni.*

115. Unde Rector fructus omnes Ecclesiae suae, demptis congruis alimentis, in alios usus erogare non potest, praeterquam in Ecclesiae decus et divini cultus augmentum, Franc. de eccles. cathedr. cap. 13 n. 199, Amostaz de caus. piis cap. 6 n. 27, et Sperell. decis. 67 n. 10 *in Senogallien. die 5 Septembris 1778* §. *Hoc.*

116. Alienum hinc est a Sacrorum Canonum censura constantique Ecclesiae consuetudine, ut reditibus ecclesiasticis pro sustentatione Ministrorum Sanctuarii destinatis ii locupletentur, qui carnale Matrimonium contraxerunt, praesertim si Fundator id prohibuerit, Can. *Ultima voluntas* 13 quaest. 2, Cap. *Tua* de testamentis *in Romana Capellaniae die 17 Septembris 1774* §. *Quin.*

117. Scitum autem est, ad metiendum Beneficiorum valorem haud unius alteriusque anni, sed integri decennii fructus esse spectandos, ut passim docent Doctores, quos inter Card. De Luca de pens. disc. 6 n. 13 *in Firmana Pensionis die 17 Martii 1827* §. *Nec.*

Item *in Sancti Severini Canonicatus die 12 Septembris 1829* §. *Huiusmodi* (1).

118. Hinc fructibus Beneficii Episcopus privare Beneficiatum nequit, nisi in casibus a iure expressis, uti cum ceteris monet Garcias de Benef. part. 3 cap. 2 n. 490; quando vero et quomodo privandus sit, statuit Tridentina Synodus sess. 21 cap. 6 sess. 23 cap. 1 sess. 25 cap. 3 et 11 de reformatione *in Placentina Delationis funerum die 24 Maii 1823* §. *Fructibus.*

119. Qua de re quamquam laicalium Capellaniarum Rectoribus onus immineat sacros suscipiendi Ordines, attamen nullam ipsi caducitatis Capellaniae aut privationis fructuum contrahunt poenam, nisi illam praevia monitione Episcopus irrogaverit, Pignatell. consult. 75 n. 6 tom. 7 *in Montis Alti Capellaniae die 9 Maii 1829* §. *Iure* (2).

120. Compertum enim est, hanc fructuum privationem non induci ipso iure, sed ab Episcopo praevia monitione esse irrogandam, Gonzalez in Cap. 6 de testam. n. 8, Barbos. in Cap. *Ut heredes* de testam. n. 5 *in Melevitana Indulti die 15 Decembris 1827* §. *Decernant.*

121. Capitulum tamen iusta de causa valide privat Beneficiatum distributionibus; proposito enim dubio: – III. An poena privationis distributionum quindecim dierum bis imposita per Capitulum Practicou Beneficiato hebdomadario sustineatur? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative – *in Avenionen. die 15 Septembris 1733.*

122. Fructus vero Praebendae tamdiu debentur coniectis in carcere, quousque non fuerit declaratum, eos iuste esse detentos *in Valentina anno 1613 lib. 11 Decretorum pag. 133.*

123. Quapropter Beneficiatus percipere debet omnes fructus et distributiones, si fugam arripuerit, ne preces ab usurpativa dominatione praescriptas recitaret *in Reatina Fructuum et Distributionum die 18 Martii et die 19 Augusti 1815* (3).

124. Unde non solum fructus, sed etiam distributiones quotidianae sunt restituendae, cum agatur de Beneficiato, qui iniuste fuit praepeditus ab Ecclesiae servitio, ad tradita per Rotam decis. 260 part. 12 Recent. n. 12, decis. 22 de usur. n. 5 coram Falconerio, decis. 189 n. 3 coram Tanara *in Anagnina Canonicatus die 18 Februarii 1815* §. *In quarto.*

125. Qua de re nedum Rector parochialis Ecclesiae S. Mariae in Caelum Assumptae Villae de Llimiana, sed et quatuor eiusdem Ecclesiae Beneficiati residentes vocati, qui iuste impediti Missis cum cantu Anniversariis aliisque functionibus non interveniunt, solita lucrantur emolumenta; his enim in terminis proposito dubio: – XI. An tam Rector, quam Beneficiati, qui iuste impediti Missis cantatis Anniversariis aliisque sacris functio-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonicatus*, §. II, n. 42 ad 45, Tom. IV.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Beneficiati*, §. IV, n. 55 ad 58, Tom. III; ibique plura huiusmodi exempla prostant.

(3) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Canonici*, §. III, n. 94 ad 97, Tom. IV; ibique plura etiam similia prostant exempla.

nibus non interveniunt, lucrentur solita emolumenta? –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad undecimum, Affirmative – *in Urgellen. die 12 Martii 1757.*

126. Hinc ei, qui invalide ac iniuste fuit eiectus et Legato privatus, restituendi sunt omnes fructus pro toto tempore, quo ab aliis fuerunt percepti; quandoquidem quum Sacerdos Ioannes Antonius Lucchinius, qui inter Patres Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis Foroliviensis adnumerabatur, anno 1740 obtinuisset Legatum a Ioanne Nellio favore dictorum Patrum relictum, ex quo detractis impensis, aureos quadraginta annuos percipiebat, sed exinde invalide ac iniuste ab iisdem Patribus fuerit ab ipsorum Congregatione eiectus, proposito dubio: - III. An praefati Patres teneantur tradere eidem Patri Lucchinio omnes fructus perceptos ex Legato Ioannis Nelli pro toto tempore, quo ipse fuit absens ab Oratorio in casu etc. -, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, non substineri illius expulsionem et locum esse reintegrationi, responsum tulit: – Ad tertium, Affirmative – *in Forolivien. die 11 Iulii 1750.*

127. Quin imo licet statuta Collegiatae Ecclesiae praescribant, ut Beneficiati absque legitimo impedimento per duos menses continuos haud Ecclesiae servitio praestantes partem totius anni amittant, nihilominus Beneficiatus e loco residentiae per tres menses interpolatos absens, ob assistentiam praestitam eius germano Fratri morbo laboranti Neapoli, nec non ob moram habitam in Urbe pro obtinendo Canonicatu, percipere debent fructus et emolumenta; his quippe in terminis proposito dubio: - An fructus et emolumenta anni 1709 debeantur et sint respective restituenda Rocho Massicencio Beneficiato Ecclesiae S. Ioannis Terracinensis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius – *in Terracinen. Residentiae die 15 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

128. Multo magis igitur Beneficiato, causa curandae suae infirmitatis absenti, debentur distributiones quotidianae *in Lauretana Distributionum die 16 Novembris 1709 lib. 59 Decretorum.*

129. Siquidem - conquestus iampridem fuit apud Sacram Congregationem Sebastianus Morigius Beneficiatus Ecclesiae Cathedralis Lauretanae, quod coactus a residentia abesse causa curandae infirmitatis exclusus fuerit per Capitulum a participatione quotidianarum distributionum ex ea iusta causa debitorum: Unde exoravit pro declaratione, easdem distributiones sibi deberi. Informare in his requisitus Episcopus refert, Oratorem revera discessisse ab ea Civitate de mense iunii anni 1706, ut suae consuleret valetudini, quam ob causam usque ad principium anni 1707 distributionum quotidianarum participem fuisse, ac si omnibus canonicis horis interfuisset, ab indeque citra Capitulum renuisse Oratorem ipsum ad earumdem distributionum participationem admittere, ex causis quibusdam ab eisdem praetensis. Quapropter iam praefixo termino Canonicis ad sua iura deducenda in Sacra Congregatione, et concordato dubio infrascripto, rogantur EE. VV. ex deducendis declarare: – An debeantur distributiones quotidianae Sebastiano Morigio absenti ex causa infirmitatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Lauretana Distributionum die 16 Novembris 1709 lib. 59 Decretorum.*

130. Quapropter Beneficiatus infirmus lucratur fructus sui Beneficii, tametsi tempore infirmitatis non inserviat *in Mediolanen. lib. 2 Decretorum pag. 173 a tergo.*

131. Nec ei taxatum est tempus a sacris canonibus, quo propter infirmitatem excusetur a servitio, et nihilominus dictos fructus lucretur *in Mediolanen. lib. 2 Decretorum pag. 173 a tergo.*

132. Quin imo Beneficiatus, qui solitus ceteroquin Ecclesiae inservire a Civitate legimae vacationis tempore discedens, in vicinum Oppidum se contulit, unde tamen in dictae vacationis fine potest opportune reverti ad inserviendum Ecclesiae, ibique superveniente infirmitatis impedimento ita detinetur, ut ad Civitatem redire et choro interesse nequeat, distributiones quotidianas lucratur; idipsum vero locum non habet, si adsit contraria consuetudo legitime praescripta *in Nullius Distributionum die 18 Decembris 1666.*

133. Quod si Episcopus absens ultra tres menses a sua Diaecesi decesserit, fructus Episcopatus in huiusmodi absentia maturati ap-

plicari debent Fabricae Ecclesiae Cathedralis, iuxta Cap. 1 sess. 23 de reformatione *in Segobien. die 21 Iulii 1574 ad Cap. 1 sess. 23 de reformatione Posit. 41.*

134. Negligente tamen Capitulo in petendo a Subcollectore Spoliorum fieri praedictam applicationem Fabricae Ecclesiae, Summus Pontifex mandavit, concedi tantum aliquam eorumdem fructuum partem in utilitatem Fabricae convertendam, reliquum vero per Iudicem ecclesiasticum distribuendum *in Segobien. die 19 Augusti 1574 ad cap. 1 sess. 23 de reformatione Posit. 41.*

135. Absens hinc causa infirmitatis percipere debet fructus et distributiones, si vero praetendatur, quod is absit absque legitima causa, adeoque nedum fructibus et distributionibus, sed et ipsa Praebenda sit privandus, Sacra Congregatio mandat, ut Episcopus procedat prout de iure ad formam Concilii *in Osnabrugen. Distributionum die 20 Septembris 1727 et die 24 Martii 1736.*

136. Iamvero Ioannes Balduinus Chorus obtinuit quidem causa infirmatis omnes fructus et distributiones, sed quum Capitulum et Vicarii Ecclesiae Cathedralis Osnabrugensis reclamaverint sub obtentu potissimum, quod ab eo exposita non subsisterent in facto, die 20 septembris 1727 stetit in decisis, et indultum abessendi ad annum prorogavit, ac interim committendum censuit Ordinario, ut processum conficeret super qualitate infirmitatis, illumque ad Sacram Congregationem remitteret cum suo voto (1). In exequutionem huius Rescripti Vicarius Generalis sub mense aprilis 1728 demandatum processum inchoavit, illumque tandem absolutum ad Sacram Congregationem transmisit cum sua relatione, qua recepta, Communitas Vicariorum contendit, nullas distributiones usque ad annum 1728 deberi Ioanni Balduino; quin imo eumdem veluti a sua Ecclesia tot per annos sine legitima causa absentem privandum esse dicta Vicaria. Ioannes autem produxit testimonia Medicorum Aquisgrani degentium, quorum alter sub diem 9 aprilis 1733 in haec verba deposuit: – Attesto iterato etc. iurato etc. domino Chorus Vicario Ecclesiae Cathedralis Osnabrugensis solitae curae continuationem omnino necessariam esse, ne rursus in graviora mala relabatur –; alter vero sub diem 27 eiusdem mensis ita se expressit: – Attestor, domino Chorus aquarum nostrarum usum continuum pro sua cura adeo necessarium esse, ut earumdem potum tam propter initam sexagesimi tertii anni aetatem, quam propter malum plusquam inveteratum intermittere nequeat –. Verum adversus haec multo plures Medicorum attestationes protulit Universitas Vicariorum, ex iis probari sustinens, assertum morbum, si Balduinus illo reapse afficeretur, facile curari posse in Civitate Osnabrugensi, cuius aer eidem debellando aptissimus foret, sed contra rei veritatem putavit, magnificari aegritudinem, quippe quia ex nonnullis Testium depositionibus habebatur, Ioannem Balduinum in Civitate Aquensi Monialibus Ursulinis, annua recepta mercede, veluti ordinarium ipsorum Presbiterum inservire, quin etiam temporalibus negotiis ita sese addicere, ut manifestum bonae valetudinis argumentum praeberet; unde conclusit, eumdem Ioannem Balduinum utpote sine legitima causa absentem non solum quotidianas distributiones ab anno 1728 lucratum non fuisse, sed propter diuturnam adeo et contumacem absentiam ipsa quoque Vicaria privandum esse. Propugnavit insuper Vicariorum Universitas, controversas distributiones minime ei praestandas esse, etiamsi causa infirmitatis et cum debita licentia a sua Ecclesia abesset, quia contrariam in Cathedrali vigere consuetudinem legitime praescriptam pretendit.

137. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et a quo tempore debeantur distributiones quotidianae? II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, deberi usque ad annum 1728. Ad secundum, Episcopus procedat prout de iure ad formam Concilii – *in Osnabrugen. Distributionum die 24 Martii 1736.*

138. Beneficiati autem Ecclesiae parochialis Oppidi Kempensis haberi nequeunt pro praesentibus ad effectum consequendi distri-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Distributiones quotidianae*, n. 653 et 654.

butiones, licet absint de consensu interessentium; quandoquidem his in terminis proposito dubio: – XII. An de consensu interessentium absentes haberi possint pro praesentibus ad effectum consequendi distributiones, sive, ut aiunt, praesentia? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad decimum secundum, Negative; et amplius – *in Colonien. die 14 Martii 1767.*

139. Nec fructus ullatenus debentur Beneficiato absenti, quum extet statutum, quo cavetur, ut nullus admitti possit ad fructuum perceptionem, nisi prius ad Sacerdotalem Ordinem promotus sit, utque omnes teneantur praestare servitium per se ipsos, ac nullus ultra tres menses abesse possit sine venia Beneficiatorum *in Vallisolitana die 11 Maii die 13 Iulii et die 23 Novembris 1748.*

140. Siquidem morte Christophori de Alonso vacavit anno 1742 Beneficium iurispatronatus laicorum erectum in parochiali Ecclesia S. Ioannis de Nava Regis, quae una erat ex viginti novem Villis, quibus componebatur Abbatia nuncupata *Medina del Campo* sita in Diaecesi Vallisoletana. Hae Villae suas habebant parochiales Ecclesias, in quarum qualibet plura fundata erant Beneficia, quae onus habebant adnexum praestandi servitium sacris Ecclesiae functionibus. Praesentatus fuit ad vacans Beneficium Clericus Dominicus Rodriguez Quadrillero, qui cum per leges annarias Beneficium assequi non posset, veniam aetatis impetravit a Summo Pontifice, et facultatem percipiendi omnes fructus eiusdem Beneficii. Hac venia impetrata, obtinuit ab Episcopo institutionem, et Beneficii possessionem nactus, Ecclesiae servitium praestitit, donec studiis operam dare cupiens sese contulit in Regiam Vallisoletanam Academiam: hinc litis origo. Nam, cum Dominicus petiisset ab aliis Conbeneficiatis fructus sui Beneficii, renuerunt illi eos praestare, quia particulare statutum ab eis conditum fuerat, quo cavebatur, ut nullus admitti posset ad fructuum perceptionem, nisi prius ad Sacerdotalem Ordinem promotus fuisset; utque omnes tenerentur servitium per se ipsos praestare, non per Substitutum; utque demum nullus ultra tres menses abesse posset sine venia Beneficiatorum. Hoc statutum a Clemente XII anno 1734 confirmatum fuisse dicebant. Hac repulsa percitus Dominicus a Summo Pontifice postulavit, ut Beneficiati ad fructus tradendos compellerentur. Auditus Episcopus secundum Dominicum respondit; et Dominicus disputavit, nihil obesse statutum, quia promulgatum non fuerat, neque usu receptum, et quia ipse habebat gratiam Pontificiae dispensationis, qua fructibus Beneficii sui frui poterat. A Beneficiatis libellum iurium nondum exhibuit.

141. His interim perpensis, proposito dubio: – An fructus Beneficii, de quo agitur, debeantur Dominico in casu etc. –, Sacra Congregatio die 11 maii 1748 responsum dedit: – Dilata, et proponatur Causa, citatis omnibus interesse habentibus ad formam Constitutionis Sanctissimi Domini nostri –. Reproposito autem dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 13 iulii 1748 respondit: – Negative –. Retractari hoc iudicium postulavit Dominicus; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Vallisoletana die 23 Novembris 1748.*

142. Qui vero valide ac legitime obtinuit Literas Apostolicas ad assequendum Beneficium, in quo exinde fuit institutus, restituere non debet fructus, dum alius nulliter per Apostolicum Breve idem Beneficium adeptus est *in Alatrina Beneficii die 21 Septembris 1822.*

143. Iamvero in exitu anni 1820 per obitum Sacerdotis Francisci Maria Beneficium vacavit, quod sub invocatione S. Ioannis Baptistae in Collegiata Ecclesia S. Mariae Alatri erectum erat a pia femina Iuliana Fattinazzi ea sub lege, – quod primus Presbiter et magis coniunctus per lineam masculinam de sua consanguinitate et affinitate debeat eligi Capellanus in eadem per dictos suos Consanguineos attinentes et magis propinquos per lineam masculinam –. Plures tunc temporis extabant Sacerdotes ex contemplatis lineis, inter quos Canonicus Curatus Bernardini et Presbiter Paulus Frioni. Horum primus, qui praerogativa antianitatis ceteros vincebat, et cuius favore plurium Patronorum coaluerant nominationes, Summum Pontificem rogavit, ut, quamvis aliis auctus Beneficiis et Canonicatu donatus in eadem Col-

legiata Ecclesia, eidem novum hoc Beneficium conferret cum Apostolica dispensatione, tum a pluralitate Beneficiorum, tum duorum sub eodem tecto. Res tamen in irritum cessit, quia sub die 6 februarii 1821 ab Emo Pro-Datario rescriptum fuit: – Ex audientia Sanctissimi relatum –. Interea alter Sacerdos Paulus Frioni preces et ipse dederat Summo Pontifici, in quibus exposuerat, ceteris Sacerdotibus de familia necessariam esse dispensationem a duplici Beneficio sub eodem tecto, quia omnes Canonicatu potiebantur in eadem Ecclesia S. Mariae, ipsum vero omni ecclesiastico Beneficio carere et maxima laborare inopia; exorabatque, ut sibi Capellania conferretur cum derogatione medietatis vocum, quarum nonnullas sui favore numerabat. Hae preces post petitam ab Episcopo informationem eadem die 6 februarii 1821 obsignatae fuerunt a laudato Emo Pro-Datario Rescripto: – Ex audientia Sanctissimi, Sanctissimus annuit cum commissione Episcopomet –. Quod tamen Canonicus Bernardini per Datariam Apostolicam obtinere nequiverat, obtinuit a Secretaria Brevium prorsus ignara de iis, quae apud illam acta gestaque fuerant. Signatae igitur eius favore fuerunt sub die 13 februarii eiusdem anni Literae in forma Brevis, quibus petita indulta est dispensatio, ut Capellaniam consequi posset. Statimque coram Episcopo instetit pro illarum exequutione, sed apposito *nihil transeat* a Sacerdote Frioni, institutum est iudicium coram Episcopali Curia, urgente Bernardinio Apostolici Brevis, Sacerdote Frioni Bullarum exequutione. Exitus iudicii is fuit, ut Vicarius Generalis definitive decreverit, – Literas Apostolicas esse exequendas, et instituendum fore et esse Presbiterum Paulum Frioni –, et interpositam a Bernardinio appellationem reiecerit, atque ita Frionius Capellaniae possessionem nactus est. Causae cognitione ob Frionii paupertatem ad Sacram Congregationem a Summo Pontifice remissa, Frionius contendit, Breve a Bernardinio obtentum irritum esse, cum falso Pontifici narraverit, ex Canonicatu et quatuor Beneficiis annuatim percipere summam scutorum viginti quatuor, sed ex testimonialibus Episcopi colligeretur, ex iis eum proventus scutata fere centum quinquaginta attingentes percipere. Accedebat insuper, silentio praetermissum fuisse id, quod necessario exprimi debuerat, nimirum petitam dispensationem a pluralitate Beneficiorum et unionis cum unius altero sub eodem tecto reiectam a Summo Pontifice fuisse ad relationem Emi Pro-Datarii. Demum ex Decreto iussu s. m. Innocentii XII lato, quod confirmavit Clemens XIII die 15 aprilis 1765, sub nullitatis poena prohibebatur ab una iam praeventa ad aliam confugere Congregationem. Frionius vero cuncta ingenue narraverat; adeoque locus non erat restitutioni fructuum. Contra Bernardinius obreptionis et subreptionis accusavit Literas a Frionio obtentas, quia sine Episcopalis Curiae Literis testimonialibus, sed tantum ex privatis depositionibus vitae et morum honestatis et meritorum probationem exhibuit, quibus decepit Summum Pontificem, qui gratiam minime obsignasset, si probe novisset mores Frionii, quos tamquam illaudabiles reprehendit. Falsum esse dixit, Patronos distulisse ultra tempus quadrimestris nominationem emittere: quin imo ob nominationem legitimo tempore factam a Patronis ius quaesitum iam erat Canonico Bernardini, et Summus Pontifex in ipsis Literis apposuit conditionem, – dummodo tempore praesentium non sit alicui ius quaesitum –. Nec Bernardinio obesse poterat, quod preces in Dataria reiectae non fuerint Pontifici expositae, quia inscio ipso exhibitae fuerunt.

144. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et cuius favore sint exequendae Literae Apostolicae et sit danda institutio in casu etc. II. An sit locus purgationi attentatorum, ita ut sit locus circumscriptioni possessionis in casu etc. III. An sit locus restitutioni fructuum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus favore Pauli Frioni; et amplius. Ad secundum et tertium, Negative; et amplius - *in Alatrina Beneficii die 21 Septembris 1822.*

145. Quapropter quum Indultum Pontificium percipiendi fructus ex Legato pio sustineatur, haudquaquam sunt illi eius vigore percepti restituendi, cumque idem Indultum exin designato anno expiraverit, nec ulli fructus percepti usque ad praefatum tempus restitui debent *in Romana seu Praten. Indulti die 11 Iunii 1718.*

146. Siquidem praevio consilio Sacrae Congregationis s. m. Innocentius XII per suas Literas in forma Brevis indulsit R. P. D. Alexandro de Calvis, tunc Signaturae Iustitiae votanti, pro suae dignitatis substentatione, ut, suspenso multiplico, quod Laurentius de Calvis eiusdem Patruus in suo ultimo demandaverat testamento, frui posset tum residualibus fructibus decursis et non investitis, tum aliis in posterum decurrendis, usquequo filius Ioannis Vaii capax evaderet legati a Testatore relicti. Sciendum enim erat, quod memoratus Laurentius de Calvis nonnulla bona reliquerat Capitulo Pratensi, ut ex illorum fructibus darentur scuta 24 quolibet anno Magistro grammaticae pro Puero instruendo, et ut alia scuta 165 erogarentur pro alimentis alterius Iuvenis in Seminario Romano, et per sex annos scuta 110, ut ille extra Seminarium Romanum in Urbe permanere posset, studiis et praxi legali vacando, ea ulterius statuta lege, ut in hypothesi, in qua praedicta Legata essent vacantia, fieret multiplicum pro augendo Legato relicto favore eius, qui iurisprudentiae operam in Urbe navaret, nec non pro constituenda dote alterius Legati in summa scutorum annuorum quadraginta pro Clerico educando vel in Seminario Pratensi, vel in Seminario Florentino. Apostolicum Breve fuit executioni mandatum, et reditus in eodem assignati fuerunt ab R. P. D. Alexandro de Calvis pacifice exacti usque ad annum 1710, solvente Canonico de Bracciolis camerario hereditatis Calvae et deputato Seminarii Pratensis: quum autem anno praedicto solutio cessaverit, orta est inter dictum R. P. D. Alexandrum et Deputatos Seminarii Pratensis controversia, praetendentibus istis, quod Breve fuerit per subreptionem et obreptionem obtentum, et quod fructus eius vigore percepti essent restituendi, et quatenus haec restitutio in omni sua parte non subsisteret, in aliqua tamen parte subsistere deberet, et quod tandem fructus in praeteritum non exacti, hic et nunc exigi non possent. Adversus haec opposuit R. P. D. Alexander, non esse qualificandum Breve Pontificium tamquam obreptitium vel subreptitium, ex quo non fuerint expressae familiae ad Legatum vocatae post familias dominas de Organis et dominas de Vaiis, tum quia Breve emanavit post informationem Episcopi, et exhibito in manibus tunc temporis Secretarii testamento Laurentii, tum quia ex ipsa Brevis narrativa desumebatur, quod Summo Pontifici innotuit, alias familias fuisse ad Legatum vocatas, cum in ea legeretur, R. P. D. Alexandrum esse - ex familia primo vocata et cuicumque alteri praedilecta –, et tandem quia expressio familiarum posteriori loco vocatarum fieri non debebat pro actus validitate, cum nulli tunc adessent ex familia Organa, et ex filiis Ioannis Vaii, qui essent capaces Legatorum, omnesque alii subsequenter vocati ex litera testamenti essent exclusi, quoadusque aderat spes capacitatis a primis vocatis acquirendae. Praeterea addebatur ab eodem R. P. D. Alexandro de Calvis, quod licet in Brevi Apostolico apposita fuerit clausula - donec filius Ioannis Vaii huiusmodi Legati capax fuerit –, praetendi tamen nequibat, quod illa fuerit resoluta, statim ac Ferrantes Maria Vaius alter ex filiis Ioannis Vaii terminavit aetatem annorum quindecim, aut quia praeter dictam aetatem voluit, quod eligendus ad consecutionem sui Legati alias plures haberet qualitates in testamento expressas, de quarum concursu in dicto Ferrante non docebatur, aut quia ex eodem testamento colligi videbatur, capacitatem esse constituendam non in anno decimo quinto, sed in vigesimo sexto, in quo rerum themate solutio sibi fieri debuisset usque ad annum 1713, et sic intermitti non poterat de anno 1710. Tandem contendit R. P. D. Alexander, non esse locum restitutioni fructuum exactorum; primo, quia fuerunt bona fide consumpti; secundo, quia ad effectum evitandae restitutionis sufficiebat sola possibilitas, quod iidem exigi potuerint in sequelam Indulti; et tertio, quia agebatur de fructibus pro pia Causa solutis, et in terminis solutionis factae pro pia Causa conditio indebiti nullum sibi poterat locum vindicare.

147. His aliisque perpensis, propositis dubiis: - I. An Breve de anno 1695 concessum R. P. D. de Organis sustineatur, et fructus eius vigore percepti sint omnes restituendi in casu etc. *Et quatenus sustineatur.* II. An et a quo tempore dictum Breve seu Indultum expiraverit, ac fructus exacti pro qua rata sint restituendi, vel respective non ex-

acti exigendi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad secundum, Breve expiravisse anno 1710, nec ullos fructus perceptos usque ad dictum tempus esse restituendos – *in Romana seu Praten. Indulti die 11 Iunii 1718.*

148. Hinc licet incompatibilis sit locus participationis cum officio Coadiutoris Archipresbiteri sive alterius Dignitatis, non propterea, qui eam cum dicto officio Coadiutoris in eadem Ecclesia retinuit, tenetur ad restitutionem fructuum post adeptam possessionem Coadiutoriae; quandoquidem quum Sacerdos Iacobus Simia primum in Cathedrali Ecclesia Rubensi iure civico et decurso integro servitii tempore participationem integrae partis communis massae assequutus, inde Canonicatum obtinuerit retinueritque participationem et bona immobilia, quorum fructus assignati erant pro integra sua participatione, ac dimisso postea Canonicatu, Coadiutoriam obtinuerit Archipresbiteri eiusdem Ecclesiae Cathedralis cum futura successione ad Archipresbiteratum, qui in ea Cathedrali secunda Dignitas erat, retinueritque etiam participationem et bona ad annum usque 1744, quo anno Capitulares eum bonis spoliarunt, eaque assignarunt aliis Sacerdotibus, propositis dubiis: – I. An locus participationis in Ecclesia Rubensi sit compatibilis et retineri valeat cum officio Coadiutoris Archipresbiteri sive alterius Dignitatis eiusdem Ecclesiae? II. An Iacobus Simia reintegrari debeat ad locum participationis eiusque bona? III. An et a quo tempore ei debeantur fructus ac damna, seu potius ipse teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum post adeptam possessionem Coadiutoriae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, quoad primam partem provisum in primo, quoad secundam partem, Negative – *in Ruben. die 30 Martii 1748.*

149. At illegitimus Beneficii detentor nullimode fructus suos facere potest, Rota in Reatina Beneficii 27 iunii 1746 a §. 9 coram Card. Millino *in Reatina Capellaniae die 18 Septembris 1773* §. *Sustinet.*

150. Nam illos restituere tenetur, cum eosdem iniuste perceperit et mala fide, Rot. in Burgen. Beneficii super fructibus 1 decembris 1758 §. 7 coram Elephantutio *in Anagnina Canonicatus die 18 Februarii 1815* §. *In IV.*

151. Idcirco Beneficiati instituti absque praevio examine et adprobatione Episcopi possunt ab eodem cogi ad restitutionem fructuum ultra privationem Beneficiorum *in Pennen. et Adrien. lib. 1 Decretorum pag. 1.*

152. Si tamen compareant et velint examini se subiicere, sunt ab Episcopo admittendi *in Pennen. et Adrien. lib. 1 Decretorum pag. 1.*

153. Unde intrusus ad fructuum restitutionem adigendus est, ad tradita per Garcias de Benef. part. 6 Cap. 3 *in Hortana Capellaniarum die 18 Aprilis 1843* §. *Quapropter.*

154. Nam – intrusus non intelligitur possidere sibi, sed canonice proviso, neque pro se, sed pro eo fructus percipere, cui omnino eos tenetur restituere –, ceu todidem verbis ait Lotterius de re Benef. lib. 3 cap. 20 a n. 111: et quidem a tempore nominationis, non enim ex tempore adeptae possessionis, sed a die provisionis fructus debiti sunt, Lotter. loc. cit. n. 117 et 120, Surd. cons. 333 n. 23 et 24, ac eo vel magis si non propriae culpae, sed aliorum tribuendum, quominus Beneficii possessionem sit assequutus *in Nullius Nonantulae Beneficii die 30 Augusti 1845* §. *Ubi.*

155. Qui igitur nullo legitimo titulo Capellanias possedit, fructus cedere debet a die sequutae legitimae alterius nominationis *in Hortana Capellaniarum die 8 Aprilis 1843.*

156. Fructus enim restituendi sunt a die nominationis, siquidem haud ex tempore adeptae possessionis, sed a die provisionis ii debiti sunt *in Imolen. Canonicatus die 17 Decembris 1842* §. *Hisce.*

157. Qua de re Canonico legitime a Patronis electo, si postea iidem facultatem tribuant Episcopo alium nominandi instituendique, restituendi sunt omnes fructus a die electionis seu nominationis *in Anagnina Canonicatus die 18 Februarii 1815* (1).

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonicatus*, §. V, n. 84 ad 88, Tom. IV.

158. Unde qui nullo iure retinuit Beneficium seu Canonicatum, adigendus est ad fructus restituendos a die captae possessionis, ad tradita per Rotam in Leodien. Beneficii 27 iunii 1791 §. 4 coram Bayane, et alibi passim *in Melevitana Canonicatus die 17 Iulii 1802 §. II Dubium.*

159. Nam fructus sunt restituendi a die possessionis illegitimae, non vero a die petitionis, si possessio probetur indebita vel illegitima, nullo facto discrimine inter possessionem spolio aut errore quaesitam, Cap. *Gravis* 11 de restit. spoliat., L. *Mala* 3 Cod. de condict. ex lege sine causa vel iniusta causa *in Faventina die 20 Iunii 1767* §. *Quo vero.*

Item *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 18 Iunii 1859* §. *Ex.*

160. Cessante quippe titulo super rei pertinentia, cessare consequenter debet quaelibet de fructibus quaerendis ratio *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 18 Iunii 1859* §. *Ex.*

161. Quemadmodum cessante e contrario principali actione, incongrua est de fructibus contentio, Rot. in Romana seu Tyburtina Fructuum 25 aprilis 1755 §. 3 coram Canilliac *in Faventina die 20 Iunii 1767* §. *Ex his.*

162. Resoluto igitur titulo aut conditione, de fructuum post id temporis perceptorum restitutione non est ambigendum, Rota in Romana viginti millium 14 maii 1682 §. In tertia coram Lancellotto; conditionis enim defectum habere oculos retro, ut res una cum fructibus restituatur, expendit Tiraquell. de rer. donat. in gloss. verb. Revertatur n. 277 et 278, cum restitutio habeat locum ab initio, non autem a die motae litis seu declaratae tituli reductionis, Rot. in Fanen. Praedii 9 maii 1642 §. fin. coram Carillo *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 18 Iunii 1859* §. *Proximius.*

163. Idcirco quum Vicarius Generalis valide ad praesentationem Patronae institutionem Clerico tribuerit, Beneficiatus, qui illud dimittere debebat, omnes fructus a die institutionis extradere tenetur *in Augustana Beneficii die 24 Martii 1736* (1).

164. Hinc postquam Sacra Congregatio resolverit, cuius favore constare de iure patronato passivo ad Canonicatum praelative quoad extraneos, et esse locum novae nominationi, proposito dubio: – III. An cui et a quo tempore sint restituendi fructus in casu? –, die 11 martii 1843 responsum dedit: – Ad tertium, habebitur ratio, facta nominatione; et interim Emus Episcopus curet fructuum conservationem –. Reproposito dein dubio sub formula: – III. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu? –, Sacra Congregatio die 12 augusti 1843 respondit: – Ad tertium, in decisis –. Demum reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, in decisis sub die 12 augusti praeteriti anni 1843; et amplius – *in Imolen. Canonicatus die 2 Martii 1844.*

165. Quum itaque Episcopus nulliter dissolverit duas Ecclesias parochiales legitime iamdiu unitas nec non invalide reservaverit pensionem super altera parochiali Ecclesia favore unius ex duobus novis Parochis, Oeconomus novae parochialis restituere tenetur fructus perceptos, deductis expensis et mercede eiusdem; his enim in terminis proposito dubio: – III. An et quomodo Parocho S. Andreae consulendum sit pro praeterito in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, restituendos esse omnes fructus ab Oeconomo S. Bartholomaei perceptos, deductis expensis et mercede Oeconomi – *in Montis Alti Dissolutionis Unionis Ecclesiarum die 5 Decembris 1744.*

166. Quapropter qui possedit Beneficium nulliter erectum, tenetur restituere omnes fructus perceptos, detractis expensis eleemosynae Sacrorum; his quippe in terminis proposito dubio: – II. An et quos fructus teneatur restituere in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, teneri ad restitutionem omnium fructuum perceptorum, detractis expensis eleemosynae Sacrorum – *in Balneoregien. Beneficii die 21 Novembris 1744* (2).

167. Hinc et si alter ex Patronis bona Capellaniae laicalis occupaverit ac fructus

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Beneficia*, §. XIV, n. 241 ad 249, Tom. III.
(2) Species Causae huius prostat in Verb. *Beneficia*, §. XII, n. 114 ad 117, Tom. III.

perceperit, licet Episcopus, pendente lite coram Sacra Congregatione, Administratorem in ea constituisset, nedum in attentata incidit, sed et fructus interim perceptos restituere tenetur *in Montis Alti die 22 Augusti 1795* (1).

168. Idcirco possessores bonorum Capellaniae laicalis, qua Capellanus fuerit promotus ad sacros Ordines, eamque idem Compatronis renuntiavit cum clausula nunc pro tunc retinendi eiusdem possessionem quoties Beneficium Curatum dimisisset, cui dein de facto nuncium misit, restituere tenentur fructus a die dimissae Paraeciae in summa liquidanda coram Episcopo, quum eorum emptor sciverit, defuisse in venditore alienandi facultatem et apocham retrocessionis pactionatae *in Asculana Capellaniae die 2 Decembris 1786* (2).

169. Unde cum pius Testator mandaverit erectionem Conventus et Collegiatae ac alter ex eius filiis aliam pecuniae summam in testamento reliquerit, ut praedicta Collegiata in loco a Patre designato erigeretur, Sacra Congregatio primum mandavit, ut Ordinarius cogeret iuris remediis quos de iure ad promptam restitutionem fructuum legatorum et curaret deponi penes Aedem sacram, dein resolvit, non obstare renunciationem unius ex Religionibus vocatis pro erectione dicti Conventus, et fructus deberi a die obitus praedicti filii *in Cremonen. Commutationis voluntatis die 31 Maii 1704 die 23 Iulii et die 19 Novembris 1707 lib. 54 et 57 Decretorum.*

170. Iamvero – postremas suae voluntatis tabulas condendo anno 1649 quondam marchio Caesar Vidonus, institutis heredibus cl. me. Cardinali Petro et marchione Ioanne Paulo eius filiis, iisdem sine liberis et descendentibus masculis decedentibus, substituit descendentes masculos ex feminis Margarita Soresina et Anna Goldona filiabus, cum onere assumendi nomen et familiam ipsius Testatoris: et ulterius in casu extinctionis eius lineae masculinae voluit, quod in sua Tenuta nuncupata *di S. Gervasio* construeretur ac dotaretur Ecclèsia et Conventus pro Patribus Ordinis Eremitarum, istisque acceptare renuentibus, subrogavit Patres Carthusianos Paviae, ac simili modo Patres Camaldulenses Averniae, ultimo vero loco Patres S. Bernardi nominavit; ac demum disposuit, quod ex reditibus eius Portus *Pizzichettoni* annui reditus ducatorum 200 illius regionis erigeretur Collegiata in Ecclesia parochiali S. Ioannis in Cruce feudi dicti Testatoris, vel in Ecclesia parochiali S. Caeciliae Civitatis Cremonae, casu quo in prima ob aliquod impedimentum erigi non potuisset. Praedefuncto itaque sine filiis marchione Ioanne Paulo supradicto, Cardinalis Petrus superstes curavit executioni demandare Patris dispositionem, vocando gradatim Religiones praefatas ad acceptationem legati, quae tamen omnes, attenta tenuitate fructuum Tenutae S. Gervasii in summa scutorum 165 tantum monetae Romanae, illud acceptare recusarunt, ut ex epistolis responsivis earumdem exibitis. In hoc rerum statu praedictus Cardinalis Petrus pariter decedens in eius testamento ordinavit marchioni Francisco Soresinae Vidono substituto a Caesare supradicto ac suo heredi erectionem Collegiatae in Terra S. Ioannis in Cruce, legando ad hunc effectum alia scuta 3000 pro augmento fundi eiusdem Collegiatae, ex quibus, ista non erecta, heres celebrare faceret tot Missas per Capellanos amovibiles ad nominationem eiusdem heredis et R. P. Vidoni sui fratris, ac in istorum defectum marchionis Anymi Goldoni. Neglecta exinde dictae Collegiatae erectione, praefatus marchio Franciscus testando demandavit, ut tam fructus destinati pro dicta erectione, quam illi retracti ex praedio S. Gervasii cumularentur, et una cum eorum capitalibus applicarentur in erectionem praedictae Collegiatae in Ecclesia Terrae S. Ioannis in Cruce, et proportionabiliter augerentur Canonici, concedendo ad hunc effectum facultates necessarias R. P. Archiepiscopo Vidono eius fratri; qui proinde exoptans voluntatem supradictorum Defunctorum adimplere preces Sanctis-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Attentata*, n. 276 ad 279, Tom. II; et in Verb. *Capellania*, §. III, n. 114, Tom. V.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capellanus*, §. V, n. 55 et 56, Tom. VI.

simo porrexit pro unione dictorum legatorum ac facultate erigendi Collegiatam in Ecclesia S. Caeciliae Civitatis Cremonensis, et e contra marchio Anymus Goldonus eidem Sanctissimo supplicavit pro facultate erigendi simplex Beneficium ex fructibus dicti praedii S. Gervasii, iisque de more ad hanc Sacram Congregationem remissis,duplex desuper recepta fuit informatio, altera nempe Emi Archiepiscopi Mediolanensis praefata omnia summarie recensitis,altera vero Ordinarii Cremonensis, qui, auditis omnibus interesse habentibus, concludit laudando nedum legatorum unionem, verum etiam erectionem Collegiatae in Ecclesia S. Caeciliae Civitatis Cremonae, tum quia, ut ait, nullatenus repugnat menti primi Testatoris, tum etiam quia magis congrua videtur dicta Collegiata in Civitate, quam in loco S. Ioannis in Cruce fere campestri.

171. His itaque attentis, opponentibus modo sese Religionibus praefatis, ex iuribus ab utraque Parte monita et informante circumferentibus ab EE. VV. responsum exposcitur: – I. An Religionibus vocatis pro erectione Monasterii ad formam testamenti obstet renunciatio earumdem? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus applicationi redituum relictorum pro dicti Monasterii fundatione favore Collegiatae erigendae, sive potius erectioni Capellaniae cum oneribus a Testatore iniunctis? *Et quatenus negative.* III. An et in quam causam et cuius favore sit facienda commutatio? IV. An et a quo tempore fructus praedii legati restitui debeant et cuius favore in casu etc. –, Sacra Congregatio die 31 maii 1704 respondit: – Audiantur Religiones, praefixo eisdem termino duorum mensium ad deducenda iura sua in Sacra Congregatione, et interim Ordinarius cogat iuris remediis quos de iure ad promptam restitutionem fructuum tam utriusque legati facti per marchionem Caesarem, quam legati facti per cl. me. Cardinalem Petrum Vidonem, et curet deponi penes Aedem sacram –. Repropositis dein dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 23 iulii 1707 respondit: – Ad primum, Negative in casu, de quo agitur, quoad Patres S. Bernardi. Ad secundum et tertium, provisum in primo. Ad quartum, fructus deberi a die obitus cl. me. Cardinalis Vidoni –. Repropositis demum dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 23 iulii 1707 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis in omnibus, et amplius – *in Cremonen. Commutationis Voluntatis die 19 Novembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

172. Hinc si agatur de petitione hereditatis titulo universali,fructus ab initio sunt restituendi, Rot. coram Cavalerio decis. 409 n. 4, in Recent. decis. 605 n. 4 part. 18, et decis. 451 n. part. 1 *in Viterbien. Prorogationis die 30 Augusti 1766* §. *De reliquo.*

Item *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 18 Iunii 1859* §. *Ex.*

173. Nam dispositio iuris vult, fructus hereditatis iacentis vel currente tempore deliberandi, vel nondum adita ab herede hereditate, augere hereditatem ipsam et in assem cedere, ut est in lege *Item veniunt* §. Item non solum ff. de petit. hered., L. fin. §. Et si praefatam Cod. de iure deliberandi *in Asten. Capellaniae die 28 Augusti 1751* §. *Pergunt.*

174. Unde fructus rei fideicommissariae ante conditionis eventum Gravato, post eventum autem conditionis Substituto debentur, Tiraquell. de rer. donat. n. 284 in gloss. ad verb. Revertatur *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 18 Iunii 1859* §. *Ex.*

175. Qua de re nedum hereditas pii Testatoris, sed etiam eius fructus decursi restituendi sunt vocatis ad formam testamenti et codicilli; quandoquidem quum Maria de Aquilera erectionem Conventus Ordinis S. Francisci Recollectorum Provinciae Granatensis,vel Monasterii Monialium Minimarum infra sexennium praecepisset, et in defectu erectionis vocasset Hospitale atque Eremos Oppidi de Areonilla, sed perdiu praedicta voluntas haud fuerit exequuta, imo regius assensus et Oppidanorum pro Conventus constructione negatus fuerit, pro erectione vero Monasterii Monialium datus, cuius vix incepta fuit aedificatio,et Vicarius Generalis Administratorem ad restitutionem omnium bonorum ac fructuum in favorem Eremitarum damnaverit, Sacra Congregatio mandavit, hereditatem de Aquilera una cum fructibus esse restituendam tertio loco vocatis ad formam testamenti et

Codicilli *in Giennen. Commutationis voluntatis die 12 Ianuarii 1704 lib. 54 Decretorum.*

176. Neminem etiam latet, fructus mala fide perceptos et consumptos vel erogatos restitui vero domino debere, iuxta theoricam Bartoli in L. 3 vers. Iudici quod haec regula ff. Interdict., Fabr. in §. Retinendae n. 12, Menoch. de retin. remed. 3 n. 288, Rot. in Recent. decis. 317 n. 2 part. 1, in Senogallien. Iuris pascendi 12 iunii 1620 coram Remboldo, et in Mediolanen. Pensionis coram Bichio 31 iunii 1646 §. Altera *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 18 Iunii 1859* §. *Nec.*

177. Unde malae fidei possessor tamquam haud legitimus detentor nullo modo suos fructus facere potuit, Rota in Reatina Beneficii 27 iunii 1746 §. 9 coram Millino *in Forosempronien. Capellaniae die 29 Iulii 1848* §. *Refragari.*

Item *in Mutinen. Dismembrationis die 24 Augusti 1850* §. *Demum.*

178. Mala enim fides et consequens fructuum restitutio singulis momentis expenduntur, ex traditis per Rotam in Mediolanen. Pensionis 19 ianuarii 1655 §. Secundo coram Merlino *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 18 Iunii 1859* §. *Nec.*

179. Quum igitur de sententiae validitate ac iustitia quaeratur, a iure alienum est, ut eius praetextu possit Possessor a restitutione perceptorum fructuum excusare ac de bona fide excipere, Rot. in Recent. decis. 552 n. 5 part. 5, in Senogallien. Bonorum 17 iunii 1735 §. fin. coram Peralta *in Sancti Severini Eleemosynae die 26 Novembris 1768* §. *Hinc.*

180. Quin imo malae fidei possessor tenetur ad restitutionem fructuum tam perceptorum, quam qui percipi potuerunt, L. *Si navis* ff. de rei vindicatione, L. *Si urbana* ff. de cond. indeb., et L. *Domum* Cod. de rei vindicatione *in Suessana Bonorum die 17 Decembris 1852* §. *Quibus.*

181. Nec dubium, quin per litis contestationem mala fides subintret, L. 2 ff. de usuris, et fructus subinde percepti restitui debent *in Montis Falisci Canonicatuum die 7 Augusti 1841* §. *Ad fructus.*

182. Nemo propterea est bonae fidei possessor, ex quo illi mota lis est, ex Lege *Certum* de rei vindicatione *in Spoletana Capellaniae die 3 Decembris 1842* §. *His.*

183. Idcirco quum Testator mandaverit, ut fructus suae hereditatis erogarentur in opus pium designato pio Loco peragendum, sed si ipse Locus pius non amplius ad illud explendum inserviret, omnia praedicta hereditatis bona integre conferri deberent in alium pium Locum, ne dubium quidem, quin illo subinde a pluribus annis defecto nedum alteri substituto eadem hereditatis bona sint applicanda, verum etiam fructus a die motae litis sint omnino restituendi *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 29 Ianuarii et die 18 Iunii 1859.*

184. Siquidem in Civitate Fulginiae sub initium elapsi seculi decimi octavi duo erecta fuerunt Loca pia: alterum pro colligendis et excolendis Orphanis Puellis instituit verabilis Servus Dei Sacerdos Felix Angelicus Testa; alterum vero clari nominis Episcopus Battistelli pro viris sive laicis sive ecclesiasticis ad exercitia spiritualia congregandis in loco apposite constructo prope moenia Civitatis, vulgo nuncupato *della Vignola,* eamque domum cum adnexis Episcopus postquam solemniter benedixisset Patribus tradidit Societatis Iesu, qui in eo sacro recessu per dies octo congregatos spiritualibus identidem excolerent exercitationibus. Si fides habenda erat Fulvio Bagliotti, Presbitero Congregationis Oratorii Mevaniae, qui vitam eiusdem Felicis Testa scripsit, anno 1780 typis evulgatam, idem Felix videbatur dedisse Baptistellio consilium memoratae institutionis exercitiorum, locum idoneum elegisse, eoque curante, fuisse opus absolutum, ut in lib. 1 §. 2 cap. 12. Ita se res habebant, quum anno 1741 supremas condidit tabulas Felicianus Iacobelli, civis Fulginatensis. Quorum dispositio pium Locum utrumque respicere non ambigebatur. Heredem enim scripsit animam suam, et suae voluntatis Executorem constituit, cui omnimodam commisit hereditatis administrationem. Huic autem iniunxit, ut fructus tam naturales, quam civiles fundorum ac censuum hereditatis annuatim ac in perpetuum erogandos esse pro substentatione quindecim Sacerdotum Civitatis ac Diaecesis nec non pauperum secularium, qui in praefato pio Loco *della Vignola* spiritualia exer-

citia peragere vellent; atque methodum accurate designavit in electione Personarum servandam, ac alia complura praestituit, quae modum executionis attingebant. Quod si Patres Societatis Iesu vel nollent aut relinquerent curam pii Loci, mandavit, ut heredes Baptistelli aliis Personis seu Religioni cum iisdem oneribus cedere possent praedictum pium Locum. Quocumque tamen casu ac eventu, quod pium Locum ad aliam quamlibet transiret Personam ac Religionem, quin amplius pro spiritualibus exercitiis inserviret, tunc voluit praecepit ac disposuit, ut omnia hereditatis bona integre venerabili Conservatorio pauperum Orphanarum Civitatis Fulginatensis cum obligatione Rectori applicandi quotidie et in perpetuum Missam ad Capellam Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis in suffragium animae suae ac iuxta ipsius mentem conferrentur. Idem Testator autem, priusquam nuncupasset heredem, plura scripsit legata, in quibus legebatur institutio Capellaniae laicalis ad nutum amovibilis in Ecclesia dictarum pauperum Orphanarum sub invocatione Deiparae Virginis sine originali labe Conceptae cum onere celebrandi vel celebrare faciendi in dicta Capella Missam singulis diebus festis, ac nominatio Capellani tribuebatur Rectori pro tempore praefati Conservatorii, qui posset nominare seipsum; nec non scuta centum pro manutentione fabricae Loci pii *della Vignola,* quod praefatus Battistelli pro exercitiis spiritualibus erexerat, relinquebantur. Rebus ita per Testatoribus constitutis, accidit, ut Societas Iesu suppressionis fatum subierit, sedente Pontifice Clemente XIV: ex quo pius Locus *della Vignola* concreditus fuit Perusinae Congregationi Missionis, et Iacobillii hereditas seu illius fructus per Administratorem erogati fuerunt, ut antea, in opus exercitiorum ad formam testamenti. Quum vero Gallicum successerit Gubernium anno 1810, rebus sacris et religiosis occupatis atque distractis, ab universali caede *Domus della vignola* cum adnexis haud evasit immunis, quae per publicam licitationem in dominium cuiusdam privati pertransiit, nec amplius est restitutus. Constabat autem ex monumentis productis, quod secutâ eiusdem confiscatione compendium seu emolumentum hereditatis Iacobilli per imperiales Ministros fuerit Orphanis adiudicatum in vim substitutionis testamentariis, attenta suppressione pii Loci *della vignola,* et reipsa Domus Orphanarum illius fructus aliquandiu percepit. Latebat autem a quo tempore subiecta iterum fuerit hereditas ipsa peculiari Administratori ab Episcopo deputato, ceu Testator disponebat. Illud unum pro certo habebatur, quod restitutis rebus Episcopus Fulginatum Moscardini, cum pius Locus *della vignola* restitui aut recuperari nequiverit vi Edicti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, supplicem dederit libellum Sacrae Congregationi super reformatione negotiis particulariter deputatae pro cessione suppressi Monasterii S. Mariae in Campis, ut opus exercitiorum ibidem instauraretur, quod reapse est assecutus per Rescriptum diei 17 septembris 1817 a Pontifice Maximo s. m. Pio VII confirmatum. Utrum vero post haec habita essent nec ne spiritualia exercitia iuxta formam a Testatore praescriptam in ancipiti versabatur: erant enim qui affirmabant pro aliquibus saltem annis, alii vero inficiabantur absolute. Illud autem videbatur extra controversiam, quod ad annum usque 1857 hereditas Iacobilli sub peculiari administratione permanserit, quin hac super re ulla, quantum scire licebat, mota fuerit querela. Volvente vero anno praedicto, Ioannes Canonicus Ceccarelli, qua Rector piae Domus Orphanarum, die 24 aprilis ad acta Curiae se sistens nomine eiusdem pii Loci formiter emisit actum additionis hereditatis Iacobilli ex habita iam notitia testamenti, protestatione adiecta, quod praesens acceptatio ad diem purificatae conditionis retrotrahi deberet; ac die insequenti iudicium formaliter pro vindicatione hereditatis instituit. Dum haec agebantur in Curia, duobus vix elapsis diebus, Episcopus exercitia spiritualia in Monasterio S. Mariae in Campis peragenda Clero denunciavit: de recessu vero formiter habendo, postquam cum Presbiteris Congregationis Missionis egisset, tunc demum subdidit, quod altera monerentur notificatione; ac habita sunt reipsa in praefato Monasterio iam suppresso ineunte mensis novembris 1858 exercitia spiritualia.

185. Re ad Sacram Congregationem per

Summum Pontificem delata, qui vindicias assumpsit pro tuitione operis exercitiorum a Iacobillio praescripti propugnavit, quod existente primo Instituto fieri non posset locus Substituto, nec non incumberet eidem onus probandi suam vocationem tam in genere, quam in specie; eoque non probante, possessorem manutenendum esse dixit. Ut autem certam agnoscebat vocationem Orphanarum in genere, ita casum inficiebatur vocationis illius in specie, ex quo extabat adhuc in Monasterio S. Mariae in Campis, ut aiebat, opus exercitiorum, a cuius omnimoda deficientia pendere putavit Orphanarum substitutionem, maxime ex voto Testatoris de perpetuitate semel et iterum expresso etiam cum de Personarum mutatione cogitavit in loco *della vignola*, quin unquam evanescere potuerit ex facto illegitimae Potestatis. Evanidam inde ostendit interpretationem de substitutionis eventu, ob cessationem exercitiorum in loco *della vignola:* non enim locum respexisse subdidit, nisi demonstrationis gratia, cum locus adiectus fuerit non in obligatione, sed in executione, sed opus exercitiorum, in quod suam ostendisse censuit praedilectionem et causam finalem, id arguens tum ex opere magnae utilitatis, tum ex adiecta clausula *in perpetuo*, quae temporis limitationem excludebat; nihil vero magis pugnare sub – inferebat, quam perpetuitatem cum aedificii labilitate. Nec itaque obesse poterat, quod ab historico Bagliotti desumebatur, quum in testamentariis tabulis nulla de loci praedilectione mentio haberetur; atque eius assento monumenta publica atque solemnia refragari videbantur. Quapropter taxativam loci designationem pugnare sustinuit cum praedilectione et causa finali Testatoris in exercitiorum opus satis expressa: unde quum Testator nominaverit Locum pium, intelligendum esse contendit opus exercitiorum, non vero aedificia, in quibus erat explendum. At opus exercitiorum a quadraginta annis vigebat in Monasterio S. Mariae in Campis, ubi erat translatum, quin unquam Orphanae earumque Moderatores obmussitaverint: quam quidem observantiam et acquiescentiam quadragenariam fore forsan idoneam reputavit praescriptioni inferendae damno Orphanarum, si ius illarum habendum esset tamquam purificatum, praesertim cum Apostolici Rescripti titulo fulciretur; eoque vero magis eam valere dixit ad voluntatem Testatoris interpretandum. Praeterea si pium Opus impleri nequibat in loco *della vignola* a Testatore designato, non ideo opus evanescebat, vel Substituti favore cedere debebat, sed alio in loco ex praesumpta disponentis voluntate implendum esse propugnavit ex regula, quod accessorium sequi debet principalis, neque Substitutus unquam intelligitur vocatus, quousque pium Opus, quae finalis causa est, aliter vel alibi impleri possit. Idque eo vel magis in themate admittendum, cum Supremus Pontifex die 17 septembris 1817 Monasterium S. Mariae in Campis Loco pio *della vignola* quoad omnes iuris effectus subrogaverit, addita etiam clausula, – ceterisque in contrarium quamvis specifica mentione dignis non obstantibus –. Idcirco nihil officere poterat, quod auditi non fuerint pii loci Moderatores et Administratores, cum auditus fuerit Episcopus, qui tutor natus erat omnium piorum Locorum, praesertim illius quod Episcopus Battistelli fundaverat. Nec vitio subreptionis vel obreptionis Rescriptum Summi Pontificis infectum censeri poterat, cum subrogationem indulsisset, – omnibus mature perpensis –.

186. At Defensor Orphanarum sustinuit, Rescriptum Pontificis haud importare, ut ius Orphanis quaesitum extiterit interceptum aut revocatum; inspecto enim tenore Rescripti, patebat, iuri Orphanarum nec derogatum, nec derogandi animum extitisse. Nullum autem inesse dubium contendit, quod factus esset locus substitutioni favore piae Domus Orphanarum ad hereditatem controversam, attenta defectione pii Loci *della vignola*. Nam claram esse ostendit dispositionem Testatoris de opere exercitiorum taxative habendo ad locum *della vignola*, quum tabularum verbis sedulo expensis arguerit, Iacobillium locum voluisse et opus cumulative, non autem disiunctive; ac taxativam deduxit dispositionem ex clausula – e non altrimenti –, quae praecisam innuit disponentium mentem et tamquam resolutiva operatur ac si nihil actum fuisset, aliamque non recipiat dispositio interpretationem vel modificationem a verbis separatam, quippe quod

est limitativa voluntatis et praeservativa sui iuris in casu contrario. Evidentius autem taxativam dispositionem ad locum arctatum eduxit ex verbis resolutivis a Iacobillio pronunciatis: – caso che il Luogo pio della vignola più non servisse per dare e fare li esercizii spirituali –, ubi substitutionem adamussim decrevit Orphanarum, quarum intuitu vel etiam ipsarum Funda oris coarguit Testatoris affectionem. Contrariam vero interpretationem, quod Testator nimirum pium Opus intellexerit, non locum materialem, aut sub appellatione *Luogo pio* venire pium exercitiorum institutum, ad plura compellere absurda studuit ostendere. Subinde taxativae dispositionis eruit argumentum ob affectionem, quam erga pium Locum utrumque, *della vignola* scilicet et Orphanarum, ostendisse putavit Iacobillium intuitu praesertim venerabilis Servi Dei Felicis Angelici Testa, qui huius extitit Fundator, illius vero promotor et sollicitus executor, tum in electione, tum in constructione et ordinatione facienda cum pluribus adminiculis, quorum in factorum meminit historia Patronus Orphanarum. Taxativam denique dispositionem evincere contendit ex regula a Forensibus invecta et in iure recepta: aut scilicet praecedit in oratione res destinata et sequitur legatum opus, et tunc dispositio dicitur stare taxative; aut contra, et tunc stare dicitur demonstrative. Quibus praemissis, probavit, non posse alio transferri opus, loco taxative designato obligatum, si locus pereat aut deficiat. Nec autem dubium, quin dictus locus ab anno 1810 penitus defecisset, et postea in usum profanum fuerit irrevocabiliter conversus. Quare ad illud tempus, quo impletam dixit vocationis conditionem, retrotrahendam esse ursit immissionem, etsi factum processerit ab auctoritate illegitima; quia quum legitima postmodum auctoritas factum sanciverit, ratificatio ipsa retrotrahebatur ad diem et tempus actus ratificati. Ex quo vero Orphanas olim hereditatem possedisse defendit, allatis in id documentis, probare curavit, quod illis non tantum deberetur immissio, sed potius reintegratio possessionis ex interdicto *Unde vi*. Quum igitur Orphanotrophio deberentur bona hereditaria Iacobilli a die impletae conditionis ob loci designati deficientiam, quae erant suapte natura frugifera, fructus et accessiones omnes ab eodem tempore eidem pio Loco competere propugnavit, ex eo quod haberentur tamquam connexae inter se, et tamquam accessorium respectu principalis.

187. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et a quo tempore factus sit locus substitutioni ad hereditatem Feliciani Iacobilli favore piae Domus Orphanarum, ita ut danda sit eidem immissio seu reintegratio possessioni et restituendi fructus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 29 ianuarii 1859 responsum dedit: – Affirmative in omnibus a die 9 septembris 1814, fructus tamen esse restituendos a die motae litis –. At Domus Orphanarum Defensor, firmato iure Orphanarum ad hereditatem Iacobilli iuxta praefatae Sacrae Congregationis resolutionem, ab eo die fructus restituendos esse subsequi perpendit, a quo deberi agnoscebatur hereditatem; nam fructus sequuntur indole sua rei dominium, maxime cum ageretur de petitione hereditatis titulo universali, quo casu debentur fructus ab initio. Idcirco Administratorem Operis exercitiorum fructus restituere debere sustinuit, cum nec titulum possessionis legitimae saltem putativum haberet, nam ille evanuerat, ex quo conditio ab Institutore proposita defecit, nec in bona versaretur fide, nam Operis Executorem deputatum neque latere posse aut debere patulam Testatoris voluntatem praetendit. Quin imo etsi pii Operis Executor non tamquam administrator egisset, sed possedisset tamquam dominus ac uti bonae fidei possessor esset reputandus, a restitutione tamen fructuum etiam ante motam litem perceptorum, qui non fuerant tempore motae litis consumpti (eosque in summa argenteorum saltem quatuor centum assignabat) excusari nunquam posse contendit. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 18 Iunii 1859*.

188. Imo fructus indebite ac illegitime percepti restitui debent respective a die vacationis Beneficii et a die motae litis; quandoquidem quum Patroni Beneficii a Rosato Antonini fundati, despecta petitione Ioannis Baptistae Antonini, qui patronatu pasviso truebatur, alium

nominaverint, sed praefatus Ioannes probaverit nominationem sibi deberi, adeoque ad fructuum restitutionem cogendum esse ab anno 1765 vel Aloisium Leonori Patronum, qui contra Testatoris voluntatem alterum nominaverat, vel Candidum Gentili illegitimum Beneficii possessorem, quin excusari posset Beneficiatus praesidio nominationis a legitimis Patronis obtentae, ex eo quod nominatio, certa lege et conditione coercita, nonnisi adimpleta lege et purificata conditione exequi deberet, proposito dubio: – II. An et a quo tempore sint restituendi fructus et in qua summa in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam resolverit, Capellaniam seu Beneficium deberi Clerico Ioanni Baptistae Antonini a die vacationis, die 27 novembris 1773 responsum tulit: – Ad secundum, deberi a Patrono, detractis oneribus, usque ad diem motae litis, et a Capellano a die motae litis –. Reproposito dein dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio, confirmato iure Ioannis habendi Capellaniam a die vacationis, respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius – *in Reatina Capellaniae die 9 Iulii 1774.*

189. Hinc etiam Beneficiatus, qui nulliter ab Ordinario ex praetenso iure devolutionis Beneficium habuit, restituere debet fructus a die motae litis; his quippe in terminis proposito dubio: – II. An et a quo tempore sint restituendi fructus in casu? –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, nullum esse Decretum Curiae Abbatialis Nonantulae, quo ex praetenso iure devolutionis, non obstante nominatione ac praesentatione per Patronos facta, alium elegit, die 20 septembris 1845 responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative a die motae litis –. Reproposito dein dubio sub formula: – II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, in decisis; et amplius – *in Nullius Nonantulae Beneficii die 28 Augusti 1847.*

190. Quapropter Canonicus, cui nulliter collatus fuit Canonicatus, a die motae litis restituere debet fructus, exceptis distributionibus quotidianis, ei qui legitime eiusdem Canonicatus collationem habuit; his enim in terminis proposito dubio: – II. An et a quo tempore et in qua summa sint restituendi fructus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 iulii 1802 responsum dedit: – Affirmative a die motae litis, exceptis distributionibus quotidianis –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Melevitana Canonicatus die 18 Septembris 1802* (1).

191. Unde Capellanus, qui ex praecepto Testatoris debet celebrare Missas iis diebus, quibus non fuerit impeditus, nedum Capellaniam amittit per subsequens Matrimonium, sed tenetur etiam restituere fructus a die motae litis, etiamsi eam Ordinarius non erexerit et laicalis censeatur *in Reatina Capellaniae die 22 Septembris 1714 et die 9 Februarii 1715 lib. 64 et 65 Decretorum* (2).

192. Quin imo S. Rota in Recent. decis. 281 a n. 17 sic disserit: – Quamvis verum sit, quod regulariter fructus non debentur, nisi a die motae litis, quia tunc possessor constituitur in mala fide, quae mala fides radix est obligationis ad fructus restituendos, attamen quando non petuntur ut accessorii rei in iudicium deductae, sed tamquam sors principalis et principaliter debita, ut in legato annuo praestatione annua et pensione, fit condemnatio etiam ante motam litem, quia pro istis vindicandis non mala fides ex lite proficiscens, sed alia antecedens obligatio ex contractu vel quasi, vel alio iuris legitimo fonte manans tribuit actionem; alioquin enim si fructus huiusmodi restituerentur solum a die motae litis non solveretur tota sors principalis et integra pensio in dictis fructibus consistens, quae non distinguitur a subiecto, ex quo percipitur, prout distinguuntur revera fructus accessorii – *in Firmana Distributionum die 2 Decembris 1743* §. *Tandem.*

193. Idcirco quando emolumenta reposcuntur non uti fructus accessorie ad fundum, sed tamquam sors principaliter debita inde-

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Beneficia*, §. V, n. 128 ad 138, Tom. III.
(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capellania*, §. III, n. 120 et 121, Tom. V.

pendenter a quocumque subiecto, ut adeo restituenda sint, quamvis percepta ante motam litem, quia debentur non ratione morae aut malae fidei, sed iure dominii Actoris, qui non consequeretur integre rem suam, nisi emolumenta licet iam antea a Capitulo percepta recuperaret, iuxta distinctionem, quam Doctores communiter sequuntur, et praesertim Fagnanus in Cap. *Gravis* de restit. spoliat. a n. 125, Spada cons. 103 n. 1 cum aliis relatis in magistralibus S. Rotae decis. 585 et 633 coram Merlino, confirmatis coram Bichio decis. 245 et 256, et coram Priolo decis. 95, et in Florentina Pensionis 12 ianuarii 1699 §. Utraque coram Olmo. Exemplo annui Legati, quod debetur a die mortis Testatoris, tametsi decursi ante motam litem, quia non tamquam fructus accessorie ad fundum, sed principaliter tamquam sors petitur, ad Textum in L. *Nec semel* vers. Item Celsus ff. quomodo dies legati cedat. Unde hoc in casu nedum bona fides non suffragatur iuxta expositam doctrinam, sed nec refert etiam, quod fructus consumpti fuerint, aut quis locupletior exinde non evaserit, ceu ad rem observat Riganti in Reg. 55 cancell. n. 210 *in Ianuen. Emolumentorum die 23 Februarii 1856* §. *E contra*.

194. Unde qui legatum fructuum praestare tenetur, sed Legatarii iustam illud recusandi causam habeant, is eos integre solvere debet, si exinde fuerint diminuti; quandoquidem quum ex pia hereditate Petri Iacobi Beccari, detracto sumptu musicae et Capellani, quidquid de omnibus bonorum fructibus superesset distribuendum foret iuxta donationem anni 1617 in dotes, quae tamen haud solutae fuerunt a Societate Beatae Mariae Virginis de Populo, quia eas illius descendentes post annum 1773 iusta de causa recipere noluerunt, proposito dubio: – VII. An et in qua summa et a quo tempore debeantur fructus et cuius favore sint consignandi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative ab anno 1773 iuxta liquidationem faciendam coram Ordinario ad formam instructionis; in reliquis dilata – *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 19 Februarii 1791.*

195. Nam qui legatum praestare debet, Legatariis praestare tenetur, quod integrae deest quantitati legatae, per Textum in L. *Legatum* instit. de legatis, et in L. *Legatum est* de legato secundo *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 29 Ianuarii 1791* §. *Quidquid.*

196. Qua de re qui investimentum facere negligit, ad quod sciebat se esse obligatum, teneri videtur ad quanti interest, investimentum non esse factum, etiamsi non fuerit interpellatus *in Ianuen. Erectionis Collegiatae die 28 Ianuarii die 18 Decembris 1734 die 21 Maii 1735 et die 1 Iunii 1737* (1).

197. Quum autem Sacra Congregatio concesserit filiabus heredis pro dote monastica fructus investiti et decursi usque ad praesens Locorum Montium, quae Testator reliquit Archiconfraternitati ad effectum restaurandi ac exornandi Capellam cum lege multiplici, non propterea dicta Archiconfraternitas tenetur ad fructus, qui potuerunt percipi et non fuerunt exacti et investiti, nec illi sunt praedictis filiabus consignandi, salvis tamen iuribus, si quae competunt praefatae Capellae *in Romana Multiplici die 5 Iunii 1717 lib. 67 Decretorum.*

198. Enimvero – Petrus Paulus Brandus in testamento anni 1679 Archiconfraternitati

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Ecclesia Collegiata*, §. II, n 89 ad 91, Tom. VIII.

Id semper sanxit etiam S. Rota, ceu constat ex decis. 6 et 7 tit. de usur. et fruct. coram Falconerio. Ea enim est multiplici natura, ut fructus conserventur et in augmentum patrimonii convertantur usque ad praefinitum terminum, ut in decis. 30 coram eodem loc. cit. n. 19. Fructus itaque non debentur ratione morae, sed uti incrementum intrinsecum rei legatae, cuius dominium a die obitus Testatoris fictione iuris transit in Legatarium, vel ratione damnorum et interesse, si heres pecuniam non impendit, iuxta Testatoris mandatum, ad tradita decis. 143 part. 8 Recent. n. 7. Nec ullatenus obstat distinctio inter fructus et fructus fructuum, quia quum Testator voluerit, ut fructus investirentur in augmentum sortis suae hereditatis, cumque fructus augeant hereditatem, non est amplius agendum de fructibus fructuum, sed de fructibus hereditatis, ex eo quod tales sunt effecti huiusmodi fructus de praecepto Testatoris, qui ita voluit disponere, ut in Recent. decis. 682 n. 3 part. 11, cum praesertim augmentum naturam principalis aucti recipiat.

SS. Stigmatum Sancti Francisci Loca septem Montium Cameralium legavit « ad effetto, che nell'ampliazione, che dovrà farsi della Chiesa e Cappella parimenti de' SS. Quaranta Martiri, si spendano nella struttura et ornato, ma con l'assistenza del mio erede, volendo di più, che sin che giunga il tempo opportuno di spendere detto danaro si ponga a multiplico ». Heredem vero instituit Iacobum nepotem, qui magna pressus paupertate supplicavit Sanctissimo, ut eius filiabus omnia supradicta Loca Montium eorumque fructus pro dote monastica assignare dignaretur. Remisso autem supplici libello ad hanc Sacram Congregationem pro voto, et audita informatione Emi Parracciani protectoris, qui inter cetera retulit, fuisse ex fructibus empta alia sex Loca Montium cum quindecim centesimis, et superesse scuta sexaginta non investita, placuit EE. VV. die 11 iunii 1712 precibus dicti Brandi, per summarium expositis, rescribere: « Firmo remanente capitali Locorum septem relictorum a Testatore, erogentur fructus investiti et decursi usque ad praesens in causam expressam ». Verum cum saepedictus Brandus excitaverit praetensionem consequendi non solum Loca Montium, ut supra acquisita et pecunias extantes de tempore Rescripti, sed etiam alia Loca Montium, quae, servato diligenti multiplico, acquiri potuissent, deducta controversia coram Auditore Sanctissimi, illam EE. VV. decidendam remisit, et ad formam eius Decreti concordato sequenti dubio, oraculum EE. VV. super eo Partes supplices expectant: – An Archiconfraternitas teneatur ad fructus, qui potuerunt percipi et non fuerunt exacti et investiti, et illi sint consignandi filiabus Oratoris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, salvis iuribus, si quae competunt favore Capellae – *in Romana Multiplici die 5 Iunii 1717 lib. 67 Decretorum.*

199. Quum itaque Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium Carolo Martiano dedisset facultatem vendendi domum et cauponam ad Beneficium, quod is possidebat, pertinentes, cum clausula, quod pretium retrahendum integre et unico contextu reinvestiretur in aliis bonis stabilibus, sed Vicarius Generalis Rubensis licentiam vendendi impertiens favore Simeonis Stregapede die 15 novembris 1704 mandavit, quod pretium reponeretur penes tertium, qui illud conservare deberet ad finem restituendi ad omnem ordinem Curiae ecclesiasticae, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, Martianum esse redintegrandum ad possessionem dictarum domorum ad formam sententiae Episcopi Rubensis latae in executionem resolutionis Sacrae Congregationis, propositis dubiis: – III. An Capitulum Cathedralis Ecclesiae Rubensis et Vincentius Coppa heres et respective legatarius dicti quondam Simeonis Stregapede teneantur ad restitutionem omnium et singulorum fructuum ex dictis domibus perceptorum et a quo tempore in casu etc. IV. An D. Martianus teneatur reficere reis conventis expensas et meliorationes in eisdem domibus factas in summa scutorum 372 69 iuxta liquidationem a dicto Episcopo Rubensi factam, seu potius omnes et singuli fructus percepti a dicto anno 1704 usque ad praesens ex dictis domibus melioratis debeant in easdem expensas et meliorationes imputari? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, deberi fructus rei non melioratae a die motae litis; quo vero ad fructus melioramentorum nullos deberi, reservatis iuribus heredibus Stregapede agendi pro damnis et interesse passis ob non factum investimentum, prout de iure et contra quos de iure. Ad quartum, Affirmative ad primam partem; et quoad secundam, provisum in praecedentibus – *in Ruben. Nullitatis Alienationis die 28 Augusti 1723.*

200. Idcirco quum contractus permutationis et respectivae venditionis nullum sit, locus est nedum reintegrationi, sed et restitutioni fructuum ac refectioni melioramentorum, attentis tamen rerum circumstantiis indulgetur absolutio a poenis in foro externo incursis *in Terracinen. et Setina die 23 Ianuarii 1790*(1).

201. Quum enim actus, qui iure non subsistit, pro infecto haberi debeat, restituendi a praediorum possessoribus sunt fructus indebite percepti ab ipsa die celebrationis instrumenti. Ita sane decernitur in L. *Iubemus* Cod. de sac. ecclesiis, quam Constitutionem

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Administrator*, §. IV, n. 103 ad 107, Tom. I.

pro una Constantinopolitana Ecclesia editam ad totius Orbis Ecclesias extendit Iustinianus Auten. de non alien. §. Nos igitur, et infra §. Quia vero Leoni. Idem sanxerunt Symmacus Pontifex in Cap. 6 §. ult. de reb. eccles. non alienandis, Paulus II in Extrav. *Ambitiosae,* et Urbanus VIII in Constitutione *Humanae salutis;* idemque docent Card. Petra in com. ad Const. Apost. tom. 1 sect. 4 n. 17, Reiffenst. in ius can. tit. de reb. eccles. non alien. §. 3 n. 63, Rot. in Romana Domus 13 ianuarii 1623 coram Coccino, et Sacra Congregatio in Nullius seu Asculana 24 aprilis 1723 *in Anconitana Nullitatis Contractus die 6 Maii 1820* §. *Agitur.*

202. Unde speciale est in alienatione rei ecclesiasticae nulliter peracta, quod possessor teneatur ad fructuum restitutionem non solum a die motae litis, sed ab ipsa die, qua fuit contractus celebratus, uti probat Textus in Cap. *Si quis* de rebus ecclesiae non alienandis, et late prosequuntur Corrad. in prax. dispensat. lib. 9 cap. 11 n. 13, Galles ad Constit. Urbani VIII n. 138, Ventrigl. in prax. rer. eccles. tom. 1 annot. 1 §. 4 n. 6, Card. De Luca de alienat. disc. 1 n. 105 *in Nullius seu Asculana die 6 Martii 1723* §. *Ad primum.*

203. Limita, dummodo absit mala fides vel iusta excusationis causa, alias enim fructus non sunt restituendi, nisi a die motae litis *in Anconitana Nullitatis Contractus die 27 Maii 1820 et die 20 Ianuarii 1821* (1).

204. Fructus, vero, qui servando servari non possunt, non comprehenduntur in Decreto de rebus Regularium non alienandis *in Nullius die 18 Septembris 1627 lib. 13 Decretorum pag. 347.*

205. Quapropter multo magis fructus simoniace percepti sunt restituendi, etiamsi bona fides intercessisse videatur; quandoquidem quum Ildephunsus Valentinus Fernandez Montero e Villa Carceris nominatus fuerit ad Capellaniam de iurepatronatus laicali, sed timens, quominus ob defectum Clericatus illius possessionem assequi non posset, cum Patrono convenerit, ut iste ad illam nominaret quemdam Presbiterum, qui de re tota conscius eamdem Capellaniam dimitteret statim ac Ildephunsus Clericus fieret, unde hoc pacto per dimissionem a Presbitero factam ipse in Beneficii possessionem subingrederetur, et primae nominationis effectus haberetur, Sacra Congregatio mandavit, ut fructus perceptos restitueret, etiamsi Episcopus retulisset, simoniam iuxta suam opinionem fuisse invincibiliter bona fide et ex ignorantia commissam, quemadmodum spectata vita et moribus tam Presbiteri, qui secundo loco fuerat ad Beneficium nominatus, quam Ildephunsi, diiudicare licebat, quin Patronus, utpote laicus, divinas leges contemnere aut Ecclesiae constitutiones violare voluerit; his enim in terminis proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione dispensatione et convalidatione tituli Beneficii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dimittat, restituat fructus perceptos; et postea supplicet – *in Caurien. Censurarum die 20 Iulii 1774.*

206. Unde fructus usurae labe inquinati ipso iure in sortem sunt imputandi, ipsamque usuram necessario extenuant, ceu cum communi Theologorum et Canonistarum tenet Constantinus in vot. decis. 30 n. 4 tom. 1, Rot. decis. 276 n. 12 coram Dunozzetto seniore, et coram Retz in Civitatis Castelli 16 februarii 1835 §. 11 *in Melevitana Imputationis seu Condonationis Fructuum die 5 Septembris 1846* §. *Hucusque.*

207. Fructus vero loco damnorum et interesse conveniri possunt, quatenus probetur lucrum cessans et damnum emergens, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 10 Cap. 5 n. 10 *in Camerinen. Aedificationis Ecclesiae die 27 Iunii 1807* §. *Verum.*

208. Hinc et fructus soluti ultra legitimum debitum in sortis immunitionem supputantur, ad Textum in L. 8 Cod. de pignorat. action., Leotard. de usur. quaest. 89 n. 25, Rot. post. Cenc. de cons. decis. 12 n. 2, decis. 127 n. 4, et coram Seraphino decis. 1006 n. 4 et 6 *in Assisien. Beneplaciti die 19 Novembris 1825* §. *Addit.*

209. Nam fructus indebite soluti repeti possunt, Cenc. de cens. quaest. 88 n. 1 4 5 et 9, Rot. in Recent. decis. 99 a n. 1 part. 6, et in Faventina pecuniaria 3 ianuarii 1764 §. 5 co-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Emphyteusis,* n. 49, Tom. IX.

ram Olivatio *in Gerunden. Census die 14 Maii 1768* §. *Addit.*

210. At bonae fidei possessorem perceptione suos facere fructus elementare est, ex Lege 48 ff. de acquir. rer. dom., L. 28 de usu *in Spoletana Capellaniae die 3 Decembris 1842* §. *Matteuccius.*

211. Unde tralatitii iuris est, possessorem bonae fidei fructus perceptos et non extantes haud restituere teneri, ex censura Textus in L. *Sed et loci* 4 §. Post litem ff. de fin. regundis, L. *Qui erit* §. vult ff. de usuris, L. *Quaesitum* 40, L. *Bonae fidei* 48 ff. de acq. rer. dominio, L. *Certum* de rei vindicatione, Card. De Luca de alienat. disc. 12 n. 17, Rot. in Romana Census vitalitii 28 ianuarii 1757 §. 4 et 5 coram Card. Elephantutio *in Faventina Emphyteusis die 18 Augusti 1787* §. *Transeunt.*

Item *in Lauretana Nullitatis Contractus die 30 Augusti 1788* §. *Quartum; in Faventina Legati die 19 Novembris 1825* §. *Fructuum; in Suessana Bonorum die 17 Decembris 1852* §. *Quibus; in Ianuen. Emolumentorum die 23 Februarii 1856* §. *Haec.*

212. Idcirco qui bona fide retinuit Capellaniam cum Canonicatu incompatibilem ex mente Fundatoris, non tenetur restituere fructus interim perceptos *in Maceraten. Dispensationis die 19 Maii 1787 et die 12 Iulii 1788* (1).

213. Imo ad lucrandum fructus decursos ante litem contestatam non requiritur bona fides positiva, sed sufficit abesse malam fidem, et titulum putativum vel etiam nullam adesse, Rot. in Recent. decis. 3 part. 3 n. 4, et in Forolivien. Iuris decimandi super restitutione 26 februarii 1823 n. 5 coram Gamberini, praesertim in Tiburtina Fideicommissi super consuccessione 17 ianuarii 1764 §. 13 *in Firmana Distributionum die 2 Dicembris 1843* §. *Porro.*

214. Qua de re ante motam litem pro lucrandis fructibus non requiri bonam fidem positivam vel titulum verum, sed sat esse, ut absit mala fides ac adsit titulus putativus ac etiam invalidus, qui causam habeat ab errore iuris, vel facti, docet S. Rota in Recent. decis. 3 n. 4 part. 3, decis. 199 n. 11 part. 7, et in Sabinen. Spolii 13 martii 1662 coram Bevilaqua. Hinc si concurrat quaevis causa etiam temeraria et bestialis vel qualiscumque possidendi ratio, insurgit bona fides ad faciendos fructus suos ante motam litem, inquit Constantinus in vot. decis. 470 a n. 10 *in Ianuen. Emolumentorum die 23 Februarii 1856* §. *Haec.*

215. Nam ad restitutionem quis non videtur obligandus, quando agitur de fructibus perceptis et consumptis, ad quos retinendos sufficit, ut absit mala fides positiva, ut literaliter probat Textus in L. *Item veniunt* §. praeter haec ff. de petitione hereditatis, et in L. 1 Cod. eodem titulo, Card. De Luca de fideicom. disc. 186 n. 3 *in Mexicana Servitii chori die 18 Martii 1854* §. *Ubi.*

216. Proposito hinc dubio: – VII. An et a quo tempore sint restituendi fructus, seu potius consulendum sit Sanctissimo pro condonatione in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad septimum, Negative in omnibus ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Mexicana Servitii chori die 18 Martii 1854.*

217. Verum bonae fidei possessor a restitutione fructuum etiam ante motam litem perceptorum, qui non fuerunt tempore motae litis consumpti, excusari nunquam potest, Rot. in Mediolanen. Pensionis 19 ianuarii 1653 §. Tertia coram Merlino, et in Romana Beneficiatus S. Petri 15 iunii 1657 §. Respectu coram Bevilacqua, ea scilicet ratione, quia possessor etiam bonae fidei fructus extantes et non consumptos tenetur restituere *in Fulginaten. Substitutionis et Fructuum die 18 Iunii 1859* §. *Facta.*

218. Compertum tamen est, super absolutione et perceptorum fructuum condonatione bonam fidem aequissimam semper causam fuisse absolutionis et condonationis ex Sacrae Congregationis disciplina *in Bononien. Montis Pietatis die 23 Iunii 1838* §. *Postremo.*

Item *in Suessana Bonorum die 17 Decembris 1852* §. *Quibus.*

219. Hinc et Patroni paupertas sternit viam fructuum condonationi, quos inique per-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Dispensatio,* §. VI, n. 9 et 10, Tom. VII.

cepit, et absolutioni eiusdem a praeteritis omissionibus *in Neapolitana Capellaniae die 28 Iulii 1838* §. *Haec.*

220. Impotentia enim restituendi fructus indebite perceptos rationabilis censetur causa condonationis, qua quidem extante, saepe saepius Sacra Congregatio illam concessit, quemadmodum videre est in Lucana 17 ianuarii 1789, in Bononien. Commutationis voluntatis 17 septembris 1791, in Mantuana 2 martii 1818, in Florentina seu Fesulana 27 martii 1819 *in Senen. die 15 Iulii 1820* §. *Verum.*

221. Idcirco bona fides, maxime cum paupertate coniuncta, aequissima semper causa benignitatis et indulgentiae, quoad praeteritas omissiones et condonationem fructuum, qui Beneficiato assignari debuissent, visa est *in Neapolitana Beneficii die 2 Iunii 1838* §. *Post.*

222. Unde Sacra Congregatio condonationem fructuum etiam ante exequutionem Literarum Apostolicarum perceptorum indulsit *in Auximana Exequutionis Literarum Apostolicarum et Condonationis Fructuum die 3 Martii et die 2 Iunii 1860* (1).

223. Si enim adsit bona fides et iusta causa locus est etiam absolutioni quoad fructus perceptos ex fundis, quibus de mandato Testatoris erigi debebat Capellania *in Novarien. die 7 Augusti 1779* (2).

224. Qua de re attenta Clerici pauperis consanguinitate cum Testatore, Sacra Congregatio, praeter concessionem gratiae ad obtinendum legatum, indulsit ei etiam fructus a die vacationis; siquidem quum Clericus Dominicus Stecconi in Villa S. Andreae sub Parochia Busseti natus ad unum ex duobus residentialibus Beneficiis seu Legatis a consanguineo Petro Stecconi in Ecclesia Collegiata S. Bartholomaei fundatis fuerit nominatus, sed ob defectum nativitatis et educationis in Oppido Busseti a Testatore impositae illud adipisci non poterat, proposito dubio: - II. An sint ei concedendi fructus eiusdem Legati a die vacationis in casu etc. -, Sacra Congregatio, concessa prius eidem gratia habilitationis ad obtinendum dictum Legatum seu Beneficium, responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative - *in Burgi S. Domnini Legati die 19 Augusti 1797.*

225. Unde indulgetur Patrono absolutio et condonatio fructuum Beneficii, cum ex opinione, licet erronea, illud retinere eosque percipere posse in statu coniugali existimaverit, eo magis, si praesertim nullam irrogavit iniuriam Fundatori illius, quia applicari fecit Sacra, neque passive vocatis, quorum nemo idoneus perhibetur, sed ex superextantibus ipsis fructibus praedium melioravit; his enim in terminis proposito dubio: - II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et condonatione quoad praeteritum in casu etc. -, Sacra Congregatio, postquam attenta respectiva Patroni paupertate declaraverit, esse locum suspensioni Beneficii, deputato ecclesiastico Administratore, qui adimpletis oneribus superextantes reditus Oratori consignet, donec aliquis ex passive vocatis idoneus superveniat, responsum tulit: - Ac secundum, Affirmative - *in Fanen. Beneficii die 15 Iulii 1797.*

226. Quin imo attenta Patroni paupertate nedum indulgetur, ut medietas fructuum Capellaniae in eius alimoniam, sed et altera medietas in extinctionem debitorum erogetur; quandoquidem Ioachim Provenzalius pii Testatoris abnepos, quum ex persona abavi sui esset debitor erga Capellaniam laicalem pro quantitate librarum 288 nec non pro aliis libris 170 et solidis 15, petiit, ut ab utroque onere prae inopia absolveretur, hinc Sacra Congregatio postquam censuit, esse annuendum suspensioni nominationis Capellani et concessioni administrationi ad quinquennium, satisfactis duobus Anniversariis et quinque Missis, proposito dubio: - II. An etquomodo sit providendum quoad debitum librarum 288 et alterum librarum 170 15 in casu etc. -, respondit: - Ad secundum, Affirmative iuxta modum, nempe alteram medietatem erogandam esse in reintegrationem Capellaniae, donec extinguantur integra debita, celebratis tribus Missis in singulos annos, facto verbo cum Sanctissimo - *in Aquen. Capellaniae die 3 Februarii 1787.*

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Dispensatio*, §. V, n. 66, Tom. VII.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Capellania*, §. I, n. 32 et 33, Tom. V.

227. Iusta enim intercedente causa, condonantur etiam fructus interim percepti vi unionis nulliter expletae; quandoquidem quum ex duobus Sodalitiis, altero sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, altero S. Mariae Suffragii, quae inter cetera in Oppido S. Elpidii ad mare Firmanae Diaeceseos enumerabantur, unicum componere perutile Archiepiscopo visum fuerit, proposito dubio: – III. An et a quo tempore et in qua summa sint restituendi fructus in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, unionem praedictam haud sustineri et locum esse reintegrationi, responsum tulit: – Ad tertium, ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro condonatione – *in Firmana die 10 Decembris 1785.*

228. Quapropter cum iusta concurreret causa, Sacra Congregatio condonavit Oratori omnes fructus, quos ob non emissam fidei professionem suos non fecit, ita tamen, ut eleemosynam arbitrio Episcopi Pauperibus erogaret, et eamdem fidei professionem ad Sacri Concilii praescriptum quamprimum emitteret *in Novarien. die 16 Martii 1630* (1).

229. Attenta hinc Oratoris bona fide, Sacra Congregatio ei benigne condonavit cunctos fructus hactenus perceptos, ita tamen, ut aliquid eleemosynae arbitrio sui Confessarii Christi Pauperibus elargiretur *in Bisinianen. die 17 Augusti 1630.*

230. Quin imo attenta Oratoris bona fide, indulgetur absolutio a censuris nec non condonatio fructuum simoniace perceptorum, distributa tamen aliqua summa in pauperum subsidium; siquidem quum ecclesiasticum Beneficium cum officio aeditui ab anno 1732 possideret Antonius Amaya in parochiali Ecclesia Villae *Fuentes de Leon* eiusque titulo sacros eodem anno accepisset Ordines, illudque exinde libere resignaverit coram Vicario Generali Prioratus S. Iacobi de Spatha favore Iosephi Sanchez Brioso; sed privatim cum eodem et Eusebio illius Patre convenerit, ut officii exercitium incumberet Resignatario, perciperet ipse fructus Beneficii, monitus tandem de simonia, supplicaverit suo et illorum de Sanchez nomine pro absolutione a censuris et condonatione fructuum, Sacra Congregatio, attento iuramento Oratoris et Eusebii, quo iidem contestabantur, ea se opinione contraxisse, ut nulla intercederet simoniae labes, consultis etiam viris loci in re satis instructis, proposito dubio: – I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et condonatione fructuum in casu etc. –, denegata contractus approbatione, responsum dedit: – Ad primum, Affirmative, distributa aliqua summa in pauperum subsidium – *in Nullius S. Iacobi de Spatha die 11 Aprilis 1792* (2).

FUNCTIONES IN GENERE

1. Quaenam functiones vel parochiales sint, vel sacerdotales, patet ex Decretis generalibus S. Rituum Congregationis editis anno 1703 *in Cassanen. die 30 Maii 1767* §. *Quaenam.*

Item *in Ianuen. Oratorii die 15 Iulii 1848* §. *Cum.*

2. Idcirco functiones parochiales a non parochialibus distinguendae sunt, iuxta Decreta generalia Sacrae Congregationis Rituum anni 1703; proposito enim dubio: – VII. An et quomodo distinguendae sint functiones parochiales a non parochialibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad septimum, Affirmative iuxta Decreta generalia Sacrae Congregationis Rituum anni 1703 – *in Senogallien. die 13 Iunii 1789* (3).

(1) Reliqua late habes in Verb. *Canonici*, §. III, a n. 241, Tom. IV.

(2) Reliqua prostant in respectivis materiis.

(3) En Decreta praefatae Sacrae Congregationis Rituum: – Urbis et Orbis Iurium parochialium functionum et praeeminentiarum inter Parochos et Confraternitates laicorum earumque Capellanos et Officiales. Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos et Confraternitates seculares earumque Capellanos et Officiales super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo propositis,

3. Hinc – aliae porro sunt functiones de iuribus mere parochialibus et ad Parochiam privative spectantes: aliae, quae licet de iuribus mere parochialibus non sint, ideirco ab aliis exerceri possunt, Parochis vero maxime conveniunt, et ob id munera parochialia appellantur, ut sunt benedictiones Mulierum . . .; aliae demum mere ecclesiasticae, quarum exercitium Capellanis permittitur in Capellis et Oratoriis a Parochia seiunctis, li-

infrascriptis dubiis, videlicet: I. An Confraternitates laicorum legitime erectae in Ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus? II. An dictae Confraternitates erectae in Capellis vel Oratoris tam publicis, quam privatis adnexis parochialibus Ecclesiis, et ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones? III. An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cuius Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae? IV. An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis, tum privatis seiunctis ab Ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones habeant dictam dependentiam a Parocho? V. An benedictiones et distributiones candelarum cinerum et palmarum sint de iuribus mere parochialibus? VI. An benedictiones Mulierum post partum Fontis baptismalis ignis seminis ovorum et similium sint de iuribus mere parochialibus? VII. An functiones omnes hebdomadae sanctae sint de iuribus mere parochialibus? VIII. An celebratio Missae solemnis feria quinta in Coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus? IX. An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto sit de iuribus parochialibus? X. An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis sit de dictis iuribus parochialibus? XI. An expositio quadraginta horarum et benedictio, quae fit super Populo sit de dictis iuribus mere parochialibus? XII. An expositio, quae fit cum Reliquiis et Sacris Imaginibus, et benedictio, quae cum eis fit super Populo, sit de dictis iuribus parochialibus? XIII. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio quinto ad duodecimum expressae, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho? XIV. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint horae canonicae cum cantu vel sine absque alia licentia Parochi? XV. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente Parocho? XVI. An Capellani Confraternitatum possint Populo denunciare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia Parochi? XVII. An Parochus, invitis Confratribus, docere possit doctrinam christianam in praedictis Ecclesiis et Oratoriis publicis vel privatis a Parochiali divisis et separatis? XVIII. An in saepedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi conciones etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus cum licentia Ordinarii et absque licentia Parochi? XIX. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta, sive cantata ante Missam parochialem sive lectam, sive cantatam? XX. An ad Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum? XXI. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint processiones iuxta cuiusque Confraternitatis institutum absque interventu vel licentia Parochi? XXII. An eaedem processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est? XXIII. An in dictis processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre stolam? XXIV. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae Ecclesiae? XXV. An earumdem Ecclesiarum et Confraternitatum Rectores et Capellanos possit Parochus, cessante speciali ac legitimo titulo, et ex solo iure parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae parochialis? XXVI. An in saepedictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus retineri possit Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicae? XXVII. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii? XXVIII. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum eleemosynarum in saepedictis Ecclesiis recollectarum vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere? XXIX. An in Ecclesia parochiali Confratres vel eorum Capellani immiscere se valeant, invito Parocho, in eiusdem Ecclesiae functionibus sive parochialibus, sive non parochialibus? XXX. An Confraternitates, sive sint erectae in Ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu et iuxta uniuscuiusque peculiaria statuta congregationes suas facere absque interventu vel licentia Parochi? XXXI. An possint propria bona administrare ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho? XXXII. Quando Parochus eisdem congregationibus intersit de mandato Ordinarii et tamquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? *Et quatenus affirmative.* XXXIII. An etiam suffragium duplex?, Sacra eadem Rituum Congregatio, re mature discussa, respondendum esse censuit. Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative. Ad quartum, Negative. Ad quintum, Negative. Ad sextum, Negative; sed benedictiones Mulierum et Fontis baptismalis fieri debere a Parochis. Ad septimum, Negative, prout iacet. Ad octavum, Negative, prout iacet; sed spectare ad Parochos. Ad nonum, Negative, prout iacet; sed spectare ad Ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X la 22 §. 14. Ad decimum, Negative, prout iacet; sed licere Confratribus dumtaxat festivitatibus solemnio-

cet eius finibus comprehensis –, Benedict. XIV Inst. 105 a n. 91 *in Ianuen. Oratorii die 15 Iulii 1848* §. *Cum.*

4. Qua de re nihil roboris praeseferre potest antiquata nonnullorum distinctio inter functiones iuris parochialis, et inter functiones officii parochialis, quae scilicet solis Parochis in sua ditione conveniunt. Nam huiusmodi distinctionem penitus eliminat Benedictus XIV in Inst. 105 §. 5, utpote erroneam et a consilio Sacrae Congregationis Rituum prorsus alienam eique e diametro oppositam; quod quidem sapientissimus Pontifex arguit, tum ex fine, quem sibi eadem Sacra Congregatio proposuit, ut scilicet controversiae cessarent, quae inter Parochos et Confraternitates laicorum exoriri solebant super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis; – quae utilitas (observat) minime sequeretur, si postquam Sacra Congregatio constituit aliquid non esse de iuribus parochialibus, illud peragendum a Capellanis Sodalitatum non concederetur. Nam Parochi semper id impedire possent Capellanis ob eam causam, quod illud quidem non est de iuribus mere parochialibus, sed tantum adscribitur inter functiones, quae a solis Parochis exerceri debent –; tum ex eo quod discrimen inter iura parochialia et parochiales functiones satis adverterunt Consistoriales Advocati, quos pro veritate consulendos accivit Sacra Congregatio, quin tamen mentio ulla in responsis de hac distinctione exciderit; tum etiam quia dum Sacra Congregatio declaravit in dubio quinto non esse de iure parochiali – benedictiones ac distributiones candelarum cinerum palmarum ignis seminis ovorum etc.–, contextim in dubio decimo tertio decrevit, – has functiones exerceri posse a Capellanis in Ecclesiis et Oratoriis a Parochia seiunctis, licet Parochiae ipsius limitibus contineantur –; tum demum quia concludit: – Certissimum est, quod Sacrae Congregationes ceterique Iudices Romae in Causis propositis post Decreta, de quibus verba fecimus, perpetuo decreverunt, eas functiones peragi licere in Ecclesiis et Oratoriis Confratrum – *in Marsorum sacrarum Functionum die 26 Iunii 1858* §. *Ac.*

5. Siquidem propositis dubiis: – III. An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones (non parochiales) aliquam dependentiam a Parocho, intra cuius Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae? IV. An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis tum privatis seiunctis ab Ecclesiis parochialibus quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho? –, Sacra Rituum Congregatio respondit: – Ad tertium et quartum, Negative – *in Marsorum sacrarum Functionum die 26 Iunii 1858* §. *Comitum.*

6. Nec dubium, quin relata Sacrae Congregationis Rituum Decreta referri debeant non solum ad Ecclesias Confraternitatum,

ribus eiusdem Ecclesiae vel Oratorii, ut in Brundusina sub die 1 iulii 1601. Ad undecimum, Negative. Ad duodecimum, Negative; et quoad benedictiones cum Reliquiis et Imaginibus serventur Decreta. Ad decimum tertium, satis provisum in superioribus. Ad decimum quartum, Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa. Ad decimum quintum, Affirmative. Ad decimum sextum, Affirmative. Ad decimum septimum, Negative. Ad decimum octavum, Affirmative. Ad decimum nonum, Negative, nisi aliter Episcopus disponat. Ad vigesimum, Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia vel Oratorium. Ad vigesimum primum, Affirmative. Ad vigesimum secundum, Negative, nisi adesset licentia Episcopi. Ad vigesimum tertium, Negative extra propriam Ecclesiam. Ad vigesimum quartum, Negative. Ad vigesimum quintum, Negative. Ad vigesimum sextum, Negative. Ad vigesimum septimum, Negative. Ad vigesimum octavum, Negative. Ad vigesimum nonum, Negative. Ad trigesimum, Affirmative, dummodo non impediant functiones et divina officia. Ad trigesimum primum, Affirmative. Ad trigesimum secundum, Negative. Ad trigesimum tertium, Negative.

Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter Partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis constitutionibus synodalibus et provincialibus et consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis, declaravit ac decrevit, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur. Die 10 decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis Sanctissimo Domino Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura, Sanctitas Sua laudavit benigneque approbavit, et publicari, et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit. Die 12 mensis ianuarii 1704 –.

sed etiam ad Oratoria ad privatas Personas pertinentia. Primo enim nulla in hoc substantialis distinctio argui potest, quum eodem iurepatronatus fruantur propriis Ecclesiis tam Confraternitates, quam privata quaelibet Persona. Eademque in utroque casu militat ratio, qua praecitata Decreta nituntur, ut scilicet Parocho subiecta forent Oratoria intra suae Paraeciae limites extantia quoad iura parochialia tantum, in ceteris vero exempta manerent. Hanc insuper distinctionem nec sacri Canones adhibent, nec Doctores ac Sacrarum Congregationum resolutiones. Revera quamvis citata Decreta de Oratoriis dumtaxat Confraternitatum egerint, attamen easdem regulas ac doctrinas ceteris Oratoriis de iurepatronatus privatarum Personarum adamussim accomodatas fuisse docet S. Rota in decis. 1988 coram Lancetta, et decis. 2098 coram Coccino *in Marsorum sacrarum Functionum die 26 Iunii 1858* §. *Contra.*

7. Quapropter Capellanus in Oratorio de iurepatronatus explere potest novenas triduos et alias functiones nec non canere Missas solemniter independenter a Parocho ad formam Decretorum Urbis et Orbis Sacrae Congregationis Rituum diei 10 decembris 1703, etiamsi contraria adesse videatur consuetudo, salvo tamen iure Episcopi super licentia benedicendi Populum solemniter cum Sanctissimo Sacramento, prout de iure; propositis enim dubiis: – I. An liceat Capellano novenas triduos et alias functiones cum expositione et benedictione Sanctissimi Sacramenti explere in Oratorio S. Dominici independenter a Parocho in casu? II. An liceat eidem Capellano Missas solemniter canere independenter a Parocho in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative in omnibus ad formam Decretorum Urbis et Orbis Sacrae Congregationis sacrorum Rituum diei 10 decembris anni 1703, salvo tamen iure Episcopi super licentia benedicendi Populum solemniter cum Sanctissimo Sacramento, prout de iure – *in Reatina sacrarum Functionum die 13 Ianuarii 1844* (1).

8. Ubi igitur non extet consuetudo immemorabilis vel centenaria, licet Patronis publici Oratorii celebrare facere in eo Missas solemnes aliasque sacras functiones non parochiales per Capellanum aliosve Presbiteros independenter a Parocho loci *in Marsorum sacrarum Functionum die 26 Iunii 1858.*

9. Iamvero in Oppido *Corcumello* Diaecesis Marsorum publicum extabat Oratorium sub invocatione S. Anatoliae virginis et martyris contiguum habitationi nobilis Familiae Comitum Vetoli et eorum iurispatronatus, ubi Missae diebus festis litabantur, triduanae vel novendiales preces aliaeque sacrae functiones peragebantur, inter quas Missa solemnis die festo eiusdem Sanctae virginis et martyris Capellae Titularis celebrari suevit. Controversia paucis ab illinc annis orta est inter eiusdem loci Parochum, intra cuius Paraeciae limites extructa erat Capella seu Oratorium, et Comites Vetoli quoad celebrationem solemnis huius Missae, quae ideo superioribus illis annis intermissa fuit. Parochus enim exhibuit testimonium Petri Mego aetatis annorum sexaginta duorum et Iosephi Bernardini quinquaginta duos annos numerantis, qui concorditer deposuerunt, in praedicta Capella semper Parochum loci Missam solemnem die festo S. Anatoliae celebrasse. Comitum Vetoli Orator vero propugnavit, ad Capellanum Oratorii spectare ius peragendi in eo omnes functiones non parochiales, nec non canendi solemniter praefatam Missam die festo S. Anatoliae, quin ullatenus praedicta consuetudo obesset. Nam primo testimonium illud duorum hominum tantum, licet Oppidum satis populosum esset, iuratum haud erat; secundo Sacerdos Franciscus Tortori, qui plures annos Paraeciae oeconomatum gesserat, et germanus frater defuncti Parochi Iosephi Scipioni testabantur, Parochos Missam solemnem aliasque functiones in Oratorio celebrasse vel rogatos a Comitibus Vetoli, vel tamquam Capellanos Oratorii ab iisdem electos ac delegatos, minime vero ratione officii parochialis. Unde nulla praescriptio ex huiusmodi actibus facultativis induci poterat, nisi probaretur contradictio et subsecuta acquiescentia per tempus a lege ad praescriptionem requisitum, Bald. in L. 5 Cod. de servit. n. 54, Card. De Luca disc. 89

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Benedictio,* §. II, n. 68 ad 81, Tom. III.

de Benef. n. 13, Rot. in Recent. decis. 255 part. 10 n. 2. Tempus vero ad praescribendum requisitum praefinitum habebatur a Decretis sacrorum Rituum ad calcem resolutionum diei 10 decembris 1703 hisce verbis: – Et ita, salvis tamen conventionibus etc. consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis –. Idcirco deficiebat prorsus praescriptio haec, cum depositio praedictorum duorum Testium eorumdem vitam praetergredi haud posset. Quin imo etsi huiusmodi praescriptio de facto existeret, iam interrupta erat: nam quinque Sacerdotes iurati affirmabant, se solemnem Missam ac etiam Vesperas in festo S. Anatoliae in praedicto Oratorio celebrasse – invitati dai Signori Vetoli senza dipendenza alcuna dal Parroco locale –. Nihil proinde obstare poterat consuetudo immemorabilis vel centenaria, quae in aliis Diaecesis locis vigeret; ceterum nec in ceteris Diaecesis locis eam ullatenus vigere praedidictus Orator probavit.

10. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An liceat Patronis Vetoli celebrare facere Missas solemnes aliasque sacras functiones non parochiales praesertim in die festo S. Anatoliae in eorum publico Oratorio per Capellanum aliosve Presbiteros independenter a Parocho in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus ad formam Decreti Urbis et Orbis Sacrae Congregationis sacrorum Rituum diei 10 decembris 1703 – *in Marsorum sacrarum Functionum die 26 Iunii 1858.*

11. Unde Oratorium publicum de iurepatronatos laicorum habet dependentiam a Parocho quoad functiones parochiales tantum, non autem quoad functiones non parochiales, uti ex censura Cap. fin. de officio Archidiaconi, Cap. *Dilectus* de Capell. Monach. docet S. Rota in decis. 2089 coram Coccino n. 10, decis. 998 coram Lancetta n. 1 ad 14 *in Marsorum sacrarum Functionum die 26 Iunii 1858* §. *Comitum.*

12. Quin imo etiam Capellanus Ecclesiae, quae nullius iuripatronatus subest, explere potest independenter a Parocho omnes functiones non parochiales *in Reatina Capellaniae die 28 Ianuarii 1860 et die 26 Ianuarii 1861* (1).

13. Siquidem Sacra Congregatio, Decretis potissimum Sacrae Congregationis Rituum inhaerens, constanter docuit, Ecclesias non parochiales haudquaquam dependere a Parocho, intra cuius Paraeciae limites sitae sunt; ideoque firmavit, munus celebrandi Missas etiam solemnes sive pro vivis, sive pro defunctis, itemque alias functiones omnes non parochiales obeundi ad Capellanos tantummodo pertinere *in Reatina Capellaniae die 28 Ianuarii 1860* §. *Capellanus.*

14. Nam in iure tralatitium est, cuiuslibet Beneficii Rectorem velut proprium ministrum Ecclesiae reputari, in qua erectum est Beneficium, ceu docet Van-Espen in ius can. univ. part. 2 tit. 9 cap. 6 n. 5. Propterea quod vulgo dicitur in Beneficio aliquem instituere atque in possessionem Beneficii immittere, sacri Canones significant per ea verba – instituere in Ecclesia, mittere in possessionem Ecclesiae etc. –, Cap. 4 de iurepatronatus, Cap. 15 de officio Iudicis delegati. Quibus consonat quod sacrum Concilium Tridentinum in sess. 21 cap. 3 de reformatione tradit, nempe Beneficium conferri – ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda –. Hoc unum equidem sat est, ut ius Parocho denegetur sese in cultu et functionibus Ecclesiae, quae peculiarem habet Ministrum, ingerendi *in Reatina Capellaniae die 28 Ianuarii 1860* §. *Capellanus.*

15. Idcirco Card. De Luca de paroch. disc. 31 a n. 5 testatur, – ex communi et inconcussa observantia Urbis totiusque Orbis christiani esse, ut Ecclesiae intra alicuius Parochiae limites fundatae non dicantur ipsius Parochiae subditae, neque ab ea aliquam habeant dependentiam, nisi ex lege fundationis aut legitima consuetudine seu alias id specialiter probet, cum id soli Cathedrali competat – *in Reatina Capellaniae die 28 Ianuarii 1860* §. *Capellanus.*

16. Hinc multo minus Regulares moniti ab Episcopo se abstinere debent a celebrandis Missis aliisque peragendis functionibus cum sonitu campanarum ante Missam parochialem, vel donec illa absolvatur *in Squillacen. Celebrationis Missarum et Functionum conventualium die 28 Februarii et die 8 Augusti 1761* (2).

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Ecclesia matrix*, n. 135 ad finem, Tom. VIII.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VII, n. 81 et 82, Tom. IX; ibique alia huiusmodi prostant.

17. Imo iuxta indubitatum iuris canonici principium heredibus aliisque piis disponentibus liberum est, Missarum aliarumque minorum Ecclesiae functionum celebrationem illi Sacerdoti committere, qui sibi magis placuerit, secundum adagium: – Qui solvit, eligit –, Petrus de Ubaldis de portion. can. cap. 7 n. 5, Card. De Luca de legatis disc. 25 n. 3, Sacra Congregatio in Maceraten. 15 martii 1692 *in S. Severi Functionum et emolumentorum funeralium die 18 Iunii 1859* §. *Favet.*

18. Compertum autem est, ad Parochum in sua Ecclesia nedum parochiales, sed quascumque alias sacras functiones unice pertinere, Cap. 1 et Cap. *Fraternitatem* de sepulturis, Fagnan. in Cap. *Literae* de matr. contr. interd. n. 18, Marant. resp. iur. part. 4 resp. 21 n. 64, coram Pen. decis. 261 n. 17, et in Ravennaten. Iurium parochialium 25 aprilis 1755 §. 2 coram Borullo *in Barchinonen. Processionis die 13 Iulii 1765* §. *Contra.*

19. Qua de re tametsi differentia inter functiones parochiales et sacerdotales seu non parochiales in dubium vocari nequeat, nihilominus cum Parochus sub sua potestate habeat omnes sacras Aedes, in districtu Parochiae suae sitas, non opus est momentosis argumentis ac titulis, ut vindicare sibi valeat etiam ius celebrandi ibidem Missas solemnes aliasque minores Ecclesiae functiones, si ita servatum fuerit antiquissima consuetudine, ut Bononiae servari mandavit Benedictus XIV Inst. eccles. 105 n. 117 apud Sodalitium Beatae Mariae a Libertate, postquam videlicet a Sacra Congregatione praescriptum fuerat. Idipsum probat Pignatellius cons. 68 a n. 5 tom. 6, allatis resolutionibus Sacrarum Congregationum et decisionibus S. Rotae Romanae; multoque magis quando huiusmodi consuetudo pacto nitatur, ceu perspicue docet Benedictus XIV dicta Inst. eccles. 105 n. 100 fretus auctoritate Rotae Romanae decis. 988 n. 11 coram Lancetta, cuius verba refert *in S. Severi Functionum et emolumentorum funeralium die 18 Iunii 1859* §. *Contra.*

20. Amplia, etiam Presbiteri participantes duarum Ecclesiarum parochialium in Oppido Turris Maioris existentium ac unius Cleri corpus constituentium, attentis conventionibus anni 1583 ac 1592 cum Syndicis et Electis Universitatis praefati Oppidi initis nec non vetustissima observantia nunquam interrupta, ius privativum habent canendi Missas etiam in Oratoriis publicis eiusdem Oppidi et Sacerdoti canenti ministrandi aliasque minores functiones peragendi, itemque omnia funera persolvendi cum respectivis Parochis et emolumenta lucrandi, relicta facultate Sacerdotibus extra numerum, ut funeribus intersint nonnisi una cum praedictis Cleris: adeoque Sacra Congregatio reiecit preces dictorum Sacerdotum extra numerum expostulantium, ut in publicis Oratoriis Missas canere et canenti ministrare aliosque minores functiones peragere sibi liceret, itemque funera persolvere, quando ita placeret heredibus aut aliis disponentibus, uno vocato Parocho, quin tamen ceteros participantes vocare necesse esset. His quippe in terminis proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Oratorum tum circa functiones, tum circa cadaverum associationem in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative in omnibus – *in S. Severi Functionum et Emolumentorum funeralium die 18 Iunii 1859.*

21. Ius itaque canendi Missam conventualem, benedicendi Fontem aliasque functiones peragendi in die Sabbati Sancti spectat ad Ecclesiam Archipresbiteralem loci divisi in duas Parochias privative, supposito quod Parochia loci inferioris nuncupati erecta fuerat in adiutorium Ecclesiae Archipresbiteralis loci superioris nuncupati, et Vicarii Curati dictae Parochiae loci inferioris consueverint personaliter assistere supradictis functionibus dicta die in Ecclesia Archipresbiterali peragendis *in Lunen. Sarzanen. Praeeminentiarum die 15 Maii 1717 lib. 67 Decretorum* (1).

22. Unde Parochus vindicare sibi quidem potest ius peragendi functiones in Ecclesia filiali, sed ante omnia oportet, ut de matricitate constet: nam exortis controversiis inter Capitulum Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Fidelis atque Sodales Confraterni-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Archipresbiter*, §. V, n. 33 ad 36, Tom. II.

tatis circa quarumdam ecclesiasticarum functionum exercitium, Sacra Congregatio, antequam eas resolveret, merito mandavit, ut proponeretur dubium super matricitate; quandoquidem his in terminis propositis dubiis: – IV. An liceat Confratribus celebrari facere in dicta Ecclesia S. Ioannis Baptistae ab eorum Capellano aliisque Sacerdotibus tam secularibus, quam Regularibus eisdem benevisis Missas Anniversaria funeralia administrare Sacramenta Poenitentiae et Sanctissimae Eucharistiae benedicere facere palmas candelas et facere stationem et alias quascumque functiones ecclesiasticas independenter ab Episcopo? V. An liceat dictis Confratribus independendenter a Praeposito et Canonicis dictae Ecclesiae Collegiatae exponere facere ab eorum Capellano seu aliis Sacerdotibus Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum? VI. An et quae emolumenta debeantur Confratribus pro sepeliendis in eorum Ecclesia Cadaveribus illorum, qui eligunt ibidem sepulturam? VII. An Confratres teneantur restituere ceras, quatenus receperint occasione funeris Caroli Ambrosii Radealis? VIII. An liceat dictis Praeposito et Canonicis intervenire funeribus eorum, qui eligunt sepulturam in Ecclesia Confraternitatis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum quintum sextum septimum et octavum, dilata; et proponatur dubium super matricitate – *in Comen. Administrationis et Iurium parochialium die 27 Iulii 1737.*

23. Quod si ius peragendi functiones utrinque propugnatum incertum sit, ad e medio tollendas lites, quae vigent inter Parochum et Officiales sive Administratores Confraternitatis erectae in Ecclesia Conservatorii Puellarum illius administrationem habentes, super modo exercendi in ea functiones tam a Parocho, quam a Capellanis, Sacra Congregatio concordiam, prout melius expedit, probare non dedignatur *in Bononien. Confirmationis Concordiae die 5 Septembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

24. Enimvero – diutinis pendentibus litigiis coram pluribus Iudicibus tam in partibus, quam in Curia inter Parochum Ecclesiae parochialis S. Iuliani ex una, et Officiales seu Administratores Confraternitatis nec non Conservatorii Puellarum, ac Rectorem Ecclesiae S. Mariae de Baracano sistentis intra limites eiusdem Parochialis Civitatis Bononiae ex altera partibus, praetendente dicto Parocho assistentia iuris subnixo, ad ipsum spectare exercitium nedum ecclesiasticarum functionum, quae peragi solent in dicta Ecclesia S. Mariae, verum etiam iurium parochialium in Puellas ceterosque degentes in praefato Conservatorio; contendentibus ex adverso Officialibus praedictis, tam functiones, quam iura memorata vigore assertae consuetudinis immemorabilis ad eos seu eorum Capellanum independenter a Parocho pertinere; cum de anno 1702 Partes devenerunt ad concordiam publico instrumento rogatam, sub reservatione tamen Apostolici Beneplaciti, in qua Parocho reservatum fuit ius assistendi Matrimoniis dictarum Puellarum et cuiusvis alterius Personae in Conservatorio immorantis, ius pariter peragendi funera suorum Parochianorum, qui sepulturam eligent tam in Ecclesia Confraternitatis, quam in alia Conservatorii, ac Missam decantandi non alias, quam praesente cadavere, ius itidem administrandi sacram Synaxim pro Viatico, ac etiam devotionis causa Puellis aliisque in Conservatorio degentibus infirmis tantum et in lecto decumbentibus, prout etiam Sacramentum Extremae Unctionis, ac tandem in Hebdomada Sancta benedicendi domos, et in festo Assumptionis Beatissimae Virginis, quod principalius est in ea Ecclesia, celebrandi Missam solemnem. Reliquae vero functiones et benedictiones, etiamsi sint de iuribus parochialibus, praeter mox recensitas et Parocho reservatas, omnes fuerunt concessae ab eodem Parocho Officialibus et Administratoribus praedictis, quibus libera facultas facta fuit eas exerceri faciendi ab eorum Capellano seu Confessario cum approbatione Ordinarii, et in recognitionem ac correspectivitatem eiusmodi concessionis promiserunt iidem Administratores quotannis in perpetuum tradere Parocho S. Iuliani in die festivitatis eiusdem Sancti cereas candelas valoris scutorum octo, quemadmodum fusius legitur in dicto instrumento concordiae in Summario exhibendo.

25. Emus Archiepiscopus Bononiensis requisitus informare, narrata confirmando, retulit, tam Oratorium, quam Conservatorium prae-

dictum et utramque Ecclesiam, licet sint intra limites Parochiae S. Iuliani, non esse tamen illi Ecclesiae parochiali adnexa, neque ab ea ullam dependentiam habere, et percurrendo singillatim functiones Confraternitati reservatas censuit, annuendum petitis. Verum ad tollendas ulteriores lites expediens duxit, ut ibi in concordia dicitur, quod Capellani habeant generalem facultatem peragendi quascumque alias functiones etiam parochiales et speciali mentione dignas, praeter illas Parocho reservatas, singulatim exprimendae sint huiusmodi aliae functiones in approbatione, quemadmodum Eminentia Sua singulas eas exprimit in foliis relationi suae adnexis. Emus de Abdua pariter informans, perbelle reassumendo totum statum concordiae, etiam pro illius confirmatione sensum suum aperuit: dissentit tamen ab animadversione Emi Archiepiscopi quoad exprimendas singulas functiones exercendas per Capellanos Confraternitatis, cum satis censeantur expressae sub generalitate omnium earum, quae non fuerunt Parocho reservatae, uti latius ex utraque relatione in Summario danda. Hinc Oratores ex deducendis humillime supplicant decerni: - An et quomodo concordia sit confirmanda in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative iuxta votum Emi de Abdua - *in Bononien. Confirmationis concordiae die 5 Septembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

26. Attentis tamen patulae fundationis legibus et consuetudine, Sacra Congregatio resolvit, Officia generalia celebranda esse alternative in duabus Ecclesiis, et celebrationem Officiorum occasione obitus alicuius ex Confatribus faciendam esse in posterum in Ecclesia parochiali cuiuslibet respective defuncti, nec non reditus superextantes applicandos esse iuxta institutum Societatis *in Narnien. die 15 Aprilis et die 8 Iulii 1752.*

27. Siquidem erectum fuit anno 1642 a piis quibusdam hominibus in Oppido Stroconii Narniensis Diaeceseos Sodalitium Suffragii, et quia pii illi homines partim parochiani erant Ecclesiae S. Michaelis Archangeli, partim Ecclesiae S. Nicolai, quae duae erant in illo Oppido Parochiales et Collegiatae Ecclesiae, hinc placuit in utraque Ecclesia erectionem fieri, scilicet ut in Ecclesia S. Michaelis, quae mater erat et dignior, erectio fieret ad Altare Beatissimae Virginis Rosarii, in Ecclesia vero S. Nicolai, ad Altare Sanctissimae Annunciationis; et convenerunt, ut Sodales et Sodalitii Officiales in illam Ecclesiam convenirent, - dove l'Offizio generale, o Trentesimo si celebrerà -, atque ita unoquoque mense Officium generale nunc in una, nunc in alia Ecclesia, servata alternativa, actum fuit, Officium vero Triginta Sacrorum, quod vocabant *Trentesimo,* in obitu alicuius Sodalis, in ea actum fuit Ecclesia, in qua corpus defuncti Sodalis condendum erat. Morem hunc et alternativam probavit Episcopus in visitatione acta anno 1667; decrevitque, ut utriusque Ecclesiae Canonici et Presbiteri leges hasce et capitula Sodalitii in Officiis agendis servarent, et haec alternativa ad ea usque tempora perpetuo servata fuit, licet anno 1670 extructum fuerit in Ecclesia S. Nicolai Altare specialis tituli et nominis Animarum purgantium. Vetustissimam hanc legem fundationis et perpetuo observatam consuetudinem agendi alternatim Officia in utraque Ecclesia turbarunt subinde plerique Sodales parochiani Ecclesiae S. Nicolai. Cum enim anno 1750 impetrassent, ut dictum Altare, quod constructum fuit anno 1670 in praefata Ecclesia S. Nicolai, privilegiatum esset pro triginta Sacris seu *Trentesimo,* hinc statuerunt, tam Sacra illa triginta, quae pridem agebantur in ea Ecclesia, in qua defuncti Sodalis corpus tumulabatur, quam Officium generale, agenda esse in Ecclesia S. Nicolai ad illud Altare privilegiatum Animarum purgantium. Rem novam non tulerunt Canonici Ecclesiae S. Michaelis et Sodales parochiani eiusdem Ecclesiae, qui numero maiores erant et ditiores aliisque etiam qualitatibus praestabant Sodales parochianos Ecclesiae S. Nicolai; et ut leges fundationis et vetustissimam consuetudinem tuerentur, ad Episcopalem Audientiam Narniensem confugerunt, a qua ita decretum fuit: - Non retardata interim executione Brevis, de quo agitur, nempe Altaris privilegiati, mandavit doceri de asserta consuetudine. Interim vero, cum pars maior redituum Sodalitii, qui fere omnes proveniebant e Legatis piisque relictis Sodalium parochianorum Ecclesiae S. Michaelis, erogata fuerit in usum Eccle-

siae S. Nicolai, Capitulum et Sodales parochiani S. Michaelis declinarunt iurisdictionem Audientiae Episcopalis Narniensis, precibusque oblatis Summo Pontifici impetrarunt, ut de omnibus hisce controversiis Emi Patres agnoscerent.

28. Propositis itaque dubiis: – I. An sint alternative celebranda Officia generalia cuiuslibet mensis tum in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli, tum in altera S. Nicolai in casu etc. II. An celebratio Officiorum occasione obitus alicuius ex Confratribus sit facienda in posterum in Ecclesia parochiali cuiuslibet respective defuncti in casu etc. III. An reditus superextantes Societatis Sanctissimi Suffragii applicari possint in solum commodum Ecclesiae S. Nicolai, seu potius proportionabiliter etiam in commodum et necessitatem Ecclesiae parochialis S. Michaelis Archangeli in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 aprilis 1752 respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative. Ad tertium, applicandos esse iuxta Institutum Societatis –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Narnien. die 8 Iulii 1752.*

29. Qua de re Sacra Congregatio ad avertendas lites inter Presbiteros duarum Ecclesiarum indulsit quidem gratiam etiam alteram ex illis erigendi in Collegiatam, noluit tamen separationem concedere quoad processiones omnesque alias functiones, cum maiora litium pericula imminerent *in Theatina Erectionis Collegiatae die 6 Iulii 1737 et die 19 Aprilis 1738* (1).

30. Erecta hinc Ecclesia parochiali S. Petri Montis Martiani in Collegiatam, ad Archipresbiterum, curam animarum gerentem, spectat dumtaxat celebratio Missae parochialis ac alterius praesente cadavere, dum reliquae functiones pertinent ad Capitulum *in Senogallien. die 13 Iunii 1789* (2).

31. Quapropter Canonicis Collegiatae licere in propria Ecclesia independenter a Parochis quascumque peragere non parochiales functiones, atque hinc non solum Missam solemnem in Coena Domini celebrare, verum etiam praesentibus Canonicis ceterisque Ecclesiae inservientibus Sacram Eucharistiam ministrare, sicuti a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium in Senogallien. die 6 aprilis 1623 definitum refert Ferrar. Biblioth. can. verb. *Collegiata* n. 61 et 65, qui etiam ibidem n. 63 docet, licitum esse Collegiatis Ecclesiis non parochialibus independenter a Parochis benedictiones cinerum palmarum candelarum aliarumque huiusmodi peragere, non secus ac ab iisdem Canonicis tridua novenas septenaria aliaque huiusmodi fieri posse colligitur ex resolutione Sacrae Congregationis in Hortana diei 5 iunii 1738, ubi haec vel laicorum Confraternitatibus, procul Parochorum consensu, competere decernitur *in Pinnen. Iurium et praeeminentiarum die 26 Aprilis 1826* §. *Pro.*

32. Unde tabellae capitulares quoad assignationem functionum capitularium sunt observandae in iis, quae non adversantur Caeremoniali Episcoporum *in Camerinen. Praeeminentiarum die 7 Aprilis 1781* (3).

33. Ministrare autem Episcopo extraordinarias functiones peragenti, nec privilegium, nec gratia est, sed onus, Pacion. de prob. lib. 2 Cap. 27 n. 37, Barbos. de Canon. Cap. 4 n. 24 *in Casertana die 2 Augusti 1823* §. *Qui vero.*

Item *in Lucana Praeeminentiarum et Iurium die 25 Februarii 1826* §. *Nomen.*

34. Nec etiam munus extraordinarium est, sed ordinarium, Pignatell. tom. 1 consult. 130 n. 4, et consult. 348 n. 1 *in Lucana Praeeminentiarum et Iurium die 25 Februarii 1826* §. *Verum* (4).

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Ecclesia Collegiata*, §. II, n. 52 et 53, Tom. VIII.

(2) Resolutio Causae huius prostat in Verb. *Archipresbiter*, §. II, n. 94, Tom. II; ibique alia huiusmodi habentur.

(3) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Archidiaconus*, §. I, n. 38 ad 41, Tom. II.

(4) Reliqua prostant in respectivis materiis.

FUNDATIONES SEU FUNDATORES IN GENERE

1. In iure certum exploratumque est, Defunctorum voluntatem religiosissime servari oportere praesertim ubi in Ecclesiae utilitatem vergat, adeo ut liceat Fundatoribus, accedente Ordinarii consensione, leges quascumque velint in limine institutionis apponere, easque etiam iuri communi contrarias, dummodo nec turpes sint, nec alias a iure improbatae, nec Beneficii substantiae adversentur, Lambertin. de iurepatron. lib. 1 part. 1 art. 1 quaest. 9 n. 52, Card. De Luca de iurepatron. disc. 20 n. 15, de offic. et potest. Episcop. lib. 1 tit. 2 gloss. 17 n. 28 *in Ripana Erectionis Canonicatuum die 30 Ianuarii 1830* §. *Longe.*

Item *in Calaritana Onerum die 17 Septembris 1831* §. *Haud; in Viterbien. Canonicatuum die 24 Aprilis 1847* §. *At.*

2. Unde Fundatoribus permissum est onera qualitates conditiones ac leges sibi benevisas apponere, iuxta expressos Textus in Cap. *Praeterea* de iurepatronatus, Cap. *Quanto* de censibus, quos exornat cum aliis Pitonius de controv. patron. alleg. 35 n. 5 tom. 1, et alleg. 31 n. 1 *in Lauden. Capellaniae die 23 Augusti 1738* §. *Haec.*

3. Habemus enim in iure, pios Fundatores posse in instrumento fundationis conditiones sibi magis benevisas, ceteroquin possibiles et honestas, apponere, dummodo iuri divino positivo vel naturali non repugnent, ex Cap. *Significatum* 11 de praebendis, Cap. *Praeterea* de iurepatronatus, Cap. *Quanto* 16 de censibus. Et ita inter alios tradunt Gonzalez ad Reg. 8 cancell. gloss. 5 a n. 100, Reiffenst. in ius can. lib. 3 tit. 5 §. 4 a n. 105, et Card. De Luca de Benef. disc. 65 n. 10, qui dicit, hanc esse regulam generalem *in Montis Politiani Patrimonii sacri die 21 Iulii 1821* §. *Habemus.*

Item *in Alatrina Capellaniae die 13 Septembris 1834* §. *His; in Asculana Iurispatronatus die 20 Aprilis 1850* §. *Conveniunt.*

4. Idcirco dum Beneficium constituitur, potest certe quaecumque conditio apponi, quae, licet praeter ius sit, tamen approbari mereatur, Gloss. in Cap. *Cum dilectus* 8 de consuetud. verb. constitutum, Card. De Luc. de Benef. disc. 95 n. 10, Fagnan. in Cap. *Cum in cunctis* 7 de elect. n. 72, Rot. in Casertana Beneficii 28 iunii 1745 §. 7 coram Millino, et 24 ianuarii 1756 §. 13 coram Elephantutio *in Vercellen. die 19 Iulii 1766* §. *Dum.*

5. Liberum hinc est Fundatoribus, leges de pio Opere, quod constituunt, praefinire pro lubitu, eaeque licet absonae a communi iure servandae sunt, dummodo nec turpes, nec alias a iure ipso improbatae *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834* §. *Cum.*

6. Nullatenus enim obstat, appositas conditiones possibiles et honestas repugnari iuri communi, iuxta Glossam communiter approbatam in Cap. *Cum dilectus* verb. constitutum, Card. De Luca de Benef. disc. 95 n. 10, Fagnan. in Cap. *Cum in cunctis* n. 72 et 73 de electione, qui asserit, sic tenuisse Sacram Congregationem, quam secuta fuit Rota in Recent. decis. 194 n. 1 part. 2. Summus enim Pontifex annuere solet voluntati Fundatorum, tum ut alii quoque invitentur, et ita cultus divinus augeatur, tum quia in fundationibus magis praeponderat cultus divinus, quam ratio praeiudicii, quod alicui inferri possit iam quaesitum ius non habenti, ut fuse docent S. Rota in Recent. decis. 258 n. 23 et 24 part. 7, et Lambertin. de iurepatronat. lib. 1 quaest. 9 a n. 82 *in Montis Politiani Patrimonii sacri die 21 Iulii 1821* §. *Habemus.*

7. Quam maxime siquidem iuvat ac expedit, ut Fideles ita allecti erogent proprias substantias in piis operibus, uti monet Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 32 n. 19, Piton. discept. eccles. 99 n. 50 *in Mediolanen. Praecedentiae die 19 Septembris 1761* §. *Super.*

Item *in Cornetana Distributionum die 6 Februarii 1847* §. *Quae; in Viterbien. Erectionis Canonicatuum die 24 Aprilis 1847* §. *At.*

8. Consequens igitur est, ut dispositio communis iuris eo in casu cesset, ob inductam ex dispositione hominis exceptionem *in Corneta-*

na Distributionum die 6 Februarii 1847 §. *Quae.*

9. Quapropter Ordinarius tenetur omnes conditiones Fundatori benevisas, etsi iuri contrarias, approbare, dummodo turpes non sint impossibiles et contra substantiam Beneficii, Piton. de controv. patron. alleg. 66 n. 34, et alleg. 80 n. 7, Rot. coram Emerix iun. decis. 1241 n. 6 *in Brictinorien. Servitiorum die 14 Decembris 1771* §. *Inquit.*

10. Tacita hinc Episcopi approbatio censetur, quoties Decretum erectionis interposuit: in eo enim omnia narrata tacite repetita et approbata censentur, Card. De Luca de Regal. disc. 5 n. 4, Pacion. allegat. 150 n. 6, et allegat. 152 n. 4, Rot. in Colonien. Abbatissatus 25 aprilis 1757 § 6 coram Frangipane *in Brictinorien. Servitiorum die 14 Decembris 1771* §. *Inquit.*

11. Unde Sacra Congregatio declaravit, validam esse conditionem appositam in erectione Beneficii iurispatronatus, – quod Praesentatus a Patronis non debeat se subiicere examini Episcopi –,intelligendam tamen, quatenus Episcopo constet aliunde de Praesentati idoneitate *in Sarsinaten. die 27 Novembris 1649 lib. 19 Decretorum pag. 9.*

12. Quod si res sit de Beneficiis simplicibus liberae collationis, de iure sufficit provisis approbatio, per quam Episcopus Ordines requisitos confert *in Avenionen. anno 1586 lib. 4 Decretorum pag. 128.*

13. Quum itaque Fundator in actu erectionis Beneficii inter alias conditionem nonam his verbis conceptam adiecerit – IX. Facultatem sibi ipsi eiusque successoribus pius disponens reservavit transferendi Beneficium ad quodcumque Altare sive Ecclesiam benevisam –, proposito dubio: – An et quae conditiones in erectione Beneficii, de quo agitur, sint approbandae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Esse approbandas omnes conditiones praeter quintam, et quoad nonam esse permittendam translationem cum consensu Ordinarii pro tempore, prout de iure – *in Pennen. Beneficii die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

14. Quin imo Fundatores choralium Praebendarum exempti esse possunt ab omnibus Officiis, quae ad chorum pertinent, Cap. 11 de praebendis, Cap. 23 de iurepatronatus *in Calaritana Onerum die 17 Septembris 1831* §. *Canonico.*

15. Hinc Sacra Congregatio approbavit legem a Fundatore indictam, qua is constituens Patrimonia sacra pro Clericis pauperibus mandavit, ut in nominatione atque eorum constitutione non solum adderetur clausula, donec provideatur, sed etiam conditio, quae formaliter acceptari debet a nominato, ut idem intelligatur spoliatus ipso facto Patrimonii, quoties absque Episcopi licentia propriam derelinquat Diaecesim ac alibi lares figat, quaecumque sit causa, quam haberet, vel munere, quo fungi assumeret, privatio tamen executioni danda, praevia monitione eiusdem Episcopi ad propriam Diaecesim remeandum *in Montis Politiani Patrimonii sacri die 21 Iulii 1821.*

16. Siquidem ut sacrorum Ministrorum simul ac titulorum sacris ordinationibus defectui prospiceret, atque aliquo modo suppleret Montis Politiani Antistes, nonnulla sacra Patrimonia ex suo aere erigere excogitavit, quorum quatuor iam constituta erant. Has vero leges ac conditiones pro Ecclesiae suae utilitate imponendas censuit. Conferenda haec erant Clericis pauperibus Diaecesis ac Civitatis Montis Politiani, qui iam viginti a nativitate annos numeraverint, quique ut vigesimum primum expleverint annum, proximique ac parati essent ad sacros Ordines suscipiendos. Ius ad ea nominandi sibi, donec in humanis esset, reservavit, etsi praesentem Episcopalem Sedem non amplius se moderari contigerit; sed, ipso vita functo, ius istud nominationis ad successores Episcopos pro tempore existentes privative spectare in fundatione demandavit. Nullo vel levissimo oneri Patrimonia isthaec obnoxia forent, quae annua scutata viginti quinque redderent, quot nimirum pro sacri Patrimonii titulo exigebat Synodus Vantini, quae in ea Diaecesi servabatur. Compertum vero Praesuli erat, suam Diaecesim sacris carere Ministris, ob horum desertionem post susceptam manuum impositionem, licet gratis fuissent in Seminario enutriti et instructi; eamque desertionem minime impediri, si in collatione Patrimonii apponeretur consueta clausula, « donec provideatur ». – Hi enim desertores (ut in sua informatione animadvertit Episcopus) ad al-

teram Diaecesim transeuntes, ne perdant, quod habent, saltem ab initio quaerunt obtinent et exercent Officia, si non omnino prophana, minime tamen ad constituendum titulum ordinationis idonea. Hinc desertio fuisset eadem –. Ex hoc factum est, ut in fundationis instrumento cautum fuerit et conditio apposita, ut in nominatione atque expresse in Patrimonii constitutione non solum adderetur clausula, – donec provideatur –, sed etiam conditio a nominato formaliter acceptanda, quod ipse Patrimonio expoliatus intelligeretur, quoties absque Episcopi licentia Diaecesim Montis Politiani relinqueret, ac in aliam lares transferret, ut ibi stabiliter commoraretur, quaecumque sit ratio, quam haberet, vel munus, quo fungi assumeret. Porro conditionem, quae aliquid novi et extra ordinem induebat, auctoritate et sapientia EE. PP. roborari postulavit memoratus Antistes; ut omnis de ea quaestio in posterum auferretur. Capitulum, cuius ex Sacrae Congregationis praxi fuit mens requisita, nedum libenti animo Patrimoniorum fundationi favit, ac necessariam censuit praedictam conditionem, sed etiam occasionem arripuit significandi Ecclesiam Politianam fore Episcopo in grati animi testimonium semper obstrictam devinctamque memoria beneficiorum sempiterna, et porrecturam ad Deum preces, ut quam diutissime eum incolumem sospitemque conservet –.

17. Ne dubium quidem, quin Antistes, uti Fundator, omnes sibi benevisas conditiones apponere posset, impedimento tamen esse poterat rei novitas, quae plerumque discordiarum et litium fons est, ad tradita per Honorium III in cap. 9 de consuetudine. Praesertim in themate arcenda videbatur haec novitas, cum iam per sacros Canones provisum fuerit, ne Clerici invito Episcopo e Diaecesi discedant. Nam dum Sacrosancta Tridentina Synodus, vestigiis inhaerens Canonis sexti Concilii Calcedonensis, demandavit Clericorum adscriptionem suis Ecclesiis, interdicendum esse voluit Sacrorum exercitium deserentibus Ecclesiam, cui erant adscripti. Haec autem poena locum sibi vindicat etiam in casu, in quo alio titulo, praeterquam residentialis Beneficii, quis fuerit ordinatus, ut plene testatur resolutio ab Sacra Congregatione in strenuo Partium conflictu edita in Nucerina Residentiae et Suspensionis 19 septembris 1818, ubi substineri censuerunt EE. PP. suspensionem latam ab Episcopo Nucerino contra Sacerdotem Gervasium Alexandri ob derelictam Diaecesim, invito Ordinario, licet ad Patrimonii sacri titulum fuisset ordinatus. Animadvertebatur etiam, poenam impositam super aliquo delicto non esse multiplicandam, ut docet Menoch. cons. 471. Iamvero si proposita conditio privationis Patrimonii approbaretur, Clericus Diaecesim derelinquens pluribus poenis obnoxius evaderet. Nam primo ei posset Episcopus Sacrorum exercitium interdicere iuxta Tridentinum; secundo illum quiret Patrimonio privare, ad cuius titulum sacros Ordines suscepit. Nec satis: haec privatio secumferret etiam irregularitatem, cum ageretur de pauperibus Clericis, qui alio carebant titulo, quem substituere valerent. Verum non minoris roboris ea erant, quae conditionem approbandam esse suadebant. Etenim Episcopus contendit, hanc conditionem nec Clericis facere iniuriam, nec canonicis legibus adversari. – Non Clericis facit iniuriam, quia ex una parte libere eam acceptant, et ex altera libenter acceptare possunt, cum Patrimonium, ad quod consequendum ipsa addicitur, immune sit a quovis onere, maiusque afferat emolumentum, quam quaelibet Capellania, et etiam simplex Beneficium semper in hac Diaecesi tenuissimum. Nec adversatur canonicis legibus, imo potius eisdem consentanea, cum spiritui Ecclesiae consentaneum sit, quod quisque Clericus propriae inserviat Diaecesi –. Et revera conditio isthaec nullibi expresse a iure prohibebatur, sed tantum erat praeter ius, dum Fundator apponere potest in fundatione conditiones etiam contra ius, dummodo possibiles et honestae sint, quin obessent rei novitas et poenarum pluralitas; nam Clericus sua tribuere deberet culpae, quia fidem libere datam in acceptatione frangebat. Porro consonum erat Sacrae Congregationis resolutionibus, privari posse illegitime absentem a residentia Beneficio, licet ad eius titulum fuerit ordinatus et suspensus remaneat, ut Sacra Congregatio respondit in Nullius Guastallae Privationis Mansionariae 31 iulii et 28 augusti 1660 lib. 22 Decretorum pag. 214 et 256, et in

Firmana Privationis Canonicatus 30 maii 1665 lib. 24 Decretorum pag. 495. Advertebatur tamen, in instrumento fundationis privationem Patrimonii indici ipso facto incurrendam, si invito Episcopo Clericus Diaecesim derelinqueret, qui procedendi modus consonus non videbatur vigenti dispositioni sacrorum Canonum, cui magis consonabant verba limitationis, quae in supplici libello EE. PP. exponebat Episcopus, qui privationem exequutioni dandam esse dicebat, nisi ab Ordinario moniti ad propriam Diaecesim remeaverint. Non eadem semper servata fuit praxis ad eam privationem inducendam, ceu videre est in Cap. 3 4 6 Cap. 8 *Ex parte*, Cap. *Inter quatuor*, Cap. *Ex tuae devotionis* de Clericis non residentibus; atque Concilium Tridentinum plurimum antiquum privationis ordinem immutavit quoad Parochos et obtinentes Beneficia in Cathedralibus et Collegiatis, sed nihil immutavit quoad obtinentes simplicia Beneficia extra Cathedrales et Collegiatas nec non simplicia Patrimonia. Unde aut Clericorum, qui dictis Patrimoniis fruuntur, ignoratur absentia, et tunc servanda est ad unguem forma procedendi praescripta ab Innocentio III in Cap. *Ex tuae devotionis*, ut docet Fagnanus in dicto Cap. *Ex tuae devotionis* n. 36, agens de privatione Beneficiorum simplicium cum onere residentiae: aut non ignoratur, et tunc – sufficit simplex requisitio seu monitio vel revocatio cum competenti termino ad redeundum, quo elapso etiam non expectatis sex mensibus, (Beneficio) spoliari poterit –, ut ait idem Fagnanus loc. cit. n. 9. Ponderandum etiam erat, in instrumento privationem indici in casu transitus ad aliam Diaecesim amplissimis clausulis, videlicet – qualunque ne sia il motivo, che ne avesse, o l'impiego, che prendesse –. Verum contingere poterat, ut Clericus abesset ex causa legitima a sacris Canonibus approbata, puta valetudinis ob aeris salubritatem, ob servitium S. Sedi praestandum: ceterum dispositio iuris facultatem tribuit Fundatoribus apponendi conditiones sibi magis benevisas.

18. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo conditio privationis sit approbanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative in omnibus, iuxta preces – *in Montis Politiani Patrimonii sacri die 21 Iulii 1821.*

19. Qua de re multo magis Fundatores recte possunt coercere et moderari quadrimestre tempus Patronis a iure concessum ad praesentandum, Rot. in Pennen. Beneficii 25 Iunii 1753 §. 7 coram Elephantutio *in Fanen. Capellaniae die 26 Augusti 1769* §. *Contra.*

20. Unde Fundator per limitationem temporis recessit a dispositione iuris tribuentis Patronis ecclesiasticis terminum sex mensium ad praesentandum, Cap. unic. §. Verum de iurepatronatus in 6 *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770* §. *Inter.*

21. Amplia, Fundator Beneficii potestatem habet dispensandi Clericos nominatos ad dictum Beneficium a recitatione Divini officii, eiusque loco recitandi officium Beatissimae Mariae Virginis, Fargn. de iurepatronat. part. 2 Can. 27 Cas. 3 n. 4, et Card. Barberin. in vot. ab eodem Fargna ibidem in lucem hominum edito n. 13 §. Quia *in Firmana Beneficii die 2 Septembris 1758* §. *Auditus.*

22. Id tamen expresse mandatum a Fundatore quoad Clericos de Familia primo loco ad Beneficium vocatos, haud censetur repetitum in Clericos de alia familia secundo loco invitatos, cum desint verba satis clara, quae idem ostendunt *in Firmana Beneficii die 2 Septembris 1758.*

23. Iamvero usumfructum latifundii, quod possidebat in territorio Phaleroni Firmanae Diaecesis, Uxori legavit Iacobus Balduccius, eademque usufructuaria defuncta, voluit, ut ex praefatis bonis Beneficium de iurepatronatos erigeretur, iniuncto Rectori pro tempore onere duarum Missarum qualibet hebdomada die mercurii et sabbati pro ipsius anima ac propinquorum applicandarum. Rectores vero successive nominavit quatuor filios Iulii Laureti, atque mandavit, ut praedicti filii Iulii Laureti, qui in praesens operam studiis navabant aut poterant aut posthac debebant eisdem incumbere, ne ullum ad curriculum studiorum impedimentum haberent, a recitatione divini Officii usque ad expletam viginti quinque annorum aetatem dispensati censerentur, eiusque loco recitarent dumtaxat Officium parvum Beatissimae Virginis Mariae. Post haec Testator voluit, ut post

obitum filiorum Iulii Laureti ius praesentandi ac eligendi Rectorem praedicti Beneficii semper ac in perpetuum spectaret ad Alexium Simonetti Privignum eiusque heredes ac successores in infinitum per lineam masculinam, ac in eius defectum per lineam femininam cum praedicto onere. Erecto Beneficio defunctisque filiis Iulii Laureti, patronatus delatus deinde fuit ad fratres Simonettos, qui preces obtulerunt Sacrae Congregationi, quibus postulabant, ut Emi Patres declararent, an potestas Testatori fuerit dispensandi Clericos gentis Laureti a recitatione divini Officii, eiusque loco recitandi Officium Beatissimae Virginis Mariae; et si haec Testatori fuit potestas, an eadem dispensatio vi illorum verborum cum praedicto onere porrigeretur ad gentem Simonettam. Auditus Archiepiscopus censuit, in utraque gente et familia eamdem fuisse Testatoris voluntatem. Dixerunt itaque, voluisse Testatorem eamdem dispensationem extendere ad Clericos gentis Simonettae colligi ex repetitione eiusdem oneris – col medesimo peso –, quae verba nequibant accipi de solo onere Sacrorum, cum aeque inter onera esset Officii recitatio, ut nulla esset ratio, cur unum potius, non vero alterum onus ea verba repetere deberent. Ratio vero et causa finalis dispensationis, quae fuit, ut Rector ad annum usque suae aetatis vigesimum quintum studiis operam dare diligentius posset, in utraque gente locum habebat, ut non posset differentiae causa assignari, cur dispensare voluerit Testator in gente Iulii Laureti, non in alia Alexii Simonetti; favorem studiorum postulare, ut, si dubia esset Testatoris voluntas, interpretaretur in causam, quae in studia benignior erat.

24. His mature perpensis, propositis dubiis: - I. An licuerit Iacobo Balducci fundatori Beneficii iurispatronatus dispensare Rectores pro tempore a recitatione Officii divini usque ad aetatem annorum viginti quinque iam expletam eiusque loco divini Officii onus iniungere recitandi Officium parvum Beatissimae Virginis? *Et quatenus affirmative.* II. An onus huiusmodi expresse iniunctum a dicto Fundatore Rectoribus de Familia Laureti primo loco ad Beneficium vocatis censeatur repetitum in Rectores de Familia Simonetti secundo loco invitatos? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative – *in Firmana Beneficii die 2 Septembris 1758.*

25. Hinc dum Fundator praeter alias conditiones hanc adiicere censuerit, quod scilicet – Rectores sive Beneficiati, in minoribus Ordinibus constituti, adstricti sint dumtaxat Beatae Mariae Virginis Officium quotidie persolvere –, proposito dubio: – An et quae conditiones in erectione Beneficii, de quo agitur, sint approbandae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse approbandas omnes conditiones – *in Pennen. Beneficii die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

26. Imo licet quatuordecim annorum a Concilio requiratur, attamen pii Fundatores minime prohibentur minorem etiam aetatem permittere, quemadmodum communiter sentiunt Doctores et definivit Sacra Congregatio, teste S. Rota in Monopolitana Beneficii 6 iunii 1622 coram Merlino, et in Corduben. Capellaniae 5 decembris 1629 coram Coccino Decano apud Ferrar. verb. aetas n. 11 *in Interamnen. Capellaniae die 20 Maii 1854* §. *Tandem.*

27. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Fundatorem in actu erectionis Beneficii posse adiicere conditionem, quod possit consequi a minore quatuordecim annorum *in Tricaricen. die 19 Iunii 1638 lib. 16 Decretorum pag. 37.*

28. Idcirco dum Fundator praeter alias conditionem hanc in actu erectionis Beneficii apposuerit, quod scilicet - huiusmodi Beneficii idoneus etiam habeatur Clericus septennis, dummodo Beatae Virginis Officium calleat –. proposito dubio: – An et quae conditiones in erectione Beneficii, de quo agitur, sint approbandae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Esse approbandas omnes conditiones - *in Pennen. Beneficii die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

29. Sacra Congregatio autem respondit, Fundatorem Archipresbiteratus, qui est secunda Dignitas in Collegiata, non posse praesentare ad ipsum Archipresbiteratum nepotem suum in aetate quatuordecim annorum, dignum tamen, ut illi a Dataria Apostolica ex benignitate concedatur *in Senen. die 29 Novembris 1659 lib. 21 Decretorum pag. 827.*

30. Certum hinc etiam est exploratumque, Beneficii Fundatorem apponere posse in actu fundationis conditionem reservationis exclusivam, ut communiter firmant Doctores et Rota apud Rigant. in part. 1 reg. 9 Cancell. §. 2 n. 26 *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770 §. Plura.*

31. Siquidem dum Fundator inter alias hanc in actu erectionis Beneficii apposuerit conditionem, quod nempe - hoc dictum Beneficium obnoxium nunquam sit devolutionibus, neque Apostolicis affectionibus sive reservationibus, etiam per vacationem in Curia, sed iuspatronatus semper illibatum Patronis praeservetur -, proposito dubio: - An et quae conditiones in erectione Beneficii, de quo agitur, sint approbandae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Esse approbandas omnes conditiones - *in Pennen. Beneficii die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

32. Quin imo haec reservationis exclusio non solum expresse demandari potest, sed etiam tacite et virtualiter ex instrumento erectionis Beneficii desumi valet, ut pluribus adductis docet Rigant. in part. 1 Reg. 9 Cancell. §. 2 n. 164 *in Eugubina Canonicatus die 7 Iulii 1770 §. Plura.*

33. Cancellariae autem Regulas excludere solent Fundatores in casu etiam vacationis in Curia, sed huiusmodi cautela adhibetur non ad excludendum ecclesiasticum Collatorem, sed ad retrahendum Summum Pontificem a derogatione iurispatronatus laicalis in casu vacationis in Curia, ut censuit S. Congregatio in Pennen. 13 maii 1713 lib. 63 Decretorum pag. 290, et tradit Rigant. ad Regul. 1 Cancellar. §. 1 n. 345 *in Urbinaten. Capellaniae die 25 Septembris 1762 §. Praesertim.*

34. Amplia, in actu erectionis Fundator potest etiam excludere pluralitatem et incompatibilitatem; quandoquidem cum is praeter alias hanc adiecerit conditionem, quod nempe - nullamque pluralitatem vel incompatibilitatem Beneficium huiusmodi inducere possit, etiam, ut dicitur, sub eodem tecto -, proposito dubio: - An et quae conditiones in erectione Beneficii, de quo agitur, sint approbandae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Esse approbandas omnes conditiones - *in Pennen. Beneficii die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

35. Nec dubium, quin in fundatione possit apponi, quod fructus Ecclesiae, quando eam vacare contingerit, cedant Patrono, Van - Espen part. 2 sect. 3 tit. 8 cap. 6 n. 12, quando tamen Patroni fundarunt, vel dotarunt Ecclesiam, nam Van-Espenius loquitur de Patronis dumtaxat Fundatoribus, cum de iis loc. cit. n. 8 dixerat: - Ceterum quia hoc ius in Patroni fundatur munificentia, quam ab ipso eiusque parentibus aut maioribus Ecclesiae accepit... sat patet, Patronis ius hoc non competere ratione iuris praesentationis, sed titulo fundationis vel dotationis - *in Arboren. die 18 Iulii 1835 §. Nihilo §. Verumtamen.*

36. Unde in limine fundationis licet Fundatoribus quamcumque conditionem dare, quam legitima Auctoritas probet, Cap. *Praeterea* de iurepatronatus, Cap. 4 de censibus, Lambertin. de iurepatron. lib. 1 part. 1 quaest. 4 art. 1, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 32 n. 8, ac praecipue de ipsis infantibus ac de iis, qui Uxorem habent, qui titulo administrationis Beneficia retineant, ut praesertim in Derthonen. 19 augusti 1730, in Angelopolitana Capellaniarum 5 aprilis 1732, in Nullius seu Orbitellana Erectionis Canonicatus 11 martii 1752 *in Vercellen. die 19 Iulii 1766 §. Dicunt §. Dum.*

37. Quum vero Fundator inter ceteras conditiones in actu erectionis Beneficii indictas quintam hisce verbis conceptam apposuerit: - V. Pro eorum vero (nempe Beneficiatorum) conscientiae serenitate expresse iam dictus Fundator adiunxit, quod expletis indictis oneribus reliquum ex fructibus, utcumque ipsi vellent, disponerent, perinde ac si essent patrimoniales reditus -, proposito dubio: - An et quae conditiones in erectione Beneficii, de quo agitur, sint approbandae in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Esse approbandas omnes conditiones, praeter quintam - *in Pennen. Beneficii die 13 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

38. Neminem itaque latet, fundationes quascumque, quibus haud accessit Ordinarii auctoritas pro forma canonica erectionis, nec nominati unquam pro canonica institutione Ordinario praesentati fuere, neutiquam inter

proprie dicta Beneficia vel Capellanias ecclesiasticas recensendas esse, quippe potius laicalis fundatio vel simplex legatum pium nuncupantur, prout incontroversum in iure habetur, et testatur Gagliardi comment. de Benef. cap. 3 de fundatione et erectione Beneficiorum, Piton. de controv. patron. alleg. 31 n. 1, Rebuff. prax. Benef. tit. quare instit. sint Benef. n. 11, Card. De Luca de iurepatron. disc. 15 n. 4, et disc. 80 n. 17, Rota coram Dunozzetto decis. 101 n. 2 *in Neapolitana Iurispatronatus die 26 Ianuarii 1850* §. *Denegat.*

39. Quod si Fundator alicuius Capellaniae sive ecclesiastici Beneficii, ad hoc consensum sui Diaecesani impetrare non possit, ab hac iniusta recusatione fas est sibi reclamandi, Lambertin. de Iurepatronat. lib. 1 art. 16 quaest. 2 part. 1, Lotter. de re Benef. quaest. 32 n. 17, Ricc. decis. 29 n. 7 et 13, decis. 240 n. 5 et 6 part. 6 *in Vigilien. Fundationis die 23 Novembris 1743* §. *Nullam.*

40. Quapropter quum Ordinarius approbare noluerit fundationes Missarum illegitimis de causis, ac ex eo praesertim quod illae insolitae essent et causa forent dissensionum inter Praebendatos Cathedralis, Sacra Congregatio resolvit, praefatas fundationes esse approbandas *in Gerunden. Fundationum die 24 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.*

41 Enimvero – institutis duabus piis fundationibus Missarum, altera nempe per Michaelem Romaguerram Abbatem Ecclesiae Collegiatae S. Felicis Civitatis Gerundensis triginta quinque Missarum annuarum in perpetuum celebrandarum per Dignitates Cathedralis Gerundensis in Ecclesia seu Capella eisdem benevisa, intra tamen Civitatem, et altera simili Missarum duodecim per Benedictum Vadella Archidiaconum Bisuldensem, reservata Ordinarii approbatione et consensu, fuit hic requisitus et respective denegatus a Vicariis Generalibus eiusdem; unde praefatae Dignitates recursum habuerunt ad EE. VV. pro illarum approbatione, datisque solitis Literis pro informatione Ordinario supradicto, iste in sua relatione per manus circumferenda ait, dictum consensum denegatum fuisse; primo, quia ex his fundationibus auctoritate ordinaria approbatis dictae Dignitates motivum desumerent habendi Corpus et Collegium erectum extra Cathedralem, in qua reperiuntur; secundo, quia nullus fuit deputatus Administrator pro adimplemento seu erogatione fructuum ad opera destinata; tertio, quia huiusmodi fundationum genus est insolitum; et quarto denique, quia illae potius sunt causa dissensionum inter Praebendatos eiusdem Cathedralis. Quibus omnibus attentis, una cum instrumentis earumdem fundationum aliisque iuribus circumferendis, EE. VV. respondere dignabuntur: – An fundationes, de quibus agitur, sint approbandae in casu etc. –, Saera Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Gerunden. Fundationum die 24 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.*

42. Nec in controversiam revocari potest Fundatoris potestas adiiciendi ex intervallo et in actu ab ipsa fundatione separato alias leges et conditiones, etiam in praeiudicium illorum, quos in fundatione praedilexerant, antequam Ordinarii auctoritas in erectione intercedat, Vivian. de iurepatron. part. 1 lib. 2 Cap. 8 n. 10, Tondut. quaest. Benef. part. 1 cap. 18 n. 8, Piton. de controv. patron. alleg. 95 n. 23; maxime si leges et conditiones dispositioni iuris non adversentur, Gloss. in Can. *Neminem* dist. 70 verb. sive possessionis, Rocch. de iurepatron. verb. honorificum quaest. 18 n. 86 *in Reatina Capellaniae die 14 Maii 1774* §. *Ad II praemittitur.*

43. Verum novae leges nequeunt adiici vel adiectae commutari, postquam ecclesiastici Beneficii fundatio fuit ab Ordinario approbata, Tondut. quaest. Benef. part. 1 cap. 91 n. 1, Piton. controv. patron. tom. 2 alleg. 82 n. 7, Vivian. de iurepatron. part. 3 lib. 14 cap. 3 *in Lauden. Capellaniae die 23 Augusti 1738* §. *Alterum.*

Item *in Vercellen. die 19 Iulii 1766* §. *Erecto.*

44. Nam licet Fundator ambulatoria, ut aiunt, voluntate dispositionem suam immutare valeat, antequam Episcopus eam consensu suo probaverit, attamen nullam potest mutationem inducere, postquam Episcopi consensus accesserit, qui quamdam continet stipulationis speciem pro absentibus, unde actus perfectus atque irrevocabilis evadit, ceu edisserit Card. De Luca de iurepatronat.

disc. 17 n. 8, Gagliardi de iurepatronat. cap. 6 §. 42 75 *in Gerunden. die 14 Decembris 1771* §. *Certa.*

Item *in Sarnen. Iurispatronatus die 28 Ianuarii 1854* §. *Difficilem.*

45. Unde Fagnanus in Cap. *Ex parte* de const. n. 24 inquit: – Fundatio et dotatio illa habet se per modum quasi contractus ultro citroque obligatorii seu donationis sub modo, quam cum Episcopus admiserit et provisus dum institueretur non recusavit, non potest modo onus detrectare – *in Pontis Curvi super reductione Missarum die 29 Iulii 1786* §. *Rinaldi.*

46. Certum enim in iure est, quod fundatio et dotatio habet per se modum quasi contractus ultro citroque obligatorii seu donationis sub modo, quam cum Episcopus admiserit, et provisus, dum institueretur, non recusaverit, nequit onus postea detrectare, iuxta etiam Benedict. XIV de synod. diaeces. cap. ult. §. Adnotatum *in Pistorien. Reductionis onerum die 17 Februarii 1838* §. *Verumtamen.*

47. Regula hinc habetur, qua traditum est, conditiones in fundatione et erectione appositas postea mutari a Fundatore non posse, etiam Episcopo approbante, si novae leges sint contra dispositionem iuris, ut a Sacra Congregatione resolutum fuisse testatur Fagnanus in Cap. *Conquerente* de cleric. non resid. n. 25 *in Aquen. Celebrationis Missarum die 15 Decembris 1731* §. *Postquam.*

48. Idcirco Fundator ante Decretum erectionis Beneficii potest quidem variare leges in instrumento fundationis statutas, ac alias in actu erectionis constituere, sed nequit, post iam Beneficium ab ecclesiastica Auctoritate, eodem consentiente, erectum, rursum eas revocare in vitam, quas in primo illo fundationis instrumento tulit, simulque abrogare, quae in Decreto erectionis sancitae perhibentur, cum praesertim ius alterius laedi videatur *in Aquen. Celebrationis Missarum die 12 Ianuarii 1732.*

49. Siquidem Sacerdos Antonius Bazzanus per publicum instrumentum die 23 octobris anni 1725 fundavit dotavitque Beneficium in Ecclesia parochiali Oppidi Cavatoris, in quo ortum habuerat, et Capellano imposuit onus ter unaquaque hebdomada sacrificandi in Ara Sanctissimo Rosario dicata. Antequam vero Ordinarius fundationem huius Beneficii confirmaret, die 2 augusti 1726 idem Fundator mandavit, Missas a Capellano celebrari non in Ecclesia et Altari antea designato, sed in Ecclesia S. Sebastiano sacra, quae sita erat in agro eiusdem Oppidi. Mutatae autem circa id voluntatis causas valde probabiles denuntiavit (1). Die 27 septembris eiusdem anni 1726 Vicarius Capitularis per Decretum approbavit fundationem, Beneficium erexit, iuspatronatus Fundatori aliisque iuxta eius votum attribuit. Sed circa tres Missas una – qualibet hebdomada celebrandas statuit,unam celebrari per Capellanum debere in Altari Sanctissimi Rosarii Ecclesiae parochialis, ubi Beneficium fuerat institutum, reliquas vero duas in rurali Ecclesia S. Sebastiani. Cumque deinde a Fundatore simulque patrono nominatus ad Capellaniam fuisset Clericus Ioannes Baptista Penna, Ordinarius die 22 novembris praedicti anni 1726 nominationem approbavit et institutionem tradidit, conditione adiecta satisfaciendi – oneri Missarum trium in singulis hebdomadis, iuxta mentem et voluntatem Fundatoris, ita tamen, ut duae ex ipsis celebrentur in Ecclesia sub titulo S. Sebastiani existentis in territorio loci Cavatoris –. Et Beneficii possessionem Capellanus adeptus fuit. At Fundator, mutata iterum voluntate, per aliud instrumentum die 17 iulii 1727 declaravit, dignis de causis, sed nulla peculiariter exposita, velle se, quod omnes tres Missae perpetuo celebrarentur in

(1) Scilicet – si per essere S. Sebastiano uno de' particolari suoi avvocati, che per il maggior commodo degli abitanti in vicinanza di detta Chiesa, e massime del Signor Capitano Lorenzo de' Scuti, nella di cui persona e de' suoi eredi e successori, dopo la morte di Francesco e Bartolomeo fratelli di detto Signor Rettore, deve passare il iuspatronato di tale Beneficio; e sul riflesso anche, che già restando il suddetto Altare del Rosario fra l'anno onorato con la celebrazione di molte Messe, essa Chiesa campestre, ove ben di rado si celebrano Messe, non solo conseguirà l'onorificenza delle predette Messe ebdomadarie, ma di più trovandosi quasi derelitta verrà probabilmente con la dovuta decenza tenuta e conservata da detto Signor Capitano de' Scuti e suoi eredi e successori etc. –.

Ecclesia parochiali ad normam suae primae dispositionis. Retulit Episcopus, retractationi a Fundatore expositae reclamasse plures, qui potiebantur commodo adstandi Sacrificio Missae in rurali Ecclesia S. Sebastiani, itemque Laurentius de Scutis, ad quem post obitum Fundatoris eiusque Fratrum devolvendum est iuspatronatus Beneficii, quique Ecclesiam illam S. Sebastiani iam sacra supellectili instruxit, ac etiam spondebat, se reparaturum eius fornicem inclinantem in casum, dum tamen Missae Sacrificium ibi fieret, ut in Decreto erectionis eiusdem Beneficii praescriptum fuerat. Fundator itaque postulavit, declarari ab Sacra Congregatione, servandam esse legem primitivae fundationis circa celebrationem omnium Missarum in Ecclesia parochiali, sublata circa id diversa lege, quam statuit Decretum Vicarii Capitularis. Porro quod attendi potius deberent leges constitutae in erectione Beneficii ab Ordinario facta, quam aliae designatae ab eo, qui dotem pro eius fundatione constituit, decisum a Rota fuit in Senogallien. Canonicatus de Luchis 25 ianuarii 1709 coram Lancetta, et in Asten. Prioratus super pertinentia 20 martii eiusdem anni coram Aldrovando. Eoque certius, quia in casu praesenti Vicarius Capitularis nihil fecit, invito Fundatore, sed in praescribenda Missarum celebratione in Ecclesia S. Sebastiani obsecundavit eius voluntati per secundum instrumentum patefactae, addita solum prudenti moderatione circa unam Missam, et huic quoque moderationi, assentiente eodem Fundatore, qui erectionem Beneficii sic factam excepit, et ex eius vi Capellanum deinde elegit.

50. His igitur perpensis, proposito dubio: – An omnes Missae celebrari debeant in Ecclesia parochiali, vel potius duae singulis hebdomadis in Ecclesia S. Sebastiani in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Aquen. Celebrationis Missarum die 12 Ianuarii 1732.*

51. Unde in una Comen. Beneficii, in qua erat reservatum iuspatronatus descendentibus ex fratre, atque inde Fundator postulaverat, sibi impertiri facultatem mutandi fundationis leges ab initio constitutas, nempe ut, si durante fratris descendentia nemo ex ea reperiretur aptus ad Beneficium assequendum, quando eius vacatio contigeret, tunc minime deberet nominari extraneus, sed suspensa collatione Beneficii possent descendentes retinere sibi ipsis suosque facere proventus omnes Beneficii, subeundo tamen onus duodecim Missarum quotannis ab aliquo Sacerdote celebrandarum, usque dum aliquis de familia fieret idoneus obtinendo Beneficio, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit die 27 februarii 1734: – Pro nunc Negative, sed habebitur ratio in futuris vacationibus; et amplius – *in Vercellen. die 19 Iulii 1766* §. *In.*

52. Idque eo vel magis vim obtinet, ubi ius alteri quaesitum laedatur; postquam enim fundationi ecclesiastici Beneficii intrinsecam perfectionem contulit auctoritas Ecclesiae per Ordinarium interposita, Fundatori haudquaquam licere videtur novas adiicere leges et conditiones, per quas laedatur ius inde iam aliis quaesitum *in Aquen. Celebrationis Missarum die 15 Decembris 1731* §. *Postquam.*

53. Hinc Fundatori haudquaquam licere adiicere leges, per quas laedatur ius inde aliis quaesitum, concordantibus auctoritatibus relatis, firmavit Rota in Bononien. Iurispatronatus 14 martii 1721 coram Corio *in Fanen. Pii Relicti die 22 Ianuarii 1842* §. *Profecto.*

54. Qua de re post exaratam donationem non potest Fundator novas in testamento conditiones adiicere, multoque minus ius nominandi alicui tributum immutare, L. *Perfecta* Cod. de donat., Rot. in Recent. decis. 515 a n. 1 *in Ariminen. Capellaniae die 26 Februarii 1774* §. *Ex alia.*

55. Unde si Fundator Legatum seu Capellaniam laicalem publico instrumento instituens, duas designatas Personas praesentes et acceptantes nec non earumdem heredes Capellanos nominaverit, ac sub finem instrumenti pactum ac promissionem emiserit de nunquam revocanda voluntate sub obligatione ac poena damnorum reparationis, frustra postea in Episcopum contulit arbitrium, quod ei magis placeret, pium aliud Opus cum praefatis bonis constituendi, post mortem tamen amborum vel primi ex nominatis Capellanis

in Hortana Executionis voluntatis die 14 Decembris 1844 (1).

56. Fundator tamen libertate pollet fundandi in alia Ecclesia pium Legatum, si qui illud acceptarunt nolint omnes explere conditiones, quas ipse se in limine fundationis contra eorum praetensionem apposuisse contendit, Episcopus tamen curare debet, ne id contingat *in Fanen. Pii Relicti die 22 Ianuarii 1842 et die 26 Novembris 1853.*

57. Enimvero ut erga divinissimum Eucharistiae Sacramentum Christifidelium pietatem magis magisque proveheret Antonius Gabriel Severolius, dum Fanensem moderaretur Ecclesiam, solemnem instituit sub anno 1791 in Cathedrali Aede Eucharistici panis expositionem, quae initium haberet a die Dominica Palmarum, finem vero acciperet ad meridiem feriae quartae maioris Hebdomadae. Haec autem pia supplicatio servata etiam fuit sub successoribus Episcopis, opem sumptusque ferentibus piis fidelibus, usque ad annum 1818: ast posterioribus fere decem annis factum est, ut ad vesperas dumtaxat feriae tertiae maioris Hebdomadae dilata fuerit. Eam porro ab anno 1818 praetermissam ita instaurare animo contendit, labente anno 1839, Canonicus Palazzi, ut perenniter duratura foret; hinc privatam exhiberi syngraphan Capitulo curavit per Collegam suum Canonicum Mattioli, qua declarabat, se eum in finem die 24 decembris 1836 constituisse per acta Notarii Augustini Aloisii Saltara censum scutorum quingentorum cum respectivo annuo fructu scutorum triginta, idque Capitulo uti administratori ita cedere, ut annuus reditus in huiusmodi sacra functione totus impenderetur, pluribus simul adiectis conditionibus (2). Subscripsit autem huic propositioni, plenis suffragiis, Capitulum; eamque piam institutionem sese accepto habere declaravit in comitiis diei 8 martii 1839, praevia Episcopi licentia, nec non ea expressa conditione, quod totus reditus pii Legati quotannis impendi deberet, quin tamen impensam ullam facere deberet Sacristia. Conventione sic inita, vetus caeremonia revixit; atque ita biennio per Capitulum expleta est, ut a mane Dominicae Palmarum usque ad vesperas feriae tertiae produceretur. Quod sane peracerbum accidit Canonico Palazzi, qui in id potissimum intendisse pierat, ut sacra haec supplicatio iuxta primaevam institutionem restitueretur usque ad meridiem feriae quartae maioris Hebdomadae duratura; hinc in irritum cessis conatibus, ut in suam sententiam perduceret Capitulares, ne pium Legatum revocaret, auctoritatem Sacrae Congregationis exoravit. Oratoris intentioni vero obstitit Capitulum de more rogatum; declaravitque, sese in pii Operis acceptatione nedum non intendisse eas conditio-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Donatio*, n. 127 ad finem, Tom. VIII.

(2) Scilicet, – 2. Essere del mio desiderio e volontà, che col compiacimento dell'Illmo e Rmo Monsignor Vescovo pro tempore, o egli stesso o qualche evangelico Ministro per lui praepari il Popolo di Fano a ben ricevere la S. Pasqua con tre morali cathechismi da farsi nelle tre sere la Sanctissima Esposizione; e che per tale salutevole fine, ove intervenga a predicare un secondario evangelico Ministro, sia prelevato dall'annuo reddito una tenue gratificazione da darsi al detto Operaio (ove si degni di accettarla) in veduta delle fatighe sostenute. 3. Essere io sottoscritto nel fermo proposito e promessa di rinvestire nella possibile prossima estinsione di censo il capitale di scudi 500 a nome e favore del lodato Rmo Capitolo amministratore, come sopra, ed esecutore del presente pio Legato. E quando ciò non accada, di cedere io stesso quanto primo al Rmo Capitolo, e ne' termini sopra espressi l'enunciato censo tal quale venne già da me creato mediante pubblico atto instrumentato. In pendenza delle quali cose essere io sottoscritto nella ferma deliberazione e promessa di passare annualmente al Rmo Capitolo o a chi per lui là somma fissa di scudi trenta per l'esatto adempimento, come sopra; e ciò stesso senza interruzione o pretesto qualunque d'interrompimento fino a tanto, che il Rmo Capitolo non sia in legale possesso del capitale o censo, di cui trattasi. Con questo ultimo articolo voglio e dichiaro di procedere al caso di mia morte, ossia alla sicurezza ed esistenza del pio e perpetuo Legato, che fin d'oggi, mercè la grazia del Signore, istituisco, non che alla sicurezza e ragioni, che in tal caso di morte emergono al Rmo Capitolo di far subito valere i diritti da me compartitili contro i miei eredi per l'immediato possesso del pio Legato, ossia sul censo in natura, o sull'equivalente in contanti, nel quale secondo caso è mia espressa volontà, che il capitale contante venga subito rinvestito dal Rmo Capitolo colla creazione di un nuovo censo a termini e condizioni enunciate già nella presente mia dichiarazione –.

nes, quas in praesens proferebat Canonicus Palazzi, sed et paratum esse ad piam donationem reiiciendam, quoties illae accederent. Capituli sententiae accedebat Episcopus in sua relatione. Cardo itaque controversiae in eo esse videbatur, ut definiretur, an solemnis supplicatio restituta fuisset in conventione iam relata, prout instituta fuerat initio ab Episcopo Severolio, seu potius prout postremis annis exequi consuevit: quatenus vero verba conventionis subobscura permanerent, an liceret adhuc Fundatori leges adiicere, quae explicarent vel moderarentur fundationem. Ad primum quod attinebat, advertebatur, mentem Canonici Palazzi fuisse, ut institutio sacrae supplicationis restitueretur in pristinum: atqui pristinus status ille profecto dicendus erat, qui ad primaevam institutionem referebatur, quo tempore ad feriam quartam maioris Hebdomadae sacra caeremonia protrahebatur; non ille, qui in posterum ex opportuni sumptus defectu per accidens extitit aliquot annos. Et sane idipsum importabant et praecedentes locutiones, quae restituendam caeremoniam appellabant - solenne funzione delle quarant'ore... quale soleva farsi nei primi tre giorni della settimana santa -. Etenim quadraginta horarum oratio nunquam habebatur, si feriae quartae matutinae horae auferebantur; nec sine iis expleta erat trina dies. Quum porro de pia dispositione ageretur in themate, quae directe vergebat in favorem Religionis, non late, sed stricte interpretandam fore vocem *il giorno* ratio ipsa suadebat: atque adeo attendendam non esse, si alibi in aliquibus ipsius Civitatis Fani Ecclesiis orationes absolverentur, quae nomine veniebant quadraginta horarum, licet binos dies et alteram dimidiam perdurarent; nec diem Dominicam inceptam haberi posse pro completa, prout ex adverso contendebatur. Demum eam revera fuisse suam mentem declarasse se, dixit Orator, Canonico Mattioli; eique demandasse, ut Capitulo patefaceret, quod revera gessisse ipse Canonicus deposuit. Quod si obscura forsan elicita, vel omissa lex poneretur, quae caeremoniam usque ad feriam quartam perducebat, sustinuit Orator, licere in praesens sibi eam explicare et superaddere; tum quia Fundator erat et Ecclesiae benemeritus, tum quia cum perfectum non fuerit instrumentum cessionis illius sortis, quam adpromisit in limine fundationis, negocium adhuc prostare contendit.

58. Ex parte Capituli contra reponebatur, nullam ex relatis dictionibus importare, ut ea ratione Sacra Synaxis expleretur, qua Canonicus Palazzi propugnabat: imo singulas suae intentioni respondere; hinc adnotavit, nomine – dei primi tre giorni della settimana santa - venire non posse, nisi diem Dominicam lunae martis, quin aliquid obstaret, cur dies Dominica haberi non posset pro completa, cum dictum non fuerit – tre giorni completi –. Repristinatio autem, quae in votis erat Canonici Palazzi, referri commode poterat ad ultimum statum, qui supplicationem solemnem complectebatur usque ad totam feriam tertiam; siquidem status hic, si decem circiter annos perstitit, iam aeque diuturnus fuit ac primaevus. Praeterea status ille primaevus haud scripta aliqua obligatione nitebatur, nec fundus aliquis peculiaris assignatus fuerat, ut ad eius normam Sacra Synaxis perpetuo celebraretur; sed pia largitione annua Antistitis Severoli viguit, quemadmodum piis fidelium oblationibus diu stetit postremus. Rursus haud novum erat Fani, ut Augustissimi Sacramenti expositiones quadraginta horarum nomine indigitarentur, quae in aliis Ecclesiis celebrabantur, quamvis ad idem tempus, ac factum est per biennium in hodierna, de qua disceptabatur, ac in brevius producerentur. Denique, etsi testimonium Canonici Mattioli non inficiaretur, tamen perpendenda proposuit verba ipsius testimonii, quae inferius referebantur. Statim enim post laciniam a Canonico Palazzi excriptam adiiciebatur, quod Praepositus Billi subdidit, quaecumque esset mens praefati Canonici Palazzi, Capitulum expressionibus in folio exaratis adhaerere, scilicet pro primi tribus diebus maioris Hebdomadae Dominicae Palmarum lunae et martis, atque hac ratione Legatum plenis suffragiis a Capitulo fuisse acceptatum. Consonabat reapse clausula exceptionis, – come sopra e nei termini su espressi –, nec non executio, quam per biennium fundatio sortita fuerat. Unde locum non habere in themate videbatur regula, qua licet Fundatori in limine fundationis conditiones adiicere sibi be-

nevisas, ubi fundatio induebat naturam contractus, et acceptatio intercessit alterius contrahentis, quin obesse videretur, quod nec instrumentum cessionis nec traditio fundi intercesserint. Nam si contractus, inter Capitulum et Canonicum Palazzi initus, considerari vellet ceu donatio, haec etsi tantum verbalis obligabat Palazzi donatorem ad tradendam rem donatam ac donatio fuerit facta ab ipso et a Capitulo acceptata. Si vero contractus ille innominatus diceretur, ex iure novissimo poenitentia et in his contractibus reprobata erat. Idcirco res amplius haud integra videbatur, maxime postquam binos per annos sacra supplicatio expleta fuerit ea ratione, quam Capitulum intendebat. Ceterum ne irrationabiliter Oratoris voto obstare videretur, animadvertit Capitulum, multa ex prorogatione Sacrae Synaxis ad feriam quartam eaque gravissima incommoda derivare nedum Canonicis omnibus ab prolixum chori servitium, quod mane quidem feriae quartae maioris Hebdomadae ad meridianas fere horas protrahebatur, vespere ad nocturnas, sed etiam Ecclesiae Aedituis, quibus magni foret laboris Aram maiorem pro Sacratissimae Eucharistiae expositione exornatam dimittere, eamque ad Officium Tenebrarum celebrandum incontinenti parare, tum demum Ecclesiae, quae ex praepropera ipsius Arae dimissione sacrarum supellectilium iacturam pateretur.

59. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et ad quod tempus sit protrahenda expositio Sanctissimae Eucharistiae in casu?-, Sacra Congregatio die 22 ianuarii 1842 responsum tulit: - Affirmative iuxta votum Episcopi -. At post plurium annorum silentium, Canonicus Palazzi, Defensore sibi adlecto, rursus contendit, adigendum esse Capitulum ad expositionem perugendam, vel saltem se habere facultatem pium Opus transferendi in aliam Ecclesiam, ut iuxta mentem suam expositionem perageret. Nullum enim dubium moveri posse dixit, quin contractus suis consisteret viribus ad effectum adigendi Capitulum ad sacram expositionem protrahendam usque ad diem mercurii maioris Hebdomadae. Utriusque siquidem partis intercessit in idem placitum consensus, cum Capitulum declarationem Fundatoris et conditiones in ea expressas, nulla data exceptione prout iacebant, ultro accepto habuit, ceu constabat ex attestatione a Secretis Capituli, quod nempe - si è accettato il pio Legato come sopra (nimirum uti in declaratione) e nei termini suespressi -. Eoque fortius ad contractus observantiam adigendum esse Capitulum sustinuit, ex quo mala fides ac dolus in Legati acceptatione adhibita fuit, quam ex eo arguit, quod licet Coadiutor Fundatoris monuisset, esse mentem Canonici Palazzi, quod expositio initium habere deberet a Dominica Palmarum post Missam, - e quindi continuasse sino al mercoldì santo a mezzo dì -, attamen neglecta prorsus ac spreta Fundatoris voluntate, res ita suffragiis commissa est pro acceptilatione, ac si Fundator intendisset, expositionem cohiberi ad diem martis. Novum porro erat, in contractibus bilateralibus negligi mentem et voluntatem contrahentium. Quod si tamen praetensam a Capitulo interpretationem verba contractus admitterent, Fundatoris voluntate posthabita, hoc demum in casu pro contractus imperfectione ac pro libertate Fundatoris pium Opus in aliam Civitatis Ecclesiam transferendi, respondendum esse propugnavit. Nulla enim tunc adesset stipulatio, nullus contractus, nulla ideo exorta obligatio, congrua deficiente ad verba in declaratione adhibita responsione, ac in idem placitum consensu; quandoquidem absque mutuo partium consensu nullus concipi valet contractus aut pactum, quin huiusmodi consensus defectus consanatus fuerit, ex eo quod prima et secunda vice expositio facta extiterat. Constabat enim, Canonicum Palazzi continuo obstitisse ac perpetuo reclamasse. Unde ostendit praedictus Defensor, pro primis tribus diebus maioris Hebdomadae Fundatorem intendisse dies lunae martis et mercurii: ipse enim *ripristinare* seu restituere in integrum volebat functionem ab Episcopo Severoli institutam, non vero illam ab anno 1807 ad annum 1818 expletam. Quum enim ob redituum defectum id contigerit, profecto res in pristinum revocanda erat, postquam Fundator dotem perpetuam ac sufficientem pro hac functione rite ac diligenter peragenda constituit. Perperam hinc Capitulum grave exaggerabat incommodum, quod ex prorogatione exposi-

tionis Ecclesiae Aeditui persentirent,ut Aram maiorem pro expositione exornatam demitterent, eamque ad officium tenebrarum celebrandum incontinenti pararent. Nam spatium quatuor horarum ad id operis aderat, ac res facili confici poterat ex remotione cuiusdam machinae ligneae, quae expositionis ornatum constituebat, ac eadem vigebat consuetudo in pluribus Cathedralibus Ecclesiis, atque in ipsa Cathedrali Fanensi ab anno 1792 ad annum 1807 continuo viguerat. Illud demum advertit, Capitulum huiusmodi onus iam sibi imposuisse per acceptationem Legati sub conditionibus a Fundatore volitis atque in stipulatione contractus expressis. Cautum autem est, - non facere inutilem stipulationem difficultatem praestationis -, L. 2 §. 2 ff. de verb. oblig., L. 177 §. 4 ff. eod., quod eo magis in Causis piis tenendum est, quo sunt favorabiliores.

60. His mature perpensis, propositis dubiis: - I. An constet de libertate fundandi pium Legatum in alia Ecclesia Civitatis in casu? *Et quatenus negative.* II. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, et ad mentem; mens est, ut scribatur Episcopo, qui curet, ne Ecclesia Cathedralis privetur hac pia fundatione. Ad secundum, recedendum a decisis - *in Fanen. Pii Relicti die 26 Novembris 1853.*

61. Quin imo certa res quidem est atque unanimi Doctorum firmata consensione, fundationes post Decretum legitime interpositum, nullo modo alterari posse aut immutari. Si vero Fundator hanc facultatem in actu fundationis sibi reservaverit, tunc novae leges ac novae conditiones adiici possunt, quia vigore reservationis conditiones et leges ex intervallo adiectae retrotrahuntur, et appositae censentur eodem tempore, quo variandi facultas fuit reservata, cum reservatio importet prorogationem perfectionis fundationis, et conditionem suspensivam actus usque ad novam declarationem, ita Corrad. in prax. Benef. lib. 11 cap. 10 quaest. 5 n. 151 *in Gerunden. die 14 Decembris 1771* §. *Certa.*

Item *in Praenestina die 21 Augusti 1784* §. *Prae.*

62. Unde, erecto iam Canonicatu iuxta verba et mentem Testatricis, reservatio, si in limine fundationis sit facta cum consensu Episcopi Diaecesani, servanda omnino est, Vivian. de iurepatron. lib. 2 cap. 8 n. 9, Card. De Luca lib. 12 part. 2 disc. 32 n. 10, Monacell. form. leg. tit. 1 form. 1 n. 9; tunc enim conditiones in vim praedictae reservationis posterius appositae retrotrahuntur et censentur appositae in ipso fundationis actu, Lambertin. de iurepatron. lib. 1 quaest. 9 art. 1 n. 71, et Rota in Genuen. Capellaniae 15 maii 1728 coram Verospio, et in decis. 118 n. 6 coram Durano *in Florentina Canonicatus die 23 Novembris 1844* §. *Nec minimum.*

63. Amplia, potest etiam nova conditio, erecto iam Beneficio, adiici ex nova largitate, nempe si prima dos augeatur, atque legitima potestas novam conditionem admittat, Lambertin de iurepatron. lib. 1 part. 2 quaest. 4 art. 4 n. 2, Rota decis. 1414 n. 1 coram Seraphino *in Vercellen. die 19 Iulii 1766* §. *Potest.*

64. Hinc Sacra Congregatio in una Civitaten. Capellaniae 20 martii 1734, in qua Pater Filius et Amita Capellaniam erexerant ipso Filio deferendam, et post eius obitum Sacerdotibus idoneis ad docendam grammaticam a Capitulo eligendis; cum inde, Amita iam defuncta, Pater ad alias nuptias convolasset, ex quibus Filios habuerat, atque exoptaret, hos quoque Filios ad eamdem obtinendam admitti, obtulit augmentum in valore aequali antiquae dotis, hinc contradicente etiam Capitulo, proposito dubio: - An precibus Petri Navi de Ramos sit annuendum ad effectum, de quo agitur? -, respondit: - Affirmative quoad Filios tantum Oratoris, facto tamen prius legitime et cum approbatione Ordinarii perpetuo augmento per ipsum Oratorem oblato dotis Beneficii in valore aequali antiquae doti - *in Vercellen. die 19 Iulii 1766* §. *Sacra.*

65. Certissimum enim est, quod propter dotis augmentum liceat Fundatoribus addere conditionem novam, Rot. coram Coccino decis. 146 n. 9 *in Vercellen. die 19 Iulii 1766* §. *Imo.*

66. Idque praesertim locum habet, dum non agitur de adiicienda conditione, quae primas leges destruat, Vivian. de iurepatron. lib. 2 cap. 8 n. 10, Rot. in Recent. decis. 10

n. 7 part. 9, et coram Crispo decis. 318 n. 8 *in Vercellen. die 19 Iulii 1766* §. *Neque.*

67. Qua de re qui Capellaniam dote maiori auctam in Canonicatum erigit pro Fundatore existimari potest, Card. De Luca de iurepatron. disc. 18 n. 4, adeoque potestatem nominandi Successorem in actu erectionis sibi reservare valet *in Ariminen. Dispensationis die 20 Decembris 1834* §. *Nominatio.*

68. Certum igitur in iure est, quod qui novam Beneficio cuilibet dotem constituit, tamquam Fundator et Patronus revera censeri debeat, Cap. *Nobis* 25 de iurepatronatus, Clericat. de Benef. disc. 4 n. 9 *in Pistorien. Reductionis onerum die 17 Februarii 1838* §. *Verumtamen.*

69. Quin imo ex aequitate, quando ipse Fundator instet, ut conditio aliqua pio Operi iam erecto adiiciatur, eaque addenda conditio neque iuris dispositioni adversetur, neque in alterius detrimentum vergat, eam admitti debere, secundum generalis regulae limitationem, tradunt Vivian. de iurepatronat. lib. 2 cap. 8 n. 16, Monacell. form. leg. part. 1 tit. 2 form. 1 n. 10, Rot. in Recent. decis. 10 n. 7 part. 19, coram Seraphino decis. 1414, coram Crispo decis. 318 n. 8 *in Lauden. Capellaniae die 23 Augusti 1738* §. *Alterum.*

Item *in Fanen. Pii Relicti die 22 Ianuarii 1842* §. *Fundatori.*

70. Hinc Sacra Congregatio preces Fundatoris alias post peractam institutionem leges addere instantis ideo reiecisse visa est, quod ex iis interesse habentium iura quaesita laederentur; ac eadem de causa idem responsum negativum dedit in Florentina Capellaniae die 14 aprilis 1736 *in Fanen. Pii Relicti die 22 Ianuarii 1842* §. *Fundatori.*

71. Licet verum itaque sit, non posse a Patrono, nec de Episcopi consensu et auctoritate onera fundationis immutari, sive augendo id fiat, sive illa minuendo, hoc tamen procedere videtur eo tantum casu, quo de patronatu gentilitio et familiari agatur, minime vero ubi de patronatu hereditario res sit. Hoc enim casu, cum quilibet Patronus instar primi Fundatoris habeatur, haud prohibetur, quominus novas Beneficio patronali conditiones novaque onera in praeiudicium suorum heredum ac successorum possit adiicere, ad Textum in Clem. *Plures* de iurepatronatus, Card. De Luca de iurepatron. disc. 60 n. 2, Piton. discept. eccles. 53 n. 20, et de controv. patron. alleg. 92 a n. 6, Rot. coram Molin. decis. 563 n. 7; quia cum nemini ius sit quaesitum in eo ex Fundatoris vocatione (contra enim contingit in gentilitio), nemini per consequens praeiudicium infertur, Piton. loc. cit. alleg. 54 n. 21 et 23, et in alleg. 92 n. 6. Iuspatronatus enim hereditarium introductum dicitur in merum Patronorum favorem. Quod etiam tenet Card. De Luca de iurepatron. disc. 60 n. 22, et idem Piton. discept. 60 n, 20, Rot. coram Ninott. decis. 25 n. 23 *in Florentina Canonicatus die 23 Novembris 1844* §. *Quod si.*

72. Idcirco non solum Fundatoribus, sed Patronis ipsis licere ius activum nominandi ad Beneficia de hereditario in gentilitium commutare, iuxta Textum in Clem. *Plures* de iurepatronatus, Piton. de controv. patron. alleg. 92 n. 4 ad 11 et a n. 70. Idque ea ratione, quia gentilitium ad solos transit de familia, hereditarium vero ad heredes quoscumque transfertur, unde magis Ecclesiae favet patronatum de hereditario gentilitium facere, ut hoc modo patronatus coarctetur, Card. De Luca de iurepatron. disc. 60 n. 22, Piton. in cit. alleg. 92 n. 70; neque huiusmodi variatio ullam praeseferat fundationis immutationem, Piton. ibid. n. 11, Rot. in Lunen. Sarzanen. Beneficiorum 8 martii 1696 §. Et tale obiectum coram Bertacchino vot. decis. 47 n. 36 et 37 *in Gerunden. die 14 Decembris 1771* §. *Inquit.*

Item *in Albintimilien. Vacationum die 19 Maii 1787* §. *Haec.*

73. Unde improbari nequit factum Fundatoris, quo ex lege testamenti iuspatronatus antea hereditarium in gentilitium conversum fuerit, absurdum cum sit arbitrari, id non licere Fundatori, quod ipsis quoque Heredibus et Successoribus in patronatu etiam sine ulla ecclesiasticae auctoritatis venia impermissum non est, Card. De Luc. de iurepatronat. disc. 60 n. 22, Fargn. part. 2 can. 1 et 2 cas. 5 cap. 10 n. 24, Vivian. part. 1 lib. 4 cap. 10 n. 34, Rot. in Compostellana Parochialis de Pardessoa de iurepatronat. coram Falconerio decis. 8 n. 9, ea potissimum ex ratione, quia iuspatronatus de hereditario in

gentilitium conversio – respicit Ecclesiae favorem et honorificentiam ob minorem leviorem-que servitutem resultantem a pauciori ac restrictiori numero Patronorum; ac ob maiorem honorificentiam promanantem a sola servitute familiae et descendentiae Fundatoris – *in Sarnen. Iurispatronatus et Institutionis die 20 Maii 1854* §. *Sed dato.*

74. Verum ex iure addenda non sunt onera in fundatione non expressa, Squillant. de privil. Clericor. cap. 4 n. 28, Monacell. form. legal. tom. 4 in supplem. ad primum pag. 241 *in Castri Albi Visitationis sacrorum Liminum die 27 Iunii 1789* §. *Agitur.*

75. Quapropter nec Heres nec Patronus nec Episcopus potest in Beneficii erectione iniungere vel addere nova onera *in Toletana die 29 Novembris 1766* §. *Sacra.*

76. Unde Fargna in suo tractatu de iurepatronatus part. 2 can. 27 cas. 4 docet, non modo Patronum, sed ne ipsum quidem Episcopum posse alia onera addere iis, quae in fundatione posita sunt *in Romana Nominationis Dotium die 30 Maii 1835* §. *Neque.*

77. Idque saepe Sacra Congregatio definivit, ac praecipue in Montis Falisci 25 ianuarii 8 februarii 8 martii et 31 maii 1721, in qua abrogata fuere onera, licet imposita ab Ordinario ad maiorem Dei cultum et Ecclesiae servitium, et per spatium annorum nonaginta circiter adimpleta *in Fanen. Servitii choralis die 12 Martii 1853* §. *Quod.*

78. Nam gravare oneribus Beneficia non est Capituli et Episcopi, sed unius Fundatoris, quemadmodum ex Textu in Cap. *Porro* de privilegiis admonet Fagnanus in Cap. *Conquerente* de cleric. non resid. a n. 24, Garz. de Benef. part. 7 cap. n. 12, Monacell. form. leg. tom. 2 tit. 15 ad form. 1 n. 19 *in Vercellen. die 12 Septembris 1750* §. *Confugit.*

Item *in Calaritana Onerum die 17 Septembris 1831* §. *Haud.*

79. Siquidem cum ex Tridentinae Synodi dispositione sess. 25 cap. 5 de reformatione leges fundationis sancte ac pie sustineri et custodiri debeant, cautum hinc iure est, ut post peractam Beneficiorum erectionem non alia queant Beneficiatis imponi onera, quam quae a Fundatore initio imposita et constituta sunt. Hinc non solum non est in facultate Episcopi vel Capituli novis praegravare oneribus Beneficia, ceu post Textum in Cap. *Porro* de privilegiis admonet Fagnanus in Cap. *Significatum* a n. 2 de praebendis, et in Cap. *Conquerente* de cleric. non resid. n. 27, Garzias de Benef. part. 7 cap. 1 n. 12, Monacell. Form. leg. tom. 2 tit. 15 ad form. 1 n. 19, sed nec ipsis Patronis fas est pro lubitu suo quidquam agere, ex quo et Beneficii status et eiusdem onera ac servitutes augeri possint, Abbas in Cap. 3 de iurepatronat. n. 1, Rot. in Recent. decis. 5 n. 4 part. 5 tom. 2 *in Fanen. Servitii chori die 12 Martii 1853* §. *Cum* (1).

80. Immo ea est Patroni obligatio, ut prohibeat, ne in suo patronatu aliquid immutetur, Piton. de controv. patron. alleg. 72 n. 19; leges enim fundationis inviolabiliter servandae sunt, ne alias detur perniciosum exemplum retrahendi laicos ab erogando proprias substantias in Opera et Loca pia, ut monuit Sacra Congregatio in Praenestina Reductionis Missarum 25 maii 1833 *in Florentina Canonicatus die 23 Novembris 1844* §. *Nec nullum.*

81. Quapropter prohibet Tridentina Synodus in sess. 25 cap. 5 de reformatione, ne legibus fundationum derogetur *in Montis Alti die 16 Decembris 1797* §. *De deroganda.*

82. Expedit enim, ne piarum fundationum pereat memoria, et – quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescant –, ut monet Tridentina Synodus in Cap. 7 sess. 21 de reformatione *in Camerinen. Demolitionis Ecclesiae die 18 Decembris 1790* §. *Ubi.*

83. Idcirco nequeunt Episcopi fundationis leges variare, ut ex Textu in Cap. *Porro* de privilegiis disserunt Fagnan. in Cap. *Conquerente* de cleric. non resid. n. 24, Barbos. ad Concil. Trid. sess. 25 cap. 5 n. 7, Garz. de Benef. part. 7 cap. 1 n. 112, Ricc. in prax. for. eccles. part. 4 resol. 462 n. 2, Monacell. Form. tom. 2 tit. 15 ad form. 1 n. 29 *in*

(1) Plures prostant resolutiones, quibus iura haec firmantur. in Verb. *Beneficia*, §. XII, et §. XVII, Tom. III; nec non in Verb. *Capellanus*, §. II, Tom. VI.

Vercellen. die 12 Septembris 1750 §. *Confugit.*

84. Quidquid enim fuerit ante Concilium Tridentinum, certum est, post illius sanctionem in sess. 25 cap. 5 de reformatione nullam dari Episcopo facultatem qualitatibus in fundatione appositis derogandi, ne de Patroni quidem consensu, ut ait Rota in Alexandrina Decanatus 12 iunii 1798 coram Orano, et in Recent. part. 1 decis. 496 n. 2 *in Florentina Canonicatus die 23 Novembris 1844* §. *Nec nullum.*

85. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, competentem alias Episcopis facultatem de iure communi derogandi legi fundationis semel tantum de consensu Patroni, esse sublatam a Decreto Concilii in Cap. 5 sess. 25 de reformatione *in Nullius anno 1598 lib. 9 Decretorum pag. 56 et 59.*

Item *die 26 Maii 1600 lib. 9 Decretorum pag. 88.*

86. Quod adeo verum est, ut ne id quidem liceat, quamvis per novas leges ab Episcopo vel a Capitulo vel a Patronis latas Fundatoris voluntatem in melius ampliari contingat: nam Fundatorum voluntates adeo religiosae sunt servandae, ut ne in melius quidem immutari debeant, quemadmodum post Textum in Clementina *Quia contingit* de relig. dom. L. 7 Cod. de testamentis docet Gratianus discept. forens. Cap. *Nos quidem* de testam. n. 35 *in Forolivien. Translationis Legati die 26 Iunii 1830* §. *Hisce.*

Item *in Fanen. Servitii choralis die 12 Martii 1853* §. *Quod.*

87. Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam aliud velle non possunt, liber sit stylus et licitum, quod iterum non redit arbitrium, Can. *Ultima voluntas* quaest. 2, L. 1 Cod. de sacros. ecclesiis. Qua ex re cum Testatoribus ius sit, in quod maluerint opus bona sua relinquere, nedum in aequale, sed nec etiam in melius immutari debent ultimae voluntates, secus fideles voluntatibus Defunctorum vulnus infligi sentientes a Legatis in pias Causas constituendis abducerentur *in Forolivien. Translationis Legati die 26 Iunii 1830* §. *Hisce.*

88. Placuit tamen omnibus distinctio, ut, si variato qualitatis accidentalis tendat in damnum Ecclesiae, fieri nequeat, neque adiici possint novae qualitates. Si vero qualitas nova nullum Ecclesiae detrimentum infert, neque est contra iuris dispositionem, licet variare et novam qualitatem adiungere, Gloss. in Cap. *Cum dilectus* verb. constitutum de consuetudine, Lambertin. de iurepatronat. lib. 1 part. 2 quaest. 4 art. 4 per totum, Vivian. eod. tract. lib. 2 part. 1 cap. 8 n. 10, Garz. de Benef. part. 7 cap. 1 n. 103, Tondut. resol. Benef. cap. 68 n. 12, Corrad. in prax. Benef. lib. 2 cap. 10 n. 150 et 160, Gratian. discep. cap. 177 n. 4, Fargn. de iurepatronat. part. 1 can. 6 cas. 7 n. 9, et part. 2 can. 27 cas. 4 n. 1, aliique frequenter *in Melevitana Erectionis Canonicatus sive Cantoratus die 11 Augusti 1753* §. *Contra.*

89. Qua de re Margarita Bonvicini, postquam titulo donationis inter vivos et irrevocabiliter constituerit dotem pro erectione Canonicatus subinde erigendi, potuit variare titulum Canonicatus in Dignitatem Cantoratus; his enim in terminis proposito dubio: – I. An variatio fundationis Canonicatus in fundationem Dignitatis Cantoratus in Ecclesia Collegiata divi Pauli sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative – *in Melevitana Erectionis Canonicatus sive Cantoratus die 11 Augusti 1753.*

90. Certius hinc est, licere Fundatoribus etiam post absolutam Capellaniae erectionem novas apponere conditiones et qualitates in eiusdem Capellaniae beneficium tendentes, quoties istae iuris dispositioni non adversentur, iuxta notata per Vivian. de iurepatronat. lib. 2 cap. 8 n. 10, Monacell. form. leg. part. 1 tit. 2 form. 1 n. 10 *in Florentina Capellaniae die 14 Aprilis 1736* §. *Altera.*

91. Idcirco si non adversentur dispositioni iuris, permittitur Fundatori conditiones ex intervallo addere, non tamen sine Ordinarii assensu, quemadmodum explicat Vivian. de iurepatronat. part. 2 lib. 2 cap. 8 n. 10 *in Aquen. Celebrationis Missarum die 15 Decembris 1731* §. *Postquam.*

92. Nam consensus Episcopi necessarius est, ut fundationis leges ab ipsis Fundatoribus everti valeant, uti ad rem tradit Fargna de iurepatronat. part. 2 can. 1 et 2 can. 8

n. 10, ac censuit S. Rota in Recent. part. 11 dec. 130 n. 3 et 8 *in Sarnen. Iurispatronatus et Institutionis die 28 Ianuarii 1854* §. *Difficilem.*

93. Unde si in fundatione reservata non fuerit variandi facultas, tunc existimant Doctores, permitti posse, de consensu tamen Episcopi, ut adiiciantur conditiones, quae non sint iuri contrariae; ita praeter dictum Vivianum censet etiam Gagliardi de Benef. cap. 3 n. 4; hinc ille licere putat apponere ex intervallo conditionem, quod Beneficium conferatur alicui de gremio, quia conditio non est contra ius, dummodo Episcopus non dissentiat *in Gerunden. die 14 Decembris 1771* §. *Si autem.*

94. E contra vero variatio fieri non potest, si ea tendat in damnum Ecclesiae: quandoquidem Carolus Hieronymus Palearius, postquam preces obtulerit Vicario Capitulari, ut conditiones, quas apponere volebat, probaret, et Canonicatum erigeret in Ecclesia Collegiata S. Magni Terrae Legnani, reservatis sibi dotis Canonicatus fructibus, donec viveret, nec non iurepatronatus, et Capitulum huiusmodi fundationi eiusque legibus consensum praestiterit, haud potuit subinde testamento, quo decessit, sub praetextu tenuitatis redituum annuorum scutorum 43 monetae Romanae variare Canonicatum in Officiaturam tot Sacrorum, ita ut nec locus esset commutationi voluntatis; quandoquidem proposito dubio: – An sit locus commutationi voluntatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Mediolanen. Commutationis voluntatis die 15 Decembris 1753.*

95. Hinc Lambertinus de iurepatronat. lib. 1 art. 5 quaest. 2 n. 2 sustinet, quod concurrentibus pluribus fundationibus sive dispositionibus, semper illa attendenda est et praeferenda, quae munita dignoscitur Episcopi assensu *in Montis Falisci Beneficiorum die 21 Augusti 1784* §. *Lambertinus.*

96. Verum Fargna in comment. ad can. de iurepatronat. part. 2 can. 1 et 2 cas. 7 n. 4 advertit, quod Episcopi consensus sequi debet voluntatem Testatoris, et iuxta illius mentem fieri debet reservatio iurispatronatus *in Montis Falisci Beneficiorum die 21 Augusti 1784* §. *Lambertinus.*

97. Nam Decretum Ordinarii semper famulari debere legi fundationis firmat Pitonius de controv. patron. alleg. 66 n. 24 *in Florentina Canonicatus die 23 Novembris 1844* §. *Nec nullum.*

98. Idcirco quum Fundator duas fecerit fundationes, alteram in testamento ac alteram subinde in Codicillo, atque Episcopus erectionem expleverit iuxta illam testamenti, eadem reformanda et exequenda est ad formam codicilli *in Montis Falisci Beneficiorum die 27 Novembris 1784* (1).

99. Sicuti enim in Beneficiorum erectione apponere possunt onera qualitates conditiones et leges sibi benevisas, ita pariter hisce omnibus suppleri debet post peractam perfectamque erectionem, si neglectae vel omissae ab Ordinario deprehendantur, dum erectionis actum expletum est *in Montis Falisci Beneficiorum die 21 Augusti 1784* §. *Lambertinus.*

100. Qua de re leges contra Fundatorum mentem in fundationis instrumento omissas post peractam completamque Beneficii seu Capellaniae erectionem superaddere licet, ex deductis per Alphons. de Leon. de offic. Capell. quaest. 4 pag. 6 a n. 101, Corrad. in prax Benef. lib. 2 cap. 10 a n. 150, Piton. discept. eccles. 25 n. 9, et firmavit Rota coram Crispo decis. 318 n. 7, decis. 395 n. 9 *in Lauden. Capellaniae die 23 Augusti 1738* §. *Haec.*

Item *in Fanen. Pii Relicti die 22 Ianuarii 1842* §. *Fundatori.*

101. Ubi vero lex fundationis discordat in aliquo ab instrumento erectionis, non esse attendenda videtur dispositio Fundatoris, sed solum Ordinarii erectio, iuxta tradita a Pitonio de controv. patron. alleg. 75 n. 2 *in Florentina die 23 Novembris 1844* §. *Nec minimum.*

102. Qua de re non licet quidem Fundatori immutare naturam ecclesiastici Beneficii iam ab Ordinario erecti in simplicem Capellaniam laicalem cum onere Missarum libere transmisibilem active et passive ad quoscumque, adeo ut iuspatronatus perpetuo conservetur

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Beneficia*, §. XII, n. 102 ad 109, Tom. III.

in familia tam activa, quam contentiva iam nominati, attentis tamen augmento dotis ac iuramento ipsius Fundatoris, qui asserit, Notarium perperam in publicis tabulis assecutum fuisse eius voluntatem, Sacra Congregatio ex gratia in forma commissoria admittit instrumentum, quo id adamussim declaratur *in Montis Pelusii Erectionis Capellaniae die 12 Maii 1714 lib. 64 Decretorum.*

103. Siquidem - publicis exaratis tabulis, quidam Galitius Morano Notarius Civitatis Montis Pelusii morem gerendo, ut inquit, piae voluntati Sacerdotis Ioannis Orlandi, coram ipso constituti, simplex perpetuum Beneficium erexit in Sacello S. Francisci Xaverii in Cathedrali Ecclesia, cum dote assignata in capitali scutorum tercentum, ac in quibusdam expressis bonis, quorum valor non exprimitur. Designatis vero piis oneribus, quibus Rector pro tempore perfungi teneretur, huiusce Beneficii iuspatronatus activum Francisco Odoardo eiusque descendentibus tam masculis, quam feminis attribuit, quoad vero iuspatronatus passivum hanc dispositionem iam dictus Notarius descripsit. « Qui quidem Patroni, quoties dictum Beneficium vacare contigerit, teneantur nominare seu praesentare Beneficiatum de familia effectiva et successive de contentiva praenominati Francisci Odoardi etc., etiam quod descendentes nominandi et praesentandi sint tantum prima tonsura initiati et minores quatuordecim annis praescriptis a sacro Concilio Tridentino. Sin autem etiam de dictis Clericis tantum deficiant, vel in casu, quod praesentatus sit tantum Clericus, ut supra, tam dictus Franciscus Odoardus, quam eius descendentes Patroni teneantur unum Oeconomum seu Rectorem nominare et eligere et adimpleri facere iniunctum onus Missarum et solemnitatis festi S. Francisci Xaverii in eadem Capella, ut supra convenienti salario ac eleemosyna assignata, et providere de necessariis supellectilibus pro decentia Capellae ex fructibus dictorum bonorum, et quod supererit, si praesentatus sit tantum Clericus, possit retinere et applicare ad proprium commodum et pro eius sustentatione, etiamsi sit laicus uti primo loco contemplatus, ac ipsemet R. D. Ioannes donans, qui etiam eius vita durante sibi reservat et pro reservata intelligatur nominatio seu praesentatio ad dictum Beneficium etiam simplicis Clerici et aetatis minoris quatuordecim annorum, tam pro prima vice, pro qua ad praesens nominat et praesentat affatum Franciscum Odoardum uti Clericum, reservato tamen Beneplacito seu institutione illmi D. Episcopi Ordinarii, quatenus etc. ». Postremo in huiusmodi instrumento cavetur, quod in defectu descendentium ex familia de Orlandis iuspatronatus devolvatur ad Capitulum Cathedralis, qui explere teneatur pia iniuncta onera, quod vero superesset ex fructibus inter omnes participantes divideretur, ut latius ex documento in Summario dando.

104. Eiusmodi publicum documentum iam dictus pius Disponens subinde exposuit Episcopo, eo sub facti themate: « come per servizio di Dio e particolar sua devozione l'è parso fondarsi un iuspatronato laicale per sè e per Francesco Odoardo suo congiunto etc. col ius di presentare a tale Beneficio anco Chierici di minor età d'anni quattordici con facoltà a tale, ed in mancanza d'Ecclesiastici d'eliggere l'Economo seu Rettore per la soddisfazione del peso delle Messe imposteci »; proindeque eidem Episcopo preces adiecit, ut instituere dignaretur in huiusmodi Beneficio Franciscum Odoardum primum ab ipso praesentatum ac Oeconomum sive Rectorem nominare, praestituto congruo stipendio pro oneribus, ut supra, exequendis. Episcopus itaque precibus obsequens, ordinariam eius auctoritatem interposuit, praememoratam Capellaniam erigendo ad titulum, ut inquit, ecclesiastici laicalis Beneficii simplicis cum dote et oneribus enunciatis. At reservato iurepatronatus tam Oratori, quam ab ipso contemplatis, subtexuit: « cum facultate Beneficiato sive Rectori post mortem ipsius D. Ioannis, si fuerit Clericus, donec et quousque non fuerit promotus ad Ordinem Sacerdotalem, eligendi Sacerdotem pro celebratione Missarum cum competenti stipendio, retentis aliis fructibus pro seipso Beneficiato Clerico, et ipso deficiente, ipsi fructus bonorum donatorum et assignatorum, demptis stipendio et oneribus praedictis, cedant in beneficium Compatronorum vocatorum. Nuper vero iam dictus pius Disponens supplex co-

ram SS. D. N. conquestus fuit, quod Notarius Galitius Moranus perperam in recensitis publicis tabulis assecutus fuit eius voluntatem; immo vero quaeque ita inordinate et confuse exposuit, ut nec ipse eorum sensum deinde teneat. Siquidem altero declarativo exarato instrumento, iureiurando idem ipse asseruit, eius mentem fuisse nedum Capellae cultum animaeque suffragium ordinare, sed quoad temporalia familiae de Orlandis prospicere; proindeque nullimodo constituere voluisse, asserit,simplex perpetuum Beneficium, sed tantum praeordinasse simplicem Capellaniam laicalem, cum onere Missarum libere transmisibilem active et passive ad quoscumque, adeo ut eius iuspatronatus perpetuo conservaretur in familia tam effectiva, quam contentiva saepedicti Francisci Odoardi, ac in omnem vacationis casum Capellanus deputaretur a Patronis pro tempore unus ex ipsorum filiis nepotibus sive pronepotibus respective: « Quoties vero non adessent filii, neque nepotes, neque pronepotes descendentes Patronorum etc., Primogenitus Patronus pro tempore, ordine modo et forma supra invitatorum, valeat eligere unum Rectorem sive Oeconomum temporalem et ad nutum amovibilem, qui esse debeat Sacerdos, ipsi Primogenito benevisus, qui curam habere debeat Capellae et Missas celebrare etc., assignato tamen competenti salario eidem Primogenito beneviso, et totum id, quod supererit, soluto dicto salario et adimpletis omnibus oneribus, valeat Primogenitus familiae seu ille inter Patronos natu maior licite pro se retinere et applicare ad proprium commodum et pro congrua manutentione eorum familiae seu domus ». Verum tam dotem, quam pia onera, ceteraque in primo instrumento praescripta, iterum in secunda huiusmodi dispositione approbata et laudata fuere. Summopere itaque memoratus pius Disponens percupere asseruit, quo ad ita declarandam primam dispositionem, iuxta eius primaevam mentem, admittatur, atque facilius voti compos fiat, quasdam ulterius assignavit domus valoris, ut inquit, ducatorum 4300 pro augmento dotis huiusce Capellaniae, onere dumtaxat adiuncto unius Missae hebdomadalis.

105. Reiectis itaque precibus ad Sacram Congregationem, iuxta morem informare desuper requisitus fuit Episcopus, qui veritatem expositorum comprobat, eo vel addito, quod supralibatus Clericus Odoardus Franciscus Orlandi, primum nominatus, a Praedecessore institutus fuit, ita tamen, ut nequeat fructus huiusmodi iurispatronatus percipere, nisi post obitum ipsius Ioannis Fundatoris, quodque ipse Odoardus omnino ad secularia vota transibit, cum sit unicus. Restat igitur, quod EE. VV. ex ulterius in Summario adducendis sapienter definire non graventur: – An instrumentum declarativum, de quo agitur, sit attendendum et executioni demandandum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ex gratia in forma commissoria – *in Montis Pelusii Erectionis Capellaniae die 12 Maii 1714 lib. 64 Decretorum.*

106. Unde Curatores testamentarii et Capitulum, qui legatum pro fundatione Canonicatus accepit, nequeunt in actu erectionis apponere conditiones, quae sunt contrariae voluntati Testatoris, adeoque Ordinarius procedere debet ad erectionem Canonicatus, qua peracta, nomine Sacrae Congregationis praefigere debet terminum unius mensis ad praesentandum *in Arboren. die 18 Iulii 1835.*

107. Enimvero supremis tabulis, quas die 5 iunii 1826 moriens scripsit Sacerdos Aloisius Tola in Metropolitana Arborensi Ecclesia Canonicus Praebendatus, heredem instituit Sanctissimam Virginem titularem praefatae Metropolitanae. Inter legata vero, quibus subesse hereditatem universam voluit, illud sibi principem vindicabat locum, quo Capitulari Massae Arborensi argenteos nummos ter mille centum undecim in numerata pecunia, nec non argenteos bis mille quatuor centum quadraginta octo circiter in stabilibus bonis assignavit, pluribus tamen indictis oneribus (1). Plures exinde Canonicos

(1) Scilicet, – che debbano servire per le tre seguenti fondazioni; 1. per un Anniversario con notturno e lodi in suffragio dell'anima del Testatore...; 2. per la festa di S. Luigi Gonzaga da farsi annualmente nella Cattedrale con Vespro Messa solenne panegirico e processione colla stessa pompa, che si celebra quella di S. Giovanni Nepomuceno; 3. per la fondazione di un Canonicato patronato in questa stessa Cattedrale sotto il titolo di S. Luigi Gonzaga. Il dritto di presentare a questo Canonicato spetterà perpetuamente al

cum Archipresbitero Curatores testamentarios constituit. Vita functo Aloisio testatore die 18 novembris 1829, Capitulum probe animadvertens, de hereditate locupletissima rem sane esse, nulla interposita mora, facto ipso illam adivit; sed haud solicitum fuit ad erigendum Canonicatum, licet reditus bonorum, quibus ille erigi debebat, perciperet. Unde tandem, Antistite per Literas rei exequutionem urgente, die 23 iulii 1832 comitia coegit, ac in iis communi suffragantium voto statuit, ut quinque erigendo Canonicatui, de quo res erat, apponerentur conditiones (1). His conditionibus Episcopo traditis, ut eas auctoritate sua ratas haberet, atque in ipso erectionis instrumento poni pateretur, Episcopus sentiens, eas et graves nimium esse et voluntati Testatoris adversari, reiiciendas omnino existimavit. Canonici vero post sex menses allegationem obtulerunt Antistiti, qua conditiones illas Canonicatui apponendas tueri totis viribus adnitebantur. Archiepiscopus autem iterum erectionem Canonicatus iuxta Testatoris voluntatem ursit: incassum tamen, quum Capitulares, tertio remisso chirographo die 15 februarii 1833, Capitulum etiam a potestate Antistitis exemptum profiteri ausi sunt. Qua de re praefatus Antistites die 8 iulii 1833 Decretum edidit, quo legitimam Canonicatus Tola erectionem sanciebat, addita comminatione, quod Canonici nominandi iure privati intelligerentur pro ea vice, nisi infra decem dies nominationem explerent, ac praeterea Curatorum testamenti officium cessatum declarabat, et administratione dimissa sibi intra viginti dies ad reddendam rationem ipsos teneri. Capitulum adversus praefatum Decretum querimonias detulit ad Calaritanum Tribunal, cui nomen: – Tribunale Apostolico di appellazione e gravami –; sed Tribunal illud, singulis ex propositis dubiis mature perpensis, ita pronunciavit: – 1. Capitulum Arborense vere agnovisse et adivisse Legatum a Testatore Canonico D. Aloisio

Capitolo dietro alla proposta del soggetto da farsi in Congrega Capitolare dal Signor Arciprete, che dovrà sempre proporre un soggetto Diocesano laureato in ambo le leggi, od in Teologia, ed in mancanza di un Laureato un Prodottore in una di queste due facoltà. Avrà questo Canonicato a titolo di Prebenda quattrocento scudi annuali pagabili dalla massa capitolare, cui resta incorporato il Canonicato e dote del medesimo in due distinte rate... Parimenti percepirà li stessi emolumenti e distribuzioni corali, che lucreranno gli altri Canonici della massa..., goderà anche di tutti e singoli dritti preminenze e prerogative degli altri Canonici della massa capitolare, potendo occupare ogni e qualunque impiego ed officio e presedere e praticare tutti gli atti, che per dritto o consuetudine appartengono agli altri Canonici di detta massa. E siccome fra gli stabili assignati per la dote di questo Canonicato si è compresa anche la casa, che possiede ed attualmente abita il Testatore, ordina che questa volendosi abitare dal Canonico pro tempore di S. Luigi, sia egli preferito a qualunque altro affittarolo, pagando la sola pigione di scudi venti ogni anno, motivo per cui dispone ed ordina, che le dette case non possano in tempo alcuno alienarsi –.

(1) Nimirum; – 1. che ogni nuovo provvisto del Canonicato di S. Luigi avutane notizia dal primo debba pagare alla Sagrestia per diritto di Piviale trenta scudi prima di essere istallato nel Beneficio; 2. che la corrisponsione dell'assegnamento de' 400 scudi a titolo di Prebenda debba sempre incominciare dal giorno, in cui il nuovo provvisto entrerà in possesso del Canonicato, e che in conseguenza egli non possa avervi diritto pel tempo, che il Beneficio resterà vacante; 3. che il Canonico di S. Luigi abitando le anzidette case oltre di pagare a semestri maturati l'annua pigione di scudi 20 debba farvi tutti gli anni le minute riparazioni fino alla somma di scudi 6, rimanendo le maggiori a carico della massa capitolare, e debba essere pure responsabile delle deteriorazioni dell'edificio, salvo che faccia costare di esser seguito senza colpa sua e della famiglia, al quale oggetto le case saranno sottoposte a una visita di Periti periodica da farsi prima, che il Canonico l'abiterà, dopo che avrà cessato di abitarle, e sempre che ne nasca il bisogno a giudizio del Capitolo; 4. che in qualunque tempo li predii constituenti la dote del Canonicato dell'Anniversario e della festa di S. Luigi deperissero deteriorassero o si rendessero infruttiferi senza colpa del Capitolo, a segno di essere insufficiente il prodotto dei loro frutti alla soddisfazione di tutti i pesi imposti, in questo caso di lesione, il di cui avvenimento dovrà il Capitolo far risaltare, verrà ridotto in proporzione a minor somma l'assegnamento dei 400 scudi fatto al Provvisto a titolo di Prebenda, qual riduzione però non potrà aver luogo, che quando sarà vacante il Beneficio; 5. che nel destinarsi, come annualmente si destinerà nella solita congrega, degli impieghi capitolari, un Canonico a deputato della festa di S. Luigi nell'incombenza di passare anche l'invito per il panegirico, dopo l'aver combinato coll'Arciprete nel soggetto da invitare, non possa il Canonico di S. Luigi rifiutare questa deputazione, anche quando venisse egli annualmente nominato deputato di essa festa, del che etc. –.

Tola factum postremo suae voluntatis elogio dici 5 iunii anni 1826; 2. quatuor conditiones a Capitulo exhibitas, nempe secundam tertiam quartam et quintam post Decretum Archiepiscopi diei 8 aprilis anni 1831, quamvis integra res foret, expungendas esse, utpote quia et contrariae Testatoris voluntati, et pugnantes cum aperta iuris dispositione inveniantur; 3. cessatum dicendum esse ad statum quaestionis officium quatuor Exequutorum testamenti, fasque fuisse Archiepiscopo eos adigere ad reddendam habitae administrationis rationem; 4. optimo iure potuisse Archiepiscopum iniungere Capitulo, ut intra dies decem praesentarent Personam in Canonicum eligendum sub facta comminatione amittendi pro hac vice ius praesentandi; 5. confirmandum esse, prout confirmamus in omnibus et per omnia Decretum ab Archiepiscopo datum sub die 8 iunii 1833 pro erectione Canonicatus; 6. Ad erectionis perpetuitatem et fidem conficiendum esse instrumentum fundationis Canonicatus S. Aloisii a publico Tabellione exaratum iuxta stylum Curiae, et servatis omnibus et singulis de iure servandis –. Apostolici Tribunalis sententiae minime acquievisse Capitulum atque ab ea provocationem interponere velle audivit Arborensis Archiepiscopus. Quare ut inappellabili oraculo controversia omnis tolleretur, ac principali auctoritate in officium revocaretur Capitulum, ad Summum Pontificem rem detulit, qui S. Congregationi Causam pro decisione remisit. Capitulum vero auctoritatem S. Congregationis reiecit sustinens, se non posse iuxta conventionem cum Sardiniae Rege a Summo Pontifice initam, recipere Decreta Sacrae Congregationis in rebus controversis vel ipsas Bullas Summi Pontificis, nisi Regio-Exequatur munitae extarent. Haec autem omnia penitus spernenda visa sunt. Nam post praefatam conventionem Rex Carolus Emmanuel instructionem Benedicti XIV sancivit Literis ad eumdem Summum Pontificem datis in haec verba: – Non solamente non abbiamo cosa in contrario, che Vostra Santità la faccia trasmettere (praedictam instructionem) a questi stessi Vescovi, ma saranno ancora da noi dati gli ordini opportuni ai nostri Magistrati ed Ufficiali, perchè ne sia anche per loro parte esattamente osservato il contenuto –. In hac instructione vere ita statuebatur articulo 3: – Dalla semplice visura poi resteranno eccettuate le bolle dogmatiche e le lettere delle Sagre Congregazioni di Roma –. Et art. 8 habebatur: – Proferita poi dal Vescovo la sentenza, non sarà frapposto alcun ritardo o impedimento contro l'esecuzione, nè sarà impedito il corso dell'appello secondo i sagri Canoni a' Giudici superiori, ancorchè le Cause dovessero essere estratte dal dominio di sua Maestà –. Id etiam statuerat Gregorius XIII Apostolicis Litteris dici 25 iulii 1579, atque semper fuerat observatum quoad appellationes a Iudice Apostolico appellationum et gravaminum in Calaritana Civitate constituto, quum Pontifex ille decrevisset ac declarasset – a quibusvis sententiis definitivis... nedum per Ordinarios vel alios delegatos Iudices... latis... ad dictam Sedem (Apostolicam) libere et licite appellari, ac appellationes huiusmodi in Romana Curia prosequi –.

108. Propositis igitur dubiis: – I. Utrum apponendae sint necne Legato Tola conditiones, quas profert Arborense Capitulum in casu? II. Utrum Arborense Capitulum amiserit pro hac vice ius nominandi ad Canonicatum Tola, adeo ut illud Archiepiscopo devolutum sit in casu? –, Sacra Congregatio nedum declaravit, Curatores testamenti Tola adigendos esse, praefixo viginti dierum termino, ad reddendam rationem Archiepiscopo de administratione omnium bonorum, addita lege, ut excepta pensione primi anni scutorum 400, ceteri reditus usque ad diem possessionis novi Canonici erogarentur ab Archiepiscopo favore Seminarii, sed et respondit: – Ad primum, quoad primam et secundam conditionem servetur consuetudo vigens pro Canonicatibus de massa, in reliquis Negative. Ad secundum, Negative; et Archiepiscopus statim procedat ad canonicam erectionem Praebendae Canonicalis Tola, qua peracta, nomine Sacrae Congregationis praefigat Capitulo terminum unius mensis ad praesentandum –, quin ullatenus exemptionem ab Archiepiscopo Capitulum praetendere posset, facto verbo cum Sanctissimo super omnibus, et scriptis Archiepiscopo Literis ad mentem *in Arboren. die 18 Iulii 1835.*

109. Compertum propterea in iure est, activo patronatus iure pollentibus nonnisi quam sub nullitatis vitio licere a fundationis lege deflectere, ut tradit Lambertin. de iurepatron. lib. 2 part 1 quaest. 10 art. 4 n. 16, Vivian. eod. tract. lib. 6 cap. 7 n. 69, Rot. in Firmana Canonicatus 6 decembris 1839 §. 3 coram Bonini, maxime dum nedum hortatoria et deprecativa verba adhibuit Fundator, quae tamen satis in ultimis voluntatibus esse ad necessitatem et praeceptum inducendum docet Pitonius de controv. patron. alleg. 30 n. 30, Card. De Luca de iurepatron. disc. 50 n. 5 et 6, Lotter. de re Benef. lib. 2 quaest. 21 n. 59 ad 61, sed praeceptiva prorsus loquutus est *in Iuvenacen. Praepositurae die 6 Martii 1847* §. *Hisce.*

110. Quapropter patet, ex iuris dispositione nominantem aut eligentem eoque magis merum voluntatis Testatoris exequutorem non posse alias conditiones imponere nominato aut electo praeter eas, quae in fundatione constitutae sunt, uti ad rem perpendit Fargna de iurepatronat. part. 2 can. 27 cas. 4 et 5 *in Romana Subsidiorum dotalium die 16 Decembris 1854* §. *Ad primum.*

111. Si igitur nec veris Patronis fas est leges imponere ab Fundatore non impositas, Card. De Luca de Benef. disc. 96 n. 7, Fagnan. in Cap. *Conquerente* de Cleric. non resid. n. 75, Rot. in Bononien. Iurispatronatus 14 martii 1721 coram Corio, quos, si id attentaverint, excommunicationis poena plectendos statuit Alexander III in Cap. *Praeterea* de iurepatronatus, multo minus id licitum erit iis, qui nullo patronatus iure fruuntur *in Aquinaten. die 23 Aprilis 1853* §. *Quae.*

112. Fundationis enim leges et conditiones, quae possibiles sint ac honestae, servandae ac adimplendae omnino sunt, Lambert. de iurepatron. lib. 1 part. 1 art. 2 quaest. 9 n. 52, Rot. coram Falconerio de iurepatronatus decis. 52 n. 1, coram Clemente XIII decis. 328 n. 3 *in Reatina Capellaniae die 14 Maii 1774* §. *Ad II praemittitur.*

Item *in Arboren. Distributionum die 12 Aprilis 1834* §. *Cum vero; in Nullius S. Pauli seu Lepriniani Praefixionis termini die 26 Ianuarii 1850* §. *Idque.*

113. Unde aperta Fundatoris dispositio modis omnibus est servanda, ad monitum Can. *Ultima voluntas* 4 caus. 13 quaest. 2, Concil. Trid. sess. 24 cap. 12 de reformatione *in Narnien. Capellaniae die 13 Septembris 1834* §. *Quod si.*

114. Namque, ut ait Pitonius de controv. patron. alleg. 72 n. 26, – aequitas non patitur, quod lex fundationis sit fraudanda, sed iura sacrorum Canonum exposcunt, eius leges esse inviolabiliter praeservandas, ne alias detur perniciosum exemplum retrahendi laicos ab erogando proprias substantias in Opera et Loca pia – *in Senogallien. Reductionis Missarum die 30 Maii 1829* §. *Verum.*

Item *in Praenestina Reductionis Missarum die 25 Maii 1833* §. *Haec; in Mutinen. Reductionis die 22 Novembris 1834* §. *Dum.*

115. Hinc nulla nec Beneficiariorum negligentia, neque Antistitum dissimulatio, neque ipsamet illorum, quorum interest, voluntas, nec demum vel longissima in contrarium consuetudo ad fundationis praestituta evertenda vim habet, eaque id genus omnia tamquam abusus et corruptelae a Tridentina Synodo improbantur *in Mutinen. Residentiae die 23 Novembris 1833* §. *At.*

116. Idcirco frustra invocatur consuetudo, cum apertissima extet fundatio, a qua nunquam discendendum, uti definivit Rot. in decis. 38 n. 3 coram Priolo, in decis. 352 n. 17 part. 16 Recent., in Maioricen. Beneficii 6 decembris 1709 §. 9 coram Ansaldo *in Fanen. Nominationis et Institutionis die 18 Martii 1854* §. *Frustra.*

117. Scitum enim est, fundationis leges ita esse observandas, ut nulla contra eas immemorabilis consuetudo, nec lex attendatur, nisi a suprema potestate processerit *in Sarsinaten. Canonici Theologi die 9 Septembris 1843* §. *Opponi.*

118. Quo fit, ut Sacra Congregatio, quidquid in Beneficiorum Legatorumque constitutione sancitum est, persancte custodiendum, atque a quavis contraria desuetudine vindicandum constantissime susceperit, ut in Nullius S. Aedisti 10 iunii 1689 *in Mutinen. Residentiae die 23 Novembris 1833* §. *At.*

119. Quamquam enim magna sit vis observantiae, utpote quae in dubio est optima

fundationum interpres, Rot. in Nuperrim. decis. 29 n. 18 part. 7, et decis. 42 n. 35, part. 8, quae aliquando deducitur etiam ex unico actu, Piton. discept. eccles. 112 n. 39; tamen, cum agatur de perspicua Fundatoris lege, nihil prodesse videtur; siquidem in claris observantiam locum non habere optime monet citatus Auctor in alio opere de controv. patron. alleg. 45 n. 15, et alleg. 47 n. 61 *in Cornetana Distributionum die 6 Februarii 1847* §. *Videant.*

120. Quin immo leges omnes adeo Fundatorum voluntati fovent, ut omni iure illos spolient, qui huiusmodi conditionibus non obtemperaverint, Gloss. in L. 2 ff. de in diem addictione, S. Congregatio in Romana 13 februarii 1819 (1) *in Alatrina Capellaniae die 14 Septembris 1834* §. *His.*

Item *in Nullius S. Pauli seu Lepriniani Praefixionis termini die 26 Ianuarii 1850* §. *Idque.*

121. Deficiente autem fundatione, omnis pro Beneficii libertate militat praesumptio, A. Leon. de offic. Capell. quaest. 1 sect. 4 n. 96, Rot. in decis. 321 n. 42 part. 9 Recent. tom. 2, Amostaz de caus. piis lib. 3 Cap. 9 n. 37, Piton. discept. eccles. 35, et de controv. patron. allegat. 83 n. 2 *in Signina Beneficii die 3 Augusti 1771* §. *Inquit.*

Item *in Marsorum Iurium Parochialium die 30 Ianuarii 1830* §. *Praeterea.*

122. Neque huic regulae refragantur Literae Apostolicae Summorum Pontificum Urbani VIII Innocentii X et Alexandri VII, in quibus Missarum celebratio recensetur; quia cum se referant ad onera ex fundatione Beneficio inhaerentia, conditionaliter tantum sunt intelligendae, quatenus scilicet onus aliquod eidem Beneficio inhaerere constiterit, non tamen ullum onus in iis praescriptum aut additum censeri, Gloss. fin. in leg. *Si is ad quem* ff. de acquir. hered., Ramon. cons. 303 q. 7 n. 6, Rot. decis. 15 n. 5 coram Durano *in Signina Beneficii die 3 Augusti 1771* §. *Inquit.*

123. Fundationis tamen qualitas optime deducitur ex statibus, qui illam immediate subsequuti sunt, ita ut eorum vis maxima esse debeat ad fundationis qualitatem interpretandam, Amostaz de causis piis lib. 2 cap. 3 n. 21, Piton. discept. eccles. 17 n. 48 *in Brictinorien. Servitiorum die 14 Decembris 1771 Provocat.*

124. Exemplum itaque eo magis valet, quo magis proximum esse fundationi perspicitur, ad tradita per Gabriel. cons. 196 n. 6 lib. 1, Piton. discept. eccles. 53, et de controv. patron. allegat. 83, atque alleg. 100 n. 614, Card. De Luca de iurepatronat. disc. 60 n. 11 *in Albinganen. Capellaniae die 20 Martii 1830* §. *Iamvero.*

125. Nam observantia proxima fundationi omnes antecellit, Carena res. 10 n. 3, Rochus disp. 103 a n. 8, Piton. de controv. patron. allegat. 75 n. 27, et alleg. 100 n. 614 et 615, et Sacra Congregatio in Calaritana Subsidiorum dotalium 5 iunii 1790 *in Florentina Canonicatus die 23 Novembris 1844* §. *Quod si aliquis.*

126. Hinc vetusta ac immemorabilis consuetudo stat loco instrumenti fundationis, et qualis est observantia, talis praesumitur fundatio, Piton. discept. eccles. 28 n. 6, Rot. coram Falconerio de iurepatronat. decis. 44 n. 9, et in Tiburtina Iuris nominandi 12 iunii 1829 n. 4 coram Bofondi *in Ferrarien. Capellaniae die 7 Iunii 1788* §. *Aliter.*

Item *in Marsorum Iurium parochialium die 30 Ianuarii 1830* §. *Praeterea.*

127. Quum igitur desint fundationis tabulae, observantia plusquam centenaria plurimi facienda est, veluti tradit Card. De Luca de iurepatronat. disc. 60 n. 9, Polet. de iurepatronat. disser. 6 n. 11, Rot. decis. 360 n. 4 coram Lancetta *in Albinganen. Capellaniae die 20 Martii 1830* §. *Idem.*

128. Quin imo posterior centum amplius annorum observantia eam habet vim, ut vel ipsum fundationis scriptum sensum detorquere potuerit, Piton. de controv. patron. alleg. 17 n. 13, quo quidem deficiente, ex ultimo patronatus statu ad tramites centenariae observantiae passivum ius luculentissime probari videtur, ex Cap. *Consultationi* de iurepatronatus, Rota decis. 423 n. 17 coram Olivatio, et in Camerinen. Iurispatronatus 20 iunii 1820 §. 1 coram Emo Marco *in Albinganen. Capellaniae die 20 Martii 1830* §. *Idem.*

(1) Cuius speciem et resolutionem habes in Verb. *Caducitas*, n. 38 ad 42, Tom. IV.

129. Voluntas Fundatoris autem ita est interpretanda, ut absurda non inducantur, quae vitanda omnino sunt, cum imo congrue intelligendae sint fundationis leges, Rot. coram Emo Gamberinio in Anconitana 5 iulii 1822 *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834* §. *Perperam.*

130. Idcirco in ferendis iudiciis super voluntate Fundatoris, illud semper sequi oportet, quod is ostendisset, si viveret, ceu post Textum in L. *Cum res* ff. de legibus tradit Pitonius alleg. 30 n. 21 *in Iuvenacen. Praepositurae die 6 Martii 1847* §. *Notat.*

131. Unde Fundatores singulari impensioque in necessarios suos affectos esse studio benevolentiae, eorumque idcirco iudicio voluntates favore eorumdem benignius, quo possit, esse explicandas, iuris principium est *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834* §. *Perperam.*

GRADUUM COMPUTATIO

1. Alexander II in Can. *Ad Sedem Apostolicam* caus. 35 quaest. 5 haec habet: – Ad Sedem Apostolicam perlata est quaestio noviter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidam Legum et Canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros Canones et ecclesiasticum morem numerare nituntur, novo et inaudito errore affirmantes, quod germani fratres vel sorores inter se sint in secunda generatione, filii eorum vel filiae in quarta, nepotes vel neptes eorum in sexta... Denique diu ventilatis Legibus et sacris Canonibus distincte invenimus ob aliam atque aliam causam, alteram Legum fieri, alteram Canonum computationem. In Legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram Personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur usque ad quartam generationem a consanguineorum nuptiis sit abstinendum. Ibi praescribitur, ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur; hic vero, ut rite et canonice inter fideles nuptiae celebrentur. In Legibus distincte non numerantur gradus, nisi usque ad sextum, in Canonibus vero usque ad septimam distinguuntur generationem. Hac igitur de causa, quia hereditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram Personam, idcirco curavit secularis Imperator in singulis Personis singulos praefigere gradus. Quia vero nuptiae sine duabus non valent fieri Personis, ideo sacri Canones duas in uno gradu constituere Personas – *in Spoletana seu Perusina Subsidii dotalis die 16 Maii 1767* §. *Alexander.*

2. Idcirco, nuptiis exceptis, in reliquis gradus semper ad normam iuris civilis computantur, Oinot. instit. civil. lib. 1 de nuptiis tit. 10 de arbor. consanguin. n. 11, Gratian. discept. 77 n. 1, Rot. in Recent. decis. 436 n. 14 part. 5 tom. 2, et decis. 157 n. 6 part. 14 *in Spoletana seu Perusina Subsidii dotalis die 16 Maii 1767* §. *Contra.*

3. Unde communis est traditio, ut quoad Matrimonia tantum servetur computatio graduum iuxta ius canonicum; in reliquis vero dispositionibus et successionibus servetur altera tradita iure civili, Bald. cons. 469 lib. 1, Bart. cons. 224 n. 2 lib. 1, Mares de maior. lib. 2 quaest. 7 n. 1, ea potissimum ratione, quia computatio iuris civilis est propria et naturalis, quum procedat per gradus, per quos non vadit ius canonicum, sed per saltus, ut advertunt Andreol. contr. 68, Gratian. discept. 77 a n. 2 *in Spoletana seu Perusina Subsidii dotalis die 16 Maii 1767* §. *Hinc.*

4. Receditur tamen ab hisce regulis, quando Testatoris voluntati consentaneae non sunt. Hinc Rota in decis. 291 coram Caprara censuit, in vocatione coniunctorum intra tertium gradum comprehendi feminam, quae licet secundum ius civile quarto gradu distare, iuxta computationem tamen canonicam tertio gradu Testatori erat coniuncta, hac potissimum ratione: – Quoniam licet, inspecto iure civili, quod regulariter servatur in computatione graduum in materia successionis, Caecilia sit in quarto gradu, est tamen in tertio, inspecto iure canonico, secundum cuius censuram visum est, regulandam esse in praesenti computationem graduum, tum quia agitur de testamento Viri vulgaris conditionis et legum

imperiti, quarum Personarum usus est computare gradus, ut fit in Matrimoniis, secundum ius canonicum, et pro computatione iuris canonici stat vulgus totum et communis usus, et vix Populus cognoscit aliam; tum quia non agitur in concursu consanguineorum contendentium de proximioritate, sed de unico proximiore – *in Spoletana seu Perusina Subsidii dotalis die 16 Maii 1767* §. *Receditur.*

5. Quapropter quando satis constet, contrariam fuisse Testatoris voluntatem, computatio graduum facienda est, iuxta ius canonicum, non vero secundum ius civile *in Eugubina die 18 Decembris 1723.*

6. Siquidem Sacerdos Guidubaldus Rossettus in ultimo, quo decessit, testamento condito mense septembris anno 1719, unam instistituit Capellaniam, pro cuius dote assignavit censum in sorte scutorum 300, quo deficiente, voluit supplementum desumi ab aliis suis bonis hereditariis, ut videlicet semper Missae ab ipso demandatae celebrarentur. In eodem testamento Testator heredes instituit tres suos Nepotes, quos pro aequali portione ad successionem invitavit, imposito onere – di distribuire ed erogare tutto il capitale, che resterà della sua eredità, adempiti li legati suddetti, in doti di tante Zitelle povere ed onorate da maritarsi o monacarsi, alla ragione di scudi 50 per ciascheduna, quali Zitelle siano e debbano essere del secondo e terzo grado parenti e del sangue di esso Testatore, di maniera tale, che le Zitelle più prossime del detto Testatore in concorso siano sempre preferite all' altre più remote –. Et quia dari poterant casus, quod tempore sui obitus Puellae non extarent, quae spirituales aut carnales nuptias inire possent, in eo rerum statu memoratus Testator voluit, quod fructus hereditatis multiplicarentur, ut deinde fieri posset distributio dotium, quando adessent Puellae, – e non essendovi dopo la morte di esso Testatore Zitelle nubili o da monacarsi, il frutto della sua eredità vuole, che si ponga e metta a multiplico per distribuirlo come sopra alle suddette Zitelle, insino a tanto, che vi saranno Zitelle capaci di questa sua disposizione –. Super hac testamentaria dispositione Sacerdotis Guidubaldi binae exortae fuerunt controversiae, quas Episcopus Eugubinus censuit, esse pro recta decisione ad Sacram Congregationem remittendas, quarum altera consistebat in examinando, an solutio dotium a Testatore demandata peragenda esset expendendo capitale, vel potius fructus erogando; et altera residebat in hoc, an distributio dotium, quae fieri debebat ad tramites testamenti Puellis Testatori coniunctis in secundo et tertio gradu, iuxta computationem iuris civilis, vel potius iuxta computationem iuris canonici.

7. Quoad primam videbatur ex una parte, solutionem dotium ex capitali esse faciendam, attentis videlicet verbis supra relatis, – coll'obbligo e peso di distribuire ed erogare tutto il capitale, che resterà della sua eredità etc. in doti di tante Zitelle povere ed onorate etc. –; et eo fortius, cum capitale vix ascendere diceretur ad scuta 900 monetae Romanae. Ex alia vero parte praedictarum dotium solutio facienda videbatur ex fructibus; tum quia, deficiente fundo pro Capellania assignato, Testator voluit, quod supplementum desumeretur ex aliis effectibus suae hereditatis, – e mancando detto censo debba supplirvi cogli altri effetti della sua eredità –; tum quia ipse quoque voluit fieri multiplicum in hypothesi non existentiae Puellarum tempore sui obitus,– il frutto della sua eredità vuole, che si ponga e metta a multiplico etc. –, uti habetur in verbis supra relatis. Quoad alteram vero quaestionem, videbatur ex una parte, computationem secundi aut tertii gradus esse faciendam iuxta ius civile, cum ius canonicum in graduum computatione attendatur, quando agitur de Matrimonio vel de causa pure spirituali, ita ut si vocentur Clerici consanguinei, et agatur de Capellania fundata sine Episcopi auctoritate, consanguinitatis decisio desumenda sit a iure civili, et non a iure canonico, iuxta late firmata per Gratianum in discept. 77 per totum. At procedendo ad tramites iuris civilis nullae aderant Puellae – da maritarsi o monacarsi –, uti voluit Testator, cum suae Sorores et Neptes iam ante eius obitum essent nuptae. Ex alia vero parte videbatur, computationem secundi vel tertii gradus esse in casu faciendam ad tramites iuris canonici. Testator enim plurium annorum spatio Parochus fuerat, et verosimile admodum erat, ut consanguinita-

tis mensuram definiverit a Matrimoniis seu a regula, quae in illis contrahendis observatur, qua concurrente verisimilitudine in duriori etiam casu successionis computatio fit non secundum ius civile, sed servandum ius canonicum, iuxta bene firmata per Rotam in Restina Successionis 4 maii 1696 coram Card. Caprara. Sed procedendo ad tramites iuris canonici aderant quidem in casu Puellae constitutae in tertio gradu, sed aliae secundi gradus deficiebant, ita ut concursus a Testatore volitus esset impraticabilis.

8. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An solatio dotium fieri debeat ex capitali, vel ex fructibus, et an Puellis constitutis in secundo vel tertio gradu, iuxta ius civile, vel ius canonicum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Solutionem dotium fieri debere ex capitali iuxta modum, et computationem graduum esse faciendam iuxta ius canonicum. Modus autem est, quod pro nunc octo tantum dotes assignentur, persolvendae tempore Matrimonii vel Professionis, et quod bona valoris scutorum 400 ex residuo hereditatis stare debeant pro evictione et supplemento fundi Capellaniae, et tam ex horum, quam aliorum bonorum hereditariorum fructibus, aliae dotes tempore debito persolvantur in summa a Testatore demandata – *in Eugubina die 18 Decembris 1723.*

9. Quum autem ex expositis non satis constaret de Testatoris voluntate quoad gradum computationem, num facienda esset iuxta ius canonicum vel civile, simulque extaret Decretum Commissarii Apostolici, qui praefatam graduum computationem secundum ius civile faciendam esse praescripserat, Sacra Congregatio mandavit, ut scriberetur iuxta instructionem *in Spoletana seu Perusina Subsidii dotalis die 20 Iunii 1767.*

10. Enimvero testamentum scripserat die 6 martii 1730 Sacerdos Christophorus Alberici Nucerinus, quo, Exequatoribus suae voluntatis designatis Episcopo ac Capitulo Civitatis Naceriae ac Priore laico Hospitalis S. Mariae Misericordiae Civitatis Perusiae, in quo Prioris Clerici munus obibat, mandavit, ut ex fructibus totius suae hereditatis – se ne dia una dote alle figlie de' figli o delle figlie di Francesco Alberici di Nocera, e, quando di questo non vi fossero, alle figlie de' figli o delle figlie di Anna Francesca sorella di Simone Alberici ogni anno, finchè vi saranno le figlie di dette linee e dipendenze, e caso mai mancasse la linea e discendenza delle figlie de' suddetti nominati, voglio ordino e comando, che gli suddetti signori Esecutori abbiano facoltà ogn' anno dispensare una dote di scudi 50 ad una Zitella povera di Nocera –. Si quid autem superesset ex fructibus suae hereditatis voluit, ut – se ne facci un moltiplico per lo spazio di anni dieci, dopo li quali essendo il frutto capace, voglio si facci l'elezione nella forma suddetta anche di due Zitelle perpetuamente, come si è detto, ogni anno –. Verum triduo post, nempe die 9 eiusdem mensis, Executores testamentarios constituit Administratores dicti Hospitalis, cum eodem onere erogandi fructus suae hereditatis – in assegnar doti di scudi 50 l'una in primo luogo alle di lui parenti Zitelle sino al quinto grado, e quando non vi fosse veruna di simile attinenza, assegnare simili doti ad altre Zitelle della Città di Perugia nate di legittimo Matrimonio colla disposizione in perpetuo e nel modo, che si è stabilito in detto altro testamento, e poterne dotare anche due l'anno –. In visitatione dicti Hospitalis, quam anno 1739 peregit Martinus Innicus Caraccioli Commissarius Apostolicus, inter cetera edixit, – che de' frutti ereditarii del quondam Cristoforo Alberici, essendovi Zitelle sue parenti fino al quinto grado, debba assegnarsi la dote di scudi 50 per ciascheduna, secondo la sua disposizione testamentaria, e non essendovi parenti dentro il grado suddetto, non sia l'Ospedale obbligato dispensarne altre doti in benefizio di altre, dichiarando inoltre, che il detto quinto grado si debba intendere secondo la disposizione e modo di contare del Ius civile, al quale effetto ordiniamo, che gli Signori Priori di detto Ospedale non possano, nè debbano pagare la suddetta dote a chi si asserisce parente di detto Alberici, se non giustifica concludentemente la sua descendenza dentro il grado –.

11. Ob eiusmodi ideirco Decretum renuerunt Hospitalis Administratores dotem tradere Annae Alberici Civitatis Spoletanae, quae iuxta computationem quidem canonicam

Testatori sanguine iungebatur quinto gradu, sed sexto gradu ab eo distabat secundum computationem civilem. Re itaque ad Sacram Congregationem delata, contendit Anna Alberici, Testatorem vocasse omnes consanguineos ad quintum usque gradum; gradus computandos secundum normam iuris canonici, non civilis; se quinto tantum gradu, iure canonico inspecto, a Testatore distare. Manifesta propterea iniustitia ac aperto errore notari Decretum anni 1739, ad Visitatoris officium non spectasse iuris quaestiones definire, male et contra omnes iuris regulas testamenti verba interpretatum esse; ius consanguineis quaesitum, ipsis inauditis, abrogare nequivisse; idem proinde Decretum, velut omnino nullum et iniustum, spernendum esse. Contra negarunt primum Administratores, Oratricem Testatori sanguine iunctam esse: deinde adverterunt, Testatorem nonnisi consanguineos usque ad quintum gradum vocasse; Oratricem proinde, quae tantum sexto gradu, secundum ius civile, se coniunctam sustinuit, nonnisi iniuste petere dotale subsidium contra claram Testatoris voluntatem. Nec ambigendum esse, quin in subiecta re esset servanda graduum computatio a iure civili praescripta, quum ita praescripserit anno 1739 Visitator Apostolicus, et ita etiam iuris dispositione caveretur: nam, nuptiis exceptis, in reliquis gradus semper ad normam iuris civilis computantur. Accedere quoque putarunt claram Testatoris voluntatem: hanc eruerunt ex relatione per ipsum habita ad praecedens testamentum. Quum in hoc enim ad subsidium dotale vocaverit dumtaxat Neptes Francisci et Annae Franciscae quinto gradu secundum ius civile sibi coniunctas, apertum hinc esse, Testatorem ad iuris civilis, non vero canonici computationem respexisse. Adverterunt demum, frustra recurri ad praesumptam Testatoris affectionem; quia haec ultra quartum gradum iure civili computandum non extenditur, Rot. coram Emerix decis. 898 n. 3; itemque perperam supponi reditus hospitalis pingues et exuberantes esse, quum revera longe impares essent ad onera ferenda, gravique aere alieno, ob eorumdem tenuitatem, premeretur. Episcopus Perusinus plura perpendit super testamenti interpretatione ac iniustitia Decreti anni 1739, ac conclusit: – Crederem Oratricis precibus esse annuendum, demandando Prioribus Hospitalis solutionem subsidii dotalis Puellae Annae Alberici –. Episcopus vero Spoletanus, quum notam non habuerit Testatoris dispositionem, se remisit iudicio Episcopi Perusini, ac quoad Oratricis personam dixit: – Quod unum certo asseram est Oratricis honestas et paupertas, non indignae idcirco, ut a pietate Sacrae istius Congregationis benigne eidem indulgeatur, quatenus pia voluntas in contrarium non obstet –.

12. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An debeatur subsidium dotale in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et scribatur iuxta instructionem – *in Spoletana seu Perusina Subsidii dotalis die 20 Iunii 1767.*

GRATIA IN GENERE

1. Gratia et habilitatio iuris defectum supponit, Rot. in Firmana Capellaniae 6 decembris 1752 §. 3 coram Bussio *in Romana Subsidiorum dotalium die 11 Ianuarii 1772* §. *Sed.*

2. At quod uni non nocet, alteri prodest, concedendum putat Ulpianus in Leg. 2 §. Locum ff. de religios. et sumpt. fun. *in Senogallien. die 13 Iunii 1789* §. *Certant.*

3. Ad tradita autem per Paris. de resignat. lib. 8 part. 2 n. 2, et Piton. discept. eccles. 141 n. 3 - gratia non potest per Testes probari de stylo Curiae – *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Ex hisce.*

4. Unde venia oretenus impertita a Summo Pontifice, utpote scripto non consignata, ut plurimum haud sufficiens censeri solet ad ius certum inferendum, ad tradita per Reg. Canc. 27, Rigant. ad Reg. Cancell. tom. 1 pag. 34 n. 13, Piton. discept. eccles. 143 n. 8, Rot. in Nuperr. tom. 5 decis. 318 n. 11 *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Ex hisce.*

5. Non ambigendum tamen videtur, gratiam Pontificis solo eiusdem verbo perfici,

quin ulla opus sit scriptura ad rei substantiam, sed ad faciliorem tantummodo concessionis probationem, Card. De Luca de pens. disc. 1 n. 3, Rot. in Recent. part. 7 decis. 21 n. 7, et in Romana Iuris Baptizandi 12 ianuarii 1733 coram Samminiate *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Nec.*

6. Ambigi enim nequit, totam gratiae substantiam pendere a voluntate concedentis, Rota in Recent. decis. 358 n. 3 part. 11 *in Aquipendien. Pensionis et subsidii die 18 Septembris 1841* §. *Principis.*

7. Unde gratiae substantia haud residet in Literis Apostolicis, quae ad solemnem solum et necessariam datae gratiae probationem expediuntur, ut monuit Rota in Calaguritana Canonicatus 17 ianuarii §. 11 et 27 iunii §. 11 1757 coram Canilliac. Ita quidem, ut dictarum Literarum expeditio haud operetur per viam retrotractionis, quae in praeiudicium tertii, cui intermedio tempore ius quaesitum esset, fieri haudquaquam posset, sed commonstrant solum dictae Literae et testantur de gratia usque a momento signaturae completa et perfecta. Bene Rigantius ad Reg. 52 Cancellariae a n. 13: – Secundo intellige, quod nullum est praefixum tempus certum ad Literas expediendas, sed quandocumque expediantur, suffragantur non solum a puncto earum expeditionis, sed etiam a momento gratiae concessae et signatae supplicationis, ita ut gesta medio tempore valida sint, etiamsi tempore expeditionis res non esset integra, quia expeditio Literarum non operatur per viam retrotractionis, sed id, quod agitur, tribuitur gratiae concessae per signaturam supplicationis, et sequuta Literarum expeditione gratia consideratur secundum tempus, quo supplicatio fuit signata, et a qua suum esse recipit – *in Nepesina die 8 Iulii 1786* §. *Ultimo.*

8. Unde infiniti sunt utriusque iuris loci, quibus sancitur, perfectionem gratiae a Rescripto, non autem ab expeditione Literarum esse metiendam, ita ut, si quis in illo posterior, in istis tamen sit anterior, imo etiamsi corporalem possessionem apprehenderit, sit ab ea deturbandus, nilque ei Apostolicae Literae prosint e conspectu eius, qui in gratiae impetratione praevenit, Cap. *Duobus* et Cap. *Tibi* de rescriptis Cap. *Eum cui* de praebendis in 6: – Eum, cui Canonicatus alicuius Ecclesiae a Sede Apostolica est collatus, licet nondum sit in ea receptus, decernimus in assecutione Praebendae iuxta suae provisionis ordinem omnibus praeferendum, quibus postmodum in ipsa Ecclesia similis gratia est concessa; licet isti primo suas Literas praesentaverint, et primo recepti fuerint in eadem –, latissime ea innumeris allegatis concordantibus Autunez de donat. lib. 1 cap. 4 n. 14 *in Nepesina die 8 Iulii 1786* §. *Infiniti.*

9. Locus propterea est exequutioni Rescripti, quo alicui a Summo Pontifice gratia indulgetur, etiamsi ante exequutionem alii eamdem obtinuerint gratiam, ac etiamsi lapsum sit decennium a die signationis praedictae gratiae, si tamen praefatum Rescriptum non vergat in praeiudicium alicuius Universitatis, nec eius usui locus esse poterat, immo si adhibitae fuerint diligentiae intra decennium pro opportuna expeditione Brevi Apostolici *in Nepesina die 8 Iulii 1786.*

10. Enimvero Sacrae Congregationis Rescripto Constantia Antonazzi de Terra Morlupi Nepesinae Diaecesis obtinuit anno 1772 sibi decerni dotale subsidium scutorum 300 ex pia dispositione Catharinae Zeccardini. Conditio adiecta Rescripto fuit, ut nimirum satisfieret prius anterioribus Rescriptis, quae aliae Puellae impetraverant; et Summus Pontifex eodem contextu, quo Sacrae Congregationis sententiam approbavit, modum quoque addidit, nempe ut Literae Apostolicae in forma Brevis ea super re expedirentur. Nupsit huius Rescripti vi Constantia, sed per integrum decennium Apostolicum Breve non expedivit. Interea aliae etiam a Testatrice descendentes feminae simile Rescriptum meruerunt pro dote in eadem quantitate, et opportuno tempore assequenda, atque illico facta expeditione Literarum Apostolicarum, illas in Curia Episcopali exhibuerunt. Constantia, cum immineret tempus exequutionis sui Rescripti, illud Episcopo exhibuit. Sed restitit Episcopus ratus obliteratum Rescriptum ob praetermissam illius exhibitionem in sua Cancellaria, et per non usum decem annorum, et praeterea existimans, anteferen-

das eas, quae, utcumque posteriores essent in gratia, priores tamen fuerunt in expeditione Brevis, Decretumque executoriale ab ipso obtinuerunt. Ab Episcopi iudicio querelam ad Sacram Congregationem detulit Constantia in Congregatione diei 20 augusti 1785, sed visa res est EE. PP. maturiori examine digna, praesertim cum Episcopus retulerit, Puellis interesse habentibus et extra suam Diaecesim commorantibus praefigere haud potuisse terminum ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione. In conventu igitur EE. PP. dicta die rescriptum fuit: - Ponatur in folio, citatis omnibus interesse habentibus –. En verba obtenti a Constantia Antonazzi sub die 22 decembris 1772 Rescripti: – Sacra etc. commisit, ut petitam summam scutorum 300 gratis applicet atque assignet; ita tamen, ut ab Oratrice consequi non debeant, nisi posteaquam etc. integra adimpleta fuerit subsidiorum dotalium solutio aliis Puellis, quibus ex speciali Rescripto hactenus fuerunt assignata, facto verbo cum Sanctissimo. Factaque de praemissis relatione Sanctitati Suae per infrascriptum Secretarium,eadem Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sententiam approbavit, et Literas Apostolicas in forma Brevis desuper expediri mandavit –.

11. Dubitabat Episcopus, quod cessaverit Rescripti virtus; quia Episcopali Curiae, cui erat pro exequutione directum, intra decennium exhibitum non fuerit. Sed ex praxi scitum erat, quod Rescripta haec nunquam exhibeantur, quando Summus Pontifex Decretum Sacrae Congregationis confirmando Literas in forma Brevis expediri iubet; tunc enim Emo Secretario Brevium illud defertur, a quo per eadem verba Breve conceditur. Sed dubitare pergebat Episcopus, quia intra idem decennium nedum illi presentatum, sed ne expeditum quidem fuit Apostolicum Breve. Verumtamen quis expeditioni Brevis diem praestituit? Iam Rescripti verba hoc non praeseferebant, in quibus per viam conditionis suspensa solum legebatur concessae indulgentiae virtus, donec cetera adimpleta Rescripta fuissent; et per viam modi praecepit Summus Pontifex occasione, qua gratiam confirmavit, ut Literae Apostolicae expedirentur. Modum haec verba praeseferre, priora autem conditionem ipsa rei natura docet et tradidit Rota in Melevitana Commendae de Steinfurt super reservatis 17 februarii 1758 §. 13 coram Card. Paracciano. Implendo autem huic modo si nullam dedit certam diem Rescriptum, multo minus subaudiri ille a iuris dispositione debebat. Equidem video, trahi in hanc rem solere Modestini responsum in L. 1 ff. de nundinis: - Nundinis impetratis a Principe non utendo, qui meruit decennii tempore usum amittit –: sed insignis erat et obvia, ceteris omissis, illius sanctionis limitatio ad ea solum Rescripta, quorum usui statim locus est; itemque ad ea, quae in damnum vergunt non unius vel alterius Personae, sed universorum, puta Castri Civitatis Universitatis etc., ut quoad hoc ultimum docet Glossa ad dictam Legem verb. tempore: – Qui impetrat nundinas in praeiudicium universorum facit,unde breviori tempore privilegium amittitur. Aliud si in praeiudicium singularis Personae privilegium detur, quia tunc perenne est –. Et consonat responsum Imperatoris Claudii ad Epagatum in L. *Falso* Cod. de diversis rescriptis. Et quoad primum docet Portel in dubiis Reg. verb. privilegii non usus, et optime Gonzalez ad Cap. 6 de privileg. n. 5: –Tres conditiones iuxta communem Doctorum sententiam requiruntur; prima, ut oblata fuerit occasio utendi privilegio, et Privilegiatus eo non utatur; secunda, ut detur scientia talis privilegii; tertia, ut adsit potentia illo utendi, idest non detur impedimentum –. Itaque si Rescriptum Oratricis Antonazzi non vergebat in praeiudicium alicuius Universitatis, nec eius usui locus esse poterat intra decennium, immo neque eo emenso, uti referebat Episcopus in sua posteriori epistola diei 11 decembris 1784 per ea verba: – Quamquam non adhuc, ut mihi relatum fuit, soluta fuerint omnia subsidia dotalia promissa ante diem Rescripti obtenti a Constantia Antonazzi etc. –, iam vitio verti eidem pauperi Oratrici non debebat, quod Brevis expeditionem distulerit. Potissime quia testem dabat Sacerdotem Carolum de Via de adhibitis quoque intra decennium diligentiis pro opportuna Brevis expeditione. Ultimo loco ambigebat Episcopus, an Oratrix Antonazzi iis praeferri deberet Puellis, quae licet posteriores essent in Rescripto praevenerant ta-

men in expeditione Brevis, illiusque praesentatione Episcopali Cancellariae. Sed animadvertendum videbatur, nullum esse praefixum tempus certum ad Literas expediendas, et gratiam considerari secundum tempus, quo supplicatio fuit signata. Contradictrices autem, praefixo termino, aut non comparuerunt, aut iura sua deducere neglexerunt.

12. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus exequutioni Rescripti dici 22 decembris 1772, seu potius Decretorum exequutorialium Episcopi Nepesini in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, salvo tamen residuo debito in vim Decreti exequutorialis 23 ianuarii 1770 imposterum liquidando – *in Nepesina die 8 Iulii 1786.*

13. Alias verius est, quod non constito de contraria concedentis voluntate, tempus non a Signatura gratiae, sed potius a demandata exequutione metiendum sit, testatur Rebuff. in prax. Benef. de Brev. apost. n. 34, Rota coram Ansaldo decis. 203 n. 10. Et scitum est, legitime impeditis tempus non currere, Rot. in Nuperr. decis. 278 n. 3 et 4 tom. 3, coram Kaunitz decis. 147 n. 11, et coram Tanara decis. 192 n. 6, et in Giennen. Archipresbiteratus 21 martii 1757 §. 11 coram Canilliac *in Romana Canonicatus die 9 Septembris 1786* §. *Addit.*

14. Hinc quamvis gratia nonnisi a die concessionis initium sumere consuevit, tamen aliquoties id immutatum fuit et statutum, ut effectus sortiri inciperet a die, quo primum preces exhibitae sunt, uti peractum fuit a Sacra Congregatione in Isernien. 20 Aprilis 1697, in Aesina Congruae 31 Ianuarii 1835 *in Asculana Literarum Apostolicarum die 25 Iunii 1836* §. *Postremo.*

15. Idcirco Rescriptis gratiae non est certum tempus a iure praefinitum, quo praesentari debeant, Ferrar. Biblioth. verb. Rescriptum n. 12; et, sublato obreptionis vel subreptionis vitio, nihil est, quod Apostolicarum Literarum exequutionem remorari queat, Text. in Cap. *Illud* de iurepatronatus, Cap. ult. de concess., Rot. coram Ludoviso decis. 420 n. 3, et coram Riminaldo decis. 41 n. 31 *in Nullius Foropompilii die 21 Augusti 1819* §. *Contra.*

Item *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 22 Augusti 1840* §. *Tandem.*

16. Quin imo gratia collationis Parochiae a Summo Pontifice reportatae executioni quamprimum mandari debet, ne Ecclesia maneat sine Sponso, Oves vero sine Pastore, ex firmatis per Rotam in Salutiarum Parochialis 23 februarii 1739 §. 2 coram Vicecomite *in Vaden. Parochialis die 5 Septembris 1778* §. *Ab.*

17. Hinc gratia ab initio perfecta, haud pendere dicenda est a consensu aliquorum in exequutione praestandum, ut notat Bonfin. de iur. fideicomm. disp. 137 n. 87 et 88 tom. 3 *in Camerinen. seu Fabrianen. die 27 Martii 1762* §. *Nec.*

18. Quum itaque generalia et perampla sint Literarum Apostolicarum verba, arctanda non est gratia, Rot. in decis. 101 coram Emo Gamberini; nec non – pro expresso habendum esse, quod ab expressis perspicue consequitur –, cap. *Cum olim* de censibus, Rot. coram Ratto decis. 217 n. 7 *in Parmen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Morem.*

19. Dum igitur Summus Pontifex gratiam alicui concedit, non stricta, sed ampla interpretatio ei tribuenda est, ex Cap. *Olia* de reg. iur. in 6 *in Maceraten. Reductionis Missarum die 28 Ianuarii 1837* §. *Dum.*

20. Haud enim in duriorem partem inflecti evertique decet gratiam, quam tanta cum aequitate Summus Pontifex concessit, ad Textum in Cap. *Si ex tempore,* et Cap. *Duobus* de rescriptis in 6, Rot. coram Emerix iun. decis. 1133 et 1352 utrobique n. 1 *in Camerinen. Subsidiorum dotalium die 1 Martii 1787* §. *Acriter.*

Item *in Alatrina pii Legati die 23 Martii 1839* §. *Porro; in Montis Alti Dubium recitationis divini officii die 7 Augusti 1841* §. *Ceterum.*

21. Idcirco quum restrictum non sit tempus in Rescripto, ad quod quis Pontificia gratia frui debet, neque restringendum esse illius beneficium docet Textus in Cap. *Si nulla* de praebendis, Paulus dissert. 62 decis. 3 n. 95, Polit. dist. 36 n. 23 de dot. tom. 3 *in Lauretana die 18 Decembris 1790* §. *A prima.*

Item *in Alatrina pii Legati die 23 Martii 1839* §. *Porro.*

22. Gratia vero non est extendenda praeter intentionem Pontificis concedentis ab una re ad aliam, Corrad. in prax. disp. apost. lib. 1 cap. 5 n. 4, Iust. de dispensat. lib. 1 cap. 2 a n. 18 *in Urbinaten. Reductionis Missarum die 28 Martii 1801* §. *Ex ipsa.*

23. Hinc gratias conditionales a forma et tenore Literarum Apostolicarum pendere monent Gonzalez ad Reg. 8 cancell. §. 9 n. 94, Garcias de Benef. part. 2 cap. 1 §. 13 n. 23 *in Verulana Stalli die 20 Decembris 1823* §. *Coadiutor.*

Item *in Praenestina Fallentiarum die 19 Iulii 1837* §. *Iamvero.*

24. Advertendum tamen est, conditionem habendam esse perinde ac si impleta fuisset, cum non steterit per eum, ad quem pertinet, quominus impleretur, Cap. 66 de Reg. Iuris, L. *Uter ex fratribus* de condit. demonstrat., Rot. in Recent. part. 4 tom. 1 decis. 35 *in Romana seu Ianuen. die 22 Martii 1823* §. *At Patruus.*

Item *in Praenestina Fallentiarum die 20 Iulii 1837* §. *At extrema.*

25. Hinc si tenor Literarum discordet a supplicatione, haec attendenda videlicet et non Literae; gratia enim - ad formam petitionis semper concessa censetur –, Rot. in decis. 335 n. 17 part. 18 Recent. tom. 1; et – Literae sunt pro forma et usu probationis, et gratiam praesupponunt iam concessam in supplicatione –, Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 1 in prooem. §. 4 n. 101, ubi additur, quod - Bulla expediri debet ad formam supplicationis, in qua consistit gratia – *in Triventina Iuris Peragendi Functiones et administrandi die 18 Augusti 1860* §. *Cum nimirum.*

26. Hinc ab expeditoribus nequit alterari substantia gratiae in supplicatione contentae, Card. Petra in prooem. §. 4 n. 108 ad Constit. Apost. tom. 1. Quod si Bulla discrepare comperiatur in substantia a supplicatione illa corrigi debet, et donec corrigatur, Exequatorem supersedere oportet, Amyden. de Styl. Datar. cap. 32 n. 75 *in Triventina Iuris Peragendi Functiones et administranti die 18 Augusti 1860* §. *Neque.*

27. Summariolum autem nihil aliud est, quam abbreviata supplicatio pro Principis expeditiori intellectu, quod proinde post relationem Pontifici factam nullius est amplius utilitatis et usus, quum gratia transcribitur in supplicatione, et huius tantummodo tenor inspiciendus est *in Triventina Iuris peragendi Functiones et administrandi die 18 Augusti 1860* §. *Cum nimirum.*

28. Hinc ubi aliquod obstat concessioni gratiae impedimentum, narratur in expositiva, illique derogari debet in dispositiva, a quibus metitur gratiae validitas, Rota decis. 257 n. 10 et 11 coram Crescentio *in Tiburtina Canonicatus die 27 Iulii 1839* §. *Cum vero.*

29. Qua de re denegatum censetur, quod petitur,et in Pontificia gratia praetermittitur, Cap. *Dilectus,* ibique Glossa de appellatione *in Reatina die 5 Aprilis 1788* §. *Toti.*

30. Quin imo gratiae cuiusque rationem tam petitionis tempore, quam executionis constare debere tradit cum communi De Rosa de execut. Litt. Apost. part.1 cap. 4 n. 25 *in Ferrarien. Beneficii super caducitate et attentatis die 22 Augusti 1840* §. *Demum.*

31. Ceterum ex testimonio Maschatii in tit. de rescript. Inst. n. 14 edocemur: – De stylo Curiae Romanae in Rescriptis dispensatoriis, quibus non datur gratia facta, sed facienda per Executorem, veritas causae attendi debet non tempore mandati Romae expediti, sed tempore executionis, ut tunc causa sit vera, dum Executor actu dispensat –, Reiffenst. lib. 1 Decret. tit. 3 de rescript. §. 3 n. 77 *in Lunen. Sarzanen. Suspensionis nominationis die 23 Novembris 1833* §. *Fatetur.*

32. Concessum autem a Principe beneficium decet esse mansurum, Cap. *Decet* de reg. iuris, Cap. 36 de praeb. et dignit. in 6 *in Parmen. Executionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Disputatur.*

33. Amplia, decet semper Superioris Indultum, quando ab eo est iure concessum, esse mansurum etiam post mortem aut translationem concedentis, Cap. *Id quae* de maioritate, Cap. *Uno* eod. tit. in 6, Ancharan. in Cap. 1 ne sed. vacan., Federic. de Senis cons. 16 *in Caesenaten. Erectionis publici Oratorii die 6 Iunii 1840* §. *Iure.*

34. Haud enim absque ullo iure licet gratiam et beneficium tollere, quod semel a Principe concessum perpetuo mansurum esse oportet *in Asculana Literarum Apostolicarum die 25 Iunii 1836* §. *Verumtamen.*

35. Quapropter gratia Pontificia effectu frustrari non debet, perfecta diiudicatur, et effectum sortitur cum ipsa signatura, Rebuff. in prax. tit. de dispens. n. 62, Gigas de pens. quaest. 24 n. 13, Garc. de Benef. part. 4 cap. 1 n. 28 *in Romana Subsidii dotalis die 7 Ianuarii 1788* §. *Legatorum.*

Item *in Civitatis Castelli Canonicatus die 27 Aprilis 1839* §. *Tartarinium; in Urbevetana Exequutionis Rescripti die 18 Augusti 1860* §. *Contra.*

36. Unde gratia ab uno impetrata communis ex identitate rationis fit, iuxta doctrinam Fagnani in Cap. *Quod nonnullis* n. 28 de privilegiis *in Romana die 17 Ianuarii 1789* §. *Suam.*

37. Quod si nulla Oratricis mentio neque in petitione, neque in Rescripto,sed de dumtaxat eius fratre et sorore, nulla est ratio, cur alienae gratiae particeps fiat, contra regulam Textus in Cap. *Ne aliqui* de privilegi n. 6,de qua Fagnanus in Cap. *Ne pro dilatione* de poenitentia et remissione *in Romana die 17 Ianuarii 1789* §. *Una.*

38. Idque eo vel magis vim obtinet, dum is invadere contendit ius Indultariis quaesitum, ac eorum gratiae partem post diuturnum decem annorum silentium tollere, resistente Lege *Il quod nostrum* ff. de regulis iuris *in Romana die 17 Ianuarii 1789* §. *Una.*

39. Idcirco quum die 29 Augusti 1776 Margarita Pacini Antonii Pelucchi pii institutoris consanguinea obtinuerit a Summo Pontifice sibi suisque filiis partem subsidii ab eo relicti, et aliud die 11 martii 1786 pro una vice impetraverit quatuor dotium subsidium Monialis eius filia, ut vitalitium sibi in livellum constitueret, nec non post obitum praedictae Margaritae die 19 augusti eiusdem anni obtinuerint filii scuta quinquaginta prioris subsidii, firma remanente concessione quatuor dotium pro livello Monialis, sed eousque ab hisce subsidiis exclusa fuerit Anna Maria Pacini del Drago, altera ex filiabus Margaritae, eo quod eam Mater in supplici libello anni 1776 veluti nuptam praetermiserat, proposito dubio: – I. An sit locus compartecipationi annui subsidii scutorum 50 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative – *in Romana die 7 Februarii 1789.*

40. Ex aequitate tamen praefatae Annae Mariae uno ex subsidiis dotalibus assignavit; proposito enim dubio: – II. An quomodo et in qua summa sit locus assignationi subsidii dotalis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative pro assignatione unius ex subsidiis dotalibus quolibet anno, durante vita Oratricis – *in Romana die 7 Februarii 1789.*

41. Hinc gratia tamquam exceptio gratiosa a legitimo Superiore concessa ius atque regulam in contrarium potius firmat, Fagnan. in Cap. *Cum venisset* §. Per fontis de sacr. unct. n. 12 *in Ravennaten. Admissionis in conventum die 3 Iulii 1852* §. *Quae.*

42. Verum per novas gratias et favores, nisi exprimatur, non tolluntur veteres, sed confirmantur et augentur, L. fin. Cod. de praep. agent., Reiffenst. ad Reg. Iur. 61 in 6 n. 5 *in S. Miniatis Iurium et praeeminentiarum die 24 Novembris 1827* §. *At.*

43. Idcirco quum Summus Pontifex, accedente assensu Communitatis patronae, indulserit suspensionem nominationis Dignitatis Archidiaconatus, eiusdem consensum in actu prorogationis praedictae gratiae denuo exquirendum non esse sustinet Bartolus in L. 1 ff. ad municipal. n. 23, si semel intercesserit. Verum Brunneman ad L. *Labeo* ff. de recept. arbitr. n. 2 cum aliis ab eo allegatis advertit, quod quando dies prorogatur debet id fieri cum omnibus qualitatibus et solemnitatibus, quae requiruntur in primo actu; et Carpzov. dec. illustr. part. 1 decis. 51 n. 15 affirmat, quod solemnitas et forma, quae adhibetur in primo actu etiam in actu prorogato observari debet, quia nempe prorogatio non facit actum novum, sed unus idemque est cum prorogato *in Fanen. die 10 Ianuarii 1784* §. *De.*

44. Quoad itaque prorogationem gratiae tralatitium est, quod pendente ad Principem recursu tempora haud labuntur, ad effectum praesertim incurrendarum poenarum, L. *Si quis dolo malo* 63 ff. de regulis iuris, Lan-

cellotti de attentat. part. 1 cap. 12 n. 7, Rota in Recent. dec. 4 n. 3 part. 3, et decis. 416 n. 4 part. 4 tom. 1, et coram Ansaldo decis. 203 n. 25 *in Romana Canonicatus die 9 Septembris 1786* §. *Demum.*

45. Hinc ex natura ipsius rei est, ut prorogatio immediate cum termino expirante connectatur, alias de nova collatione non de meris res esset induciis, Rota coram Priolo decis. 83 n. 9, coram Crescentio decis. 82 n. 6, in Potentina Canonicatus 9 maii 1746 §. 4 coram Card. Bussio, et in Ostunen. Canonicatus 15 ianuarii 1750 §. 8 coram Card. Molino *in Romana Canonicatus die 9 Septembris 1786* §. *Contra.*

46. A natura autem prorogationum abest, ut eae dentur ad resignandum Beneficium, cum quin immo in id sint dumtaxat institutae, ut quis capacitatem eiusdem retinendi, si quam habet, acquirat, Amyden de stylo Datariae cap. 11 de prorogat. n. 1 et per totum, et, induciis postulatis de prorogatione gratiae exceptionibus obnoxia, non patitur natura gratiae per Literas Apostolicas obtentae, quae celerem meretur exequutionem, ut diutius retardetur, Rota in Ostunen. Canonicatus 15 ianuarii 1750 §. 2 coram Card. Molino, et in Giennen. Archipresbiteratus 15 ianuarii 1762 §. 3 coram Ratto *in Romana Canonicatus die 9 Septembris 1786* §. *Post.*

47. Unde gratia *Si nulli* concedi solet alteri ex collitigantibus, quatenus nemo Beneficium obtinuerit, Ferrar. can. verb. gratia a n. 43, et Rota in Valentiana Beneficii 20 martii 1752 §. 2 coram Card. Bussio *in Montis Alti Canonicatus die 18 Iulii 1789* §. *Gratia.*

48. Eamque quis utiliter obtinuisse videtur ob purificatum litis eventum omnesque a Beneficio seu Canonicatu exclusos concurrentes, Ferrar. loc. cit. a n. 39 *in Montis Alti Canonicatus die 18 Iulii 1789* §. *Gratia.*

49. At fortasse Summus Pontifex gratiam *Si nulli* non concessisset, si petitae prorogationis termini ad praesentandum penes Sacram Congregationem notitiam habuisset, Polit. de iurepatronat. dissert. 19 a n. 29 tom. 5, Rot. in Policastren. Beneficii 27 novembris 1758 §. 8 coram Ratta *in Montis Alti die 18 Iulii 1789* §. *Duo.*

50. Cum itaque patrimonium in substentationem Personae, tamquam in usumfructum cedat, et finis, ad quem gratia impertita est, fuerit ipsius patrimonii constitutio, sponte sequitur, quod gratia cum ipsa Oratoris persona extinguatur, ad Textum in L. 42 ff. de adm. et per. tutor., nec ad alias causas finesque converti valeat legatum, uti necessario contingeret, si solutum diceretur: etenim cessante fine gratiae, et privilegium ipsum inde fluens evanescit, ad cap. 60 de app., Lambertin. de iurepatronat. lib. 3 quaest. 6 art. 1, Suarez lib. 8 de legib. cap. 3 n. 1 *in Alatrina pii Legati die 23 Martii 1839* §. *Habent.*

51. Gratiarum autem expectativarum naturam et essentiam habent nominationes ad Canonicatus in futurum vacaturos, quae interdum fiebant ab Episcopis favore alicuius in primo eorum ingressu, sed sublatae fuerunt huiusmodi gratiae a Concilio Tridentino sess. 24 cap. 19 de reformatione, ut in terminis Archiepiscopi Coloniensis et Episcopi Trevirensis consimile ius sibi vindicantium firmavit Rota in Colonien. Canonicatus 21 iunii 1704 coram Molines, et in Treviren. Canonicatus 6 martii 1716 coram Crispo *in Leodien. Electionis Novitiae die 18 Martii 1719* §. *Excipiunt.*

Item *in Firmana et Ripana die 19 Februarii 1780* §. *Neque.*

52. Unde gratia ad vacatura, quae prohibita est Patronis aliisque inferioribus Collatoribus, reservatur dumtaxat Summo Pontifici, qui ratione suae plenariae potestatis potest Beneficia etiam vacatura conferre, Cap. *Licet* 2 de praeb. in 6, Cap. *Dudum* eodem titulo, et Ferrar. Biblioth. verb. Beneficium art. 3 n. 57, prout etiam declaravit ipsum Sacrum Concilium Tridentinum sess. 25 cap. ult. de reformatione, omnia et singula in Sacro Concilio statuta - ita decreta fuisse, ut in his salva semper Auctoritas Sedis Apostolicae et sit et esse intelligatur - *in Firmana et Ripana die 19 Februarii 1780* §. *Neque.*

53. Quin imo quae merae gratiae sunt ac solummodo Pontificum liberalitati innituntur, possunt absque piaculo semper et quandocumque ab Summis Ecclesiae Episcopis auferri, quin eorum fiat memoratio, unde possunt ad libitum revocari, ut ex Textu in Cap.

Nostrá de iniur. et damn. dat., Gloss. in Cap. *Decet* verb. permansurum de reg. iur. in 6, et ex communi doctrina Canonistarum in Cap. *Novit* de iudic., Abb. Imol. et Felin. in Cap. *Quae in Ecclesiarum* de const. n. 48, Card. Florent. in repetit. Cap. *Perpendimus* de sententia excommunicationis vers. in illa magna distinct. an et quomodo Princeps possit tollere privilegia *in Eugubina Pensionis die 4 Iunii 1836* §. *Hoc.*

54. Unde gratia concessa post Ordinarii votum absque evidentissimis probationibus infringi nequit, Rot. in Aesina Capellaniae super aperitione oris 19 Iunii 1840 §. 3 coram Alberghini, in Centumcellarum Immissionis super aperitione oris 18 aprilis 1842 §. 4 coram Marini *in Senen. Institutionis die 27 Ianuarii 1855* §. *Deinde.*

55. Qua de re gratia iam concessa et exequutioni, – visis videndis et consideratis considerandis –, tradita atque per plures annos pacifice observata, nonnisi firmissimis argumentis potest everti, Cap. *Decet* de reg. iur. in 6, Cap. *Si cui* de praeben. in 6, Rota in Romana Eleemosynae 12 ianuarii 1736 §. Perperam coram Nunez *in Faventina die 20 Iunii 1767* §. *Tuentur.*

56. Gratia autem commissa cum clausula – *vocatis, si qui fuerint vocandi* – exigit ordinem iuris in exequutione, ad ea, quae communiter Doctores tradunt, et censuit S. Congregatio in Urbinaten. Suppressionis Confraternitatis 1 septembris 1759 *in Faventina Reductionis Missarum seu Reintegrationis die 27 Augusti 1763* §. *Quoad.*

57. Neque clausula – pro arbitrio et conscientia – tanti est, ut regula iudiciorum posthaberi possit, uti est constans opinio Doctorum, quam probavit Rota coram Merlino decis. 702 n. 37 *in Reductionis Missarum seu Reintegrationis die 27 Augusti 1763* §. *Quoad.*

58. Potest vero Episcopus extraiudicialiter procedere pro exequutione gratiae suo arbitrio commissae, deficiente legitimo contradictore, iuxta firmata per Rotam in Recent. decis. 71 n. 5 part. 6 *in Fanen. Subsidiorum dotalium die 14 Februarii 1761* §. *Id.*

59. At gratia cum clausula – *veris existentibus narratis* – exequenda non est, si narrativa non verificetur, et in illius exequutione citandi sunt interesse habentes, Rosa de exequut. Litt. Apost. part. 1 cap. 4 n. 19 et cap. 2 n. 2, Ubert. de citat. cap. 2 n. 35 ad 39, et Rot. coram Molin. decis. 809 n. 14 *in Fanen. Subsidiorum Dotalium die 14 Februarii 1761* §. *Sed potiori.*

60. Hinc nec gratia cum clausula – sine praeiudicio Puellarum contemplatarum iuxta dispositionem Testatoris – est exequenda, si aliquod verificetur illarum praeiudicium *in Fanen. Subsidiorum Dotalium die 14 Februarii 1761* §. *Sed.*

61. Veritum autem praeiudicium de futuro non retardat exequutionem gratiae, in qua praeservatum intelligitur dumtaxat praeiudicium de praesenti, ut firmant Sarnen. de iur. quaes. non tollen. quaest. 4, Gonzal. ad Regul. 8 Cancell. Gloss. 45 §. 1 n. 45 *in Camerinen. seu Fabrianen. die 27 Martii 1762* §. *Quod vero.*

62. Unde gratia Apostolica exequutioni iam commissa obloquendi copiam non admittit, Card. De Luc. lib. 3 part. 1 de iurisdict. disc. 8 n. 3, dummodo possessio exinde sequuta fuerit pacifica; alias enim gratia ex sui natura nil operatur, si alterius ius vel laedat vel saltem imminuat, cum non censeatur Princeps alteri sine causa de iure legitime quaesito praeiudicium aut damnum praeter meritum inferre voluisse, Rot. in decis. 483 part. 4 n. 2 Recent. *in Parmen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Disputatur.*

63. Idcirco gratia notabiliter laesiva iuris alterius revocanda est, ut monet Card. De Luc. de pens. disc. 76 n. 13 *in Fanen. Subsidiorum Dotalium die 14 Februarii 1761*, §. *Urceanenses.*

64. Nam gratia revocanda est ratione praeiudicii, ut definitum est in Ariminen. Subsidii Dotalis 22 Septembris et 15 Decembris 1759 lib. 109 Decretorum pag. 350 et 422, et in Bononien. Reductionis Legati 22 Martii 1760 *in Fanen. Subsidiorum Dotalium die 14 Februarii 1761* §. *Laesivam.*

65. Id eo vel magis obtinet, si de gratiae viribus disceptatur in Sacra Congregatione, cum in supremis Tribunalibus procedendum sit cum regulis congruentiae et honestatis pro revocandis gratiis, quae ius tertii nota-

biliter laedant, ut monent Card. De Luca de pens. disc. 76 n. 13, Rota in Romana Reintegrationis 12 martii 1731 §. 5 coram Card. Aldrovando *in Bononien. Aperitionis oris die 23 Aprilis 1763* §. *Quamobrem.*

66. Qua de re gratiam Apostolicam, quae adeo aperte constituto iuri contradicit, tantumque tertio incommodum creat, a sacratissimo Principe iure merito revocandam esse, ad utriusque iuris tramites edocet Card. De Luc. de iudiciis disc. 20 a n. 10 *in Auximana Exequutionis Literarum Apostolicarum et Condonationis Fructuum die 2 Iunii 1860* §. *In antecessum.*

67. Siquidem gratia, quae laedit ius tertii, est contra dispositionem Textus in L. *Rescripta* 7 Cod. de prec. Imperat., quem exornant Amostaz. de caus. piis lib. 1 cap. 14 n. 8, et Rot. coram Molin. decis. 806 n. 5 *in Firmana Capellaniae die 15 Aprilis 1789* §. *Agitur.*

68. Idcirco cum laesione iuris alteri quaesito gratias haud concedi solere probat Io. Andr. in Cap. *Dudum* n. 5 de privilegiis, Pignatell. consult. canon. 52 n. 7, Card. De Luc. de pens. disc. 76 n. 13 *in Romana Subsidiorum Dotalium die 18 Februarii 1854* §. *Iamvero.*

69. Unde Pontifex non solet gratiam concedere, cum adest praeiudicium tertii, Cap. *Ceterum* de rescriptis, Rigant. in Reg. 18 cancell. n. 567 *in S. Severini Capellaniae die 7 Septembris 1833* §. *Hinc.*

Item *in Ariminen. Capellaniae die 22 Decembris 1855* §. *Atque.*

70. Nec itaque Summum Pontificem iuri alteri quaesito ac praesertim vocatorum ad Beneficia derogare solere, monet Rota in decis. 575 et 596 coram Caprara *in Praenestina Capellaniae die 23 Maii 1857* §. *Sed potiori.*

71. Nam gratiae et privilegia iuri alterius detrimentum inferre non debent, Cap. *Super* de potest. et offic. Iud. delegati, Cap. *Si quando* de rescriptis *in Ariminen. Funerum die 16 Iunii 1827* §. *Porro.*

72. Quapropter ex gratia Principis iuri alterius quaesito damnum inferri non debet, ex Textu in Cap. *Si quando* de rescriptis, Rigant. ad Reg. Cancell. 28 n. 3 et 7 *in Ariminen. Funerum die 16 Iunii 1827* §. *Porro.*

Item *in Platien. Canonicatus die 30 Maii 1829* §. *Tandem; in Firmana Subsidiorum dotalium die 24 Martii 1832* §. *Verumtamen.*

73. Tralatitii enim iuris est, gratias non concedi cum iuris alieni iactura, ex L. 2 §. Merito ff. ne quid in loc. publ., Cap. *Ex parte*, et Cap. *Super eo* de auct. et usu pallii *in Praenestina Capellaniae die 23 Maii 1857* §. *Sed potiori.*

74. Unde Reiffenstuellius in lib. 2 Decret. tit. 26 n. 14 inquit: – In dubio et nisi aliud exprimatur, Princeps non censetur vel iuri alterius praeiudicare, vel statum litis immutare; ac proinde si tales Literae exhibeantur, praesumuntur esse falso et subreptitie obtentae, Cap. *Adeo* 7 et Cap. *Super Literis* 20 de rescriptis – *in Lunen. Sarzanen. Suspensionis Nominationis die 23 Novembris 1833* §. *Fatetur.*

75. Nunquam enim praesumitur, Principem voluisse iuri tertio quaesito derogare, nisi patulis verbis expresserit, L. *Si quis a Principe* 16 ff. ne quis in loc. public., Reg. 18 Cancellariae, Rot. in Ripana Capellaniae 5 iulii 1822 coram Marco, Card. De Luca de praeeminen. disc. 36 n. 1 *in Firmana Decimarum die 27 Maii 1826* §. *Itaque.*

Item *in Tiburtina Beneficii die 27 Ianuarii 1827* §. *Hisce; in Nursina Onerum die 18 Augusti 1827* §. *Nec.*

76. Rem igitur iuri alterius noxiam et ecclesiasticis legibus minus consonam sine aliqua rationabili et expressa causa neque efficiunt Principis Rescripta, neque censetur Princeps voluisse, Pignatell. consult. 149 tom. 4 n. 5, Rot. in Romana Liberationis a molestiis quoad remissionem mercedis 29 aprilis 1816 §. 22 coram Odescalchio, in Nuperr. tom. 2 decis. 18 n. 4 *in Spoletana Fontis Baptismalis die 28 Ianuarii 1832* §. *Ex.*

77. Quin imo Summus Pontifex laedere haud solet absque publica causa ius tertii, Amostaz de caus. piis lib. 1 cap. 14 n. 8, Pignatell. consult. 149 n. 5 tom. 4 *in Nucerina Commutationis voluntatis et transactionis die 15 Martii 1794* §. *Suam.*

78. Hinc gratiam iuri alterius laesivam strictae interpretationis esse traditur per Molin. de iust. et iur. disp. 24 concl. 45 n. 7, Valent. de ult. volunt. vot. 27 a n. 91

in Alatrina pii Legati die 23 Martii 1839 §. *Habent.*

79. Idcirco gratia strictim est accipienda, ut minus qua fieri possit tertio incommodum obveniat, teste Card. De Luca de feudis disc. 27 n. 6 *in Auximana Exequutionis Literarum Apostolicarum et condonationis die 2 Iunii 1860* §. *Neque.*

80. Gratia autem commutationis natura sua praeiudicium irrogare debet illis, quibus relictum est opus pium commutandum, ut observat Pitonius discept. eccles. 69 n. 22 ad 25 tom. 3 *in Bononien. Aperitionis oris die 14 Maii 1763* §. *Seposita.*

81. Quod si ex gratia commutata fuerit voluntas Testatoris, nulla legitima existente causa, revocanda est; nam ob defectum cuiuscumque legitimae et necessariae causae commutandae non sunt morientium voluntates, ut praescribit Sacrum Concilium Tridentinum sess. 22 cap. 6 de reformatione, et firmat Rota coram Molin. decis. 1041 n. 12 *in Fanen. Subsidiorum dotalium die. 14 Februarii 1761* §. *Laesivam.*

82. Idcirco nec ex praetensa aequitate permittitur perpetua commutatio voluntatis in annuas Missas favore sanguine iunctorum Testatoris cum alterius praeiudicio, etiamsi iidem maxime premantur paupertate *in Alatrina pii Legati die 27 Aprilis 1839.*

83. Siquidem praediolum binasque domus (quae omnia simul caput vix argentorum bis centum repraesentabant) usufruendas legaverat Sororis suae filio Presbitero Ioanni Baptistae Martire ad diem 19 iulii 1819 Veneranda Quadrotta ex Aletrio, obligatione eidem adiecta – di costruire nella Ven. Chiesa parrocchiale di S. Lorenzo un altare col quadro e titolo di S. Raffaele Arcangelo a di lui proprie spese a ragione, che ne gode l'usofrutto suddetto di lui vita naturale durante, quale usofrutto seguita la morte del medesimo si riconsoliderà in favore della medesima Chiesa, a cui lascio li suddetti fondi in ragion di legato; ed allora sulle rendite dei medesimi debba l'Ordinario tassare tante Messe all'anno da celebrarsi da rispettivi Parrochi pro tempore in perpetuo –. Paucis ab Testatricis funere elapsis annis, adstitit s. m. Leoni XII usufructuarius Sacerdos, ac exponens, – che fra gli individui di sua miserabilissima famiglia vi è un fratello costituito nell'età di anni 19 iniziato nella milizia ecclesiastica, cui per le passate vicende sofferte da suoi genitori mancano i mezzi per formarsi il necessario patrimonio sacro –, eumdem Pontificem flagitavit, – perchè voglia degnarsi, che sia sciolto un tal Legato a favore di detta Chiesa, e che l'Oratore possa aver libera disposizione a favore di suo fratello minore; ed acciocchè non resti defraudata la mente della Testatrice –. Annuit votis Pontifex, dum in audientia diei 23 martii 1827 per Auditorem Sanctissimi – Alatrino Episcopo facultates omnes tribui voluit necessarias et opportunas, ut, indicta celebratione alicuius numeri Missarum pro eius prudenti arbitrio in expiationem animae Venerandae Quadrotta, quidquid reliquum fuerit ex illius hereditate applicare et addicere valeat Clerico Ioanni Martire Oratoris fratri in partem patrimonii sacri eidem constituendi, cum ad sacros Ordines erit promovendus –. Quod gratiosum Rescriptum ita executioni mandabat Decreto edito sub die 15 novembris proximi sequuti Alatrinus Antistes: – Utentes facultatibus a SS.D.N. Leone Papa XII nobis collatis Oratori benigne indulgemus pro gratia in omnibus iuxta preces ad tramites Rescripti Pontificii annuas Missas quindecim pro anima Testatricis in perpetuum celebrandas –. Defunctus exinde est Ioannes Baptista, ac praediis superius memoratis fruebatur Ioannes, iisdem sibi in patrimonii sacri titulum adscitis: ast in mentem ei venit, Rescriptum Leonis XII non ipsum unum unamque patrimonii sacri causam, bene vero universam familiam suam suosque heredes fortassin respexisse; et sese in alias citra praedictam causam iis bonis libere uti posse, adeo ut solutum perpetuo fuerit Legatum seu commutatum in quindena annua Sacra, dempto etiam onere aram ac pictam effigiem S. Raphaelis Archangeli extruendi, quod nondum praestitum erat. Anceps tamen, an verum hoc in negocio assequutus fuerit, ad Sacram Congregationem confugit, ut id adamussim declararet, sin minus ut familiae suae pereuntem quotidie fortunam miseratae id ipsum elargiretur, exoravit vehementer.

84. Factorum historiam probavit Alatrinus Episcopus idem ille, qui Decreto suo

Pontificii Rescripti exequutionem curaverat, addiditque pro munere suo: – In dubium nequit revocari, Oratorem bona Legati pii a Veneranda Quadrotta relicti obtinuisse a Sede Apostolica in supplementum patrimonii sacri. Ex hoc patet, post ipsius mortem ius quodcumque relate ad bona praedicta in sua familia evanescere, ac Legatum pium in parochiali Ecclesia S. Laurentii ad formam primae institutionis solidari. Decretum anno 1827 vi facultatis Apostolicae a me prolatum Oratorem tantummodo respexit, qui ad sacros Ordines erat promovendus, et Missarum perpetua celebratio in eodem Decreto expressa eius vitam unice contemplata. Parochus Ecclesiae S. Laurentii Rector, quem iuxta istius Sacrae Congregationis mandatum interpellavi, precibus Oratoris se subscribere omnino recusavit, asseverans hoc modo iura sua suorumque Successorum fraudari. Inficiandum vero non est, Sacerdotem Martire eiusque familiam in extrema egestate versari, ipsam, si bona Legati, quae valorem scutorum biscentum non excedunt, post Oratoris mortem amittat, omnibus expoliari, ac tandem fratris iam defuncti labores in Diaecesis utilitatem impensos dignos esse consideratione –. Clara hinc sane videbatur Pontificis mens, cum sive preces ipsae tunc laudato Pontifici porrectae attenderentur, sive finis petentis et Romani Pontificis concedentis verba et voluntas, illud unum petitum concessumque fuisse patebat, ut bona Legata patrimonii sacri titulo Ioannes retinere valeret, adeoque exclusa omnino extabat Legati perpetuitas: quin etiam aliquid erui valeret ex Decreto exequutoriali Episcopi; ipsemet Episcopus, qui idem Decretum edidit, in contrarium mentem suam declarabat, nec idem uti mere exequutor aliquid citra illud, quod a Pontifice concessum fuerat, potuit elargiri. Nihilominus sententiam suam firmis haud destitui momentis existimavit Orator, ut perpetuitatem gratiae ac legati solutionem conficeret. Duplicem enim esse contendit finem et causam Ioannis Baptistae, dum preces Pontifici Maximo porrigebat; specialem alteram et personalem, idest patrimonium sacrum pauperi germano fratri constituendi, generalem alteram et perennem, idest familiae suae insigni egestate laboranti opem ministrandi, quare etiam expresse flagitabat, – che venga sciolto il legato a favore di detta Chiesa –. Atqui utrumque accepto habuit Summus Pontifex, priorem quidem explicite, alteram vero dum nullum precibus apponens limitem generatim remisit Alatrino Antistiti - facultates omnes necessarias et opportunas, ut Missarum celebrationem statueret –, ad quam sese Orator correspective et intuitu gratiae solutionis Legati vinciebat. Quibus profecto utens facultatibus Episcopus ac supremi concedentis mentem veluti declarans, indulgebat – in omnibus iuxta preces ad tramites Pontificii Rescripti –; ac praeterea Missas quindecim annuas non ad tempus, ut fieri debuisset, quoties gratia Personam Ioannis respiceret, sed – in perpetuum celebrandas – mandabat. Quatenus vero EE. PP. Oratoris sententiae contrarium ferrent iudicium, vehementer ille adprecatus est, ut ex aequitate solutionem Legati seu potius eiusdem perpetuam commutationem in annuas Missas quindecim sibi suisque concederent. Nam si Testator sanguine iunctorum paupertatem, qua premebantur, maximam praevidisset, sanguine fortasse vocibus motus vel integram hereditatem eisdem reliquisset, vel minora saltem onera imposuisset. Ast per Oratoris vota veluti destrui, sin minus graviter commutari voluntas videbatur cum praeiudicio etiam paraecialis Ecclesiae S. Laurentii: quod nonnisi ex iusta et necessaria causa concedendum esse tradunt Doctores, Fagnan. in Cap. *Nimis* de filiis presbiterorum n. 6, Monet. de commut. vol. cap. 6 n. 75, Piton. de controv. patron. alleg. 50 n. 76.

85. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de perpetua suppressione legati, vel potius tantum favore Ioannis Martire titulo patrimonii sacri in casu? *Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* II. An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris pro perpetuitate eiusdem suppressionis favore suae familiae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum. Negative – *in Alatrina Legati die 27 Aprilis 1839.*

86. Neminem autem latet, gratiam, quam quis suo facto agnovit ac comprobavit, op-

pugnare amplius non posse, multoque minus Successorem, ad Rotam in decis. 536 n. 14 part. 14 Recent. *in Aquipendien. Pensionis et Subsidii die 18 Septembris 1841* §. *Quin.*

87. Ceterum gratia Pontificia, nisi de subreptione et obreptione constet, frustrari non debet, per Textum in Cap. 16 de reg. iur. in 6 *in Romana Subsidii dotalis die 7 Iunii 1788* §. *Legatorum.*

Item *in Romana seu Nullius Sublacen. Legati die 26 Martii 1791* §. *Reformatis.*

88. Iamvero de Rescriptis obreptione vel subreptione impetratis notissimum est Innocentii III responsum in Cap. *Super Literis* de rescriptis: « Super Literis, quae ab aliquibus ex malitia, et a nonnullis ex ignorantia, tacita veritate vel suggesta falsitate, impetrantur a nobis, diversos intelleximus diversa sentire etc. Nos igitur inter eos, qui per fraudem vel malitiam, et illos, qui per simplicitatem vel ignorantiam Literas a nobis impetrant, huiusmodi credimus discretionem adhibendam, ut hi, qui priori modo falsitatem exprimunt vel supprimunt veritatem in suae perversitatis poenam nullum ex illis Literis commodum consequantur, ita videlicet, quod Delegatus, postquam sibi super hoc facta fuerit fides, nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem, qui posteriori modo Literas impetrant, duximus distinguendum, quae falsitas suggesta fuerit, vel quae veritas sit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quae quamvis fuisset tacita, vel expressa, nos nihilominus saltem in forma communi Literas dedissemus, Delegatus non sequens formam in Literis ipsis appositam, secundum ordinem iuris in Causa procedat. Si vero per huiusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem veritatis etiam Literae fuerint impetratae, qua tacita vel expressa, nos nullatenus dedissemus, a Delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus, ut, Partibus ad suam praesentiam convocatis, de precum qualitate cognoscat, ut sic in utroque casu eadem ratio, quae Delegantem movet, moveat etiam Delegatum » – *in Faventina die 20 Iunii 1767* §. *De.*

89. Qua de re obreptionis et subreptionis vitium concludenter probari debet ab eo, qui gratiae iam obtentae sese opponit, Marescott. var. resol. lib. 2 cap. 37 n. 69, Rot. in Recent. decis. 485 n. 3 et 4 part. 4, praesertim cum gratia iam fuerit exequutioni mandata, Rot. ibidem n. 5 et 6 *in Firmana die 18 Iulii 1772* §. *Quoad.*

90. Hinc qui adversus gratiam insurgit Actoris gerens personam luculenter probet necessum est vel iniustitiam, vel obreptionis aut subreptionis vitium, Spada cons. 41 n. 40, Rot. in Terracinen. Concathedralis super Brevi 26 Iunii 1767 §. 3 coram Olivatio *in Parmen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Verum.*

91. Quin imo gratia a Principe concessa, si exequutioni sit mandata, non potest amplius ab Inferiori sine venia Principis in discrimen revocari, Spada cons. 52 n. 6 tom. 2, Rot. in Recent. decis. 14 part. 16 n. 7 *in Firmana die 18 Iulii 1772* §. *Observant.*

Item *in Urbevetana Exequutionis Rescripti die 18 Augusti 1860* §. *Contra.*

92. Hinc gratia, quae obreptionis ac subreptionis vitio laborat, extraordinario aperitionis oris remedio est revocanda, ad tradita in Cap. *Super literis* de rescriptis, Rot. in Verulana Gymnasii Franchi super aperitione oris 5 decembris 1817 §. 4 coram Bussio *in Asculana Commutationis voluntatis die 20 Ianuarii 1776* §. *Sacra.*

Item *in Aesina Beneficii die 21 Septembris 1822* §. *Ast.*

93. Qua de re Sacra Congregatio, ubi actum fuit, an aliqua gratia esset infecta vitio obreptionis vel subreptionis, eam saepe definivit, impetrata tamen prius adversus illam oris aperitione, ut in Civitatis Plebis Commutationis voluntatis 13 ianuarii 1731, in Maceraten. Aperitionis oris 23 augusti 1760, et in Bononien. Aperitionis oris 14 maii 1763 *in Faventina Commutationis volutatis die 16 Maii 1778* §. *Sacra.*

94. Tunc autem solummodo aperitioni oris locus est, cum aperte constat, Rescriptum Principis subreptum esse celata veritate, vel obreptum expresso mendacio, ad Textum in Cap. *Super literis* de rescriptis, Rot. in Melevitana Baiulivatus S. Euphemiae super aperitione oris 8 maii 1761 coram Frangipane, et in Verulana Gymnasii Franchi super aperitione oris 5 decembris 1817 §. 4 coram Emo

Bussio *in Tiburtina Beneficii die 27 Ianuarii 1827* §. *Stanislai.*

95. Unde intrat arbitrium pro aperitione oris, quoties in precibus pro obtinenda gratia delatis aut falsum fuerit narratum aut id praetermissum, quod si patuisset, vel Summum Pontificem omnino renuentem, vel saltem difficiliorem reddisset, Cap. *Super literis* de rescriptis, Fagnan. et Barbos. in comment. super eodem capite, Rot. in Bononien. Aperitionis oris 27 martii 1824 §. 2 coram Pianetti *in Parmen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Intrare.*

96. Hinc quemadmodum est iuris generalis regula, quod in generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset in specie verisimiliter concessurus, ita in generali prohibitione vel praecepto non debent ea venire, quae Princeps non esset in specie verisimiliter prohibiturus vel praecepturus, ut arguit Suarez lib. 6 de legibus cap. 5 n. 11, ubi prudenter observat, generalem illam praesumptionem, quod nemo in generali sermone comprehendat id, quod in specie esset noliturus, in iure fundatum esse et in ratione naturali, quia inquit: – Illa praesumptio fundatur in defectu voluntatis, quae praesumitur ex incogitantia talium circumstantiarum – *in Ipren. Visitationis Sacrorum Liminum 1740 litt. F.* §. *Hoc.*

97. Itaque dicitur gratia subreptitia, si rerum veritas reticita fuerit, cuius gnarus Summus Pontifex vel eam absolute denegasset, vel difficilius concessisset, Cap. *Super literis,* ibique Felin. et Fagnan. n. 38, Rot. in Policastren. Beneficii 27 novembris 1758 §. 8 coram Ratta, in decis. 18 n. 3 coram Merlino, in decis. 237 n. 6 coram Rezzonico, in decis. 216 n. 17 coram Clemente XIII, in Maioricen. Praeeminentiarum et funerum 11 iunii 1756 §. 5 coram Olivatio *in Maceraten. die 24 Ianuarii 1778* §. *Falsoque.*

Item *in Asculana die 6 Martii 1779* §. *Itemque; in Placentina Legati pii die 14 Septembris 1782* §. *Ad I; in Montis Alti Canonicatus die 18 Iulii 1789* §. *Duo; in Romana seu Nullius Sublacen. Legati die 26 Martii 1791* §. *Reformatis.*

98. Unde nulla et irrita est gratia Pontificia, si non solum Orator reticuit verum rei statum, sed et ausus fuit obtrudere intelligentiam veritati directe contrariam, ut ratiocinatur Rota in Caesenaten. Nullitatis Chirographi 14 ianuarii 1743 §. 8 et 14 coram Card. Molino, et in Firmana Erectionis Collegiatae 31 ianuarii 1755 §. 13 et 15 coram eodem *in Maceraten. die 24 Ianuarii 1778* §. *Quamobrem.*

99. Idcirco vitium subreptionis excusari non posse videtur, ex quo tam Sacrae Congregationi, quam Summo Pontifici qualitas Beneficii de iurepatronatus laicali saltem in genere innotuit; haud enim sufficere generica notionem, sed specialem omnino requiri docent Pitonius in discept. eccles. 27 n. 7, et Rota in decis. 302 n. 2, quin prosit, quod in Literis Apostolicis adiecta fuerit clausula – non obstantibus etc. –, cum huiusmodi generalis clausula aliaeque similes aptae sint ad removendum subreptionis vitium a Beneficiis de iurepatronatus ecclesiastico, secus vero si Beneficium sit de iurepatronatus laicali, Covarruv. pract. quaest. lib. 1 cap. 36 n. 9, Rot. in Recent. decis. 114 n. 22 part. 9 n. 1 *in Praenestina Concordiae die 20 Augusti 1774* §. *Vitium.*

100. Gratia hinc ab una Congregatione abnegata ab alia impetrari eadem nequit. Nam Innocentius XII in Decreto relato in eius parvo Bullario in ordine 59 mandavit, quod – Rescripta Decreta quaecumque Indulta Gratiae Literae etc. a secunda seu altera Congregatione impetrata vel impetranda etc. haberi debeant omnino pro subreptitie extortis, nulliusque penitus sint roboris vel momenti, nec ullatenus in iudicio vel extra suffragari possint et valeant, perinde ac si nunquam emanassent –. Quod Decretum confirmatum subinde fuit a s. m. Clemente XIII sub die 15 Aprilis 1768, et eidem etiam adhaesit Rota in Valentina Indulti 4 Decembris 1739 §. 8 Coram Card. Millino *in Maceraten. die 24 Ianuarii 1778* §. *Maceratense.*

101. Idcirco ex notissimo Decreto iussu s. m. Innocentii XII lato, quod confirmavit Clemens XIII sub nullitatis poena prohibetur ab una iam praeventa ad aliam confugere Congregationem, ita ut etiam Literae Apostolicae desuper expeditae pro subreptitie extortis nulliusque penitus roboris haberi debeant *in Alatrina Beneficii die 21 Septembris 1822* §. *Accedit.*

102. Hinc subreptitia censenda est gratia, ob reticitam litis pendentiam in aliqua ex Sacris Congregationibus *in Bracharen. die 7 Iunii 1783 §. Literarum.*

103. Nam et iuris non ambigui est, subreptitiam fieri gratiam, non expressa litis pendentia, Lotter. de re Benef. lib. 3 cap. 9 n. 33, Rocca disp. iur. cap. 62 n. 47, aliique frequenter *in Iuvenacen. Canonicatus Theologalis die 11 Augusti 1759 §. Subreptioni.*

104. Quapropter reticentia sententiae, qua quis damnatus fuit ad distributionem legati iuxta mentem Testatricis, pendente etiam appellatione, irritum reddit Breve Apostolicum, quod eius voluntatem commutavit, adeoque servanda est in posterum lex testamentaria, attentis tamen rerum circumstantiis, consulendum est Sanctissimo pro sanatione quoad summas in alios usus iam consumptas *in Lisbonen. die 29 Novembris 1783.*

105. Iamvero Francisca Telles die 21 augusti 1624 suum condidit testamentum, in quo universae suae hereditatis compendium reliquit Patribus Benedictinis Civitatis Ulyssiponae. Plurima reliquit Legata, et inter alia mandavit, – ut ab infidelium Maurorum captivitate quinque Puellae seu Pueri, attento minoris aetatis periculo, dummodo genere Mauro vel Iudaico sint immunes, quotannis redimantur. Volo, ut, satisfactis coram Abbate suisque Monachis qualitatibus a me praescriptis, unicuique redimendo attribuatur summa scutorum Romanorum viginti quinque, quem ad effectum mando, haberi in dicto Monasterio Scrinium, quo aes omne meorum bonorum pro meae voluntatis implemento reservabitur in deposito –. Mandavit praeterea, ut in Ecclesia Monasterii Capella sub invocatione Beatae Mariae Virginis aedificaretur, pro cuius manutentione reliquit annua scuta viginti; quidquid vero ex praefata summa, expleto dicto manutentionis onere, superesset, in captivorum redemptionem erogari iussit. Sequuto Testatricis obitu, curarunt Monachi singulis annis per edictales Literas illius voluntatem patefacere, et pecuniae quantitatem in satisfactionem legati erogandam indicare, ut, si qui essent Captivi, praescripta requisita habentes, beneficio fruerentur. Cum autem tractu temporis in illa Ditione pro Captivorum redemptione diversa methodus inducta fuerit, hinc evenit, ut nullus coram Abbate comparuerit, qui ad fruitionem Legati admitti postulaverit. Anno 1694 Monasterii fabrica incendium passa est, quare Monachi in illius restaurationem, nec non in meliorandis praediis hereditariis Testatricis impenderunt integram pecuniae summam, quae in redemptionis opere eroganda erat, quaeque ob deficientiam Captivorum in Monasterii capsa otiosa manebat. Deinde anno 1709, instante Captivorum Promotore, Abbas Monasterii damnatus fuit ad redditionem rationis gestae administrationis Legati et ad traditionem pecuniae, quae ob neglectam Captivorum redemptionem cumulata reperiri debuisset. Hanc sententiam infirmavit Iudex appellationis, qui insuper Abbatem in administratione Legati confirmavit, praescriptis tamen nonnullis conditionibus, quibus Legati distributio peragenda foret. Iudicium anno 1755 denuo instauravit Captivorum Promotor super huiusmodi Legati administratione, et in iudicio Abbas succubuit, qui tamen appellationem interposuit ad Iudicem superiorem. Pendente appellatione, Abbas et Monachi exposuerunt s. m. Benedicti XIV, eorum Ecclesiam et Monasterium ex terraemotu, qui accidit Ulyssiponae anno 1755 gravem iacturam subiisse, et ad restaurationem ingentem pecuniae summam requiri; hinc, nulla facta mentione pendentiae litis, facultatem petierunt, ut in opus restaurationis impendere possent summam, quae ad redemptionis Legatum pertinebat, et deposita in Monasterii arca reperiebatur: insuperque expostularunt, ut, commutata Testatricis voluntate, Legati praedicti fructus pro manutentione Ecclesiae et Monasterii in posterum possent erogari. Laudatus Pontifex, audita prius Sacrae Congregationis sententia, per suas Literas in forma Brevis die 29 aprilis 1758 Abbatis et Monachorum precibus annuit, iniuncto tamen ipsis onere celebrandi singulis annis de trimestri in trimestre quatuor Anniversaria pro anima Testatricis et eorum, qui sub captivitatis iugo decessissent. Hoc Pontificio indulto pacifice usi sunt Abbas et Monachi ad annum usque 1775, quo tempore Captivorum Promotor in tribunali Nunciaturae Apostolicae gratiam a s. m. Benedicto XIV ipsis tributam subreptionis vitio laborare dixit,

eo quia in precibus narrata minime fuit lis, quae adhuc indecisa pendebat; et hac de causa subreptitium declaratum fuit Apostolicum Breve. Interposita ab hac sententia appellatione, preces Summo Pontifici exhibitae fuerunt, ut quemcumque defectum ea de causa sanaret, et quatenus opus esset, commutationem voluntatis Testatricis denuo concedere dignaretur, dictamque commutationem extenderet etiam ad eam summam, quae ex Legato scutorum 20 pro manutentione Capellae relicto, adimpleto manutentionis onere, superesset; quaeque iuxta Testatricis praeceptum in Captivorum redemptionem erat eroganda.

106. Monachi itaque contenderunt, ad eruendam subreptionem Brevis s. m. Benedicti XIV, non sufficere reticentiam sententiae latae anno 1755, sed omnino probandum esse, quod si Pontifici sententia innotuisset, petitam gratiam, vel nunquam, vel saltem difficilius indulsisset: at huius sententiae notitiam nequaquam potuisse Pontificis animum ab Indulti concessione retrahere, quia sententia innixa erat voluntati Testatricis, quae Pontifici perspecta et exposita fuit; hinc arguerunt, omnia eidem innotuisse ad gratiam necessaria, et ad excludendum subreptionis defectum. Sustinuerunt exinde, plures in themate verificari causas, quae Indulti confirmationem, et, quatenus opus esset, novam concessionem suadebant. Dixerunt enim, eorum Monasterium et Ecclesiam anno 1694 incendio periisse; insuper ruinam passum fuisse ex terraemotu anni 1755, et rursus ex alio incendio secuto anno 1773 periclitatum esse; pecuniam, quae pro captivorum redemptione eroganda erat, in Monasterii et Ecclesiae restaurationem impendisse, proindeque fuisse erogatam in publicam causam, cum ex hoc opere cultus divinus augeretur, et Monachis ad vitae sustentationem necessaria tribuerentur; hinc concluserunt, iusta intercedente causa, Testatricis voluntatem commutatam fuisse, et in praesens ope sanationis posse confirmari. Petitam gratiam assequi etiam confisi sunt, quia omnia, quae a Testatrice disposita erant, impleverunt, et per ipsos non stetit, quominus pecunia in Captivorum redemptionem erogaretur. Dixerunt enim, nunquam omisisse summam ad id necessariam in arca Monasterii deponere: singulis annis per edictales Literas notam omnibus fecisse Franciscae Telles voluntatem, ut, si qui adessent captivi cum qualitatibus ab ea praescriptis, Legati beneficio fruerentur; hisce tamen non obstantibus, nullum inventum fuisse, qui coram Abbate insteterit, ut Legatum peteret; quare defenderunt, non potuisse per plures annos exequi Testatricis voluntatem, servatis conditionibus ab ipsa praescriptis; et propterea existimarunt, praeter iustam et rationabilem causam, necessitatem quoque intercessisse illam commutandi. Nec obesse, quod Nuntius Apostolicus Lusitaniae asserebat, ex elencho tum antiquo, tum recenti Captivorum, qui redempti erant, plures Captivos ad assequendum huiusmodi Legatum habiles deprehendi, cum Nuntius Apostolicus id affirmaret, non quia Captivi revera probaverint qualitates a Testatrice requisitas, sed quia huiusmodi probationem difficilem censebat: quare si non expresse, saltem tacite admisit defectum Captivorum, qui necessariis requisitis praediti forent. Ceterum addiderunt, difficile non esse, ut quis suam a Iudaeis vel Mauris descedentiam excluderet: nam eo modo, quo se a catholicis Parentibus ortum habere demonstrabat, eo pariter modo a Iudaeis, vel Mauris descendentiam excludebat. Spernendum pariter esse, quod in praesens quaelibet sublata esset inter Catholicos et Iudaeos ac Mauros differentia; nam id accidit anno 1773, postquam commutata iam fuerat Testatricis voluntas, et propterea ad tempus, quo Breve s. m. Benedicti XIV editum est, retrahi non posse. Dixerunt praeterea, Brevis sanationem eo fortius concedendam esse, quia nempe nullum per ipsum pio redemptionis Operi praeiudicium inferebatur; nam in ultima Captivorum redemptione secuta in Lusitaniae Regno anno 1778 iussu fidelissimae Reginae comprehensi etiam fuerunt, qui subditi non erant, ex quo inferebatur, nullum Lusitanum, qui praeferri debuisset, exclusum remansisse; atque ex hoc argui posse superabundantes extare reditus pro explenda subditorum redemptione. Contra vero cum gratia ab ipsis obtenta famularetur piae voluntati Testatricis, quae erectionem Capellaniae Beatae Mariae Virginis demandavit, et Monasterium heredem ex asse

instituit; hinc si Brevis convalidatio denegaretur, gravem Monasterium iacturam subiret, cum licet esset heres, hereditas tamen tot oneribus erat gravata, ut ex ea nihil perciperet, et ob passa infortunia incendii terraemotus et annonae Civitatis multum impenderint, tam in reaedificationem Ecclesiae et Monasterii, quam in bonorum hereditariorum meliorationem. Tandem inconveniens esse asseruerunt, si gratia revocaretur, postquam spatio viginti quatuor annorum exequuta fuerat et omni diligentia adimpleta fuerant onera a s. m. Benedicto XIV in Apostolico Brevi iniuncta. Emus Patriarcha, omnibus perpensis circumstantiis praeteritis concomitantibus et subsequentibus, Abbatem et Monachos gratia dignos existimavit. Nuntius Apostolicus retulit, quod Oratores ex pecuniis depositis pro Captivorum redemptione ad annum usque 1758 habuerint scuta 3310 circiter, et ab eo tempore usque ad praesens alia scuta 4700; advertit tamen, quod multo maiorem summam erogaverint in reaedificationem Ecclesiae et Monasterii atque in meliorandis Testatricis bonis. Hinc quoad annualitates perceptas censuit non esse molestandos.

107. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Consulendum Sanctissimo pro sanatione quoad summas in alios usus hucusque consumptas, firma remanente in posterum lege testamenti Franciscae Telles – *in Lisbonen. die 29 Novembris 1783.*

108. Quum igitur Orator reticuerit Summo Pontifici collationem Canonicatus iam factam et possessionem, quam alter in vim collationis nactus fuerat, nec non falso narraverit, quod – Canonicatus et Praebenda praedicti ut prius vacavisse et vacare noscantur –, adeo in vitium obreptionis et subreptionis incidisse videtur, ut nec sanari valeat ex notitiis extraiudicialibus, quas aliunde habuerunt Officiales Datariae, ceu firmavit Rota in Firmana Erectionis Collegiatae 31 ianuarii 1753 §. 12 coram Molino, et in Pacen. Portionis 22 Iunii 1757 §. 9 coram Paracciano *in Melevitana Canonicatus die 17 Iulii 1802* §. *Haec.*

109. Nam cum preces haud veritate nitantur, corruit prorsus concessa facultas, Cap. 2 de rescriptis, Cap. *Quod super* de fide instrum., L. final. cod. de rescriptis, De Ros. de exequutione Litt. Apost. *in Auximana Exequutionis Literarum Apostolicarum et condonationis Fructuum die 2 Iunii 1860* §. *In istis.*

110. Hinc obreptitia dicitur gratia, quia cum in Literis Apostolicis adesset Decretum – vacationis eo ipso –, Orator, conditione non impleta, fructus suos facere non potuit, ut uno ore tradunt Covarruv. in lib. 4 Decret. part. 2 cap. 6 §. 8 a n. 10, Amyden. de styl. Datar. cap. 7 n. 45, Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 56 n. 43; ideoque narrare tenebatur veram fructuum, quos perceperat, quantitatem, quod ab ipso factum non fuit, et ideo dubitandum non est, gratiam obreptitiam esse dicendam, ob malam fructuum expressionem, ut explicant Sarnens. ad reg. de triennal. quaest. 24 n. 9, et Amyden. dict. cap. 7 n. 46 *in Iuvenacen. Canonicatus Theologalis die 11 Augusti 1759* §. *Subreptioni.*

111. Qua de re gratia subreptitie et obreptitie extorta inutilis est, cum alias nullimode vel difficiliter concessa fuisset, Cap. *Super literis* de rescriptis, ibique Fagnan. *in Fanen. Subsidii Dotalis die 14 Februarii 1761* §. *Plures.*

112. Nam gratia obreptitia vel subreptitia censetur dolo extorta; ideoque non est exequenda, sed abroganda, Fagnan. in Cap. *Super literis* n. 41 de rescriptis, Rot. in decis. 178 n. 7 part. 8 Recent., et in Firmana Erectionis Collegiatae 26 iunii 1754 §. 4 coram Molino *in Ravennaten. Subsidiorum Dotalium die 13 Novembris 1765* §. *Administratores.*

Item *in Romana Habilitationis die 13 Iulii 1776* §. *Ab utraque.*

113. Unde Apostolicae Literae, quae vitio obreptionis et subreptionis scatent, neutiquam executioni sunt mandandae, Schmalzgrueb. ius eccles. lib. 1 tit. 1 n. 3, Rosa de exequut. Litt. Apost. cap. 2 n. 77 cap. 5 n. 45, Rota coram Falconerio decis. 1 n. 7, in Colonien. Rectoratus die 29 Iulii 1757 §. 2 coram Card. Bussio *in Maceraten. die 24 Ianuarii 1778* §. *Addit.*

Item *in Parmen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Haec.*

114. Nec exequendum est ipsum Motum proprium Summi Pontificis ob eadem sub et

obreptionis vitia, quae causam dederunt aperitioni oris, quaeque retardant gratiae Pontificiae exequutionem, etiam Motu proprio concessae, ut per Textum in Cap. *Super Literis* 20 de rescriptis firmat Rota in Romana seu Bergomen. Collegii 26 novembris 1731 §. Quibus ita coram Card. Aldrovando *in Maceraten. Applicationis die 20 Decembris 1760* §. *Species.*

115. Quin imo certum est, quod gratia quaecumque per obreptionem aut subreptionem extorta sit irrita, quamvis reticentia veri aut falsi expositio ex ignorantia vel simplicitate processerit, Cap. *Super literis* 20 de rescriptis *in Lisbonen. die 29 Novembris 1783* §. *Certum.*

116. Aequum proinde est, ut Orator careat impetratis, quippe ipse sive ex fraude et malitia, sive ex ignorantia et errore commentitiam causam suis in precibus alligaverit. Si enim primum, per se res elucet, ac in terminis sancitur in Cap. *Super literis* 20 de rescriptis; si vero alterum, idem omnino tenendum, cum error vel ignorantia – nihil valeat ad Apostolicarum Literarum exequutionem obtinendam –, uti definivit S. Rota in Ferentina seu Verulana Beneficiorum super manutentione 11 decembris 1816 §. 11 coram Serlupi, Cap. *Super literis* 20 de rescript. *in Auximana Exequutionis Literarum Apostolicarum et Condonationis Fructuum die 2 Iunii 1860* §. *In istis.*

117. Reticentia vero eorum, quae Summus Pontifex cogitare potuit, non inducit subreptionem, Felin. in Cap. *Nonnulli* n. 18 de rescriptis, Cassad. decis. 12 n. 6 de praebendis *in Romana seu Nullis Sublacen. Legati die 26 Martii 1791* §. *Reformatis.*

118. Hinc subreptio non inducitur ex taciturnitate eorum, quae possunt esse et non esse, Rot. in decis. 452 n. 21 part. 5 Recent tom. 2, atque ut decisum reperitur: – In gratia non sunt narranda, nisi ea, quae de iure veniunt exprimenda, nec est curandum, an Papa, si scivisset, difficilius concessisset –, Rot. in decis. 270 part. 7 n. 18 Recent. *in Terracinen. Absentiae die 26 Novembris 1853* §. *Porro.*

119. Exploratum etiam est, obreptionis investigationem esse referendam ad tempus precum, minime vero ad ea, quae deinceps evenire potuerint, ut monet Rot. in Centumcellarum Immissionis super aperitione oris 18 aprilis 1842 §. 6 coram Emo Marini *in Senen. Institutionis die 27 Ianuarii 1855* §. *Quod.*

120. Unde licet exposita minus vera renuncientur, non propterea gratia obreptionis vel subreptionis vitio infecta videtur: id enim tantum accidit, cum Orator dolo malo vel falsa enunciaverit, vel reticuerit scitu necessaria, Cap. *Super literis* 20 de rescriptis, Gonzalez in dict. Capite, Reiffenst. eod. §. 8, Card. De Luc. disc. 206 n. 6, Rot. in Recent. part. 10 decis. 93, non autem cum tertius, non ab Oratore designatus, sed libera Principis voluntate in consilium accitus refert, preces veritati fulciri, aliaque addit momenta rationum fortassis minus vera, quibus Princeps gratiam confert *in Parmen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunis 1833* §. *Episcopi.*

121. Patet vero, vitium gratiae, quae falso nitatur fundamento, non in Consultorem conferri, sed ex iis desumi, quae Principi narrata fuere, quaeque ipsum in errorem traduxerunt, Rot. in Recent. decis. 69 n. 9 part. 7, et in Auximana seu Recineten. 20 iunii 1806 §. 4 coram Bardaxi *in Parmen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Neque.*

122. Vel itaque vitium obreptionis et subreptionis, quo gratia inficitur, vel fundamentorum defectus, quibus eadem innititur, perpendatur, nullatenus Apostolicae Literae sunt exequendae, Cap. *Super literis* de rescriptis, Rota decis. 186 Recent. part. 16 n. 1, decis. 381 n. 1 et 2 coram Molines *in Parmen. Exequutionis Literarum Apostolicarum die 22 Iunii 1833* §. *Vel.*

123. Quum autem absit vitium obreptionis in primo Rescripto, nec in secundo illud inesse videtur; dum in eo Summus Pontifex nihil de novo concessit, sed tantum praecedentem gratiam confirmavit et clarius declaravit: quo quidem in casu simplicis declarationis, quae ex iure promanat, Pontificem errasse nefas est asserere, ad Textum in L. fin. Cod. de legitima, docuitque Rota coram Olivatio decis. 320 n. 23, et in Gnesnen. Archipresbiteratus 16 februarii 1759 §. 4 coram Figueroa *in Aesina Beneficii die 21 Septembris 1822* §. *Capituli* (1).

(1) Reliqua latius habes in Verb. *Aperitio oris*, Tom. II.

HEREDITAS QUOAD DELATIONEM

1. Hereditas vacans debetur ab intestato proximiori, ex Auth. de hered. ab intest. venien. §. Si vero: sed cessat causa intestati per Testamentum, ex L. *Quamdiu* ff. de acquiren. hered. et L. *Antequam* 8 Cod. de successione: – Ei, qui testamentum reliquit, intestato nemo succedit – *in Sutrina die 16 Iunii 1792* §. *Subreptitium.*

2. Hinc dum Testator ad solidum hereditatis vel legati plures vocavit et partes non fecit, regula obtinet, quod si omnes una oratione vocati sunt, omnes aequaliter accipiunt. Ulpianus dixit: – Si plures instituantur, dividi inter eos a Testatore ius oportet. Quod si non fiat, omnes aequaliter heredes sunt –, L. *Quoties* 9, et L. *Alterius* de hered. instituen. *in Uritana die 31 Maii 1766* §. *Quaestio.*

3. Cessat regula, si non unica oratio est. Celsus ait: – Titius heres esto, Seius et Mevius heres sunto, verum est, quod Proculo placet, duos semisses esse, quorum alter coniunctim duobus datur –, L. *Liber* 59 §. Titius de hered. instituen. Et Iavolenus: – Titius fundi Cameliani heres esto, duo Titii illius Insulae heredes sunto. Hic habebunt duo Titii semissem, ac Titius semissem, idque Proculo placet. Quid tibi videtur. Respondit, vera est Proculi opinio –, L. Titius 11 eod. tit. *in Uritana die 31 Maii 1766* §. *Cessat.*

4. Vel si unus disiunctim suo nomine appelletur, alii sub alterius nomine colligantur: veluti Primus et fratris mei filii heredes sunto. Etenim Primus semissem haberet, reliquum semissem alii; nisi tamen Testator adiecisset aliquid, quod contrarium demonstraret, uti si dixisset aeque. Tunc enim in capita divideretur. Est Textus expressus in L. *Interdum* de hered. instituen. 13: – Interdum haec adiectio aeque heredes sunto, Testatoris voluntatem hanc exprimit, ut puta, Primus et fratris mei filii aeque heredes sunto, nam haec adiectio declarat, omnes ex virilibus partibus institutos, ut et Labeo scripsit, qua detracta, semissem fratris filii, semissem Primus haberet – *in Uritana die 31 Maii 1766* §. *Vel.*

5. Quod si contumaces fuerint a Testatore heredes instituti, nec hereditatem acceptaverint, ea pro repudiata habenda est, Amostaz de caus. piis lib. 2 cap. 6 a n. 5 *in Melevitana Legati pii die 18 Iulii 1772* §. *Inquit.*

6. Idque eo vel magis obtinet, si iidem interpellati oblatam hereditatem non acceptarunt, Amostaz de Caus. piis lib. 8 cap. 6 a n. 5 *in Melevitana Legati pii die 18 Iulii 1772* §. *Maxime.*

7. Hinc dubitari quidem potest de valida hereditatis repudiatione, quae facta fuerit absque solemnitatibus, sed dubium hoc diluunt Innocentius in Cap. *Cum accessissent* de constit. 4, Pasqualig. de sacrif. Miss. quaest. 1090 n. 2, quaest. 1091 n. 1 et 6, qui pluribus aliis allegatis tuentur, parum utile Missarum legatum perniciosamque hereditatem libere ab Ecclesia et absque solemnitatibus repudiari posse *in Sutrina die 31 Iulii 1790* §. *Exploratissimum.*

8. Idcirco hereditas oberata et non acceptata haberi debet pro repudiata, Amostaz de Caus. piis lib. 2 Cap. 6 a n. 5 *in Melevitana Legati Pii die 18 Iulii 1772* §. *Inquit.*

9. Repudiatio vero hereditatis vel legati Ecclesiae utilis est omnino a iure vetita, Can. *Quicumque* 2 Caus. 12 quaest. 4, Gloss. verb. Aut neglectum, et in Can. *Illud statuendum* 8 §. *Si ergo* Caus. 16 quaest. 6, et Cap. *Requisivit* 1, et Cap. *Cum venisset* 2 de in integr. restitutione *in Romana die 21 Februarii 1818* §. *Haec.*

10. Non tamen satis providum videtur fuisse consilium, quo quis sese immiscuit hereditati, quin sibi certo constaret de illius utilitate, aut saltem quod in Ecclesiae damnum non vergeret, ac nulla prius ab Ecclesiastico Superiore impetrata venia contra praescriptum in Decreto Sacrae Congregationis 21 iunii 1625 §. 6 *in Romana die 21 Februarii 1818* §. *Ad primum.*

11. Hinc ex dispositione iuris fructus hereditatis vel currente tempore deliberandi vel nondum adita ab herede hereditate augent hereditatem ipsam et in assem cedunt, ut est in L. *Item veniunt* §. Item non solum ff. de petit. hered., L. fin. §. Et praefa-

tam Cod. de iure deliberandi; praesertim accedente voluntate ipsius Testatoris *in Asten. Capellaniae die 28 Augusti 1751* §. *Pergunt.*

12. Idcirco fructus illi dumtaxat, qui decursi fuerint vel usque ad obitum Defuncti, vel currente tempore deliberandi, vel nondum adita ab herede hereditate, patrimonium augent et in assem cedunt *in Romana Capellaniarum die 15 Martii 1777* §. *Verumtamen.*

13. Siquidem his in terminis proposito dubio: – II. An fructus hereditatis decursi post obitum Testatoris debeantur Sacerdoti Coppa Capellano nominato, seu potius sint conferendi in augmentum capitalis Capellaniae sive Beneficii erigendi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Asten. Capellaniae die 28 Augusti 1751.*

14. Datur tamen ab intestato immissio ad bona hereditaria absentis, si ignoratur, an absens vivat nec ne, Rot. in Recent. decis. 556 a n. 15 part. 19 tom. 2 *in Placentina Visitationis sacrorum Liminum die 28 Augusti 1841* §. *Pari.*

15. Verum si incertus rumor feratur mortis absentis, datur dumtaxat heredibus legitimis illius bonorum administratio cum cautione, ut eruere est ex magistrali Romana Administrationis 20 februarii 1673 coram Priolo; si vero adsit certitudo moralis eius obitus conceditur successio, iuxta casum strenue disputatum in eadem Romana, et in Recent. decis. 556 a n. 15 part. 19 tom. 2, Natt. cons. 241 per totum, Rebuff. in prax. tit. de reprobat. Benef. vivent. impetrat. n. 52 §. Quia sicut *in Placentina Visitationis sacrorum Liminum die 28 Augusti 1841* §. *Rem.*

16. Hereditatem autem pendente conditione in L. 151 de verb. signif. heres adire non potuit, adeoque nec in donatariam ius non aditum transmittitur, ad Gloss. ad L. 3 §. Acquirere ff. de bonor. possessione: hinc hereditas illa non adita nec ad scripti heredis, qui ante aditionem moriatur, heredem transmittitur, sed aut ad substitutum, si adsit, aut ad legitimum heredem, uti explicat Cuiacius tom. 9 edit. mut. col. 809 litera B *in Firmana Iurispatronatus die 2 Iunii 1838* §. *His.*

17. Nec dici potest, heredem ius saltem adeundi hereditatem in donatariam transferre potuisse, tum quia mortuus est ante delatam sibi hereditatem, tum quia ius adeundi hereditatem non transmittitur ad heredem, nisi sciens eam sibi delatam intra annum, et inter deliberandum moriatur *in Firmana Iurispatronatus die 2 Iunii 1838* §. *Nec dici.*

18. Quod si una hereditatis pars distincta est ab altera ex dirimentibus verbis, exclusum quoque censetur praelegatum ab universali fideicommisso, per Textum in L. *Marcellus* §. Quidam liberis, et in L. *In fideicommissariam* §. Quoties ff. ad senat. consult. Trebell., Peregrin. de fideicomm. art. 7 a n. 44, Tondut. quaest. et resol. cap. 85 a n. 1, Rota in Recent. decis. 143 n. 8 part. 1, coram Ubaldo decis. 526 n. 5, coram Bichio decis. 449 n. 4 *in Fulginaten. Concordiae die 26 Martii 1791* §. *Urget.*

19. Hinc dum satis constet, heredem proprietarium integrum semissem hereditatis usufructuario heredi reapse vendidisse, nullum exinde ius super bonis hereditariis praetendere potest, etiamsi contrarium probare vel laesionem intercessisse contendat, ex aequitate tamen aliquid eius viduae vita naturali durante indulgetur *in Pisauren. Reintegrationis die 9 Iunii 1855 et die 7 Iunii 1856.*

20. Enimvero testamento die 26 iunii 1826 obsignato Vienna Niccoli virum suum Therentium Righetti heredem ex asse usufructuarium, proprietarios vero pro aequali heredes Iosephum Mondaini nepotem ex sorore Ancilla et Ursulam Rossetti Antonio Barolini nuptam ex altera sorore Emerita neptem nuncupavit. Codicillaribus autem tabulis diei 30 aprilis 1835 usufructuarium heredem quolibet onere vacuum ac solutum conficiendi inventarium rationumque reddendarum edixit, diserte praeterea prohibens proprietariis heredibus, ne bona a viro suo eius nomine acquisita et possessa quovis sub praetextu in discrimen revocarent. Vita functa Testatrice die 2 maii eiusdem anni 1835, continuo Ursula Rossetti altera ex heredibus proprietariis consilium iniit, suam hereditariam quotam Usufructuario heredi vendendi; quo as-

sentiente rebusque hereditariis Peritorum ope aestimatis ceterisque adhibitis solemnitatibus in contractu a muliere absolvendo praescriptis, die 15 insequentis mensis iulii solemnis emptionis venditionis stipulatio peracta est, qua Ursula Rossetti accepto habito pretio scutorum 2750 declaravit – di niente altro dovere avere o poter pretendere dal Signor Righetti per ragioni sulla eredità della suddetta signora Vienna Niccoli –. Quod ubi Iosepho Mondaini alteri proprietario heredi innotuit, et ipse consilium cepit alterum hereditatis semissem favore usufructuarii heredi alienandi, ac die 25 eiusdem mensis publicis signatis tabulis, in quibus ipse acceptas habuit rerum hereditariarum peritias in altero memorato contractu confectas, conventum est, ut Mondainius dimidiam partem bonorum, quae in notulis Peritorum descripta erant, Therentio Righetti cederet, adiecta clausula, ut supra, – di niente altro dovere avere o poter pretendere dal signor Righetti per ragioni sulla eredità della signora Vienna Niccoli –, Therentius Righetti autem eidem solveret scuta 3500, et pro tunc fructus in summa scutorum 3 et obulorum 14 pro quolibet centenario, nimirum scuta 110 pro quolibet anno. Sed sex post annis nova inita est conventio, qua pretium ad scuta 3100 illico persolvenda reductum est. Plures iam praeterlapsi fuerant anni ab facta conventione, cum Mondainius facti poenitens, ac laesa in emptionis venditionis contractu sua iura existimans, Therentium Righetti coram Pisaurensi Tribunali in ius rapuit, instans pro nullitate contractus. Sed edita sententia die 11 augusti 1848 Tribunal reiecit instantiam. Provocatione interiecta die 9 iunii 1851 novum transmisit libellum Mondainius, ut declararetur, ex instrumento 25 iulii 1835 haud venditam fuisse hereditatem et actiones hereditarias, sed aliqua ac designata dumtaxat bona hereditaria, adeoque locum esse firmationi status hereditarii per unum vel plures Peritos conficiendi; et quoties ius seu hereditatem venditam fuisse ediceretur, postulavit, ut declararetur, salvas ac integras esse ipsius rationes ad effectum obtinendi pretium quoad bona ac rationes in contractu haud designatas. Tribunal autem sententia diei 22 iunii 1852 decrevit, ex memorato instrumento diei 25 iulii 1835 haud venditum fuisse ius hereditarium, sed bona dumtaxat, quae in eo designata apparebant, adeoque salvas ac integras esse illius rationes, quibus in separato iudicio assequi posset cetera, si extarent, bona hereditaria. Interim vero diem obivit supremum Therentius Righetti, ac testamentariis tabulis in usufructu heredem scripsit secundam Uxorem suam, in proprietate vero Causam piam, quae praecipue publicae instructioni ac Pauperum portus Pisaurensis beneficio intenderet; simulque Exequutoribus testamentariis mandavit, ut pendentem litem, qualibet cum Mondainio compositione posthabita, pro viribus agerent et terminarent.

21. Re, instante Mondainio, per Summum Pontificem ad Sacram Congregationem delata, Episcopus, auditis Partibus, contrariam Mondainio sententiam pandere censuit. Unde qui partes Executorum testamenti Therentii Righetti agebat, nulla hereditaria bona Viennae Niccoli ab illius heredibus vitioso titulo possideri ex eo potissimum probavit, quod in contractu emptionis venditionis anni 1835 non aliqua tantum bona, sed universam iuris hereditarii quotam Ioseph Mondainius Therentio Righetti cesserit. Collatis enim ad invicem instrumentis contractuum tam Ursulae Rossetti, quam Mondainii, haec omnino consentanea esse demonstravit, ut adeo, quae illa egit, hic adamussim egisse dicendum esset. Atqui Ursulam Rossetti ius suum hereditarium vendidisse manifesto colligi, tum ex causis, queis ad venditionem perficiendam mota est, quod – non poteva contare la Rossetti di avere alla morte del Righetti la metà dell' eredità in quel valore, che allora esisteva –, ideo existimaverat – migliore e più vantagioso quello di convenire collo stesso Righetti per calcolare sopra un fisso –, tum ex eo quod, quoties mentio exciderat de re in contractum deducta, voces adhibitae fuere *Assis semissis*, quas in subiecta materia ad universitatem referri necesse erat, tum demum a declaratione ab eadem Ursula in instrumento adiecta ac iisdem verbis a Mondainio obfirmata – di niente altro dovere avere o pretendere dal signor Righetti per ragioni sulla eredità della signora Vienna Niccoli –. Nil porro obesse, vel quod in in-

strumento corpora hereditaria fuerint enumerata, cum id demonstrationis causa factum fuisse censendum esset, siquidem de voluntate contrahentium integrum vendendi ius hereditarium constaret, quae magis spectanda est, quam quod dictum aut gestum sit, Roland. cons. 61 n. 33 lib. 2, Constant. vot. 378 n. 9, vel quod Ursula in se susceperit periculum evictionis, ad quam venditor hereditatis non tenetur, cum nihil impedimento sit, quominus ille huic se subiiciat oneri, quin exinde natura contractus immutetur, iuxta Textum in L. 1 Cod. de evictione. Eadem igitur ratione et Mondainium ius hereditarium, non singula hereditaria corpora tantum, vendidisse conclusit; quippe in eius instrumento legebatur: – Mediante istromento diei 15 cadente la signora Rossetti alienò a favore dell'usufructuario signor Righetti la propria metà dell'asse ereditario. Anche il signor Mondaini essendo ora venuto nella determinazione di cederne la propria metà allo stesso signor Righetti etc. –. Sed dato, res dumtaxat certas divenditas fuisse, nihilominus haud ex adverso probari posse ostendit, alias res in hereditate extitisse praeter eas, quae descriptae fuerunt et aestimatae; imo nec evinci, res in notulis descriptas iusto minoris aestimatas fuisse. Dilemmate e contra concludebatur tota Mondainii defensio. Aut enim ius hereditarium Mondainii integre in contractum incidit, aut singula bona tantum in aestimatoriis notulis contractui adnexis enunciata: in primo casu, cum pretium solutum nec trienti valoris eius iuris hereditarii responderet, conclusit Defensor, contractum ob laesionis, qua inficiebatur, enormissimae vitium nullitate laborare; in altero, cum Therentii Righetti heredes absque ullo titulo plura huiusmodi hereditaria bona possiderent, utpote quae in emptionis venditionis contractu haud comprehensa fuere, sartum tectumque arguit manere ius Mondainio illa uti iura sua sibi vindicare. Rem itaque in utraque hypothesi conficere plurimum insudavit.

22. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quae bona seu iura hereditatis Viennae Niccoli constet sine titulo aut cum titulo aliquo vitio infecto possidere heredes Therentii Righetti in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit providendum reintegrationi seu indemnitati favore Iosephi Mondaini in casu? –, Sacra Congregatio die 9 iunii 1855 respondit: – Ad primum et secundum, Negative –. Novae audientiae beneficium continuo impetravit Ioseph Mondaini; ac interim supplicem Summo Pontifici penes Secretariam Memorialium obtulit libellum postulans, ut quaestionem transactione mandaretur componi, vel certa pecuniae vis Causae piae devoluta sibi subsidii titulo tribueretur. Re ad Vicarium administratorem Diaecesis Pisaurensis pro transactione remissa, nulla transactionis species perfici valuit. Idcirco Defensor, posthabito iure, enixe institit, ut ex aequitate aliquod ex reditibus hereditatis Righetti subsidium Mondaini assignaretur. Repropositis hinc dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius, solutis per Procuratorem Giusti scutis decem favore ven. Congregationis S. Ivonis, et ad mentem, mens est, supplicandum esse Sanctissimo, ut ex summa scutorum bis centum, pro manualibus eleemosynis assignata, tribuantur quotannis scuta centum Viduae Mondaini titulo subsidii charitativi eius vita naturali durante – *in Pisauren. Reintegrationis die 7 Iunii 1856.*

23. Quum itaque heres substitutus facultatem disponendi de bonis Testatoribus, quibus Collegium erigi deberet, habere videatur, eidem praefata bona adiudicantur cum onere persolvendi certam summam favore Seminarii pauperis; quandoquidem quum Petrus de Montalt e Civitate Perpiniani, herede instituto Nepote, plures ei substituerit, quibus omnibus deficientibus, Collegium seu alterum pium Opus erigi voluerit, sed Antonius de Montalt ultimus superstes, septuagesimo suo aetatis anno constitutus sine liberis decesserus, penitusque extincta omnium substitutorum linea, disponere volens etiam de bonis hereditatis Petri praedicti, dubitans de facultate, petierit eorumdem bonorum adiudicationem cum onere persolvendi annua scuta viginti titulo eleemosynae alicui hospitio applicanda, eiusque precibus assentirentur in-

teresse habentes, dummodo summa aureorum Parisiensium quinquaginta in eleemosynam Pauperum eroganda pro una vice ab ipso persolveretur, Sacra Congregatio annuendum esse censuit iuxta votum Episcopi, qui existimavit, Oratorem posse de bonis Petri Montalt pro libito disponere, quia Collegii institutio demandata fuit in casu, quo ultimus de familia intestatus decessisset, atque advertit, hereditatis vires non sufficere pro pii Operis institutione, nec non conclusit, quod – cum Testator bonum literarum ac studiorum aliquo modo videatur intendisse, dictam aureorum Parisiensium quinquaginta summam merito sancteque applicari posse arbitramur Elnensis Diaecesis Ordinandorum Seminario pauperi sive pauperibus ordinandis exercitiis Seminarii vacantibus –; his enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Elnen. die 18 Decembris 1773.*

24. Diminutio autem hereditatis, quae accidit sine facto et culpa heredis, cedere debet tum heredis, tum legatariorum damno, sive legata prophana sint, sive pia, sive in quantitate data sint, sive in specie, ut ex L. *Si quis testamento* §. Apud Iulianum ff. de legat. 1, et L. *In ratione* §. Quod vulgo ff. ad legem falcidiam, Peregrin. de fideicomm. art. 4. n. 63, Gratian. discept. for. 646 n. 15, Parlador. rer. quotid. lib. 1. cap. 18 n. 3, Gomez variar. resol. tom. 1. cap. 12 n. 34, Tiraquell. de privileg. piae Caus. privil. 26 n. 4, Castill. controv. iur. lib. 8 cap. 9 a n. 15, Thesaur. quaest. for. lib. 3 cap. 104 n. 1, Capon. discept. for. 186 n. 5 et 27 tom. 5, *in Romana Reductionis Legatorum die 13 Septembris 1755* §. *Controversia.*

Item *in Viterbien. Legati die 8 Augusti 1767* §. *Inquit.*

25. Limita vero, si heres quartam falcidiam salvam habeat; quo sane casu contributioni et diminutioni praedictae locus esse non potest, dum heres petere nequit, ut aliquid e legato recidatur, ut tradunt Interpretes: si minus quarta in hereditate sit, minuuntur legata et relicta, nisi pia sint, ita ut quarta heredi salva sit *in Romana Reductionis Legatorum die 13 Septembris 1755* §. *Iuris.*

26. Minuuntur itaque legata, ut sit, qui hereditatem adeat, nam sine compendio aliquo nullus adibat, ac minuuntur, ne heres sit in damno, non ut magis lucretur; leges enim et iura Quiritium lucrum statuerunt in quarta, quam si heres salvam habeat, potest reliquum hereditarii assis legatis et relictis absumi sine ulla heredis querela *in Romana Reductionis Legatorum die 13 Septembris 1755* §. *Iuris.*

27. Hinc frustra petitur ab herede, ut legatarii compellantur ad contributionem ratione expensarum litis actae, cum cognotissimum sit responsum illud aequissimum Scevolae in L. *Ex parte* 40 ff. de famil. ercisc., qui id negat, nisi heres aut socius probet, maiores sumptus fecisse, quod legatariorum aut sociorum Causam defenderit, eas impensas non facturus, si propriam tantum Causam defendisset *in Romana Reductionis Legatorum die 13 Septembris 1755* §. *Eoque.*

28. Idcirco quando aes alienum est hereditarium aequa videtur detractio, quum in eo consistat hereditas, quod superest, detracto aere alieno, Text. in L. *Princeps.* ff. de verb. signif. *in Camerinen. Reductionis Missarum die 12 Maii 1792* §. *Si.*

29. Nulla tamen fit detractio, quando ad heredem pertinet, qui causam habet ab immediatis heredibus, L. unic Cod. ut action. ab hered. contra hered. incip. *in Camerinen. Reductionis Missarum die 12 Maii 1792* §. *Si.*

30. Alias enim hereditas non intelligitur, nisi aere alieno subducto, Rot. decis. 326 n. 5 et decis. 327 n. 3 in nuperr. 1839, nec legata etiam ad pias Causas ante aeris alieni solutionem praestari debent, L. *Princeps* ff. de verb. signif., Rot. in Romana successionis 5 maii 1839 §. 4 coram Isoard. Facultas porro testandi habilitat Personam ad disponendum de eo, quod proprium est, Rot. in Recent. decis. 411 n. 3 part. 4 tom. 1 *in Agrigentina Commutationis voluntatis die 20 Novembris 1841* §. *Verumtamen.*

31. In iure tamen certum habetur, hereditatis diminutionem non Operibus piis certis et determinatis, sed reliquis generice et indeterminate imperatis cedere debere, Constan. de rat. quaest 163 n. 2, Rot. coram Molines decis. 450 n. 8 et 9 *in Viterbien. Legati die 8 Augusti 1767* §. *Frustra.*

32. Hinc testamentum conditum ab Episcopo Solio Pontificio assistente, qui duabus Ecclesiis praefuit, et in quo utramque sibi scripsit heredem in bonis quaesitis ex reditibus ecclesiasticis, substinetur quoad legata in eo relicta vigore indulti, dummodo non excedant in totum summam ducatorum 1000 de Camera, in reliquis autem bonis ab una vel alia Ecclesia provenientibus, ab Episcopo adhuc vivente non distractis, nequaquam substinetur, sed eadem bona utrique Ecclesiae deberi iure precarii absque ullo onere; unde detractis prius dictis legatis, bona, quae proveniunt a prima Ecclesia iuxta inventarium iam factum et non fuerunt ab Episcopo in eius vita distracta, eidem debentur, reliqua vero secundae Ecclesiae, atque ita hereditas inter dictas Ecclesias est partienda *in Montis Pelusii seu Hieracen. Spolii die 18 Februarii et die 2 Decembris 1758.*

33. Siquidem postquam Episcopus Caesar Rubeus undecim annis Ecclesiae Montis Pelusii praeerat, translatus fuit ad Ecclesiam Hieracensem, et repertorium seu inventarium fecit rerum bonorumque omnium, quae secum tulit. Evenit haec translatio anno 1750, evectus inde fuit ad honorem Episcopi assistentis Solio Pontificio. Decessit vero anno 1755, et testamento heredem scripsit Matrem Fratresque, quibus etiam nonnulla praelegavit: in bonis autem quaesitis ex reditibus ecclesiasticis utramque Ecclesiam scripsit heredem, Hieracensem nempe et Montis Pelusii; huic etiam praelegavit argenta, dato onere ea convertendi in argenteam imaginem S. Euphemiae. Plura etiam dedit legata, de quibus nihil attinebat dicere. E vivis hinc erepto, Capitulum Ecclesiae Montis Pelusii revocabat a Capitulo Hieracensi bona omnia descripta in repertorio seu inventario tamquam, Episcopo defuncto, quaesita ex reditibus primae Ecclesiae. Obstitit Capitulum Hieracense et obstiterunt Heredes. Declaravit autem Capitulum Montis Pelusii, nullam Heredibus movere quaestionem de bonis patrimonialibus, rem esse de bonis quaesitis ex reditibus ecclesiasticis. Disputavit igitur, testamentariam dispositionem, qua utraque Ecclesia, prima nempe et secunda, heres scripta fuit, viribus non subsistere, quod Sacri Canones testamenti factionem adimant Episcopis in bonis ecclesiasticis; idque etiamsi favore piae Causae testentur, quod si etiam favore utriusque Ecclesiae Episcopus ille testari potuisset, irritum tamen fuisse testamentum, quia unaquaeque Ecclesia heres scripta non fuit in bonis Episcopo quaesitis ab unaquaque ipsarum, ideoque cum longe superarent bona, quae ipse ex reditibus primae Ecclesiae quaesiverat, testamentum substineri non poterat in detrimentum Ecclesiae Montis Pelusii. Ex his consequi, ut onus ab Episcopo adiectum praelegato facto eidem Ecclesiae pro non scripto habendum esset, et praelegata data Matri Fratribusque pro non scriptis pariter essent habenda. Dispositionem quoque, quam idem Testator fecit uti Episcopus Pontificio Solio assistens effectum habere posse censuit in iis dumtaxat bonis, quae proveniebant ex reditibus secundae Ecclesiae, quia honorem illum Testator accepit post translationem, et indultum testandi ad pias Causas de ducatis mille auri de Camera accipiendum esset sine detrimento iuris tertio quaesiti, quod Summus Pontifex nulli auferre censetur, prout in actu translationis ius quaesitum fuerat Ecclesiae Montis Pelusii. Concludendum igitur esse, ut bona, quae patrimonialia erant, ad heredes spectarent, comparata vero ex reditibus ecclesiasticis primae Ecclesiae, ut etiam credita quaecumque, quae ante translationem habebat, ad primam spectarent Ecclesiam, quae denique comparata erant ex reditibus secundae, spectarent ad secundam, non autem ex aequo inter primam vel secundam Ecclesiam dividenda esse, ut voluit Testator; ita enim in hac vexatissima Doctorum opinionibus quaestione definitum fuisse ab Sacra Congregatione in cognotissimis Causis Suessana seu Cathacen. Spolii 18 Septembris 1709 et 23 Ianuarii 1710, et Trivicana seu Tricaricen. 6 Iulii 1726, et Acerrarum seu Matheranen. Spolii 3 Ianuariis 1735.

34. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo testamentum bo. me. Episcopi de Rubeis Montis Pelusii deinde Hieracensis substineatur in casu etc. II. An et quomodo sit distribuenda illius hereditas in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 februarii 1758 respondit: – Ad primum, substineri quoad Legata in eo relicta vigore indulti, dummodo non excedant in totum sum-

mam ducatorum 1000 de Camera; in reliquis autem bonis, ab una vel alia Ecclesia provenientibus, ab Episcopo vivente non distractis, nequaquam substineri, sed eadem bona utrique Ecclesiae deberi iure precarii absque ullo onere. Ad secundum, detractis prius legatis ut ad primum, bona, quae proveniunt ab Ecclesia Montis Pelusii iuxta inventarium anni 1750, et non fuerunt ab Episcopo in eius vita distracta, deberi ipsi Ecclesiae Montis Pelusii; reliqua vero Ecclesiae Hieracensi, atque ita hereditatem esse inter dictas Ecclesias repartiendam –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Montis Pelusii seu Hieracen. Spolii die 2 Decembris 1758.*

35. Neminem etiam latet, S. Pium V in Constitutione 42 in numero suarum disposuisse, quod in omnibus, quae ad cultum divinum et Altaris usum Episcopus inserviunt, succedant Ecclesiae, quibus praesunt, inter quas res comprehenditur etiam una pelvis et unus urceus ex argento, sine quibus Episcopus celebrare non potest, neque debet, ut iam decisum fuit in una Valentina Pontificalium coram Priolo die 5 Iunii 1657, quae est decis. 259 in Recent. part. 12, et confirmata fuit in eadem Rota coram Albergato die 4 iunii 1663, ac de ea late agitur in disc. 77 per totum Card. Luc. sub titulo de testamentis *in Voto Card. Pereira in Causa Spolii die 18 decembris 1723* §. *Neque.*

36. Hinc Ecclesiis pauperibus et Hospitalibus de iure deferuntur hereditates incertis Pauperibus relictae, iuxta censuram Textus in L. *Si quis ad declinandam* 37 Cod. de Episcop. et Clericis, et censuit etiam Sacra Congregatio in Hispalen. 7 septembris 1680 lib. 31 Decretorum *in Vicen. Commutationis et applicationis die 20 Novembris 1762* §. *In.*

37. Quum autem duo Testatores simul ex propriis bonis demandaverint erectionem Ecclesiae Collegiatae cum onere trium Missarum, sibique reservaverint facultatem addendi minuendi ac immutandi testamentariam dispositionem, unde altero ex iis e vivis erepto alius exinde in codicillis declaraverit, ut una tantum Missa loco trium quolibet die celebraretur, Sacra Congregatio resolvit unam tantum Missam lectam esse quotidie celebrandam pro anima Fundatorum, praeter Missam Conventualem *in Anagnina die 10 Februarii et die 15 Septembris 1781.*

38. Siquidem divini cultus incrementum dulcisque amor patriae compulerunt Ioannem Baptistam et ipsius consobrinam Mathiam Rauli nobiles Anagninos, ut sibimetipsis invicem heredibus institutis universalem substituerent heredem Collegiatam Ecclesiam in Civitate Anagnina erigendam et S. Angelo Custodi nuncupandam. Formam licet et onera praefatae Collegiatae fusiori calamo praescripserint, addiderunt tamen: – Ci riserviamo noi Testatori suddetti la facoltà di poter aggiungere mutare e diminuire questa presente disposizione etiam per rogito di Notaro senza fare codicillo –. Prior e vita decessit Ioannes Baptista Rauli: hinc Mathia eius consobrina superstes plura quoad Collegiatae erectionem immutavit. Haec inter grave nimis putans onus Canonicis et Rectori impositum celebrandi quotidie unam Missam pro animarum Testantium expiatione, et duas Missas pro animabus in Purgatorio existentibus, idem onus solemniter die 18 novembris 1707 moderata est declaravitque, – ut una tantum Missa loco trium quotidie celebraretur –. Dein eadem Mathia naturae debitum persolvit. Hinc locus factus est erectioni Collegiatae, quae a s. m. Clemente XI confirmata fuit speciali erectionis Bulla data apud S. Petrum anno 1712 pridie nonas maii. Executioni demandata Collegiatae erectione, Canonici tunc temporis impositum Missarum onus implere putarunt, Conventualem Missam cum duabus Missis lectis quotidie celebrantes. Sed b. m. Coadiutor Episcopus Rubbini in visitatione habita anno 1733 decrevit, Conventualem Missam pro Collegio applicari, non omissa quotidiana ad Fundatorum mentem trium Missarum celebratione. Hoc Decreto gravatos se esse censuerunt moderni Canonici, qui, attenta superius relata Mathiae declaratione, sui muneris partes abunde explere dixerunt, si praeter Missam Conventualem aliam lectam singulis diebus celebrarent. Preces igitur iam ab anno 1778 Sacrae Congregationi porrexerunt, ut voti compotes fierent. Episcopus, attentis aliis oneribus et redituum tenuitate, censuit, concedendam esse

reductionem ad formam declarationis Mathiae. Videndum itaque erat, quae essent Missarum onera iniuncta. Haec ut recte inspicerentur, sedulo erat perpendendum, an utrique insimul testantium ex condicto, an etiam alteri eorum superstiti fuerit attributa facultas commutandi, proindeque utrum sola Mathia iure fecerit Missarum reductionem. Illud quoque inspiciendum, an Literae Apostolicae testamenti solummodo, vel declarationis etiam per Mathiam emissae rationem habuerint. Denique discutiendum videbatur, an posterior declarationis codicillus ab unica superstite Mathia exaratus praeferri deberet communi testamentariae dispositioni, cui nedum enunciatum Episcopalis visitationis Decretum anni 1733, verum etiam sexaginta circiter annorum observantia adstipulabatur.

39. His interim perpensis, Sacra Congregatio die 10 februarii 1781 responsum dedit: – Dilata, et exhibeatur testamentum Ioannis Baptistae et Mathiae Rauli, nec non firmetur status utriusque hereditatis, et doceatur de reditibus et oneribus Capituli –. His mandatis expletis, constitit ex legitima status activi et passivi firmatione, statum activum ascendere ad annuum reditum scutorum mille centum viginti quatuor et obulorum octoginta cum dimidio; passivum vero statum compositum ex oneribus certis Capituli annuam conficere summam scutorum septingentorum triginta septem, quibus a statu activo subductis, hunc supergredi in annis scutis tercentum octuaginta septem et obulis octuaginta cum dimidio dividendis inter novem Canonicos et Rectorem, cui scuta decem ultra portionem uniuscuiusque Canonici in illius portionem augmentum ex testamentaria dispositione erant annuatim persolvenda. Verumtamen ponderandum erat, hic non agi de facienda Missarum reductione, attenta redituum imminutione, sed agi quidem de exequenda illarum reductione iam facta a Mathia Rauli, tamquam superstite consobrino fratri suo virtute facultatum, quas sibi ipsis reservarunt addendi minuendi et immutandi testamentariam dispositionem. Animadvertendum insuper erat, hanc immutatae voluntatis declarationem a Mathia factam, nimirum erigendi Collegiatam in parochiali Ecclesia S. Andreae, non autem in domo ipsorum habitationis, ubi Ecclesia de novo aedificanda erat, ut in testamentariis tabulis dispositum fuerat, itemque ad unam tantum Missam quotidie celebrandam reducendi tres quotidianas Missas in testamento praescriptas, exequutam fuisse a Summo Pontifice in Bulla erectionis, dum Collegiatam erexit, iuxta declarationem Mathiae, in praefata Ecclesia parochiali S. Andreae, ac praecepit, ut Canonici – Missas latius in dicto testamento et declarationibus subinde sequutis demandatas celebrare debeant et teneantur –. Nec mirum esse videbatur, si Summus Pontifex in dicta Bulla erectionis quoad Missarum celebrationem relationem habuerit tam ad testamentum, quam ad declarationem Mathiae, quia in testamento praescripta fuerat aliarum Missarum celebratio in posteriori declaratione Mathiae non immutata, prout erat Missarum celebratio facienda in Capella divi Caroli Anagninae Cathedralis de iurepatronatus ipsorum Fundatorum, nec non celebratio Missae Conventualis praescripta in eodem testamento, ad cuius tramites in praefata Bulla mandabatur, quod Capitulum celebrare quotidie teneretur – unam Conventualem seu Maiorem Missam pro suffragio animarum praedictorum Testatorum illorumque Parentum et Consanguineorum ac Benefactorum –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta modum, nempe unam tantum Missam lectam esse quotidie celebrandam pro anima Fundatorum, praeter Missam Conventualem – *in Anagnina die 15 Septembris 1781.*

40. Quin imo hereditas erectioni Canonicatuum destinata non Canonicis incertis et incognitis, sed Ecclesiae ipsi eiusque intuitu relicta censetur, Ancharan. in Cap. *Officii* n. 6, Abb. in Cap. *Requisisti* n. 27 *in Hortana Erectionis Canonicatuum die 26 Martii 1768* §. *Addit.*

41. Qua de re fructus hereditatis, quam Testator reliquit Ecclesiae Collegiatae, cum onere Canonicis solvendi pauperibus Puellis quaedam subsidia dotalia, erogandi sunt in beneficium eiusdem Ecclesiae, non vero in privatum commodum Prioris et Canonicorum *in Camerinen. Hereditatis die 16 Iunii 1696 lib. 46 Decretorum.*

42. Iamvero – in eius, quo decessit, te-

stamento Franciscus Polinas Canonicus Liberianae Basilicae anno 1690 ita disposuit: – In tutti poi e singoli altri suoi beni presenti e futuri sua erede universale fa instituisce e vuole che sia, e con la sua propria bocca nomina la ven. Chiesa Collegiata di S. Vincenzo di Cammerino sua patria, alla quale per ragione d' istituzione ed in ogni altro miglior modo lascia l' universa sua eredità, con peso però, che li signori Canonici di detta Chiesa Collegiata siano tenuti dopo la morte di esso Testatore dare e pagare a sedici povere Zitelle di detto luogo di Cammerino sua patria scudi 100 moneta per ciasceduna di esse per le loro doti e per una sola volta tantum –. Testatore defuncto, ac solutis dotibus, orta est contentio inter Priorem Capituli ex una et ceteros alios Canonicos super appropriatione fructuum praedictae hereditatis; praetendente Priore, fructus praefatos uti ad Ecclesiam heredem spectantes esse in beneficium illius fabricae ac sacrarum supellectilium erogandas; et e converso allegantibus Canonicis, in testamento fuisse principaliter contemplatas personas Canonicorum, easque gravatas onere dotandi Puellas, dotationem et nominationem Puellarum non ad onus, sed ad honorem et praemium administrationis hereditatis referendam esse respondit Prior, hinc delata controversia ad hanc Sacram Congregationem, utraque Parte informante, decernendum erit: – An fructus hereditatis, de qua agitur, sint erogandi in beneficium Ecclesiae heredis institutae, vel potius in privatum commodum Prioris et Canonicorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Camerinen. Hereditatis die 16 Iunii 1696 lib. 46 decretorum.*

43. Hinc hereditas, quam Testator reliquit Ecclesiae parochiali, impositis Parocho designatis oneribus, eroganda est in beneficium Ecclesiae, detracta importantia onerum, non vero in congruam Parochi *in Nepesina Hereditatis die 7 Maii 1808.*

44. Enimvero postremis tabulis Laurentius Antonini Archipresbiter Turritae ita de re sua disposuit: – Lascio tutto il mio asse rinvestito a questa Chiesa parrochiale di S. Tommaso Apostolo, col peso all' Arciprete pro tempore di obbligare il sotto Curato a a far la scuola almeno una volta il giorno gratis, e di celebrare o di far celebrare tre Messe la settimana in perpetuo in giorni ad libitum per mio suffragio e de' miei defonti, e coll' obbligo di depositare in ogni anno scudi 15, quae in pios usus erant eroganda. In codicillis vero idem Testator declaravit, – che non avendo disposto della mia libreria, questa la lascio alla Cura o sia Parrochia di S. Tommaso con peso all' Arciprete pro tempore, di una Messa cantata ogni anno nel giorno del suo anniversario, come anche tutte le copie degli istrumenti di acquisti fatti –. Quaestio hinc orta est, utrum hereditas relicta fuerit Parocho, ita ut eius congruam augere deberet, vel potius Ecclesiae parochiali, ut eius fabricae cederet. Licet enim hereditas directe relicta esset Ecclesiae parochiali S. Thomae, nihilominus Archipresbitero imponebatur onus celebrationis Missarum; proptereaque si is incommodum sentiebat, et commodum sentire videbatur. Verum Epi copus censuit, – Legatum relictum esse Ecclesiae parochiali, non vero Parocho, qui considerari debet tamquam administrator Ecclesiae. Casus non disimilis ni fallor, decisus fuit ab ista Sacra Congregatione in una Camerinen. Hereditatis 16 iunii 1696. Agebatur ibi de hereditate relicta Ecclesiae Collegiatae cum onere tamen, quod Canonici eiusdem solvere tenerentur sex Puellis nubilibus pro dote scuta centum pro unica vice tantum. Orta controversia super fructuum dictae hereditatis attributione inter Priorem Ecclesiae, qui contendebat, fructus spectare ad ipsam Ecclesiam et in illius beneficium erogandos, ac Canonicos, qui autumabant, sese fuisse a Testatore principaliter contemplatos, et sicuti honoratos in dotium solutione, ita etiam honoratos titulo hereditatis –.

45. His igitur perpensis, proposito dubio: – An fructus hereditatis Archipresbiteri Antonini sint erogandi in beneficium Ecclesiae, seu potius in congruam Archipresbiteri Turritae pro tempore in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, detracta importantia onerum, Negative ad secundam – *in Nepesina Hereditatis die 7 Maii 1808.*

46. Idcirco Administratores hereditatis

defuncti Parochi tenentur redintegrare Paraeciam de summa pecuniae, quam ipse in proprios usus convertit, cum haud legitime constet, id iure ac merito fecisse *in Lucana Redintegrationis die 26 Ianuarii 1828.*

47. Siquidem qui in rerum perturbatione anni 1799 Gallo praeerat Exercitui vectigal indixit possessoribus Beneficiorum in Lucensi Ducatu existentium pro ratione fructuum pendendum. Huius legis vim subiisse et Lucenses libellas 2325 persolvisse dicebatur Aloisius Chifenti Rector Paraeciae Segromigni Lucensis Diaeceseos. Contigit autem anno 1812, ut ad sternendam publicam viam quaedam eiusdem Paraeciae occupata fuerint praedia, eorumque pretium in libellis 1204 memorato Parocho repraesentaverit publici aerarii Custos. Quamobrem Parochus memoria recolens, se anteactis annis militari lege coactum proprio aere maiorem pecuniae vim pependisse, ac sciens, quosdam alios Beneficiorum Rectores, ut redintegrationem soluti vectigalis assequerentur, impetrasse a Vicario Generali Apostolica Auctoritate suffulto veniam alienandi bona Beneficiorum, ideo et ipse Vicarium Generalem adiit, facultatemque in proprios usus convertendi praefatas libellas 1204 obtinuisse tradebatur. Iosepho e vivis erepto, Paraeciae Rector evasit Andreas Caelestinus del Carlo, qui ab illius Executoribus testamentariis restitutionem postulavit earumdem libellarum, ut in augmentum parochialis Praebendae conferrentur. Id aegre tulerunt Executores testamentarii, ac pressi inopia instrumentorum, quibus evincerent, Parochum Chifenti anno 1799 persolvisse vectigal a Gallico regimine impositum, et anno 1812 veniam impetrasse a Vicario Generali in proprios usus convertendi libellas 1204, sibi quaesierunt iuratum testimonium duorum Parochorum, qui iureiurando id se audivisse a demortuo Parocho testabantur. Verum exploratis iuris erat, Testibus de auditu ex ore ipsius rei nullam adhibendam esse fidem, cum tanti valeant, quanti testimonium illius, a quo audiverunt, Rot. coram Gamberini decis. 106 n. 16, et coram Olivatio decis. 183 n. 7. Illud praeterea accedebat, quod Testes illi haud referrent summam pro vectigali solutam, remque enarrando discreparent inter se, quemadmodum illorum testimonia perpendenti liquido apparebat. Nec praetereundum, uti Archiepiscopus animadvertebat, Vicarium Generalem tunc temporis veniam scripto dumtaxat concedere consuevisse alienandi bona ecclesiastica, ut Beneficiati, qui vectigal repraesentaverant, sese reficerent. A veritate igitur alienum videbatur, quod narravit Parochus Chifenti: ipse enim non statim, nec paullo post, sed emenso quindecim annorum curriculo redintegrationis indultum postulare, illudque oretenus a Vicario Generali obtinuisse retulit. Hinc colligebat Parochus del Carlo, aut Aloisium Chifenti tributum non solvisse, quia Galli ab hostium armis perstricti illud haud exigere valuerunt ab omnibus Lucensis Ducatus Beneficiorum possessoribus, aut redintegrationis indultum nunquam a Vicario Generali obtinere potuisse, quia parochialis Praebenda tunc ampla dote praedita par erat oneri vectigalis ferendo.

48. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Administratorum hereditatis Chifenti in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative in omnibus – *in Lucana Redintegrationis die 26 Ianuarii 1828.*

49. Quin imo, iusta concurrente causa, indulgetur, ut, erogatis duabus tertiis partibus in celebrationem Missarum, pars tertia hereditatis in usus Ecclesiae parochialis erogetur; his enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo sit eroganda hereditas Ioannis Rosati in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, erogatis duabus tertiis partibus in celebrationem Missarum, et quoad tertiam partem erogandam esse in usus Ecclesiae parochialis arbitrio Emi Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo – *in Sabinen. Commutationis Voluntis die 21 Ianuarii 1809.*

50. Unde locus est applicationi hereditatis Augustini Minelli ad effectum augendi stipendium Capellano Curato, dum alias huiusmodi Capellanus haberi nequit, nec voluntas Testatoris repugnare videtur; his quippe in terminis proposito dubio: – An et quomodo sit locus applicationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, impletis oneribus per Capellanum – *in Eugubina Applicationis die 7 Maii 1808.*

51. Verum Ecclesiae parochiali haud competit detractio falcidiae ex bonis hereditariis, quae eidem ob id Testator reliquit, ut ex iis omnibus Beneficium in ea erigeretur, nec ad eamdem pertinet Legatum, quod propter Legatariae obitum insolubile extat, sed pro dote Beneficii accrescit in ipsa Ecclesia erigendi *in Praenestina Fundationis Beneficii die 28 Septembris 1743 et die 4 Decembris 1745.*

52. Enimvero Ioseph Leonus in supremo suae voluntatis elogio varia inter legata unum conscripsit quantitatis scutorum 200 pro duabus singulis proneptibus suis Maria Angela et Rosa titulo dotis in actu monachationis seu matrimonii semel tradendae; atque in reliquis universis bonis heredem instituit parochialem Ecclesiam S. Petri Apostoli Civitatis Praenesti patriae suae, ut in praefata Ecclesia ex eius hereditate Beneficium sub nomine Canonicatus de iurepatronatus cum legibus per actum inter vivos indictis erigeretur. Id porro abs se factum iri significavit praeclaro incitatus exemplo, quod tum feliciter regnans s. m. Clemens XII praebuit munificentissimae subventionis, qua vetus illud Apostolorum Principis templum eleganti forma restauratum amplificatum ornatumque fuit, tum etiam permotus non leviter ex plurimis officiis et precibus ab advocato Caesare Stephano Mocci concive suo impensis pro insigni adeo beneficio a Summo Pontifice reportando, nec non ex iis, quae a Civitatis Magistratu exhibita fuere grati animi obsequia erga summam laudati Pontificis beneficentiam. Postremo voluntatis suae executorem elegit ipsum Stephanum Caesarem Mocci, collata ei facultate conficiendi inventarii, capiendae pro Ecclesia herede possessionis bonorum hereditariorum, eadem bona administrandi, exigendi nomina debitorum, agendi tuendive lites in iudicio, frugi collocandi pecunias pro eadem Ecclesia, ac demum faciendi quidquid necessarium atque opportunum ei videretur, ad erectionem usque Canonicatum et nominationem Canonici. E vivis erepto Testatore, Executor testamentarius plures proposuit conditiones, quibus erigi deberet Canonicatus seu Beneficium: at Hieronymus Nobili Archipresbiter memoratae parochialis Ecclesiae S. Petri oppositorem se praebuit Executoris petitioni, nisi reipsa crearetur Beneficium sub nomine Canonicatus residentialis, uti Testator expresserat, non autem Beneficii simplicis, cuius capaces quoque essent impuberes, atque itidem nisi ex universa defuncti hereditate ipsa Ecclesia perciperet quartam falcidiam omnesque hereditariae pecuniae fructus, qui erectionis tempus antecederent, ac demum legatum scutorum 200, quod ob mortem puellae Rosae absque spiritualibus vel secularibus nuptiis effectum fuerat caducum.

53. Ad falcidiam quod spectabat, num haec detrahi posset a Causa pia herede instituta adversus alteram Causam piam legatariam, gravis erat quaestio variis Doctorum placitis involuta, quam intactam relinquere maluit S. Rotae Auditorium in Hortana seu Civitatis Castellanae Falcidiae impressa apud Mantiss. Card. De Luca lib. 9 decis. 64, et peculiaribus ex circumstantiis in ea Causa concurrentibus falcidiae detractionem negare, quia nimirum agebatur de legato cum onere Missarum, proindeque maius privilegium praeseferente, quam quod sibi posset adserere Ecclesia heres instituta, tum etiam quia plures coniecturae adesse videbantur, quod Testator voluisset, bona legata omnia omnino et integra cedere in causam a Testatore designatam, in quarum alterutra facti specie non esse locum inter Causas pias detractioni falcidiae cum aliis tradit Card. Petra in comment. ad Const. Apost. tom. 2 ad Const. 10 Innocentii III sect. 3 a n. 83. Num eiusmodi circumstantiae in casu, de quo agebatur, sese exhiberent, considerandum erat ex iis, quae superius in facto enarrata sunt: sed etiam operae pretium erat advertere, num duplicis et distinctae Causae piae favorem Testator respexerit, ita ut una, Ecclesia scilicet, vere proprieque heres dicenda esset, et altera, Beneficium nempe in eadem Ecclesia erigendum, Legatarii vicem sustineret; etenim si distinctio ista Heredis et Legatarii non esset, extranea erat quaestio de falcidiae detrahendae iure proposita. De hac duplicis veluti Personae distinctione dubitandi occasionem praebebant Testatoris verba; non enim iste parochialem Ecclesiam heredem instituit, ac disiunctim certa quaedam bona legavit pro fundatione Beneficii,

neque itidem heredi Ecclesiae onus adiecit erigendi Beneficii (quae oneris adiectio sortiri fortasse potuisset naturam peculiaris legati), sed in universis suis bonis Ecclesiam heredem instituit – ad effetto, che con la mia eredità venga eretto e fondato in ea Chiesa... un Benefizio residentiale –. Ab hac enim causa seu fine erigendi Beneficii coniectura sumi posse videbatur, an Testator purum heredis nomen Ecclesiae reliquerit, vel pro uno eodemque intellexerit Ecclesiam et Beneficium: sed reapse compendium omne hereditatis in Beneficium voluerit derivari.

54. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An Ecclesiae Archipresbiterali S. Petri in Castro Praenestino competat detractio falcidiae ex bonis hereditariis quondam Iosephi Leoni in casu etc. II. An legatum scutorum 200 per dictum Testatorem relictum Rosae de Letto et per istius obitum caducatum habeatur praedictae Ecclesiae, vel potius accreverat pro dote Beneficii in eadem Ecclesia erigendi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 septembris 1743 respondit: – Dilata, et exquiratur votum Emi Ordinarii –. Emus Episcopus secundum Advocatum Caesarem Moccium respondit, et repellendam putavit a iure falcidiae atque a compendio legati, quod dicebatur esse in causa caduci, parochialem Ecclesiam S. Petri heredem in testamento Iosephi Leoni scriptam. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Praenestina Fundationis Beneficii die 4 Decembris 1745* (1).

55. Quum itaque Testator medietatem hereditatis cum onere annui Anniversarii die obitus eiusdem agendi Conventui Regularium reliquerit, sed in codicillis declaraverit,illam hereditatis medietatem ipsis reliquisse, ut eam in Causam piam conferrent,adeoque summam hereditate maiorem detrahendam ac multiplico supponendam mandavit, Sacra Congregatio resolvit, esse locum detractioni unius Loci Montium S. Petri pro Anniversario, non vero falcidiae favore Conventus heredis *in Romana die 8 Iulii 1752.*

56. Siquidem testamento, quod Romae conscripsit anno 1744 et quo decessit Annibal Bertonius civis Faventinus heredes instituit – il ven. Convento e RR. Religiosi di S. Marcello di Roma, cioè per la metà libera ed assoluta senza alcun peso, fuorchè d'un Anniversario nel giorno della mia morte ed in perpetuo, e nell'altra metà eredi proprietarii i figli de' figli de' miei nipoti Gio. Battista Bertoni con gli altri figliuoli del sig. Giuseppe Antonio mio fratello –. Codicillis vero haec addidit: – Comanda, che in quanto alla metà dell'eredità in detto suo testamento lasciata al ven. Convento di S. Marcello di Roma, quale intende d'averla alli medesimi RR. Padri lasciata ad intuito e venerazione, che esso sig. codicillante dice d'averla avuta ed avere verso il Beato Filippo Giacomo Bertoni della stessa Religione nel Convento di Faenza sua patria, che perciò di detta metà d'eredità debbano detrarsene scudi 1500, quali debbono mettersi a moltiplico, ad effetto con il frutto di quelli promuovere e proseguire in Causa di beatificazione e canonizzazione di detto Beato –. Defuncto Testatore,Heredes eiusdem hereditatem cum beneficio legis et inventarii adierunt. Inde ope Periti iudicialis formatus fuit status hereditarius, venditisque mobilibus solutisque debitis ac legatis, facta fuit inter Heredes divisio in duas partes; obtigitque cuique in tot Locis Montium summa scutorum 1148 47, cum hereditas ascenderet ad scuta 2297, relictis indiviso uno alteroque hortis in Civitate Faventiae, quorum usumfructum Testator legaverat Catharinae Bertoniae, et paucis quibusdam creditis hereditariis, incertis tamen et liti obnoxiis. Ex his agnoverunt Patres S. Marcelli, portionem hereditariam, quam acceperant, integram absorptam iri a multiplico scutorum 1500, ita ut non solum hereditaria institutio inanis atque inutilis evaderet, si multiplicum implendum esset, sed Anniversarium quoque in auras ceu fumum abiret. Postularunt igitur, ut EE. PP. consulerent eorum indemnitati et voluntati Testatoris, qui de facultatibus suis amplius, quam in iis esset, speraverat; et postularunt, ut ex dicta summa scutorum 1148 detrahere

(1) Reliqua habes in Verb. *Beneficia*, §. II, n. 253 ad 260, Tom. III.

possent quartam ex lege falcidia in quantitate scutorum 382 82, inde ut constitueretur pro fundo Anniversarii Locus Montis scutorum 127; quod reliquum erat hereditatis, nempe scut. 638 67 esset pro multiplico, quod etiam augendum esset pretio hortorum et creditorum, si qua vindicari possent, quae eousque indivisa erant. Emus Episcopus censuit, precibus esse annuendum, quia licet e Legatis piis falcidia non detrahatur, id tamen locum non habet, ubi Locus pius heres sit, ut placuit Abb. in Cap. *In praesentia* de probat. n. 37, Peregrin. de fideicomm. art. 3 n. 69, Fontanell. de pact. nupt. claus. 6 gloss. 3 n. 44 part. 5, aliisque, praesertim cum Legatum pium maius est hereditate, ut disserit Tondut. resol. civil. cap. 13 n. 10, et Legatum multiplici collatum sit in tempus remotum, cum de canonizatione Beati Philippi Iacobi Bertoni agi non posset, nisi post similes alias Causas eiusdem Ordinis. Illud etiam accedebat, quod si secus fieret, inutilis esset institutio scripta in parte hereditatis, quam Testator voluit – libera ed assoluta senza alcun peso –. De Anniversario non erat dubitandum, cum hoc praeferri deberet multiplico: non alia igitur erat ratio exequendi voluntatem Testatoris, quam eam, quae a Partibus proponebatur.

57. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quae portiones detrahendae sint super medietate hereditatis relictae ab Annibale Bertoni Patribus et Conventui S. Marcelli de Urbe tam pro hereditate eisdem libere tangente, quam pro legato cum onere perpetuo Anniversarii, quam pro multiplico pro canonizatione Beati Philippi Iacobi Bertoni ab eodem Testatore demandato et super eadem medietate hereditatis detrahendae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Esse locum detractioni unius Loci Montium S. Petri pro Anniversario – *in Romana die 8 Iulii 1752.*

58. At quod Fratres Minoritae de observantia ex vi suae regulae sint prorsus incapaces hereditariae successionis, desumitur ex Clementina *Exivi* §. Cupientes de verborum significatione; quod procedit, sive hereditas eis relinquatur per viam directae institutionis, sive per viam substitutionis et fideicommissi, uti late adnotarunt Fagnanus in Cap. *Nimis prava* a n. 33 de excessibus Praelatorum, et in Cap. *In praesentia* de probat. a n. 39, Card. Petra ad Constit. Apostol. tom. 2 pag. 450 a n. 6, Pater Matthaeuccius Ordinis Minorum de observantia in suo Opere, cui titulus Schola paupertatis tit. 1 cons. 5 a n. 1 usque ad 4 *in Pisauren. Hereditatis die 11 Ianuarii 1727* §. *Quod Fratres.*

59. Quod pariter non possint isti Fratres Minoritae de observantia institui heredes cum hoc, ut bona hereditaria per Executores a Testatore nominatos vendantur, et pretium erogetur in reparationem Ecclesiae constructionem Capellae et sacram supellectilem, et quod quatenus heredis institutio non valeat ex aliqua causa in corpore iuris clausa, tunc valeat iure legati, doctrina est originalis Baldi adversus Bartolum in Authentica *Ingressi* a n. 50 de sacrosanctis ecclesiis, et Baldo ceteri adhaeserunt, uti videri potest apud Fagnanum in allegato Cap. *Nimis prava* a n. 20 de excessibus Praelatorum, et apud Mattheuccium citato tit. 1 cons. 5 a n. 4 usque ad finem *in Pisauren. Hereditatis die 11 Ianuarii 1727* §. *Quod pariter.*

60. Quod etiam praedicti Fratres non sint capaces nedum hereditatum, sed nec etiam annuorum legatorum, sive capitalia et mobilia, sive eorum dominium deferatur ad Syndicum Apostolicum, idque sive Syndicus consideretur ut talis, sive ut tertia Persona, latissime ostendit citatus Pater Mattheuccius in allegato opere Scholæ paupertatis tit. 3 cons. 3 per totum, et signanter a n. 7: – Etenim si Syndicus, ut tertia Persona habilis esset ad retinenda legata pro necessitatibus Fratrum, posset etiam census Loca Montium ac possessiones eorumque fructus, imo et pingues hereditates acquirere, cum eadem ratio sit de omnibus, et hinc via esset aperta excludendi Fratrum mendicitatem et introducendi abusus repugnantes puritati regulae – *in Pisauren. Hereditatis die 11 Ianuarii 1727* §. *Quod etiam.*

61. Hinc quoad Ecclesias Fratrum Minorum de observantia disputatio est, an heredes institui valeant: Bartolus enim in tractatu Minoritarum lib. 1 dist. 4 affirmative respondet, sed deinde ab hac opinione recessit in L. 1 Cod. de conduc. procurat. 11 n. 5:

– Si legatum relinquitur Ecclesiae S. Francisci, illud legatum est nullum, sicut si relinqueretur Fratribus de S. Francisco, licet tenuerim contrarium in Libello Minoritarum –. Negativae vero opinioni strenue adhaesit Baldus in allegata Authentica *Ingressi* n. 55 de sacrosanctis ecclesiis, quod repetit cons. 416 lib. 4, ubi sic concludit: – Ridiculum est dicere, non potest relinqui Fratribus, sed potest relinqui Ecclesiae; hoc enim quid aliud est, nisi verba sacra cavillari et mentem iuris lacerare –? *in Pisauren. Hereditatis die 11 Ianuarii 1727* §. *Quoad.*

62. Quapropter Sacra Congregatio in una Valven. seu Aquilana die 5 maii mandavit, ut hereditas relicta Altari in Ecclesia PP. de observantia, ob eorum incapacitatum, converteretur in erectionem Capellaniae pro Secularibus arbitrio Episcopi, cum reservatione iurispatronatus Exequutoribus testamentariis, ut in lib. 81 Decretorum pag. 214 *in Alerien. Legatorum die 21 Iunii 1760* §. *Quoad.*

63. Unde hereditas a Matre Filiis relicta, sed si iidem absque liberis decederent, tradenda imperio eiusdem Matris Fratribus Minoritis de observantia, imperio tamen ultimi ex praedictis filiis absque liberis e vivis ereptis praefata hereditas tradi deberet Fratribus ex Congregatione Beati Petri de Pisis, haud est adiudicanda Syndico Apostolico Patrum Minorum Observantium, sed praedictis Fratribus ex Congregatione Beati Petri de Pisis *in Pisauren. Hereditatis die 25 Ianuarii 1727.*

64. Iamvero anno 1654 Lucia Tofani suum ultimum condidit testamentum, in quo heredem universalem sibi scripsit Matthaeum filium, eique sine prole decedendi substituit Franciscum alterum filium suum, quo etiam sine filiis obeunte, sic disposuit, – che detta sua roba ricadi al Sindico del Convento e Chiesa suddetta de' Zoccolanti di Monte Baroccio, con obbligo per detto Signor Sindico, sia obbligato detta eredità metterla in esecuzione in beneficio e bonificamento di detta Chiesa in ogni modo migliore –. Filii Testatricis mortui exinde fuerunt absque liberis: cumque Matthaeus, qui ultimo loco decessit, fecerit praedictae hereditatis donationem favore Patrum S. Marci Ordinis Congregationis Beati Petri de Pisis, lis exorta est inter Syndicum Minorum Observantium et praedictos Patres Donatarios; cumque in eadem, una sententia in Partibus et quatuor in Urbe emanaverint, et illa de Partibus et alia in Urbe fuerint Syndico favorabiles, et tres in Urbe prolatae fuerint favore Patrum S. Marci, ab Auditore Sanctissimi facta fuit eius remissio in statu et terminis ad Sacram Congregationem. Supposita itaque incapacitate Fratrum Minorum de Observantia, videndum erat, an Matthaeus potuerit de bonis sive hereditate disponere favore Conventus Patrum S. Marci ex Congregatione Beati Petri de Pisis, vel potius sibi vindicarent locum privilegia R. Fabricae. Bartholus autem in tractatu Minoritarum lib. 1 cap. 2 haec habebat: – Quidam in suo testamento Fratres Minores vel unum eorum instituit heredem. Primo quaeritur, an valeat testamentum. Ad quod sciendum est, quod Decretalis *Exivi de Paradiso* dicit, quod Fratres Minores istarum institutionum nullatenus sint capaces: tamen addam, si quidem sunt instituti et nullum habent Substitutum vel Coheredem, quod testamentum est nullum, et hereditas pertinet ad venientes ab intestato; si vero Fratres instituti habeant Substitutum vel Coheredem, tunc testamentum potest valere, Substituto adeunte hereditatem, ad quem primo pertinet, vel adeunte Coherede, cui crescit portio relicta Fratribus, ubi Substitutus non est –, et sequitur Ancharanus in Clementina *Exivi* n. 2 de verborum significatione, et ex recentioribus firmant Fagnanus in Cap. *Praesentia* de probat. n. 42, Mattheucc. in suo opere, cui titulus Schola paupertatis tit. 1 cons. 5 n. 10, et Card. Petra ad Const. Apost. tom. 2 pag. 452 a n. 20 dicit, id esse resolvendum, attento tenore testamenti; et in eo quod attinebat ad Fabricae privilegia, eadem erant impressa apud Vespignan. pag. 33 et 71, et apud Card. Petra loc. cit. pag. 451 n. 9.

65. His mature perpensis, proposito dubio: – An hereditas Luciae Tofani sit adiudicanda Syndico Apostolico Patrum Minorum Observantium Montis Barocci, vel potius Fratribus S. Marci eiusdem loci? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Pisauren. Hereditatis die 25 Ianuarii 1727.*

66. Regularis vero, qui incapax sit possidere bona, si promoveatur ad dignitatem Episcopatus, recuperat ius succedendi ad hereditates sibi delatas post adeptum Episcopatum in utilitatem suae Ecclesiae quoad proprietatem, et in proprium commodum quoad usumfructum, etiamsi ante professionem cessionem et renunciationem favore fratris fecerit ad praescriptum Concilii Tridentini; siquidem propositis dubiis: – I. An quidam Regularis incapax bonorum ad Episcopatum assumptus recuperet ius succedendi quoad hereditates post assumptum Episcopatum sibi delatas? II. An eidem obstet cessio et renunciatio eiusmodi hereditatum facta in favorem fratris ad praescriptum Concilii Tridentini sess. 25 cap. 16 de Regularibus? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, recuperare ius succedendi ad hereditates post adeptum Episcopatum sibi delatas ad utilitatem suae Ecclesiae quoad proprietatem, et ad proprium commodum quoad usumfructum. Ad secundum, eidem non obstare supradictam cessionem et renunciationem quoad hereditates, quae non sint alteri post adeptum Episcopatum acquisitae – *in Neapolitana die 3 Decembris 1639* (1).

67. Quum itaque Testator, vocatis ad suam hereditatem descendentibus masculis tam suis, quam alterius familiae, inde voluerit, ut ad illam familia aliqua a Sodalibus Sanctissimi Sacramenti et Rosarii loci nominaretur cum onere pii Operis, sed uno adhuc praedictae familiae superstite Sodales, pendente informatione, alium ex familia sibi benevisa elegerint absque illius praeiudicio, Sacra Congregatio nullam edixit praefatam electionem, etiamsi sustineretur, omnes ex dicta Familia a Testatore vocatos in caducitatem incidisse, ac ultimum eiusdem superstitem, ex eo quod habitum Minorum Conventualium assumpserit, civiliter mortuum esse habendum *in Ferrarien. Hereditatis die 15 Ianuarii 1791.*

68. Siquidem Antonius Fioravanzi ex oppido Melariae heredes scripsit anno 1695 Catharinam Boniotti coniugem et Antonium Guarnieri Fioravanzi amitam, eisque Matthaeum substituit Resani seu Reggiani cum filiis et descendentibus masculis in infinitum. His tamen defectis, vocavit – quella famiglia, che sarà eletta e nominata dalli Fratelli civili solamente descritti nelle Compagnie del Santissimo Sagramento e Rosario erette in detta Terra di Melara; quale elezione dovrà farsi dai suddetti radunati colla participazione dell' Arciprete pro tempore di detta Terra, e quando questa famiglia così eletta finisse, sostituisce altra, che sarà come sopra eletta, e così seguitare di famiglia in famiglia in perpetuo –. Annuum heredibus et substitutis imposuit onus erogandi in eleemosynas dotes et Missas scuta 42, poenamque caducitatis in casu inadimplementi et alienationis bonorum indixit. Ob assertam hereditatis tenuitatem, reductum primo fuit legatum ad scuta 25 14 11 per transactionem initam inter Deputatum fiscalem Archiepiscopalis Curiae Ferrariensis et Felicem Reggiani Matthaei filium, deindeque per transactionem alteram cum Antonio et Iosepho Reggiani ad scuta decem. Hoc pacto in possessione bonorum continuarunt Ioseph Antonius eorumque germani fratres Matthaeus iunior et Franciscus; ac tota demum in priores tres coaluit hereditas ex testamento, quod ante assumptum sub nomine Bonaventurae Minorum Conventualium habitum condidit Franciscus. Hoc in gravi adhuc superstite aetate, reliqui decesserunt, sibique illorum novissimus heredem fecit Aloisium Isnardi, qui bona in praesens possidebat Fioravanzi. Quasi autem factus esset locus electioni alterius Familiae, eaque per dissentientes Sodales producta, negligeretur interim legatum, Summo Pontifici supplicavit Fabius Borghi, ut eligeretur. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, ac pendente informatione Emi Ferrariensis Archiepiscopi elegerunt potius Sodales Ioannem Baptistam Cagnini, qui electionis confirmationem postulavit – con espressa condizione di avere effetto seguita la morte di detto Padre Bonaventura ultimo maschio della Famiglia Resani, di cui è erede mediato il suddetto Isnardi –; remque Archiepiscopus EE. PP. iudicio servavit. Monitis hinc de mandato Sacrae Congregationis interesse haben-

(1) Reliqua habes in Verb. *Episcopus*, §. I, a n. 21, Tom. IX.

tibus ad deducenda eorum iura in Sacra Congregatione, liti cesserunt Melariae Parochus et Sodales; ac Isnardus dumtaxat Cagnini electionem impugnavit.

69. Praematuram suam electionem, naturaliter adhuc vivente Patre Bonaventura Reggiani, ex duplici Cagninius tuebatur capite, ob incursam scilicet a Reggianiis caducitatem, et alieni praeiudicii defectum. Incursam dixit caducitatem, ob pium fraudatum legatum, exortamque ex falsa causa illius reductionem, ob imminutum nempe ad annua scuta 16 bonorum reditum, qui duorum Sacerdotum testimonio summam attingebat scutorum 112, iterumque incursam ob alienata bona disiectasque hereditarias Aedes. Hac posita caducitate, purificatum autumavit casum electionis alterius Familiae, qui ab illa etiam ex voluntate Testatoris pendebat, per Textum in L. *Cum Pater* §. Liberius ff. de legat. 2, Rot. in Nuperr. decis. 81 a n. 9 tom. 3, et coram Ratto decis. 326 n. 3. Nulli vero per expletam electionem illatum contendit praeiudicium: non P. Bonaventurae, qui iamdiu se hereditate abdicavit: neque Isnardo, mediato eius heredi, qui ex declaratione Cagninii pacificus foret, illo vivente, hereditatis possessor; valideque ideirco fieri potuisse, iudicii praeventivi instar, quod ex sola actoris utilitate permittitur, ad tradita per Card. De Luca de iurisdict. disc. 16 a n. 14, et Rota coram Falconerio tit. de usufruct. decis. 6 n. 5. Plures adversus haec Isnardius opposuit nullitates; ursitque prae omnibus attentatum, ob factam Cagninii electionem, pendente apud Sacram Congregationem Borghi recursu, ex deductis per Lancellott. de attentat. part. 2 cap. 19 a n. 10, et Rot. coram Ludovisio decis. 571 n. 9. Facultatem rursus eligendi alligatam ostendit conditioni, quod omnes defecerint Reggianii, ideoque ante illius purificationem exerceri non potuisse, per Textum in L. *Quoties* §. Si quis ff. de hered. instituen. et in L. *Cum Pater* §. A filia ff. de legat. 2, ibique Bart. Molin. de primog. Hispan. lib. 2 cap. 4 n. 23 et 26. Nondum autem eos defectos esse ob existentiam P. Bonaventurae, quem ultro Cagninius, licet civiliter mortuum, idoneum fatebatur, ne mediatum eius heredem ad naturalem ipsius obitum turbaret. Maximum tandem ex praematura illa electione illatum affirmavit praeiudicium tum futuris Societatum electoribus, cum reliquis omnibus de Familiis, quae post obitum P. Bonaventurae ad hereditatem contendere poterant. Praevisum ab ipso non est caducitatis obiectum; sed prudentia sua deliberare poterant Emi Patres, num supponi in hac Causa valeret odiosissima poena absque declaratoria sententia, contra monitum Molin. de primog. lib. 2 cap. 14 a n. 20, Card. De Luca de legat. disc. 29, Valent. de ult. volunt. vot. 27 n. 39 part. 1. Nedum vero Cagninii electionem ex praemissis rationibus impugnavit, ut nullam; sed dispositionem ipsam reiecit Fioravanzi veluti captatoriam, ob remissam arbitrio Societatum incertae Familiae electionem, per Textum in L. *Illa institutio* 32, et L. *Captatorias* 70 ff. de hered. instit., L. *Captatoriae* 67 ff. de legat. 1, Donnell. in comment. ad ius civil. lib. 6 cap. 19 tom. 11, Fusar. de substit. quaest. 503 n. 50, Torr. de pact. futur. success. lib. 3 cap. 6 a n. 66. At notari poterat, rem in themate non esse de prima heredis institutione, de qua citatae Leges et Doctores loquuntur, sed de remota incertae Familiae substitutione, quae substantiam non tangit dispositionis, et in alienum arbitrium remitti valet, ut distinguendo tradunt Card. De Luca de fideicomm. disc. 60 n. 6 et disc. 61 n. 7, Rot. post Torr. de pact. futur. success. decis. 152 n. 8, coram Clemente XIII decis. 284 a n. 3, in Ariminen. Fideicommissi de Gridulphis 13 iunii 1755 §. 5 coram Viceconite, et in Confirmatoria 16 februarii 1756 §. fin. coram Caprara.

70. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sustineatur electio Familiae Ioannis Baptistae Cagnini ad hereditatem Fioravanzi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative in omnibus – *in Ferrarien. Hereditatis die 15 Ianuarii 1791.*

71. Ad quaestionem autem, quae versatur circa validitatem Paternae dispositionis, spectare potest distinctio tradita a Papiniano in L. *Titio centum* §. 1 ff. de condit. et demonstr.: - Aliud est eligendi Matrimonii poenae metu, libertatem auferri; aliud ad Matrimonium certa lege invitari -. Iuxta vero hanc distinctionem, an Matrimonii eligendi

libertas, hereditate data aut adempta, tolli censeatur, luculenter disputant Sanchez de matrim. lib. 1 disp. 33, Card. De Luca de testam. disc. 73, cum aliis, quos refert Rota decis. 89 a 11 coram Bichio, in Recent. decis. 493 part. 4 tom. 2, et Carpentoracten. Praelegati 26 ianuarii 1703 coram Ansaldo *in Urbinaten. Matrimonii die 26 Aprilis 1732* §. *Ad.*

72. Unde favore Causae piae substitutae nihil esse tribuendum, ubi agatur de libertate Matrimonii per iniectam poenam violata, advertunt Card. De Luca de testam. disc. 73 n. 28, Rota in Recent. decis. 493 a n. 37 part. 4 tom. 2, decis. 93 n. 13 part. 10 *in Urbinaten. Hereditatis die 26 Aprilis 1732* §. *Ceterum.*

73. E contra amitti hereditatem sive legatum ab eo, qui nubat ignobili, cum a Testatore iussus fuisset nubere nobili, probat Sanchez de matrim. disp. 33 n. 14 *in Urbinaten. Matrimonii die 26 Aprilis 1732* §. *Ad.*

74. Quum itaque Pater nobilis ex asse heredem instituisset Filium ea cum conditione, ut, si Filius nuberet Feminae non paris gradus et conditionis, ipso facto ei adempta censeretur hereditas, excepta legitima de iure debita, nec non Uxor et respectiva Mater usumfructu totius hereditatis huiusmodi casu eveniente potiri deberet, et post eius obitum plures Capellanias fundaret, Sacra Congregatio, attentis rerum circumstantiis, e vivis iam praedicta Matre erepta, censuit, consulendum esse Sanctissimo pro gratia derogationis ad cautelam, quam idem approbavit, ad effectum, ut Filius absque amissione Paternae hereditatis contrahere posset Matrimonium cum Puella e gradu, quem vocabant civium, non tamen ex nobili genere oriunda *in Urbinaten. Matrimonii die 10 Maii 1732.*

75. Iamvero Antonius Maria Ricciolus nobilis Urbinas usumfructum suae hereditatis reliquit Uxori et Filio, quem etiam ex asse heredem instituit. Hanc tamen adiecit legem, ut, si Filius nuberet feminae non paris gradus et conditionis, ipso facto ei adempta censeretur hereditas, excepta dumtaxat legitima de iure debita. Quo quidem casu eveniente, voluit Uxorem usufructu totius hereditatis potiri, quamdiu viveret; post eius vero obitum unam vel plures fundari Capellanias arbitrio eiusdem Uxoris, cui etiam facultatem tribuit legandi iuspatronatus, cui vellet. Matre iam ex corporis vinculis soluta sub annum 1727 exinde Livius Filius coniugem sibi despondit Elisabetham Ligiam, honestae quidem conditionis Puellam, et e gradu, quem vocabant Civium, non tamen ex nobili genere oriundam. Quumque, antequam Matrimonium cum ea iniret, declarari postulaverit, se minime futurum obnoxium ponae amittendi paternam hereditatem, Archiepiscopus maluit hanc controversiam dirimi iudicio Sacrae Congregationis. Primum itaque contendit Livius, non substineri Patris dispositionem, propterea quod repugnaret libertati, quam postulabat Sacramentum Matrimonii, cum privatio hereditatis, quae iam illi obvenerat, et quam pleno iure possidebat, veram poenae speciem habere videretur. Secundo exposuit, tenues ei esse copias, cum bona, quae habebat, aestimata fuerint pretio scutorum 3585 monetae Urbinatis, proindeque sperare se non posse dixit nuptias ineundas cum Puella illustri loco nata et decenti dote praedita. Tertio contendit, legem illam testamento Patris insertam tamdiu solum vigere debuisse, quamdiu vitae compos esset Mater, cui contulit in tali eventu usumfructum totius hereditatis, et cui etiam fuit impertitus facultatem determinandi modum fundationis Capellaniae ac relinquendi eius patronatum, cui ipsa voluisset. At Promotor Fiscalis Curiae Archiepiscopalis respondit, nihil proponi, quod libertati Matrimonii officeret, cum non de certa femina in Coniugem adiungenda Filio locutus fuerit Pater, sed sollicitus de conservanda Familiae suae nobilitate in eiusdem filii bonum, dumtaxat iusserit, nuptias ab eo iniri cum femina paris gradus et conditionis, quaecumque demum illa fuerit. Praeterea subiunxit, non inflictam videri poenam, si Patris voluntati non fuerit obsecutus Filius, sed potius oblatum ea conditione fuisse emolumentum, quo Filius ad id invitaretur, quodque praeter legitimam poterat Pater non conferre Filio. Denique addidit, substitutionem Causae piae non fieri caducam per hoc, quod casus non contigerit, superstite Matre, cum iuxta canonicas leges ad Episcopum devolvatur cura exequendi pias voluntates.

76. His mature perpensis, proposito dubio: – An liceat Livio Ricciolo Matrimonium, de quo agitur, contrahere absque amissione Paternae hereditatis? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Consulendum Sanctissimo pro gratia derogationis ad cautelam; et eadem die 10 maii Sanctissimum approbavit – *in Urbinaten. Matrimonii die 10 Maii 1732.*

77. Nullum propterea dubium, quin heres amittere debeat hereditatem, si Mulierem inhonestam in uxorem ducat contra praeceptum Testatoris; quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, heredem cum prohibitione institutum, ne Mulierem inhonestam in uxorem ducat, non posse illam ducere absque incursu poenae amissionis hereditatis *in Nullius die 19 Decembris 1626 lib. 13 Decretorum pag. 162.*

78. Heres autem institutus sub poena caducitatis, si contraheret Matrimonium, non valens perseverare in coelibatu et petens declarari, an posset Matrimonium contrahere absque amissione hereditatis, remissus fuit a Sacra Congregatione ad Iudices suos *in Interamnen. Caducitatis Testamenti die 23 Augusti 1692 lib. 42 Decretorum.*

79. Cuncta enim sacra et civilia iura concinunt, servandas omnino esse defunctorum voluntates, Can. *Ultima voluntas* quaest. 13, et ultimum hominis testamentum immobile esse, Cap. *Cum Marthae* §. Ceterum de celebratione Missarum, liberumque supremae dispositionis stylum, L. 1 in fin. Cod. de sacros. Eccles. *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *Cuncta.*

80. Quod prae primis valere videtur, quoties res habetur de testamentis ad pias Causas; in his enim, ut notat Fagnanus in Cap. *Cum esses* de testam. n. 155, de favore animae tractatur et religione divina, quae pretiosior ac carior est filiis *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *Cuncta.*

81. Nam – ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium, salva quidem Sedis Apostolicae auctoritate converti –, ut monet Clementina *Quia contingit* de religiosis domibus *in Aesina Commutationis voluntatis die 9 Augusti 1817* §. *Sed.*

Item *in Firmana Commutationis voluntatis die 1 Februarii 1834* §. *Sancte.*

82. Hinc difficiliorem se praebere prudenter habet in more Sacra Congregatio, ubi causa vertit circa derogationem eorum, quae in animae purgandae solatium pii Fundatores designavere, quamvis pro heredum vel consanguineorum conditione duriora aliquando videantur *in Forolivien. Reductionis Missarum die 7 Iulii 1787* §. *Perpetua.*

Item *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *Et.*

83. Imo ex instituto alia quaecumque onera facilius diminuit vel commutat, quam Missarum celebrationem *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *Et.*

84. Idcirco Sacra Congregatio respondit, nullam portionem hereditatis, relictae a pio Testatore ac erogandae, Uxore usufructuaria defuncta, in celebrationem tot Missarum pro illius anima, assignandam esse Nepoti Testatoris, non obstante allegata paupertate eiusque nobilitate *in Mutinen. die 13 Iunii 1722* (1).

85. Unde nullatenus indulgetur unio et applicatio hereditatis Praebendis Presbiterorum, qui in Ecclesia horas canonicas persolvunt, ex eo quod iidem, tenui reditu praediti et ingenti sacerorum numero gravati, putant, impossibile prorsus esse, ut voluntas Testatoris ab ipsis impleri possit, cum is voluerit, ex fructibus eiusdem hereditatis, detracta summa pro quibusdam legatis, agi debere in eorum Ecclesia Sacra cum stipendio triginta obulorum pro quolibet et quatuor Anniversaria *in Brixien. Unionis et Applicationis die 21 Iulii 1759.*

86. Siquidem nobile Oppidum Salodii Templum habebat splendidissimum, cui serviebant Archipresbiter et Sacerdotes decem et octo, qui Residentes nuncupabantur, et horas canonicas in choro persolvebant. Reditus tamen neque Oppidi, neque Templi nobilitati respondebant; nam deductis oneribus praesertim Sacrorum, quibus Residentes gravabantur, quilibet ipsorum vix annua scuta decem percipiebat. Decessit Sacerdos Pezze, qui unus

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Alimenta*, §. II, n. 12 ad 16, Tom. I.

fuerat horum Residentium, quique, ut ferebatur, animum habuit hereditate sua augendi reditus nimis tenues Sociorum, et testamento, quod scripsit, iussit Sacra aliquot agi, et praesertim perpetuum et quotidianum in Sacello Hospitalis, Germanum fratrem Ioannem Petrum Pezze heredem instituit in usufructu, et ab eo diligenter fieri voluit repertorium seu inventarium universae hereditatis. Fratre defuncto, heredem instituit Animam suam, et a Residentibus omnia hereditaria bona vendi iussit, et ex fructibus pretii in capitalia fructifera investiendi, detracta summa scutorum 500 pro alia Opera pia et quibusdam legatis, agi voluit a Residentibus in Ecclesia Residentiali Sacra cum stipendio solidorum triginta pro quolibet, et quatuor Anniversaria. Venit casus substitutionis Animae suae, defuncto iam Ioanne Petro Pezze, qui heredem instituit Hospitale Salodii, et inter eiusdem Hospitalis Ministros et Sacerdotes Residentes, firmato statu hereditatis Testatoris Antonii Pezze, compertum fuit, eamdem hereditatem, deductis debitis, remanere in scutis 6454 85, quae iuxta legem testamenti erant investienda. At Residentes animo secum reputantes, ingentem Sacrorum numerum, quo et singuli et universi gravabantur, et extraordinaria et funebria et seiuncta a titulis Beneficiorum, censuerunt, impossibile prorsus esse, ut voluntas Antonii Pezze ab ipsis posset impleri. Postularunt igitur, ut Summus Pontifex eamdem hereditatem uniret atque applicaret Praebendis Residentium certo quodam constituto Sacrorum numero, qui inter eosdem Residentes distribueretur. Proposito vero dubio: – An sit locus unioni et applicationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative *in Brixien. Unionis et Applicationis die 21 Iulii 1759.*

87. Qua de re antequam resolvatur, an sit locus abolitioni vel reductioni oneris Missarum, Sacra Congregatio nedum plura scitu opportuna exquirit, sed et firmationem status hereditatis mandat; quandoquidem quum prima et secunda Uxor Ioannis Mancini hereditatem onere Missarum gravaverint, tributa Viro facultate bonorum medietatem alienandi, et quatenus non alienaret tot Missarum reliquerit Legatum, quot ad rationem obulorum decem pro quolibet reditus ferrent, sed defuncto Mancinio eius heredes petierint abolitionem vel reductionem Missarum, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus abolitioni onerum Missarum, seu potius reductioni in casu etc. II. An et in qua summa sit locus solutioni pecuniae numeratae, seu potius assignationi praediorum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 martii 1790 respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem –, quod referret nempe, – an Lattantius sit heres liber Mancini et Rufini, an redditionem rationis de bonis hereditariis reddiderit, et an de proprio supplere debeat et possit, et an competat Oratori detractionis legitimae actio –; his autem impletis, repropositis dein dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo pro firmatione status hereditatis Mancini – *in Asculana Capellaniarum die 31 Iulii 1790.*

88. Quin imo praeter firmationem status hereditatis, Sacra Congregatio alia etiam ad rem facientia mandat, ut dignoscatur, an servanda sit dispositio Testatoris, seu potius sit locus reductioni Missarum; siquidem quum dubitaretur, an esset locus reductioni Missarum, vel admittenda oblatio Iacobi Veneri pro fundo Missarum celebrandarum, seu potius servanda dispositio Testatoris, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc. II. An sit admittenda oblatio Iacobi Veneri pro capitali dictarum Missarum, seu potius sit servanda dispositio Testatoris et in qua summa in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit, – Dilata, et firmetur status hereditatis Testatoris coram Ordinario, qui, auditis Partibus, servatis servandis, procedat prout de iure ad declarationem quantitatis bonorum, quae, detractis detrahendis, remanent libera pro adimplemento oneris Missarum – *in Mantuana Reductionis Missarum die 2 Iunii 1742.*

89. Hinc et status firmari debet, ut dignoscatur, an Missa sit applicanda; quandoquidem quum disputaretur, num Patres S. Augustini Urbis Faventiae teneretur ad applicationem Missae in donatione a Bartolo Fornario ad commodum Sodalium Societatis S. Ursulae demandatae, propositis dubiis:

– I. An Patres Conventus S. Augustini teneantur ad applicationem Missae celebrandae singulis diebus Dominicis et Festis in Ecclesia seu Oratorio Confraternitatis S. Ursulae Civitatis Faventiae? *Et quatenus affirmative.* II. An et a quo tempore iidem Patres cogendi sint ad satisfactionem Missarum in praeteritum, ut ipsi asserunt, non applicatarum in casu etc –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et firmetur status – *in Faventina Applicationis Missae die 12 Maii 1753.*

90. Idcirco ad dignoscendum, an Canonici teneantur applicare Missam iuxta legem fundationis, Sacra Congregatio, urgente Decreto Episcopi, qui putat haud existere redituum insufficientiam, ex qua iidem reductionem earum obtinuerunt, Sacra Congregatio ante omnia mandat, ut firmetur status; quandoquidem quum possessores Canonicatuum, quos in Ecclesia Cathedrali fundaverat quidam Lucatelli, ex redituum deficientia reductiones Missarum obtinuissent, sed exinde Episcopus in sacra visitatione, putans satis constare de redituum sufficientia, sub diem 29 Aprilis 1740 eosdem ad quotidianam Missae celebrationem in fundatione indictam obstrictos esse pronunciaverit, proposito dubio: – An Decretum Episcopi declarans, unumquemque ex Canonicis Capituli Lucatelli teneri ad quotidie applicandam Missam pro Fundatore, sustineatur, ita ut sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et firmetur status – *in Senogallien. Reductionis Missarum die 16 Decembris 1741.*

91. Nam si iusta absit causa, deroganda haud est voluntas Testatoris, adeoque hereditas ab eo relicta applicari debet ab formam testamenti *in Caesenaten. Applicationis Hereditatis die 23 Februarii 1793* (1).

92. Quapropter frustra frater germanus postulat pro sua filia dotem super hereditate fratris, qui eam reliquit ad pias Causas, pendente praesertim adhuc lite cum herede uxoris praedicti fratris; siquidem quum Dominicus Frontoni heredem Animam suam instituerit plurimaque legata pia reliquerit, Petrus Frontoni Testatoris frater, antequam lis cum herede Uxoris Dominici super bonorum separatione absolveretur, postulaverit, ut, attentis paupertate et consanguinitate ac praedefuncti Dominici fratris fortuna ad pias Causas relicta, detraheretur summa scutorum centum eroganda pro filiae suae proxime nupturae dotatione, proposito dubio: – An et quomodo et in qua summa sit locus assignationi dotis pro filia Petri Frontoni super hereditate Dominici Frontoni in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Firmana Dotis die 16 Septembris 1780.*

93. Hinc haud indulgetur commutatio voluntatis Testatoris, qui heredem scripsit Causam piam, cum Proneptis quovis iure destituta nulla reapse inopia prematur, ac alias ius alterius laedi videatur, si eidem aliquid praestetur *in Spoletana Commutationis voluntatis die 14 Februarii 1846.*

94. Enimvero Canonicus Ioanne Cianchelli Spoletanus in ultimo suae voluntatis elogio, quod condidit die 3 aprilis 1845 post multa, quae in eo scripsit legata, heredem instituebat in universa substantia Capellam presbiteralem perpetuam, erigendam in Ecclesia Patrum Societatis Iesu eiusdem Civitatis. Bona, quibus Capellania constituenda erat, detractis expensis aere alieno ac legatis, in scutis 1500 circiter astimabantur. Capellano vero onera Testator iniunxit, in ea Ecclesia et hora arbitrio Rectoris Collegii praefinienda Sacrum litandi omnibus diebus festis hebdomadae pro anima sua suorumque maiorum, nec non persolvendi annua scuta quindecim eidem Rectori, ut maiori pompa festum Beatae Mariae Virginis sub titulo *della Piaggia* celebraretur. Tandem in primum Capellanum Canonicum Petrum Agata Sacerdotem nominavit, atque advocatum Raphaelem Angelini suae voluntatis constituit executorem. Postridie conditi testamenti, confecto codicillo, legatum quinquaginta circiter scutorum ex armentis relictis resultantium, quod Testator scripserat favore proneptis Theresiae Pennelli, transtulit in suam sororem Margaritam Cianchelli, aliaque in eo scripsit legata, inter quae victum et habitationem ad annum, nec non vestes omnes canonicales eidem Canonico Agata

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Applicatio in genere,* n. 3 ad 10, Tom. II.

habendas reliquit. Elato vix Testatore, altas movit querelas praefata Theresia Pennelli quatuordecim annos nata, quod nullum sibi ex avunculi hereditate obvenisset emolumentum, et continuo Summo Pontifici preces admovit, ut sibi inopia pressae tradi dignaretur reditus Capellaniae, relicta Rectori Missarum eleemosyna. Nam absque Matre et a Patre derelicta penes Materteram vix alimenta precario et ad tempus habere poterat. Sacerdos Agata a Testatore nominatus, praeterquam iam satis provisus dici deberet ob Canonicatum, quem assecutus erat opera defuncti Ioannis Cianchelli, non tenui fuit compensatione donatus, si servitia praestitit Testatori. Huius enim, dum in vivis agebat, Canonicus Agata vivebat impendiis, ab eoque habitationem et omnia vitae commoda percipiebat, eo autem moriente, amplissimis est legatis cumulatus. At Canonicus Agata cum Executore testamentario ostendit, Theresiam oratricem iam tum a Matertera, quacum cohabitabat, fuisse veluti adoptione receptam, cum Pater adhuc moraretur in patria, atque proinde minime verificari, eam fuisse a Patre relictam, et a Matertera ex commiseratione seu potius ex necessitate assumpta, sed consanguinitatis affectu, quem erga illam semper declaravit ac etiam declarabat, cum ipsa Theresia supra suam conditionem habitu et commoditatibus omnibus eniteret ex Materterae liberalitate. Insuper exhibito testamento ipsius Margaritae probavit, Oratricem futuram esse eius heredem universalem non adeo tenuis patrimonii. Praeterea dotem maternam in scutis 500 ab ipso Canonico Cianchelli constitutam in bonis ipsius Theresiae esse computandam observavit. Plura exinde beneficia, quae in Oratricis familiam Testator contulit, numeravit; adeoque iure ac merito is piam Causam scripsit heredem. Quapropter dum Theresia quovis iure destituta nulla prorsus inopia premeretur, ipse Canonicatu potiebatur, cuius reditus annua scuta triginta vix attingebant, et Capellaniam titulo oneroso a Testatore habuit, cum eidem duodecim circiter annis ac praesertim in postrema vitae periodo gravissima affecto infirmitate adstitisset illustriora charitatis erga eum opera exercens, nec non ipsius curis magnum Testatoris bonorum incrementum debebatur, quorum administrationem maxima integritate et studio obivit. Advertit etiam, bona Capellaniae assignata in unica Testatoris domo consistere; quod efficiebat, ut annuus reditus tenuis aestimaretur ex vili pensione, qua solebant in provincia domus locari.

95. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Oratricis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et Archiepiscopus curet omnino exequutionem piae voluntatis Testatoris – *in Spoletana Commutationis Voluntatis die 14 Februarii 1846.*

96. Multo minus igitur indulgetur commutatio voluntatis Testatorum favore eorum, qui fuerunt ab ipsis instituti heredes, ea adiecta lege, ne falcidia et trebellianica detraheretur, quique praeter gradus ab illis distantiam notabilem pauperes haud revera esse videntur *in Melevitana Commutationis voluntatis die 3 Aprilis 1841.*

97. Siquidem Sacerdos Antonius Bezzina eiusque sorores Bernarda ac Sperantia vidua Missud Melitenses ex Oppido vulgo *Nasciar* suprema voluntate, quam tum testamento sub die 9 martii 1815 una eademque charta exarato, tum tribus posterioribus tabulis codicillaribus identidem conscriptis explicarunt, heredes in rebus immobilibus quoad usumfructum in mobilibus etiam quoad proprietatem sese invicem instituerunt; post omnium vero obitum ad universam hereditatem, quam in quinque partes diviserunt, multam consanguineorum turbam vocarunt, dispari tamen Personarum numero unicuique parti adsignato. Hereditatem universam gravarunt pluribus legatis tum prophanis, tum sacris: ad ista quod attinebat praeter nonnulla pecuniaria unica vice praestanda, sex vel septem prostabant perpetua, pro quibus tot praedia immobilia tradita sunt, quaeque piis Operibus relicta fuerunt nuncupatis, – Cassa dell'anime del Purgatorio, Cassa della veneranda Lampade, Cassa delle quaranta ore, Cassa del Viatico, Sodalità della via Crucis –, iniuncta Legatariis obligatione, ut partim in tot Missas lectas aut cum cantu praediorum fructus erogarent, partim in usus cuiusque pii Operis proprios insumerent. Porro quum ab anno 1829 omnium postrema Sperantia decesserit, hereditati adeundae locus factus est; hinc bona

immobilia legati vel praelegati titulo relicta tradita sunt, deque rebus mobilibus confectum legale inventarium, quo constitit, harum valorem assurgere ad scutata Melitensia 850 Ex iis autem funeris impensis aliisque vel piis vel prophanis legatis persolutis, tantum reliquum fuit, ut heredes, qui septem supra triginta tunc numerabantur, scutata quatuor Melitensia, idest iulios Romanos sexdecim pro unoquoque partiti sunt. At quoniam leges, quibus Melitensis Insula regebatur, vetabant, quominus a piis Locis praedia possiderentur, iubebantque infra annum alienari, quae illis forte tributa fuerint, hinc praefati heredes tam misero hereditario censu donati, postquam a gubernio, ut terminus venditionis ad biennium protraheretur, obtinuissent, volvente anno 1830 Summum Pontificem per Procuratores suos Iosephum Aquilina Michaelem Agium et Simeonem Bonici supplices adierunt implorantes, ut, attenta gravissima, qua premebantur, inopia, ex triginta Parochorum testimonio comprobata, dignaretur quoad bona immobilia derogare dispositionibus testamentariis et codicillaribus fratrum et sororum Bezzina, nec non statuere, ut pretium dictorum bonorum vel saltem tres ex quatuor illorum partibus dividerentur inter pauperes heredes, applicata aliis piis Operibus altera parte, ex eo praesertim quod alia pia legata a Testatoribus praestituta iam ex pretio a bonis mobilibus divenditis habito fuerant adimpleta. Episcopus atque Rectores piorum Operum censuerunt, denegandam esse derogationem, cum omnes Oratores numero triginta septem vel ex latere paterno vel materno Testatorum Bezzina consanguinei existerent in quinto et sextu gradu de iure civili, qui heredes pariter fuerunt instituti, ceteri vero in aliis superioribus gradibus usque etiam ad decimum cum praefatis Bezzina coniuncti viderentur, nec non paupertatis ratio in omnibus deficeret. Insuper in themate de primis institutis agebatur, quorum conditio Testatoribus haud ignota esse debuit, qui nihilominus pia iisdem Opera praetulerunt: quin imo iidem firmam ostendisse visi sunt voluntatem, ut legata ex integro praestarentur, quum clausulam adiecerint – adimendo ogni gius di falcidia e di trebellianica, il quale non vogliono, che abbia luogo nel presente testamento –; iisque in hac parte consonat Textus in Auth. *Similiter* ad legem falcidiam. Oratores contra asseruerunt, plerosque Testatoribus sanguine iunctos esse in tertio vel quarto gradu iuxta canonicam computationem, paucos tantum quinto vel sexto, omnes vero indiscriminatim heredes fuisse nuncupatos, adeoque a Testatoribus praedilectos. Urserunt deinde testimonium Parochorum, qui de eorum paupertate indubiam faciebant fidem.

98. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Oratorum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Melevitana Commutationis voluntatis die 3 Aprilis 1841.*

99. Qua de re nec tota vel pars hereditatis conceditur nepoti, haud praesertim gravi paupertate laboranti, qui legatum ex testamento avunculi adiecta poena caducitatis, si aliquid aliud praetenderet, habuit; siquidem quum Sacerdos Petrus Seccadelli testamento legaverit anno 1773 Laurentio eius nepoti annua ad vitam scuta decem triumque domorum usumfructum cum substitutione filiorum eius in proprietate, eique sub poena caducitatis interdixerit, ne aliquid ex hereditate praetenderet vel litem moveret, ac universalem heredem, pluribus iniunctis oneribus ac demandatis eleemosynis favore Pauperum, Congregationem Paulinam Brisighellae instituerit, eique substituerit Societatem Suffragii, sed neutra hereditatem acceptaverit, unde praefatus Laurentius supplicaverit Summo Pontifici, ut hereditaria sibi bona vel eorum partem aut tres saltem domos perpetuo concedere dignaretur sub certo Missarum numero, sibique etiam caducitatis poenam remitteret, propositis dubiis: - I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu etc. II. An sit locus caducitati in casu etc. –, Sacra Congregatio, attenta enixa Testatoris voluntate, ne aliquid dictus nepos praetenderet, ac exulante gravi ipsius paupertate, respondit: – Ad primum, et secundum, Negative – *in Faventina Commutationis voluntatis die 25 Aprilis 1789.*

100. Nec proinde indulgetur applicatio fructuum pro institutione nobilis et pauperis

Puellae in Monasterio, dum Testator enixe voluit, ut, deficiente Puella, quae vellet nubere in Domino, fructus erogarentur favore Seminarii ad unum vel plures Iuvenes in eo manutenendum; quandoquidem quum Victoria Gasparini heredes instituerit Forosempronienses Patres Congregationis Oratorii, eisque praeceperit, ut dimidios quotannis deponerent fructus hereditatis ad effectum dotandi Puellam, quae in Domino nubere vellet, et in casu deficientis Puellae vocatae mandaverit, ut depositi fructus erogarentur in favorem Seminarii pro alendo Iuvene vel pluribus, qui ad Sacerdotium forent vocati, cumque constituta fuerit dos ex triennii fructuum deposito et nulla duobus novissimis trienniis eam postulaverit, ob idque fuerint data foenori duo subsidia dotalia favore Seminarii ad unum in eo alendum adolescentem ex fructibus, sed mox alieni aeris dimittendi causa ad annum dimissi fuerint Alumni a Seminario, retentis dumtaxat Praeceptoribus, qui Clericos extra Seminarium fortasse degentes humaniores literas scientiasque docerent, hinc nobilis vir Ioannes Pellegrini Summo Pontifici supplicaverit, ut ad alendam eius filiam in Monasterio sibi applicare dignaretur fructus tertii subsidii, quod ob praesentem etiam concurrentium Puellarum defectum quamprimum foret favore Seminarii investiendum, proposito dubio: – An et quomodo sit locus applicationi fructuum in casu etc. –, Sacra Congregatio, licet Episcopus testaretur de summa Ioannis paupertate, qui sex inter miserias alere debebat filios, nec non consensu Patrum Oratorii et Rectorum Seminarii, attentis tamen enixa Testatoris voluntate manutendi unum vel plures Iuvenes in Seminario ipsius Seminarii indigentia nec non institutione Clerici, quae publicum, dum illa Puellae privatum respiciebat bonum, responsum tulit: - Affirmative ad formam testamenti - *in Forosempronien. Applicationis die 9 Septembris 1797.*

101. Quin imo licet bis dispositionem Testatoris, qui hereditatem Communitati reliquerat cum onere alendi Adolescentes, in Urbe studiis operam dantes, Congregatio particularis favore Seminarii erigendi aliquantulum commutaverit ac Summus Pontifex id probaverit, recurrente tamen praedicta Communitate propriisque iuribus in medium prolatis ac mature expensis, Sacra Congregatio, praevio recessu a decisis, mandavit, servandam esse dispositionem Testatoris ad mentem *in Civitatis Capellanae Unionis seu applicationis et commutationis die 18 Septembris die 18 Decembris 1745 et die 4 Maii 1754.*

102. Iamvero testamento Theophili Gargani civis Gallesii anno 1647 Romae condito heres instituta fuit Communitas Gallesii, dato onere alendi quatuor adolescentes, qui ibidem orti essent, ut in Urbe studiis assidue operam darent: horum singulis annua scuta 80 dari iussit Testator, et si reditus hereditatis superessent, numerum adolescentium, qui ad Urbem studiorum causa mittendi essent, augeri voluit, et quintum ac sextum quoque superaddi; his autem, impleto primorum studiorum curriculo, eadem scuta 80 per triennium praestari iussit, ut possent, si vellent, vel iurisprudentiae vel medicinae praeceptis imbui. Implevit heres continuo voluntatem Defuncti maximo cum civium bono et incremento: sed rem turbavit Episcopus, qui ad erigendum Collegium seu Seminarium in Civitate Castellana in visitatione Sacrorum Liminum anno 1720 postulavit a S. Congregatione particulari, quae Seminariis proposita fuerat, unionem praedictae hereditatis die 22 novembris eiusdem anni, quae ita rescripsit: – Quoad applicationem hereditatis Theophili Gargani censuit, si Sanctissimo placuerit, esse locum illius applicationi iuxta modum; modus autem est, quod, aperto Seminario, illi applicetur medietas reditum cum onere manutenendi quatuor Alumnos, qui esse debeant Terrae Gallesii, et nominari a Communitate, et pro instituendis Iuvenibus pro secunda classe grammaticae in omnibus et per omnia iuxta voluntatem Testatoris, altera medietas erogari pariter debeat pro instituendis aliis tribus Iuvenibus itidem Gallesii in aliis scientiis iuxta voluntatem eiusdem Testatoris, qui tamen debeant permanere in aliquo Collegio seu Seminario tantum in Urbe, ita tamen, ut semper Communitas Gallesii nominare debeat ad loca praedicta Urbis tres Iuvenes instructos prius sufficienter in Seminario erigendo –. Rescriptum hoc probavit

Benedictus XIII. Acta haec fuerant, inaudita Communitate, ideoque reproposita Causa contradicto iudicio, die 21 ianuarii 1731 rescriptum fuit: – In decisis iuxta modum: modus autem est, quod aperto Seminario eidem applicentur ex reditibus hereditariis Theophili Gargani scuta 160 annua cum onere manutenendi quatuor Alumnos Terrae Gallesii, seu ex ea oriundos, habiles pro secunda classe grammaticae et nominandos a Communitate, qui praestare non teneantur obligationem seu iuramentum de suscipiendis Ordinibus sacris. Alia vero scuta 240 annua eiusdem hereditatis erogentur pro instituendis in Urbe aliis tribus Iuvenibus pariter Gallesii seu oriundis, nominandis ab eadem Communitate, et si aliquid supererit, reinvestiatur ad formam testamenti cum declaratione, quod in reliquis, quae non adversantur praesenti resolutioni, servetur in omnibus et per omnia voluntas Testatoris –. Hoc Rescriptum probavit Clemens XII. Communitas itaque Gallesii anno 1742 postulavit a Summo Pontifice, ut nihil mutaretur in dispositione Theophili, cum nulla adesset necessitas erigendi novum Seminarium, quia satis illud erat, quod in Hortana Civitate erectum extabat; nec non grave eveniret detrimentum, quia ambigi non poterat, scientias longe melius Romae, quam in aliarum Civitatum Seminariis comparari posse. Accedebat, solutionem scutorum 160 faciendam semper esse Seminario, licet aliquo temporis spatio nullus in eo esset Gallesius Civis, hoc autem pugnare cum voluntate Testatoris, qui iussit hoc casu multiplicandos esse reditus hereditatis suae, ut vel sextus Adolescens in Urbe studiis operam dare posset.

103. Rei cognitione ad Sacram Congregationem ex Decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi remissa, proposito dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 Septembris responsum dedit: – Iterum proponatur –; sed reproposito dubio sub eadem formula, die 18 decembris respondit: – Dilata –. Demum reproposito praedicto dubio, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, servandam esse dispositionem Testatoris iuxta mentem – *in Civitatis Castellanae Unionis seu Applicationis et commutationis die 4 Maii 1754.*

104. Nam quoties legitima et necessaria deficiat causa, haud est consulendum Summo Pontifici pro applicanda hereditate in alium diversum, quem Testator praestituit, usum; nec est consulendum eidem Summo Pontifici pro derogatione Rescripti, quo ipse iure ac merito in alium usum applicavit hereditatem Testatoris *in Aesina Commutationi voluntis die 30 Augusti 1817.*

105. Siquidem Elisabeth Uccellini testamento diei 2 martii 1764 Annam sororem suam heredem scripsit, eique, si sine prole decederet, pium Missarum Legatum substituit his verbis: – Seguita poi la morte della predetta Anna (in caso si maritasse) senza figli legittimi e naturali, ordino e voglio che detti beni rimanenti si vendano dalli miei Esecutori testamentarii e col ritratto si paghino liberamente per una sola volta scudi cinquanta moneta Romana da pavoli dieci per scudo alli figli di Bartolomeo Uccellini miei nipoti e col residuo celebrino o facciano celebrare tante Messe in suffragio dell'anima mia e secondo la mia intenzione con dare la solita elemosina –. Nulla suscepta prole, die 7 martii 1810 obiit heres instituta. Porro hereditas constabat ex duobus praediis rusticis, quorum valor ad summam scutorum 719 16 assurgebat, nec non ex duabus domunculis in scutis 300 aestimatis, quae simul iuncta constituebant capitale scutorum 1019 16; unde, detractis oneribus, annua scuta 56 percipiebantur. Verum Executores testamentarii, consentiente Episcopo, ob temporis vicissitudines fundos, quemadmodum Testatrix iusserat, nunquam alienarunt; sed ex fructibus perceptis a die 7 martii 1810 ad diem 8 maii 1817 per septennium et ultra Missarum celebrationem curarunt pro summa tantum scutorum centum. Aliud pium Legatum reliquerat Archipresbiter Massatii Antonius Machirelli in testamento scripto die 6 novembris 1770, quo defunctis heredibus testamentariis praecepit, – che dal signor Esecutore testamentario pro tempore si vendano tutti e singoli i beni suddetti ed il ritratto si applichi in far celebrare tante Messe in suffragio della di lui anima e di dette eredi usufruttuarie, e secondo la di lui intenzione da Sacerdoti Preti e Religiosi di questa Terra del Masaccio, ed in quelle Chiese,

che pareranno e piaceranno al medesimo signor Esecutore testamentario, e nel tempo e termine, che allo stesso parerà e giudicherà più proprio –. Ex reditibus huius alteriusque hereditatis annua scuta 36 48 percipiebantur. Testatoris voluntati derogatum fuit ex Rescripto s. m. Pii VI diei 22 iunii 1794, quod erat huiusmodi: – Sanctissimus, attentis expositis ac relatione et voto Vicarii Capitularis Aesinae tunc vacantis Ecclesiae, benigne mandavit, ut, postquam decesserit postrema heres usufructuaria Archipresbiteri Antonii Machirelli, bona omnia infructifera hereditatis eiusdem Archipresbiteri alienari debeant ab Executore testamentario, ad effectum tamen deponendi pretium, illudque tuto ac utiliter investiendi in bonis seu capitalibus liberis fructiferis favore eiusdem hereditatis. Quae bona, ut supra acquirenda, una cum aliis bonis fructiferis memoratae hereditatis Executor testamentarius, sive alius idoneus Administrator, ab Emo D. Cardinali Episcopo Aesino deputandus, diligenter administrare debeat fructusque annuos similiter semper et investire et multiplicare, donec ex hoc multiplico aliisque piis legationibus favore intranscriptae Causae piae fortasse obventuris tot cumulata fuerint bona, quae una cum dictis bonis hereditatis sufficiant ad erigendam in Oppido *del Massacio* piam Domum, de qua in precibus, cui Sanctitas Sua nunc pro tunc bona omnia hereditatis Machirelli aliaque, ut supra acquirenda, benigne in perpetuum applicavit, reservata erectione piae Domus Emo Episcopo Aesino cum regulis et legibus suo arbitrio et prudentia statuendis. Et ita non obstantibus testamento Archipresbiteri Machirelli ceterisque aliis quomodolibet in contrarium facientibus –.

106. Commutationem voluntatis Elisabeth Uccellini et derogationem Rescripto Summi Pontificis quoad hereditatem Archipresbiteri Machirelli postulavit modernus Archipresbiter Collegiatae Massatii, ut reditus utriusque hereditatis pro summa scutorum quadraginta applicarentur pro stipendio duorum Cantorum in praedicta Ecclesia Collegiata deputandorum et pro reliqua summa in Hospitale erigendum – per gli Invalidi miserabili più bisognosi di ricovero –. Vicarius Capitularis retulit, Capitulum et Executores testamentarios huic applicationi assensum praebere, et insuper Capitulum postulare, ut ex fructibus dictae hereditatis alia scuta decem erogarentur in stipendium Magistri caeremoniarum; et ipse Vicarius applicationem probavit. Nam causae commutationis laudabiles videbantur, sed obstabat Clementina *Quia contingit* de religiosis domibus nec non Concilium Tridentinum, ex quibus non est ullatenus commutanda Testatorum voluntas, nisi adsit causa necessaria. Nec erat consulendum Sanctissimo pro derogatione Rescripti, quo hereditatem Machirelli iure ac merito applicavit pro erigendis Scholis Puellarum. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Elisabeth Uccellini in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro derogatione Rescripti diei 22 iunii 1794 in casu etc. III. An et quomodo sit locus applicationi hereditatum Uccellini et Machirelli in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium, provisum in praecedentibus – *in Aesina Commutationis voluntatis die 30 Augusti 1817.*

107. Unde servanda est pia voluntas Testatoris, etiamsi ipse heres fiduciarius pro eiusdem immutatione instet, aliqua tamen, quae necessaria ac utilia censentur, iure ac merito immutantur *in Firmana Commutationis voluntatis die 1 Martii 1834.*

108. Iamvero Iosephus Pennesius Elpidianus in Firmana Diaecesi supremam voluntatem manu quidem sua, nulla tamen ex iis legibus et conditionibus servata, quas ius requirit, fidei ac religioni fratris sui Antonii Sacerdotis Philippiani curandam commendavit. Voluit autem Testator, ut bona Administrarentur eorumque reditus in eleemosynam erogarentur per Administratorem, qui esset frater Antonius, quin alicui rationes reddere teneretur, et post eius obitum Prior et Syndicus ven. Sodalitatis Charitatis seu Misericordiae cum annua congrua scutorum triginta, cum onere reddendi rationes, qui inter suos propinquos esset magis peritus, nec non singulis quatuor familiis pauperibus ex suis propinquis tribuendi quemdam frumenti et musti mensuram. Quod si una ex dictis familiis extingueretur, congrua distribui de-

beret inter tres superstites pro portione rata, et sic deinceps, ita tamen, ut, si omnes familiae praedictae extinguerentur, eo in casu tota hereditas dividenda foret in duas partes, altera Hospitali tradenda, et altera in Orphanos distribuenda. Quidquid igitur, solutis Legatis, superesset, in erectionem Gynaecei erogandum esse mandavit. Quin imo ut accuratius praediorum cultui incolumitatique consuleret, ad id muneris addiscendum proposuit Sodalem curatorem rei agrariae, dato eidem stipendio scutorum octo ea lege, ut, ter in mense reipsa inviseret. Universam dein substantiam scutatis plus minus novem mille centum et sex 9106 aestimatam declaravit. Verum cum Antonius Sacerdos octuagesimum iam annum agens mente revolveret controversias non paucas, quae ex electione magis Periti inter propinquos exurgerent, nec non cetera incommoda, quae in administratione a Testatore praestituta obvenirent, supplex rogavit Summum Pontificem, ut, immutata aliquantulum Testatoris voluntate, plura sanciret, praesertim quod in vacatione primae familiae Cura ruralis in amplo illo territorio constitueretur cum iure baptizandi ac tumulandi; adeo quippe ab Urbana Paraecia distabant qui in illo agro degebant regionemque asperam incolebant, atque itinerum difficultate hiemali praesertim tempore, peraegre admodum percurrendam, ut deessent identidem, qui ipsis in animae curationem praesto essent, nec raro aegri nulla expiata confessione nulliusque Sacramenti procurati decesserint.

109. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Sacerdotis Pennesii heredis fiduciarii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et servandam piam voluntatem Testatoris, et ad mentem; mens est, ut post obitum heredis fiduciarii rationes deinceps reddantur coram Ordinario, et adimpletis oneribus a Testatore praescriptis, constituatur ex reliquis reditibus dos congrua ad novam Paraeciam ruralem instituendam, capta inscriptione hypothecaria super bonis hereditariis, facto verbo cum Sanctissimo – *in Firmana Commutationis voluntatis die 1 Martii 1834.*

110. Qua de re indulgetur quidem praestatio quaedam ad tempus iuxta vires hereditatis descendentibus familiae a Testatore vocatae, sed haud permittitur, ut loco praestationis ipsis assignentur bona praedictae hereditatis, multoque minus consulitur Sanctissimo pro sanatione transactionis, quam iidem inierunt cum laico gubernio *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 25 Februarii 1826 die 18 Augusti 1827 et die 26 Ianuarii 1828.*

111. Siquidem ultimis tabulis anni 1731 Sebastianus Scarsellini Faventinus annuas libras 400 (Romana scuta 72 72) Antonio Scarsellini, totidemque Iacobo Philippo Pani legavit, ipsisque vita functis, eadem Legata perpetuo praestari iussit eorum descendentibus. Heredem deinde ex asse scripsit ven. Sodalitium S. Gregorii in levamen Pauperum verecundorum Faventiae erectum, lege adiecta, ut, impletis annuis Legatis, reliquos hereditatis fructus multiplico collocaret, et subsidia dotalia filiabus ac descendentibus praedicti Antonii et Iacobi Philippi tribueret. Quod si Puellae dotandae non adessent, voluit Testator, ut Sodalitium teneretur auxilia praestare, praeter memorata Legata, descendentibus Antonii et Iacobi Philippi, iuxta necessitatem utriusque Familiae. Verum ne quid iuris ex nova liberalitate sibi arrogarent Legatarii eorumque descendentes, iisdem praecepit sub poena caducitatis, ne contra id, quod Sodalitium disponeret ac faceret, ullatenus obmussitarent. Defuncto Testatore, eius voluntas religiose a Sodalitio fuit impleta: sed aliquot post annos defecit Antonii Scarsellinii descendentia, auctusque plurimum fuit numerus descendentium a Iacobo Philippo Pani, qui, gravi urgente necessitate, ampliorem anno 1695 praestationem ab eodem Sodalitio petierunt. Renuente Sodalitio, acta lis est usque ad annum 1703, quo inita fuit conventio, ut singulis a praedilecta familia Pani annua scuta 30 praestarentur. Crescentibus autem hereditatis reditibus ex multiplico expleto a Sodalitio, descendentes Iacobi Philippi contendere ceperunt, annuam praestationem sibi ad ratam eorumdem redituum esse assignandam, et Sodalitium, quod non heredem, sed administratorem dixerunt, ad exactam gestae administrationis rationem reddendam esse cogendum. Itaque die 4 maii

1772 propositis dubiis: – I. An et quomodo et in qua summa sit locus subministrationi alimentorum ex hereditate Scarsellini in casu? II. An et quomodo per Societatem sit facienda redditio rationis in casu? –, Sacra Congregatio die 30 eiusdem mensis respondit: – Ad primum, ad mentem: et mens est, quod subministrentur alia scuta decem pro quolibet capite ad quinquennium, et donec non adsint Puellae proxime dotandae, et cum declaratione, quod Puellis nuptis cesset in totum subministratio. Ad secundum, Negative, salvo iure Episcopi; et amplius –. Subversis postea Italiae publicis privatisque rebus, descendentes Iacobi Philippi Pani anno 1802 Sodalitium ad duplicandam annuam praestationem adegerunt; cumque anno 1805 contigerit, ut bona Sodalitii S. Gregorii iussu eorum, qui tunc imperii summam tenebant, Congregationi, quam dixerunt *Instituto di carità*, fuerint addicta, Ministrum, quem nuncupabant *del Culto*, adierunt praefati descendentes Pani, ut ius augmenti super bonis Scarsellinii haberent. Ipso hinc favente Ministro, conciliata publicisque tabulis die 9 augusti eiusdem anni 1805 consignata fuit transactio: sed legitimo rerum ordine tandem redintegrato, et Provincia Aemiliae Apostolicae Sedi reddita, hereditaria bona Sebastiani Scarsellini Sodalitio S. Gregorii fuere restituta. Sodales igitur S. Congregationem adierunt, ut irrita et inanis declararetur praedicta transactio absque Apostolico Beneplacito inita, quae gravissimum Sodalitio ac Pauperibus attulit detrimentum. Episcopus retulit: – Ad reditus quod attinet hereditatis Scarselliniae et onera eidem incumbentia, tabula scilicet exarata contractaque ad quinquennium exhibet uno intuitu rationes dati et expensi –, qua ex tabula constabat, reditus ad scuta 1506 77 7 ascendere, deductisque scutis 441 07 5 pro tributis vectigalibus et expensis administrationis, superesse scuta 1065 70 21; cumque pro implendis oneribus in concordia anni 1805 Sodalitio impositis annua requirerentur scuta 1530 90, manifestum erat, deesse quotannis scuta 465 19 8.

112. Rebus sic stantibus, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro sanatione transactionis in casu? *Et quatenus negative.* II. An et quomodo et in qua summa descendentibus Iacobi Philippi Pani sit solvenda annua praestatio ex reditibus hereditatis Sebastiani Scarsellini in casu? III. An et quomodo loco praestationis assignanda sint bona hereditatis Scarsellini in casu? –, Sacra Congregatio die 25 februarii 1826 respondit: – Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, dilata, non retardata interim per modum provisionis executione transactionis anni 1805, et scribatur Episcopo ad mentem; mens est, quod Episcopus referat de numero Personarum familiae, sive masculini, sive feminini generis, an subsidia dotalia promissa nondum soluta fuerint, de adimplemento conditionum a Testatore praescriptarum, et statum activum et passivum hereditatis remittat. Ad tertium, Negative in omnibus –. Episcopus retulit, Familiam Pani tresdecim constare Personis, novem masculis et quatuor feminis, subsidia dotalia ad tramites fundationis eousque fuisse distributa; statumque transmisit activum et passivum, ex quo patebat, semissem hereditatis Scarsellini, subductis oneribus, annuum reddere fructum scutorum 954 06. Propositis hinc dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu etc. *Et quatenus in decisis.* II. An quomodo et in qua summa descendentibus Iacobi Philippi Pani sit solvenda annua praestatio ex reditibus hereditatis Sebastiani Scarsellini in casu etc. III. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 augusti 1827 respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, Affirmative pro annua praestatione scutorum sexaginta pro quolibet ad decennium, firmis conditionibus appositis in resolutione diei 30 maii 1772. Ad tertium, in decisis; et amplius –. Reproposito dein dubio secundo sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis pro annua praestatione scutorum sexaginta per capita, nempe pro quolibet ex descendentibus familiae Pani, exclusis Uxoribus, ad decennium, firma semper solutione dotium ad formam testamenti; et amplius – *in Faventina Beneplaciti Apostolici die 26 Ianuarii 1828.*

113. Ita enim necessaria causa sit oportet, ut nullo alio modo, nisi commutata voluntate publico bono consuli possit, ad Textum n L. 1 Cod. de sacros. ecclesiis, L. *Omnium* ff. de testam. docet Franciscus Top. de potest. Princip. §. 5 n. 13 et 14, Valent. de ult. volunt. vot. 27 n. 102 *in Aesina Commutationis voluntatis die 9 Augusti 1817 §. Sed.*

115. Quapropter non indulgetur reductio Canonicatuum, quos Testatrix fundavit, nisi prius firmetur status hereditarius; quandoquidem quum petita fuerit ob assertam redituum tenuitatem reductio ad unum ex duobus Canonicatibus in Ecclesia Collegiata s. Pauli Terrae Fortii a Volumnia Angeletti fundatis, proposito dubio: – An sit locus unioni seu reductioni Canonicatuum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et firmetur status hereditarius coram Vicario Generali Emi Abbatis, deputata ab eodem Persona sibi benevisa pro exactione creditorum sumptibus hereditatis – *in Nullius seu Farfen. Unionis Canonicatuum die 21 Novembris 1739.*

116. Firmandus hinc est status hereditatis coram Ordinario, citatis interesse habentibus, antequam resolvatur, an omnia Beneficia, a Testatore praescripta, sint erigenda; quandoquidem quum Virginius Turchi Prior Fulginatis Ecclesiae duodenarium Praebendariorum in Ecclesia constituendum numerum heredem scripsisset, certis assignatis bonis, sed horum reditus ad id satis non esse viderentur, adeoque ponderandum, an admittendus esset calculus et supputatio, detractis omnibus oneribus, proposito dubio: – III. An et quot Beneficia sint erigenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, dilata; et firmetur status coram Ordinario, citatis interesse habentibus – *in Fulginaten. die 27 Aprilis 1765.*

116. Exorta itaque inter Executores testamentarios Ioannis Carafini et Moniales Carmelitas discalceatas heredes ab Carafinio institutas controversia super constitutione dotis pro erectione duorum Beneficiorum seu Capellaniarum, num scilicet assignandae forent pecuniae seu fructus terrarum frugiferarum ac super eorumdem fructuum quantitate, Sacra Congregatio mandavit, ut firmaretur status hereditarius *in Burgi S. Donnini die 24 Maii 1727.*

117. Hinc et dum ob assertam redituum deficientiam expostulatur commutatio voluntatis, ne iuxta mandatum Testatoris erigatur Monasterium Monialium, Sacra Congregatio ante omnia mandat, ut firmetur status hereditatis, et cogantur heredes ad redditionem rationis; quandoquidem quum haud executioni mandari valeret voluntas Canonici Martini de Dominis, qui Monasterium Monialium in Oppido Pontiani ordinaverat, ex deficientia redituum, adeoque petita fuerit voluntatis commutatio, proposito dubio: – II. An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis quondam Canonici Martini de Dominis, et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, dilata; et firmetur status hereditatis Canonici Martini de Dominis coram Vicario Apostolico, qui procedat etiam pro redditione rationis adversus heredes Ioannis Baptistae de Dominis iunioris – *in Nullius Terrae Pontiani Commutationis voluntatis die 5 Maii 1742.*

118. Idcirco non indulgetur commutatio voluntatis, ut ex redituum defectu unum pro tribus tantum erigeretur Monasterium Monialium, nisi prius firmetur status hereditatis iuxta instructionem, ac interim Ordinarius incumbere debet constructioni Monasterii et Ecclesiae et post transmissam redditionem rationis supplicandum est pro commutatione; quandoquidem quum Iulianus de Orsucis iussisset erigi tria Monialium Monasteria, postquam absolutum fuisset multiplicum 20 annorum spatio, et hoc exacto conflata esset summa scutorum 28220, qua vix erigi poterat unum Monasterium, adeoque petita fuerit commutatio voluntatis ad erigendum tantummodo unum Pisciae Testatoris patriae, proposito dubio: – An et quomodo sit locus commutationi voluntatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Firmetur status hereditatis iuxta instructionem (1),

(1) Instructio fuit, quod firmaretur status hereditatis Iuliani, vel per exhibitionem Inventarii, vel per alium quemcumque possibilem modum, si inventarium confectum non fuisset: itemque quod ex libris administrationis doceretur qualis fuerit annuus reditus bonorum, et an aliqua contigerit bonorum diminutio, sive in capitali, sive in annuo reditu, doceretur de multiplico, hoc est de eius initio et progressu nec non de Personis, qui multiplici confectioni incubuerunt; et tandem quod valor bonorum multiplicatorum de praesenti existens una cum annuo praesenti reditu S. Congregationi notificaretur.

et interim Ordinarius incumbat constructioni Monasterii et Ecclesiae, et post transmissam redditionem rationis supplicent pro commutatione – *in Nullius Piscien. Commutationis voluntatis die 13 Iulii 1720.*

119. Nec igitur est locus, praevia commutatione voluntatis, petitae transactioni inter Heredes fiduciarios et Substitutos, nisi prius firmetur status hereditarius; quandoquidem quum Patres S. Mariae Congregationis Matris Dei et Sodales Confraternitatis Beatae Mariae Virginis a Succursu heredes substituti supplicaverint, ut, praevia commutatione voluntatis Stephani Leonardi, locus fieret transactioni in aliqua congrua summa cum Heredibus fiduciariis, ob difficultatem perficiendi plura multiplica ab eo demandata, quorum causa nunquam Oratoribus obveniebat emolumentum, proposito dubio: – An, praevia commutatione voluntatis, sit locus petitae transactioni in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Firmetur status – *in Lucana Commutationis voluntatis die 10 Iulii 1706 lib. 56 Decretorum.*

120. Hinc antequam Sacra Congregatio praefigat terminum fundandi pium Locum iis, qui hereditatem pii Testatoris ad illum erigendum acceptarunt, et ob redituum imminutionem id perficere detrectant, vel eam in proximiorem usum convertere satagunt, mandat, ut firmetur status bonorum cuiuscumque hereditatis coram Ordinario *in Amerina Applicationis bonorum die 12 Novembris 1712 lib. 62 Decretorum.*

117. Enimvero – ab anno 1679 Ioannes Franciscus Rosatus supplices porrexit preces s. m. Innocentio XI exponendo, quod Sebastianus Venturellus presbiter secularis Congregationis Oratorii S. Philippi Neri de Urbe heredem instituerat Ecclesiam et Congregationem eiusdem Oratorii in Civitate Amerina erigendam, eiusque piae dispositionis exequutionem sibi ipsi iniunxerat; cumque suo munere fungens, Ecclesiam sub invocatione eiusdem Sancti iam erexisset, nunquam tamen valuit Sacerdotes idoneos pro erigenda praelaudata Congregatione invenire, ne itaque pia disponentis voluntas penitus fraudaretur effectu, maximopere expedire asseruit, quod loco Congregationis Oratorii subrogarentur Presbiteri Congregationis Missionis ex Domo Romana, quemadmodum idem ipse Summus Pontifex benigne precibus annuit, eidemque Domui Congregationis Missionis erigendae omnia et singula bona a Sebastiano Venturello pro erectione Congregationis Oratorii relicta attribuit, Ecclesiamque S. Philippo iam dicatam libere applicari posse indulsit, sicuti latius comperitur ex Brevi sub anno 1679 expedito in summario recensendo, in cuius sane Brevis exequutionem protinus Presbiteri Congregationis Missionis de Urbe possessionem bonorum a saepedicto Sebastiano relictorum adiverunt. Quoniam vero usque adhuc erectionem Domus Missionis in Civitate Amerina exequi distulerunt eo sub obtentu, quod diversimode imminutis bonis pro huiusmodi erectione assignatis, eorum reditus insufficientes comperiantur pro manutentione quatuor Sacerdotum et duorum laicorum iuxta ea, quae in acceptatione praelibatae subrogationis expresse fuerunt conventa; hinc Promotor Curiae Episcopalis Amerinae concordari curavit infrascripta dubia, qui in scriptura facti nuperrime exhibita ulterius contendit, nequire saepe dictos Presbiteros sese confovere in possessione quorumdam bonorum ad praedictam Ecclesiam spectantium, quocirca non dedignentur EE. VV. ex fusius utrinque adducendis sapientissimum oraculum pandere: – I. An Patribus Missionis terminus a Sacra Congregatione sit praefigendus ad fundandam Domum eorum Instituti in Civitate Amerina loco Congregationis Oratorii substitutam et subrogatam in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An si intra terminum praefixum praedicti Patres Domum non fundaverint, Ecclesia S. Philippi et bona mobilia et stabilia Sebastiani Venturelli applicata Domui Missionis fundandae in usum proximiorem voluntati D. Sebastiani, et in quem debeant converti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Firmetur status bonorum cuiuscumquae hereditatis coram Ordinario – *in Amerina Applicationis die 12 Novembris 1712 lib. 62 Decretorum.*

122. Qua de re dum nonnulli ob praetensam redituum sufficientiam urgent erectionem pñi Instituti ante tempus a Testatore praefinitum, et e contra Executores testamentarii ob illorum deficientiam erectioni non esse locum propugnant, Sacra Congregatio mandat

firmationem status bonorum iuxta modum; quandoquidem quum Canonicus Carolus Matthiolus anno 1687 heredem sibi scripsisset Ecclesiam S. Mariae de Providentia Oppidi Mevaniae, in qua nonnulli Sacerdotes pie sese exercere solebant ad formam instituti S. Philippi Nerii, ut ibidem ex fructibus multiplico ad triginta annos positis per quinque Executores testamentarios erigeretur Congregatio Oratorii, sed aliquot decursis annis post obitum Testatoris petita fuerit commutatio voluntatis, sese vero opponentibus Executoribus testamentariis, proposito dubio: – III. An cum hereditate sive multiplico Canonici Matthioli erigi debeat Congregatio Oratorii S. Philippi Nerii in Terra Mevaniae? –, Sacra Congregatio die 10 ianuarii 1699 rescripserit: – Affirmative ad formam testamenti, et scribatur Episcopo, quod insistat multiplico et administrationi bonorum –, unde posthac nonnulli Sacerdotes in albo Confratrum praedictae Ecclesiae adscripti, qui pietatis officia iam explere ceperant iuxta regulas S. Philippi Nerii, suppliciter petierint EE. PP. praesidium, quo erectio Congregationis Oratorii ultra non protraheretur, asserentes, quamplures Benefactores munificas manus addidisse pro huiusmodi erectione, exaratis piis dispositionibus, adeo ut sufficiens reditus iam cumulatus ad id comperiretur, contra tamen insurrexerint Executores testamentarii, cum adhuc quinque decurrere deberent anni pro complendo tempore a Testatore praestituto, et nullimodo pro augmento redituum in medium afferri possent piae dispositiones, tum quia nimis erant tenues vel pluribus gravatae oneribus, tum etiam earum altera nondum favore Ecclesiae erat purificata, atque Episcopus Spoletanus censeret, non esse locum erectioni, ex eo quod adhuc non venerat tempus a Testatore praestitum, necdum aedificata erat Domus, neque paratae necessariae supellectiles, et Ecclesia quoque minus decenter ornata conspiciebatur, sic rebus hinc stantibus, proposito dubio: – An sit exequendum Rescriptum Sacrae Congregationis editum 10 ianuarii 1699 pro erectione in praesenti Congregationis Oratorii S. philippi Nerii in Terra Mevaniae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Episcopo, qui firmet statum iuxta modum (1) – *in Spoletana Erectionis Congregationis Oratorii die 17 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

123. Unde si ob deficientiam redituum et observantiam Decretorum renuatur praestare, quod Testatrix iussit, Sacra Congregatio mandat, ut firmetur status bonorum hereditariorum, citatis interesse habentibus, praefixo termino, et interim servetur solitum; siquidem quum Patres Oratorii S. Philippi Nerii, quibus Victoria Baglioni ius tribuerat nominandi sex Puellas, ut ab Orphanotrophio, quod heredem reliquerat, admitterentur, ac tam in ingressu, quam in progressu de omnibus necessariis utensilibus providerentur, petierint, ut hoc exequi deberent Deputati piae Domus, qui tum ob redituum insufficientiam, tum perspecta Decretorum observantia, necessaria sex Puellis a Patribus praedictis iam nominatis subministrare detrectabant, ob idque instantibus eisdem Patribus, proposito dubio: – An sex Puellae nominatae a Patribus S. Philippi debeant tam in ingressu, quam in progressu provideri a pia Domu Orphanarum etiam de dormitu vestibus aliisque necessariis utensilibus in Conservatorio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Firmetur status per heredes bonorum hereditariorum Victoriae Baglionae, citatis interesse habentibus, praefixo termino, ac interim servetur solitum – *in Fanen. piorum Onerum die 18 Maii 1715 lib. 65 Decretorum.*

124. Idcirco non indulgetur reductio legatorum, nisi prius firmetur status bonorum hereditariorum, auditis interesse habentibus; siquidem quum legata pia a Francisco Riccio relicta cum reditibus hereditariis non conve-

(1) Nimirum, – quatenus confici curet distinctum statum bonorum relictorum a Testatore tam quoad capitale, quam quoad fructus et onera, nec non recognoscat, an fideliter fuerit factum multiplicum demandatum, vel cuius culpa integre peractum non fuerit, ac ulterius cogat quos de iure ad reddendam rationem, atque ad solvendum et respective redintegrandum. Rursus in casu sequutae alienationis bonorum recognoscat qua de causa, et an id factum fuerit cum Beneplacito Apostolico vel de licentia Episcopi; si vero alienatio nulliter facta reperiatur, procedat contra quos de iure pro redintegratione facienda –, *ceu videre est in Reg. Lit. lib. 25 die 17 Martii 1714.*

nirent, ex eo quod illorum onera minime sustinere videbatur hereditas, proposito dubio: – II. An et quomodo et in quibus legatis sit indulgenda petita reductio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, firmetur status bonorum hereditariorum, auditis interesse habentibus – *in Placentina Erectionis Canonicatus et Legatorum die 20 Februarii 1712 lib. 62 Decretorum.*.

125. Quando igitur expostulatur reductio legatorum, ex eo quod nimis gravata appareat hereditas, Sacra Congregatio ante omnia mandat firmationem status, iuxta instructionem; quandoquidem quum Archihospitale Ecclesiae S. Iacobi incurabilium hereditatem Caeciliae Merisi legatis piis onustam habuerit cum beneficio legis et inventarii, ac inde imminutam et ita oneribus gravatam comperierit, ut, iis impletis, grave in scutis 1077 obulis 86 damnum subierit, adeoque non solum redintegrationem, sed et onerum reductionem postulaverit, proposito dubio: – An et quomodo sit locus reductioni legatorum piorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et firmetur status per Peritum deputandum a D. Secretario iuxta instructionem (1), et reproponatur sub congruis dubiis – *in Romana Reductionis Legatorum die 16 Decembris 1769.*

126. Similiter antequam Sacra Congregatio indulgeat, ut reductio temporaria subsidii dotalis iam concessa et prorogata fiat perpetua, merito mandat firmationem status bonorum hereditariorum iuxta instructionem; quandoquidem quum fratres de Ciccolinis heredes Annibalis Giardini ob imminutionem assis hereditarii postulaverint, ut reductio ad tempus oneris subsidii dotalis scutorum 100 ad scuta 25 iam obtenta et prorogata efficeretur perpetua, proposito dubio: – An sit locus reductioni subsidii dotalis in summa scutorum 25 annuatim, vel in qua quantitate in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Firmetur status bonorum, iuxta instructionem Emi Praefecti (2) – *in Maceraten. Subsidii dotalis die 30 Martii 1715 lib. 65 Decretorum.*

127. Hinc si ob assertam redituum imminutionem concessa fuerit reductio dotium de mandato Testatoris distribuendarum, sed exinde in eam uti invalidam insurgatur, Sacra Congregatio bis etiam mandat, ut firmetur status hereditatis iuxta instructionem; siquidem quum Franciscus Lucarinus e Trebio hereditatem suam partim sex dotandis Puellis, partim fundationi Collegii destinasset, diminutis autem annuis reditibus obtenta fuerit dotium reductio, sed haec postea invalida censeretur, proposito dubio: – An constet de invaliditate reductionis dotium, ita ut sit danda reintegratio in casu etc. –, Sacra Congregatio die 24 maii 1732 responsum dedit: – Dilata, et interim Episcopus auctoritate Sacrae Congregationis mandet firmari statum hereditatis, et cogat Administratores ad redditionem rationis, iuxta instructionem (3) –. At licet ad normam huius Rescripti firmatus fuerit status hereditatis, nihilominus reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et firmetur status coram Emo de Gentilibus protectore Collegii cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, non retardata interim collatione dotium promissarum aliarumque distributione pro nunc ad formam Brevis – *in Spoletana Collegii et Dotium die 4 Augusti 1736.*

128. Qua de re Sacra Congregatio, antequam resolveret, num dos a Ioanne Baroffio

(1) Nimirum Sacra Congregatio nihil deliberandum censuit, nisi ex firmatione status hereditatis ex decennio in decennium a Perito exequenda singula luculentius apparuissent, *ceu videre est in folio dici 14 Maii 1774 §. Hereditatem.*

(2) Instructio hinc fuit, ut liquidarentur fructus bonorum hereditariorum iam dicti Annibalis eorumque asserta onera et expensae; comprobaretur sanguinis coniunctio, qua Oratores ad ipsum disponentem attinent; exhiberetur transactio enuncinta cum Uxore Testatoris, audito in omnibus Magistratu Civitatis, cui praeterea tempus constitueretur ad deducenda iura, si quae habet in S. Congregatione.

(3) Scilicet ante illius decisionem scribendum esse Episcopo Spoletano ut auctoritate eiusdem Sacrae Congregationis statum hereditatis nedum tempore obitus Testatoris, sed etiam tempore praesenti coram se, utraque Parte audita, firmari iuberet; idoneum Exactorem, qui exenteret debitorum nomina, deputaret; nec non ad rationis redditionem cogeret eos, qui praeterito tempore Montem frumentarium aliaque bona hereditaria administrarunt.

in summa scutorum 25 in favorem Puellarum relicta in ea esset quantitate distribuenda, quae, detractis oneribus, de reditibus hereditatis supererat, merito mandavit firmationem status hereditarii per Peritum Curialem deputandum nec non testamenti exhibitionem; proposito enim dubio: - An sit confirmanda resolutio capta ab Universitate in secretis comitiis die 10 februarii 1775 in casu etc.-, Sacra Congregatio responsum tulit: - Dilata, et firmetur status hereditarius per Peritum Curialem deputandum, et exhibeatur testamentum - *in Romana Subsidii dotalis die 27 Aprilis 1776.*

129. Quin imo bis etiam firmatio status iuxta instructionem demandatur, ut dignoscatur, an subsidium dotale debeatur; siquidem dum Thecla Ruffo ex familiis tertio ordine vocatis ab Angela Eleonora Morroni, quae ex fructibus hereditariis censuum reliquit quosdam monasticas dotes, dotem secundum testamenti legem petiit, propositis dubiis: - I. An sit locus favore Theclae Ruffo assequutioni subsidii dotalis pro eius monacatione iuxta mentem matronae Eleonorae Morroni in casu etc. II. An et quo tempore sit locus assequutioni eiusdem subsidii dotalis iuxta chirographum s. m. Benedicti XIII pro coniugio temporali inito a Francisca Grassi Raccamadori in casu etc. -, Sacra Congregatio die 28 februarii 1761 respondit: - Dilata, et Archiepiscopus mandet confici statum, iuxta instructionem (1) -. Imperio Sacrae Congregationis paritum est, status hereditarius pervenit; sed repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et firmetur status iuxta instructionem (2) - *in Firmana Subsidiorum dotalium 18 Augusti 1764.*

130. Unde si obreptitium dicatur Breve Pontificium, quod ex fructibus hereditatis pii Testatoris congruam dotem eiusdem propinquis concesserit, Sacra Congregatio mandat, ut, praevia firmatione status hereditatis, Ordinarius referat, quae scitu sunt necessaria; siquidem quum Summus Pontifex filiae et neptibus Philippi Bezzi, praevia firmatione status hereditatis, quam Pier Sanctes Fanti reliquerat Communitati Oppi Campi Rotundi, attenta cum Testatore coniunctione in tertio gradu nec non paupertate, concesserit quamdam summam pro earum congrua dote ex reditibus, qui, solutis dotibus iam promissis nec non detractis aliis oneribus, superextarent, sed Praesides praedictae Communitatis in executione Brevis Pontificii sese opponentes coram Ordinario contenderint, annuos fructus, si qui ex hereditate superessent, in eiusdem Communitatis beneficium et utilitatem ex verisimili Testatoris mente esse erogandos, nec non Rescriptum Sacrae Congregationis et memoratum Breve fuisse obreptitie impetratum sub falsa enunciatione, quod Philippus in tertio gradu coniunctus esset Testatori, et quod fructus hereditatis, solutis dotibus ceterisque adimpletis oneribus, in summa non modica superessent, proposito dubio: - An Breve a Sanctissimo impetratum super applicatione assertorum superextantium redituum hereditatis Pier Sanctis Fanti pro dotibus Instantium sit exequendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Dilata; et Episcopus, praevia firmatione status, referat tam super summa, quae ex reditibus hereditariis superextare deberet, quam super numero Puellarum iam extractarum habentium requisita a Testatore volita - *in Camerinen. Subsidiorum dotalium die 17 Augusti 1737.*

131. Petita hinc aperitione oris contra motum proprium Summi Pontificis, qui concessit cumulum dotium, Sacra Congregatio ante omnia mandavit, ut firmaretur status hereditatis; quandoquidem quum Officiales Sanctissimae Annuntiatae heredes Francisci Surcii flagitaverint oris aperitionem adversus chirographum Benedicti XIII, qui con-

(1) Scilicet, ut clarius et distinctius referat super statu hereditario Eleonorae Morroni eiusque reditibus et pecuniis extantibus etiam ab anno 1754, antequam instantiae supplicationis ad Sacram Congregationem delatae fuerunt, usque ad hoc tempus, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 32.*

(2) Nempe, ut mandet firmari statum activum passivumque sortis relictae ad effectum, de quo agitur, cum respectiva iudiciali aestimatione praecisi valoris ipsiusmet fundi una cum annuo reditu, qui modo percipitur et percipi poterit casu, quo meliorari contingat. Ulteriusque referat, an huiusmodi fundatio utilis sit, vel necessaria signate in loco demandato, et in ista Diaecesi espective exquirendo a Communitate, an illa valeat assensum ad memoratum effectum reponere, *ut in Reg. Litt. lib.32.*

cessit cumulum dotium scutorum 400 pro singulis filiabus quinque Septimii Alberti a Testatore descendentis, eo quod subreptionis et obreptionis vitio laboraret, proposito dubio – An sit locus aperitioni oris, sive potius ulteriori exequutioni motus proprii s. m. Benedicti XIII in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et ad Emum Urbis Vicarium pro firmatione status – *in Romana Aperitionis et Subsidiorum dotalium die 21 Maii 1735.*

132. Idcirco licet aliquando clementiae magis, quam iuri indulgendum esse Sacra Congregatio censuerit, maxime ob paupertatem heredum vel consanguineorum, id tamen semper curavit, ut extremae voluntatis non tam commutatio fieret, quam benigna mentis Testatoris interpretatio. Haec enim praesumptio in eiusmodi rebus vigere solet, ut ipse Testator, si heredis vel consanguinei egestatem praevidere potuisset, favorabiliori quadam dispositione eidem opitulari studuisset, Card. De Luca de testam. disc. 72 a n. 15 *in Pisauren. Commutationis Voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *Et.*

133. Unde si iusta de causa Summus Pontifex hereditatem, quam Testator Communitati designati loci ad implenda pia Opera reliquit, hospitali alterius loci applicaverit, ea quodammodo cessante ac satis immutata rerum conditione, locus est derogationi chirographi Pontificii iuxta modum *in Ferrarien. seu Adrien. pii Relicti super avocatione bonorum vel redituum die 2 Iunii 1860.*

134. Siquidem cum obiisset volvente anno 1753 in Oppido Massae superioris, quod Ferrariensis Ducatus partem per id temporis constituebat, Nicolaus Gavioli, postremum voluntatis eius elogium fuit evulgatum, quo ex universa hereditate sua primogenituram instituerat, ad quam certo ordine certisque substitutionibus indictis masculos descendentes e sororibus suis vocaverat, illisque in universum deficientibus pia quaedam Opera a se designata tandem substituerat. Utrum ne extiterint masculi ad primogenituram vocati et quandonam substitutioni piorum Operum aditus patuerit, ex Causae actis minime liquebat. Hoc vero constabat, nempe ob gravissimas, in quibus versabatur, angustias Nosocomium Ferrariense sub invocatione S. Annae, Pius VI nonas iunias anni 1784 chirographum edidit, quo inter alias hereditatem Nicolai Gavioli, ad Communitatem Massae ad implenda plura pia Opera iam devolutam, eidem applicavit, pluribus indictis erogationibus favore praedictae Communitatis Massae. Pontificiae munificentiae fructus semper Nosocomium Ferrariense percepit, etiamsi labente anno 1815 Paraecia Massae superioris, cui prospectum potissime voluit Gaviolius, et cuius etiam utilitati Summus Pontifex Pius VI consuluit, a ditione Pontificia avulsa et Austriaco regimini fuerit subiecta. Nihilosecius modernus Massae Parochus infelicissima commotus conditione eius loci Oppidanorum, ad numerum biscentum praeter quinque mille circiter, qui egestate licet squalore omnigenisque infortuniis conficerentur, quolibet beneficentiae instituto carebat, neque ullo pio Opere, exceptis iis, quae Gaviolius praestituerat, ad inopiam aliqua saltem ex parte levandam, fruebantur, supplices preces ad Sacram Congregationem porrexit petens, ut, Pontificii Chirographi derogatione a Summo Pontifice impetrata, vel hereditas vel eius reditus, qui deductis oneribus supererant, iuxta mentem pii Testatoris avocarentur ad Paraeciam Massae superioris. Contendit enim, finalem causam, quae unionem hereditatis Gaviolii favore Nosocomii suaserat, iampridem cessavisse; nec non voluntati Testatoris ac Summi Pontificis, immutata rerum conditione, satisfieri amplius non posse. Plura ad id probandum in medium protulit praedictus Parochus, cui vero Archiepiscopus Ferrariensis et Moderatores Nosocomii acriter obstiterunt. Proposito autem dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro derogatione Chirographi in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta modum; nempe ut Hospitale ex reditibus hereditatis Gavioli teneatur tradere quotannis Parocho Massae superioris summam scutorum 150 erogandam in levamen pauperum Infirmorum eiusdem Paraeciae – *in Ferrarien. seu Adrien. Pii Relicti super avocatione bonorum vel redituum die 2 Iunii 1860.*

135. Nam iusta et necessaria causa ex Tridentino Concilio intercedat oportet, ut fieri valeat commutatio *in Aesina Commu-*

tationis voluntatis die 9 Augusti 1817 §. *Sed.*

136. Quapropter, remota iusta ac necessaria causa, derogationes voluntatum vel commutationes minime indulgendae sunt, prout iuxta praescriptum Concilii Tridentini semper tenuit Sacra Congregatio *in Narnien. Canonicatus die 15 Maii 1802* §. *Modis.*

Item *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *Cuncta.*

137. Haud raro tamen, ubi vel de necessitate, vel de maiori utilitate propositae immutationis liqueat, si praesertim faciliora inde et aptiora ad animarum salutem remedia comparentur, quae aliter nequeant conferri, Monet. de commut. ult. vol. cap. 6 n. 75, Piton. de controv. patron. alleg. 50 n. 7, vel ea adsit in Testatoris voluntate exequenda difficultas, qua omnem vinci severitatem iuris iustamque inferri commutationis causam animadvertamus, Barbos. de potest. Episcop. alleg. 83 n. 3 et 8, S. Congregatio postulationibus huiusmodi annuendum censuit, quasi nimirum iis non immutata, sed potius quodammodo explicata dici possit decedentium voluntas, qui utilioribus institutis libentius assensuri fuisse existimantur, si animum in illa mentemque convertissent *in Firmana Commutationis voluntatis die 1 Februarii 1834* §. *Haud.*

138. Unde in hereditate ad pios usus relicta potior est causa pauperum Consanguineorum, qui subsidium quaerunt propriae indigentiae, quam extraneorum, pro quibus erigendum esset Seminarium, iuxta sententiam S. Gregorii Nazianzeni in orat. 6 de amore pauperum, et Natal. Alexan. Theol. dogm. lib. 3 part. 18 *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Quae.*

139. Qua de re attenta inopia, qua Nepotes Testatoris premuntur, praeter legatum eis relictum, aliquid etiam eisdem ad tempus indulgetur *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 24 Aprilis et die 29 Maii 1852.*

140. Iamvero supremae voluntatis tabulae, quibus vitam die 9 septembris 1850 desiit Aloisius Passeri Cathedralis Ecclesiae Pisaurensis Canonicus, ubi primum sunt reseratae, quinque Testatoris Nepotes ex sororibus Barbara et Apollonia prognati tamquam de laeso sanguinis iure querelas movere. Scripsit nimirum Avunculus ex asse heredem ven. Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti inter concives erectam, cuius, dum vixit, devotioni addictus quammaxime fuerat. Legem vero adiecit, ut depurgati hereditatis fructus annui iuxta ipsius Sodalitii indolem erogarentur in cultum divinum in suffragia defunctorum praesertim Sodalium et in pauperum subsidia. Legatum Ancillae reliquit, Patrimonium sacrum ad taxam synodalem ex mandato sororis Margaritae, cuius heres universalis fuerat, constituit; illos denique, quos ex sororibus Apollonia et Barbara superstites habebat, quinque nepotes Iacobum scilicet Liviam et Amaliam Molinari ac Franciscum et Ioachimum Rosa constituit legatarios unumque in summa scutorum 200, addita tamen quoad Amaliam conditione, ut nuncium mittere deberet annuae summae scutorum octo, quae vi sententiae eidem semper solveret, si legatum accipere vellet. Testamenti tandem Executoribus nominatim designatis, plenas agendi, ut alter ego, facultates contribuit. Hinc itaque nimium gravati nepotes statim supplices ad Sacram Congregationem preces dederunt, quippe Avunculus, dum Causam piam bonis ecclesiasticis satis provisam ex asse circiter 12000 scutorum constanti heredem vocaret, de sacro sanguinis vinculo praeterquam de canonica aequitate oblitus quodammodo fuerit. Quod si id nunquam Ecclesiae gratum extiterit, eo vel minus in praesenti casu conclamarunt, quo ipsi Oratores partim omnino paupertate laborabant, partim sibi suaeque proli ex industria ac labore victum sane parcum atque casualem quaerebant. Summopere autem de misera neptis Amaliae conditione conquesti sunt, quam morbo quodam chronico infectam, nec opibus, nec labore manuum iuvari, addita Medici fide, asseruerunt. Quare Apostolicam implorarunt clementiam, ut, commutata Testatoris voluntate, bona, quae etiam ex avito asse potissimum provenire dixerunt, aequius inter ipsos et piam Causam dividerentur, nimirum – che senza togliere tutto alla Confraternità, che non ha bisogna, si reintegri del di più la parentela –. Mox tamen die 20 decembris 1850 alias preces nomine proprio humiliarunt fratres Molinari, qui, ceteris, ut supra, expo-

sitis, symbolam hereditatis liberam ad 5000 scuta reducebant. Episcopus retulit, iuxta inventarium substantiam hereditariam, deductis lgatis, ad summam scutorum 4014 98 9 ascendere, eamque incrementi omnino capacem iudicavit Episcopus, id innuente etiam Sodalitio. Hinc tum ipsum Sodalitium, tum etiam Episcopus censuit, secluso Oratorum iure, ut ex aequitate iisdem inopia pressis maior quaedam praeter legatum scutorum 200 ratio haberetur, relicta speciali definitione sapientiae et prudentiae Sacrae Congregationis.

141. His autem perpensis, proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Oratorum in casu? –, Sacra Congregatio die 24 aprilis 1852 respondit: – Iterum proponatur –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Firmo in reliquis testamento, et retenta favore Amaliae annua praestatione scutorum octo, praeter legatum scutorum biscentum, superextantes reditus eleemosynis destinati dividantur aequis partibus inter Oratores ad quinquennium, facto verbo cum Sanctissimo – *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 29 Maii 1852.*

142. Multo magis igitur locus est commutationi voluntatis, si praeter propinquorum egestatem, iidem plura nomina super hereditate, de qua Testator ad piam Causam disposuit, habere videntur *in Agrigentina Commutationis voluntatis die 22 Ianuarii 1842.*

143. Siquidem defuncto Canonico Honuphrio Brunone Agrigenti, vocati fuere ad illius hereditatem assequendam eius soror Margarita et filii Francisci fratris Ioseph Girlandus Angela Emmanuella Iosepha et Caietanus: ast cum heredes omnes sub eodem tecto vitam ducere perrexerint, factum est, ut hereditas diu indivisa permanserit. Girlandus decessit, eiusque filia Anna iure repraesentationis petiit quidem hereditatis divisionem; ast Patruis contradicentibus, et impar sustinendis litium expensis, tenui subsidio contenta fuit, quod titulo alimentorum usque ad hereditatis divisionem assignatum est. Decesserunt subinde etiam Ioseph Iosepha Caietanus Margarita, et Emmanuella monasticam vitam amplexata est, adeo ut assis universus Honuphrii Alonge Francisco Angelae et Annae superstitibus accreverit. Nihilominus unus Franciscus hereditatem retinuit, ac ex ea per supremum elogium, quo decessit, constituit Capellanias duas, assignata pro utrisque insimul annua dote ducatorum 1621 et dote ducatorum 600 ad dotandam Puellam illius Urbis. Res cum ita se haberent, praefata Anna Alonge, gravi pressa inopia ac numerosa onusta familia, exoravit, ut utraque dos pro Capellaniis et Puella instituta eidem applicaretur, cum ad ipsam medietas hereditatis spectaret, quin propterea id in damnum eius iurium et neptis perfici potuerit. Vicarius Capitularis retulit, Franciscum Alonge hereditatem Canonici Honuphrii occupavisse in summa *di onze* 5192, sed illam reduxisse *ad onze* 2891; eumdem Franciscum debuisse praestare Angelae et Annae Alonge annuam summam, quam per plures annos non praestitisse, unde creditum adscendere ad *onze* 3405, sed patrimonium a Francisco relictum pertingere summam *di onze 2891 20.* Idcirco Franciscus nihil instituere poterat. Ceterum in themate quidquid esset de iuribus Oratricis et Angelae exploratum erat, pro tertia hereditatis Honuphrii parte ius habuisse disponendi Franciscum, quippe in ea quota coheredem. Veruntamen pensanda erant, quae de nominibus Oratricis aliisque erga hereditatem ipsam enarrabat Vicarius Capitularis; hereditas enim non intelligitur, nisi aere alieno subducto. Prae oculis habendae etiam erant miserrimae Oratricis circumstantiae, de quibus in sua relatione fuse agebat idem Vicarius Capitularis.

144. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Oratricis in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dempto fundo annui reditus ducatorum octoginta pro erectione unius Capellaniae iuxta mentem Honufrii, in reliquis Affirmative; et Ordinarius curet capi idoneam inscriptionem – *in Agrigentina Commutationis voluntatis die 22 Ianuarii 1842.*

145. Unde attentis iuribus, quae soror super fratris hereditate forsan habere posset, asserta eiusdem fratris testantis dementia, nec non ipsius praesumpta voluntate opitulandi praedictae sorori in angustia egestatis coniectae, si sanae prorsus mentis fuisset, Sacra

Congregatio censuit, consulendum esse Sanctissimo, ut ex illius hereditate pro erectione Archipresbiteratus in Collegiata Ecclesia relicta ususfructus duorum fundorum et annua praestatio alimentaria in certa summa favore Oratricis eiusque viri filiarum assignarentur, praevia tamen renunciatione in forma iuris valida ab iisdem emittenda super memorata hereditate *in Spoletana Commutationis voluntatis die 8 Iulii 1843.*

146. Enimvero Archipresbiteratum alteram in Collegiata Ecclesia S. Gregorii dignitatem institui iussit ex universis suis bonis postremo, quod scripsit, elogio Sacerdos Angelus Placidi sub anno 1818, ac Capitulum ipsum ea de re heredem fiduciarium edixit. Quod sane gravissimum accidit Clarae Placidi Fausti eiusdem Testatoris sorori consanguineae, quae cum universam hereditatem sibi suisque filiis relictam iri sperasset promissis confisa ipsius fratris adhuc viventis, ac iuribus, ut aiebat, nonnullis super ipsa hereditaria substantia, a quibus experiundis ea spe freta abstinuerat, mortuo vix fratre, Decretum retulerat de immitendo in possessionem, uti heres intestata. Hinc preces, vix cognita ob eius funus de anno 1841 praefata voluntate, obtulit Summo Pontifici per Sacram Congregationem adprecata, ut, fratris dispositione favore Archipresbiteratus postposita, sibi filiisque egestate laborantibus hereditas tribueretur, sin minus ut congrua familiae necessitati pensio super Archipresbiteratus dote constitueretur, ac eodem tempore iudicium substinuit acerrimum in possessorio cum Capitulo herede fiduciario, a quo tamen iudicio devicta discessit. Precibus Oratricis haud omnino adversum se praebuit Archiepiscopus in sua relatione: narravit enim egestatem familiae Oratricis, et dubia iniecit super testamentariae dispositionis libertate et validitate. Retulit videlicet, de mentis integritate Angeli testatoris dubitatum fuisse, cum conderet testamentum; quare paulo post Archipraesulem Cadolinium, precibus ipsius Clarae Administratorem constituisse patrimonii fraterni Adrianum Luparini virtutum gloria, ut dixit, clarissimum virum, qui tum propinquorum, tum infelicis Presbiteri substentationi prospexit. – Et prudenter sane (prosequebatur Archiepiscopus) ita se gessit Cadolinius; aliter familia Placidi omni ope destituta fuisset, cum Canonici Collegiatae S. Gregorii universa hereditate potientes etiam dum inter vivos erat Presbiter Angelus nihil intentatum relinquerent... Praetereo, quod vociferatur, nempe recurrentes Placidi voluntati Patrui Angeli indulsisse metu, ne omni subsidiorum genere destituerentur, et a praediis, quae ipsi colebant, arcerentur, et Presbiterum Angelum mentis imbecillitate laborantem inductum fuisse, ut ad Causas pias testamentum conficeret –. Ratio, cui innitebatur Oratricis petitio, praecipua erat titulus velut transactionis: exposuit enim, plura se iura sua opponere posse contra hereditatem Angeli testatoris, ac praeter Angeli imbecillitatem facere etiam poterat praesumpta eius voluntas, qui, si sane prorsus mentis fuisset, opitulaturum profecto sorori suae praesumi debebat, in angustia egestatis coniectae, quae sedulam ei, dum viveret, praestitit operam. Ast Capitulum acriter precibus Oratricis obstitit. Negavit enim praesumpta iura Clarae Placidi super Angeli testatoris patrimonio; multoque minus timuit, testamentum posse ex testantis dementia infirmari, quippe si nunquam praesumitur, nisi concludentissime demonstretur, mentecaptus, qui disposuit in piam Causam, id exulabat magis ab Angelo, cuius uti viri prudentis voluntas se exerit luculenter in assignata simul innuptis Oratricis filiabus dote scutorum centum pro qualibet, Oratrici autem ipsi – la somma di scudi 10 per una sol volta, e di lei vita naturale durante tre coppe di grano ed un caldarello d'olio annualmente, ed ancora una delle mie posate d'argento assieme colle gioie, che erano della mia madre fu Cleria –. Neque huiusmodi legatum vel minus congruum dici posse contendit Capitulum, sed pro conditione mulieris et viri, proprietarii coloni, qui aliunde alia praedia possidebant, aut minus tenue prae viribus piae hereditatis, quum ista ex modernis censualibus tabulis vix aequaret valorem scutorum 3289 20, a quo passivum aliquid et legatorum praestatio in scutis annuis supra centum erant detrahenda, gravaretque contra Archipresbiterum praeter chorale pensum Missa quotidiana et onere excipiendi confessiones. Perpendendas denique proposuit

Capitulum clausulas a Testatore tum legato favore Oratricis, tum hereditati favore Archipresbiteratus adiectas, quibus si Clara soror eius vir ac filiae legata minus congrua ediceret ac lites moverent, mandavit, ut illa tamquam nulla ac irrita haberentur; et si eius voluntas commutari vellet, Raimundum Iannetti suum heredem universalem nominavit.

147. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit annuendum precibus Oratricis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, et praevia renunciatione in forma iuris valida ab Oratrice eiusque Viro et Filiabus emittenda cuicumque iuri super hereditate Angeli Placidi, esse consulendum Sanctissimo pro usufructu domus et fundi adiacentis ac assignatione annuae praestationis alimentariae in summa scutorum 140 inter Coniuges Filias innuptas et Monialem prudenti iudicio Archiepiscopi dividenda, absque iure accrescendi in casu obitus, compensatis expensis, et idem Archiepiscopus curet erectionem Archipresbiteratus, et adimpleri onera ab Archipresbitero – *in Spoletana Commutationis voluntatis die 8 Iulii 1843.*

148. Si propterea adsit necessitas ac utilitas nec ullius iura laeduntur, indulgetur applicatio partis hereditatis ad implementum onerum alterius hereditatis, cum onere tamen investiendi pecunias nomine eiusdem hereditatis; quandoquidem quum Sodalitium Mortis, quod Urbini erat, duos fere eodem tempore acquisiverit hereditates, unam anno 1596 Angelicae de Benedictis, quae praeter alia mandavit, ut Sodales tenerentur in Ecclesia retinere semper Sanctissimum Sacramentum cum lampade accensa, nec non diebus, in quibus solebant fieri quadraginta horarum, tenerentur celebrari facere sex Missas pro qualibet die, ac emere ceram ardentem in dictis diebus pariter, et ceram pro sepeliendis mortuis pauperibus, alteram anno 1601 Alexandri Godignola, qui mandavit, ut, impletis designatis oneribus, reliquos hereditatis fructus erogare Sodales deberent in nubendis Puellis Civitatis, sed dum reditus hereditatis Godignola vel aucti fuerint, illi Angelicae multum decreverint, hinc praedicti Sodales postulaverint, ut Summus Pontifex partem redituum Godignola certo modo ad implementum onerum hereditatis De Benedictis applicaret, quia aderat necessitas ac utilitas, nec ullius iura laedebantur, proposito dubio: – An sit locus applicationi in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, cum onere tamen investiendi pecunias nomine hereditatis Godignolae - *in Urbinaten. Applicationis die 21 Iulii 1764.*

§. I.

HERES QUOAD IURA ET POTESTATEM

1. Heredis institutio fieri valet quocumque verborum genere; nam ex L. 15 Cod. de testamentis - non interest si dicatur, heredem facio vel volo vel mando etc., sed quibuslibet confecta sententiis vel in quolibet loquendi genere formata institutio valet – *in Ariminen. Capellaniarum die 14 Iunii 1823* §. *In primo.*

2. Hinc heres ab initio institutus non substitutus dici debet, iuxta veriorem sententiam, de qua late Rota in Romana usufructus 9 aprilis 1734 a §. 9 coram Sanctissimo, et in Maceraten. Immissionis 17 aprilis 1752 §. 6 et 8 coram Emo Elephantutio *in Lauretana Legati die 15 Decembris 1759* §. *Id.*

3. Plures tamen habentur Textus iuris civilis, in quibus heredum appellatione solum primos heredes contineri cavetur, quos enumerat Glossa in L. *Qui per successionem* de regulis iuris, maxime dum agitur de herede extraneo, qui, tamquam non scriptus in testamento legantis, non videtur comprehendi in verbis illis: – infrascripti mei heredes – *in Lucana Legati pii die 10 Iulii 1728* §. *Quod.*

4. Contra vero oppositum suadet generalis regula, quod heredis appellatione omnes successivi heredes continentur, quia ut ait Ulpianus in L. 65 de verborum significatione: – Heredis appellatio non solum ad proxi-

mum heredem, sed etiam ad ulteriores defertur. Nam et heredis heres et deinceps heredis appellatione continetur –. Atque rursus in L. 170 eodem titulo: – Heredis appellatione omnes significari successores credendum est, etsi verbis non sint expressi –. Consonant Card. Petra ad Const. 10 Innocentii III sect. 3 n. 44 tom. 2, Amostaz. de Caus. piis lib. 1 cap. 13 n. 10 et 17, Rota in Romana legatorum et eleemosynarum 5 maii 1755 §. 11 coram Card. Caprara *in Lucana Legati die 10 Iulii 1728 §. Contra*

Item *in Caesenaten. Legati die 11 Martii 1766 §. De heredis; in Neapolitana Legati pii die 23 Februarii 1850 §. Iterum.*

5. Unde sub heredis nomine nedum primus, sed heredes quoque veniunt ulteriores, nisi clara in oppositum Testatoris voluntas elucescat *in Cervien. Legatorum die 9 Iulii 1785 §. Adeo.*

Item *in Terracinen. et Setina Missarum die 2 Martii 1839 §. Alterum; in Ianuen. Praestationis Legati die 19 Decembris 1840 §. Praesertim; in Neapolitana Legati pii die 23 Februarii 1850 §. Iterum.*

6. Idcirco quod primo heredi permissum est non taxative, id sequentibus heredibus non est denegandum *in Terracinen. et Setina Missarum die 2 Martii 1839 §. Alterum.*

7. Hinc et de eadem appellatione in annuis legatis Modestinus in L. 6 de ann. legat. ait: – Annuam pecuniam ad ludos Civitatis reliquit, quibus praesidere heredes voluit. Successores heredum negant se debere, quasi Testator tamdiu praestari voluerit. Quaero igitur, an cum praesidendi mentionem fecerit, ad tempus fideicommissum, an perpetuo praestari voluerit. Modestinus respondit, fideicommissum quotannis in perpetuum Reipublicae praestandum esse –. Idem statuit Iustinianus Imperator Cod. eod. tit. L. 22: – In annalibus legatis vel fideicommissis, quae Testator non solum certae Personae, sed eius heredibus praestari voluit, eorum exactionem omnibus heredibus et eorum heredum heredibus servari pro voluntate Testatoris praecipimus – *in Caesenaten. Legati die 22 Martii 1766 §. De eadem.*

8. Idcirco annuum onus generaliter heredibus iniunctum omnes heredes heredum comprehendit, etiamsi taxativa verba primorum heredum adsint; quandoquidem Scevola in L. 20 de ann. leg. §. 1 dixit: – Attia fideicommissum his verbis reliquit, quisquis mihi heres erit, fidei eius committo, ut det ex reditu coenaculi mei et horrei post obitum Sacerdoti et hierophylaci et libertis, qui in illo templo erunt, denarios decem die nundinarum, quas ibi posui. Quaero, utrum iis dumtaxat, qui eo tempore, quo legabatur, in rebus humanis et in eo officio fuerint, debitum sit, an etiam his, qui in locum illorum successerunt. Respondi secundum ea, quae proponerentur, ministerium quidem nominatorum designatum, ceterum datum templo. Item quaero, utrum uno dumtaxat anno decem fideicommissi nomine debentur, an etiam in perpetuum decem annua praestanda sunt. Respondi, in perpetuum – *in Caesenaten. Legati die 22 Martii 1766 §. Quod.*

9. Ceterae hinc leges, quae in contrarium allegari possunt, regulam istam non evertunt, sed potius limitant in singularibus casibus *in Lucana Legati die 10 Iulii 1728 §. Ceterae.*

10. Quapropter Sacra Congregatio, pro singularibus rerum adiunctis, modo onus impositum heredi vel heredibus perpetuum, modo temporaneum declaravit *in Cervien. Legatorum die 9 Iulii 1785 §. In.*

Item *in Ianuen. Praestationis legati die 19 Decembris 1840 §. Sacra; in Neapolitana Legati pii die 23 Februarii 1850 §. Sacra* (1).

11. Vocatio autem heredum et successorum ad hereditatem unice referri videtur, arg. ex Rot. in decis. 212 §. 2 coram Olivatio, et in decis. 657 §. 2 et 3 coram Buratto *in Lauretana Beneficii et Concordiae die 25 Maii 1844 §. Quare.*

12. Ille igitur dicendus heres, qui succedit in universum ius defuncti, et cui hereditatis commodum applicatur *in Ariminen. Capellaniarum die 14 Iunii 1823 §. In.*

13. Nam in heredem transeunt omnia iura et obligationes defuncti, L. fin. Cod. de iure deliberandi, L. *Nihil aliud* ff. de verborum significatione *in Asculana Capellaniarum die 27 Februarii 1790 §. Quaeritur.*

(1) Haec late habebis in Verb. *Legatum.*

Item *in Romana Condonationis die 21 Novembris 1840 §. Pecuniae.*

14. Qua de re quum Testator perspicuis patulisque verbis heredem suum nuncupaverit, frustra alii hereditariam sibi qualitatem arrogare adnituntur, cum praesertim illam nunquam superioribus temporibus praetendere ausi fuerint, sed imo expressis verbis contrarium ostenderint *in Ariminen. Capellaniarum die 24 Novembris 1827.*

15. Enimvero ultimo elogio Iulius Antonius Silvagni universalem proprietariam heredem instituit Ecclesiam Beatae Virginis Mariae – delle Grazie della Scuola delle ragioni di questa Comunità –, nempe Oppidi S. Ioannis in Marignano Ariminensis Diaecesis. Praescripsit Testator, ut instituerentur sex Capellani, qui quotidie in memorata Ecclesia Missam celebrare deberent. Plura exinde disposuit quoad electionem Capellanorum eorumque favore et loci Communitatis. Unde quaestio exinde orta est inter praefatos Capellanos et Communitatem quoad qualitatem hereditariam, quam sibi apprime suo Collegio convenire contendebant Capellani, ex eo quod ipsum Collegium successerat in universum ius defuncti eidemque hereditatis commodum applicatum perhibebatur. Nec obesse dixerunt, quod nunquam Collegium heredis nomine a Testatore fuisset honoratum; namque – non interest, si dicatur in ultimis voluntatibus heredem facio vel instituo vel volo vel mando etc., sed quibuslibet confecta sententiis, vel in quolibet loquendi genere formata institutio valet –, L. 15 Cod. de testamentis. E contra Communitas et quidam Patresfamilias Oppidi S. Ioannis in Marignano plura congesserunt argumenta, ut evincerent, non Capellanos, sed ipsam Communitatem esse heredem Iulii Antonii Silvagni. Verum ea nullum ponderis habere videbantur; tum quia Testator neque Communitatem, neque Capellanos, sed Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Gratiarum perspicuis patulisque verbis suam universalem heredem nuncupavit; tum quia neuter illorum superioribus temporibus nomen heredis sibi arrogare ausus erat. Imo eadem Communitas in capitulis anni 1757 non proprio, sed Ecclesiae nomine se hereditatem adire verbis expressis declaraverat. His igitur perpensis, proposito dubio: – I. An et cuius favore constet de qualitate hereditaria in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative favore Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Gratiarum – *in Ariminen. Capellaniarum die 24 Novembris 1827.*

16. Itaque liberum est veris heredibus eos, quos malunt, invitare ad cadaverum associationem *in Eugubina Iurium parochialium die 22 Maii 1762 §. Tertio.*

17. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, heredes defunctorum habere arbitrium vocandi ad funus praeter Parochum, quos voluerint *in Ebredunen. Iurium parochialium die 25 Iunii 1695 lib. 45 Decretorum.*

18. Unde quisque libertatem habet vocandi Societatem unam potius, quam alteram, ad associationem cadaverum; hancque innatam libertatem cuique in id servavit Sacra Congregatio Rituum per Decretum diei 14 ianuarii 1640 relatum per Lantusc. in supplem. ad teatr. Regular. verb. associatio cadaverum n. 4, nec non Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, ut testatur Ferrar. in Biblioth. verb. Confraternitas art. 6 addit. ex auctore a n. 33 *in Reatina die 5 Aprilis 1788 §. Opus.*

19. Idcirco, nisi Societas quaelibet sit invitata, ius nequit sibi vindicare associandi cadavera defunctorum; quandoquidem proposito dubio: – X. An eidem Confraternitati liceat associare Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum et cadavera defunctorum cum aliis Confraternitatibus atque cum ipsis interesse processionibus in casu etc. –; Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad decimum, Affirmative, dummodo sit invitata – *in Bononien. die 28 Iulii 1724.*

20. Coactivum enim ius obligandi heredes defunctorum vel ad unam admittendam Societatem, vel ad eam cum aliis invitandam, non aliter, quam per expressum Supremi Principis privilegium vel immemorabilem observantiam induci potest, Wesembec. cons. 67 n. 21 *in Reatina die 5 Aprilis 1788 §. Opus.*

21. Id enim relinquendum arbitrio heredum; siquidem proposito dubio: – III. An eidem associationi debeant invitari tot Presbiteri Seculares, quot vocantur Regulares, vel potius, invitato tantum Parocho actuali,

debeat in reliquis ipsorum funerum pompa ab heredum arbitrio pendere? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, arbitrio heredum; et amplius – *in Comen. Funerum et Functionum conventualium die 19 Decembris 1750.*

22. Amplia, id etiam reluctante Parocho pendere debet ab heredum arbitrio; quandoquidem proposito dubio: – IV. An pro associatione cadaverum ad praefatam Ecclesiam parochialem sive ad aliam liceat heredibus defunctorum invitare tot Regulares, quot invitantur Presbiteri Seculares, etiam reluctante Parocho, sicut et in reliquis funerum pompa pendere debeat ab eorumdem heredum arbitrio? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative in omnibus arbitrio heredum: et amplius – *in Eugubina Iurium parochialium die 22 Maii 1762.*

23. Compertum hinc est, funerum pompam adeo repositam esse in arbitrio heredum, ut, invitato solo Parocho actuali, qui stolam deferens funus ducit, alios vocare non teneantur, vel possint eos, quos malunt, invitare, sive de gremio Ecclesiae parochialis, sive exteros, et nedum collegialiter, sed etiam singulariter, Pignatell. consult. 205 n. 26 ad 33 tom. 4, Piton. discept. eccles. 50 n. 4 et 8, Card. Petra ad Const. 2 Clem. IV a n. 22 tom. 3 *in Bononien. die 22 Maii 1762* §. *De.*

24. Quin imo in Testatorum et Heredum est potestate pro associatione cadaverum invitare Presbiteros vel Clericos sibi benevisos vel Seculares vel Regulares cuiuscumque Ordinis, etiam ad exclusionem Religiosorum Conventus, qui habet curam habitualem Ecclesiae parochialis nec non eiusdem Priorem actualem, quin ullatenus debeant ipsi praelative invitari, quando praeter Parochum actualem invitantur alii Presbiteri vel Clerici Seculares vel Regulares, nec non Testatores vel Heredes invitare possunt ad libitum sive uti Capellanos conductitios sive uti Capitulum claustrale Religiosos dicti Conventus, quando invitantur ipsi tantummodo ad associanda cadavera *in Bononien. die 3 Iulii 1762.*

25. Siquidem Ecclesia S. Laurentii unica parochialis Castri Butrii Bononiensis Diaecesis cum tribus Beneficiis in ea erectis de consensu Communitatis patronae anno 1406 concessa fuit Fratribus Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis vigore Literarum Apostolicarum s. m. Innocentii VII; et cum nonnullae deinceps ortae fuerint controversiae inter praefatos Religiosos et Communitatem sive Clerum Secularem dicti Castri, omnes compositae fuerunt extraiudicialiter praesertim ope transactionis initae anno 1716, quam laudarunt probaruntque tum Provincialis, tum Vicarius Generalis Ordinis praedicti. At exinde iidem Religiosi, expedito Monitorio coram A. C., novas excitarunt lites, quae ex mandato Summi Pontificis ab illius R. P. Auditore remissae fuerunt ad Sacram Congregationem. Praefati enim Religiosi inter alia contendebant, rem non esse de cohibenda heredum libertate vocandi solum Parochum aut unum potius, quam aliud Collegium ecclesiasticum in associatione funeris, sed unice quaeri de Capellanis conductitiis arbitrio heredum invitandis, quorum munere cum fungi possent Religiosi Ecclesiae parochialis, quoties heredes vellent ad funera alios, praeter Parochum, Presbiteros invitare, ut tradit Benedictus XIV Instit. eccles. 105 n. 37, autumabant, quod licet summo iure possint heredes vocare, quos malunt, ad tradita per Barbos. de Paroch. cap. 26 n. 57, et Card. De Luc. de Paroch. disc. 28 n. 8, nihilominus congruentiae et honestatis ratio suadebat, ut ceteris aliis praeferrentur Religiosi Ecclesiae parochialis, qui toto anno inservientes eidem Ecclesiae et Parocho in exercitio curae non poterant sine iniuria praeteriri in funeribus Parochianorum, ut notant Card. De Luca in supplem. de Paroch. disc. 46 n. 5, et Pignatell. consult. 105 n. 30 tom. 4, qui insuper tenet n. 39, rationabilem esse consuetudinem praeferendi Clerum Ecclesiae parochialis. Nec obstare dixerunt transactionem initam anno 1716; tum quia eadem transactio a Provinciali tantum et a Vicario Generali Ordinis approbata fuerat, non autem a S. Sede, cuius assensum requiri pro validitate transactionis super iuribus etiam incorporalibus Ecclesiae tenet Card. De Luca de iurisdict. disc. 24 n. 12, et de Benef. disc. 32 n. 13, licet contrarium sentiat Pignatell. dicta consult. 105 n. 17 et 32 tom. 4; tum insuper quia verba transactionis, cum exprimerent sufficientiam solius Parochi, re-

ferenda erant ad libertatem potius omittendi funeris pompam, quam invitandi exteros Presbiteros in exclusionem Religiosorum Ecclesiae, quod nunquam accidisse iuxta plurium Testium assertionem videbatur, nisi quoties ipsi Religiosi noluerunt sua voluntate funeribus interesse. Contra Communitas seu Clerus Secularis sustinuit, id prorsus in arbitrio heredum de iure repositum esse, in casu praesertim, ubi transactio anni 1716 accedebat, qua statutum fuerat, – che non corra obbligo ad alcuno d'invitare li RR. PP. all'associazione de' cadaveri alla sepoltura, ma sia in libertà di ciascheduno il farlo o no: come altresì sia in arbitrio di detti RR. PP. l'andarvi o no, bastando la persona del molto R. P. Curato –. Huic transactioni posteriorem etiam observantiam subsequutam esse dixerunt, cum eam narrarent Testes et historicus Dominicus Golinelli in memoriis manuscriptis; eamque defenderunt praestantiorem esse recentioribus actibus, qui transactioni adversabantur, et causam huic liti dederant, neque probabantur sequuti cum heredum coactione, uti requirebatur pro inducenda contraria in facultativis observantia, ad firmata per Card. Petra in Const. 2 Clementis IV n. 25 tom. 3.

26. His utrique perpensis, propositis dubiis: – IV. An pro associatione Cadaverum invitari praelative debeant Religiosi dicti Conventus, quatenus praeter Parochum actualem invitari velint alii Presbiteri sive Clerici Seculares, vel Regulares, sive potius sit in Testatorum vel Heredum libertate invitare Presbiteros vel Clericos sibi benevisos vel Seculares vel Regulares cuiuscumque Ordinis, etiam ad exclusionem Religiosorum dicti Conventus? V. An Testatores vel Heredes invitare possint ad libitum sive uti Capellanos conductitios, sive uti Capitulum claustrale Religiosos dicti Conventus, quando invitantur ipsi tantummodo ad associationem cadaverum? VI. An eadem competat libertas Testatoribus et Heredibus, quatenus praeter dictos Religiosos, etiam alii Presbiteri vel Clerici Seculares invitantur, sive potius teneantur eosdem Religiosos vocare uti Capellanos conductitios, quando alii Presbiteri et Clerici uti Capellani conductitii invitantur? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad quintum, Affirmative. Ad sextum, provisum in quarto – *in Bononien. die 3 Iulii 1762.*

27. Quod si adsit consuetudo, praeferri debet Clerus Ecclesiae parochialis; proposito enim dubio: – IX. An liceat heredibus defunctorum vocare, ultra Parochum, Presbiteros sibi benevisos et excludere integrum Capitulum Ecclesiae matricis ab associatione cadaverum tumulandorum tam in ipsa Ecclesia matrice, quam in aliis Ecclesiis, in quibus fuit electa sepultura? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad nonum, licere heredibus defunctorum solum Parochum vocare, sed quatenus alios Presbiteros vocare velint, esse praeferendos illos Ecclesiae Matricis in numero ipsis heredibus beneviso – *in Nullius Montis Casini die 26 Ianuarii 1726.*

28. Alias heredes defunctorum nec Capitulum Cathedralis Ecclesiae invitare tenentur in exequiis; his enim in terminis proposito dubio: – I. An heredes defunctorum teneantur invitare Capitulum in exequiis? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative – *in Cotronen. Iuris funerandi die 3 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

29. Unde non licet Parochis cogere heredes defunctorum, ut opertorium feretri a parochiali Ecclesia accipiant, et hoc nomine certam pecuniae summam persolvant, sed libere posse heredes aliud quodlibet adhibere stragulum funebre docent Aloisius Ricci dec. 124 per totum, Lavor. var. elucubrat. tit. 2 cap. 2 n. 220, Samuel de sepult. tract. 1 controv. 10 concl. 7 n. 16 et 57, Ventrigl. in prax. annot. 31 §. unic. n. 43, Gavant. in manual. Episcop. verb. *Exequiae* n. 15 et 25, Rot. post Antonell. de iur. et oner. Cleric. dec. 15 n. 11 *in Troiana Funerum die 8 Augusti 1733* §. *Ceterum.*

30. Quin imo licet heredi, Parochis impedientibus, post expectatum triduum a morte defuncti ducere funus ad Ecclesiam, in qua est sepeliendum, praeterquam ante solis ortum et de nocte; quandoquidem proposito dubio: – VI. An, Parochis impedientibus, licitum sit heredi post expectatum triduum a morte defuncti ducere funus etiam de nocte

ad Ecclesiam, in qua cadaver est sepeliendum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad sextum, Affirmative, praeterquam ante solis ortum et de nocte – *in Novarien. Funerum et Iurisdictionis die 15 Martii 1704 lib. 54 Decretorum.*

31. Hinc et in arbitrio heredum positum est, ut in associatione cadaverum detur candela Presbiteris secularibus maior illa, quae datur Regularibus, vel aequalis ponderis; proposito enim dubio: – IV. An quotiescumque promiscue invitantur Presbiteri Seculares et Regulares, candela, quae manualiter gestatur, danda Presbiteris Secularibus debeat esse maior illa, quae datur Regularibus, vel potius aequalis ponderis, et arbitrio heredum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, arbitrio heredum; et amplius – *in Comen. Funerum et Functionum conventualium die 19 Decembris 1750.*

32. Idcirco nec Parochi praetendere possunt candelam maiorem illa, quae datur Superiori Regularium; quandoquidem proposito dubio: – III. An Parochis intervenientibus sive associatis, sive non ab aliis Canonicis eiusdem Parochiae distribui debeat candela maior illa, quae datur Superiori Regularium, associato ab aliis Fratribus? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Negative – *in Novarien. Funerum et Iurisdictionis die 15 Martii 1704 lib. 54 Decretorum.*

33. Unde a Constitutionibus Apostolicis, Decreto irritanti vallatis, prohibitum etiam fuit obligare heredes eorum, quorum cadavera sepeliebantur in Ecclesiis Regularium, ad celebrandas praeventive exequias in Parochiis, uti habetur in Constit. 6 §. 6 Xisti IV Bullar. tom. 1, et respondit S. R. Congregatio in in Senogallien. 22 Iunii 1675 cum aliis concordantibus *in Tudertina Funerum die 13 Augusti 1718* §. *Propter.*

34. Quapropter heredes cogi non possunt ad peragendum in Ecclesia parochiali omnes functiones, quae fiunt in Ecclesia Regularium, ubi defunctus elegerit sepulturam, occasione funerum; his quippe in terminis proposito dubio: – VII. An Parochi cogere possint heredes ad peragendum in Ecclesia parochiali omnes functiones Missae solemnis, accensis luminibus in singulis Altaribus, et Anniversariorum, quae fiunt in Ecclesia Reformatorum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad septimum, Negative – *in Novarien. Funerum et Iurisdictionis die 15 Martii 1704 lib. 54 Decretorum.*

35. Nec Parochi possunt cogere heredes, ut celebrare faciant Missas pro defuncto singulis Sacerdotibus funus associantibus; proposito enim dubio – VIII. An dicti Parochi possint cogere heredes, ut celebrare faciant Missas pro defuncto singulis Sacerdotibus Secularibus funus associantibus? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad octavum, Negative – *in Novarien. Funerum et Iurisdictionis die 15 Martii 1704 lib. 54 Decretorum.*

36. Hinc multo minus heres est privandus sua legitima et trebellianica, Rot. in Tiburtina Immissionis 23 Iunii 1731 §. Placuit coram Nunez, quamvis agatur de Causa pia substituta, Rot. in decis. 1038 a n. 50 coram Molines *in Faventina die 22 Martii 1766* §. *Perperam.*

37. Quin imo quoad filios, qui sunt heredes necessarii, divus Augustinus in Can. ult. 17 quaest. ult. inquit: – Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere Ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum; imo, Deo propitio, inveniet nullum –; ubi cum Glossa Doctores monent, maiorem esse favorem liberorum, quam piae Causae, quoties nimirum de legitima hereditatis portione agatur, prout limitat Fagnanus in Cap. *Cum esses* de testam. n. 3 et n. 156 *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *Perpendant.*

38. Heredes itaque iure pollent detrahendi falcidiam; sed iidem debent evidenter ostendere, legata a Testatore relicta excedere dodrantem hereditatis, ut possint falcidiam detrahere, ut statuit Rota in Recent. decis. 42 n. 50 part. 10, quodque perficere non posse videntur, si nullum confecerint inventarium *in Bononien. Legati die 5 Septembris 1835* §. *Nunc.*

39. Verum non hereditatis medietas, sed quarta est illius pars falcidia, per Textum in L. 1 ff. ad leg. falcid. §. Hinc nobis, Authen. de hered. et falcid. *in Caesenaten. die 3 Martii 1787* §. *Licet.*

40. Siquidem Papinianus in L. *In ratio-*

ne 11 ff. ad legem falcidiam inquit: – In ratione legis falcidiae retentiones omnis temporis heredi in quadrantem imputantur –. Celsus in L. *Non est* 50 eodem titulo ait: – Non est dubium, quin ea legata, a quibus heres submovere exceptione petitorem potest, in quartam ei imputentur, nec ceteroquin legata minuunt –; et in L. 51 Iulianus: – Nec interest, utrum ab initio quasi inutile fuerit, an ex accidenti postea in eum casum pervenisset legatum, ut actio eius denegaretur –. Item Marcellus in L. *Ex asse* ait: – Quacumque ex causa legata non praestantur, imputantur heredi in quartam partem, quae propter legem falcidiam remanere apud eum debet –. Et Gaius in L. 76 eodem titulo haec habet: – Quia ratione placuit legata, quae legatarii non capiunt, cum apud heredes subsederint, hereditario iure apud eos remanere intelligi, et ideo quadranti imputanda; nec quidquam interesse, utrum statim ab initio legatum non sit, an quod legatum est, remanserit – *in Romana Reductionis Legatorum die 16 Decembris 1769* §. *Papinianus.*

41. Quum autem agatur de bonis avulsis, non habet locum dispositio praefatae Legis *In ratione* 11 ff. ad legem falcidiam praecipientis, ut heredi gravato legatorum onere ultra dodrantem non competat falcidiae detractio, si hereditas ob illorum caducitatem opulentior evaserit, cum illa loquatur solum de legatis, quae caduca fiunt ante diem assignationis et ab hereditate nondum fuerint segregata, non autem de aliis ab ea avulsis *in Romana Reductionis Legatorum die 14 Maii 1774* §. *Pro.*

42. Qua de re si beneficio legis uti velit heres, inventarium conficere debet ad tramites iuris; si enim – inventarium secundum formam praesentis Constitutionis non fecerit, et heredem omnino effici et debitis hereditariis in solidum teneri, nec legis beneficio perfrui – sanxit Iustinianus in L. ult. §. 14 Cod. de iure deliberandi *in Romana Redditionis Rationis die 18 Septembris 1824* §. *Hereditatis.*

43. Unde formam inventarii praescripturus Imperator §. 2 statuerat, quod heres significare debet – et quantitatem rerum, et quod nulla malignitate circa eas facta vel facienda apud eum remaneant – *in Romana Redditionis rationis die 18 Septembris 1824* §. *Hereditatis.*

44. Igitur si heres aliquas res, inventarium conficiens, fraude non descripserit, dignus non erit, qui legis beneficio perfruatur, cogique poterit ad legata praestanda, etiam ultra vires hereditatis, uti tradit Fachinaeus controv. lib. 4 cap. 37 *in Romana Redditionis rationis die 18 Septembris 1824* §. *Hereditatis.*

45. Qui tamen solemnitates servavit inventarii, quamvis aliquid celaverit, vel surripuerit, non legis beneficio privatur, sed in duplum solummodo id restituere, vel hereditatis quantitati computare compellitur, ad Textum in L. ult. §. Licentia Cod. de iure deliberandi *in Romana Redditionis rationis die 18 Septembris 1824* §. *Verum.*

46. Unde nil dubii, quod qui inventarium rite fideliterque confecit, ultra id, quod in hereditate repertum fuit, Legatariis non obstringitur ex ipsamet iuris censura in L. ult. Cod. de iure deliberandi *in Romana Redditionis rationis die 18 Septembris 1824* §. *Verum.*

47. Inventario enim legitime confecto, plena fides, donec contrarium evincitur, omnino est habenda, L. ult. §. Licentia Cod. de iure deliberandi, Voet ad Pandect. lib. 28 tit. 8 n. 28 *in Romana Redditionis rationis die 18 Septembris 1824* §. *In.*

48. Quapropter heres, qui inventarium confecit, nec erga hereditarios creditores, nec erga legatarios ultra vires hereditatis constringitur, L. fin. §. *Etsi* Cod. de iure deliberandi *in Fanen. Legatorum et Transactionis die 21 Iunii 1828* §. *Restat.*

49. Imo iure pollet eis satisfaciendi, qui primi venerint, sive isti Legatarii sint, sive Testatoris Creditores, adeo ut, si nihil sit reliqui, posteriores venientes repellantur, L. fin. §. Etsi Cod. de iure deliberandi, quam exornat Devot. in oper. de Notissim. in iur. legibus, Reinfest. lib. 3 Decret. tit. 25 n. 509 *in Fanen. Legatorum et Transactionis die 21 Iunii 1828* §. *Restat.*

50. At prae oculis habendum ex censura eiusdem L. fin. §. Sin vero, Creditoribus hereditariis, etiam post emensum patrimonium supervenientibus, fas esse – adversus Lega-

tarios venire, et vel hypothecis vel indebiti conditione uti, et haec, quae acceperint, recuperare – *in Fanen. Legatorum et Transactionis die 21 Iunii 1828* §. *Restat.*

51. Illud itaque communi usu inductum est, ut heres neque Creditoribus neque Legatariis primis venientibus pecuniam aut legata solvat, nisi praestita cautione, rem solutam potioribus creditoribus dein forsan superventuris restituendi, Valasch. cons. 52 n. 38, Franch. cons. 272 n. 9, Card. De Luc. de hered. disc. 25 n. 9. *in Fanen. Legatorum et Transactionis die 21 Iunii 1828* §. *Restat.*

52. Hinc si quid heres contra huiusmodi communem patraverit usum, ac dum solvit, sciverit vel suspicatus fuerit, hereditatem esse minus idoneam, vel adesse potiores et anteriores creditores, cogi potest ad reiterandam solutionem, quemadmodum docent Card. De Luca de hered. disc. 25 n. 5 et 9, Gratian. discept. 532 n. 6, Rot. in Recent. decis. 211 part. 10, et coram Molines decis. 999 n. 14 et 15 *in Fanen. Legatorum et Transactionis die 21 Iunii 1828* §. *Restat.*

53. Limita nisi auctoritate Iudicis solverit; qui enim iussu Iudicis solvit, plenissimam consequitur securitatem, Instit. lib. 2 tit. quibus alienare licet vel non §. 2, L. *Ait* 7 §. Permittitur ff. de minor., et reg. iur. 25 in 6, ibique Reiffenst. n. 5 *in Fanen. Legatorum et Transactionis die 21 Iunii 1828* §. *Sed.*

54. Quum itaque hereditas adita fuerit cum beneficio legis et inventarii, cuius vigore sicuti quaelibet actionum ac bonorum commixtio excluditur, ita heres adigi non debet ad ea onera subeunda, quae reditus hereditarios excedunt, L. fin. ff. Etsi praefatam Cod. de iure deliberandi, Rot. in Recent. decis. 39 n. 10 et 11, decis. 181 n. 1 part. 6 *in Novarien. die 11 Iunii 1774* §. *Aequitati.*

55. Quod si bona hereditaria possidet absque inventario, non excusatur fortasse ex illorum insufficientia, quin de proprio etiam ante redditam rationem Testatoris voluntatem adimpleat, Io. Bapt. de Thor. privil. 203 apud Tiraquell. de privileg. Caus. piarum, Rot. in Romana Capellaniarum 27 iunii 1725 §. Porro coram Gamaches, et S. Congregatio in Camerinen. Subsidii dotalis 27 iunii 1761, et in Ianuen. Legati 15 decembris 1787 *in Asculana Capellaniarum die 27 Februarii 1790* §. *Notandum.*

56. Idcirco qui bona hereditaria occuparunt absque inventario, et in parte etiam alienarunt, absolvi non deberi videntur a piis adimplendis legatis, per Textum in L. fin. Cod. de iure deliberandi, et in Authen. de hered. et falcid. §. hinc nobis *in Savonen. Legatorum die 28 Februarii 1795* §. *Hereditatem.*

57. Unde simplex heres ob defectum inventarii non liberatur a solvendo Missarum debito *in Feretrana die 14 Ianuarii 1792* §. *In.*

58. Nam heres sine inventario allegare nequit insufficientiam bonorum hereditariorum, nec se eximere ab integra praestatione legati, iuxta firmata per Rotam in Romana Capellaniarum 27 Iunii 1725 a §. Porro coram Gamaches *in Romana Subsidii Dotalis die 2 Martii 1776* §. *Animadvertendum.*

59. Nisi enim hereditatem cum beneficio legis et inventarii sibi acquirat, omnia legata in solidum, etiam ultra vires hereditatis solvere tenetur, L. ult. §. 14 Cod. de iure deliberandi, Novell. 1 cap. 2 *in Romana Redditionis rationis die 18 Septembris 1824* §. *Hereditatis.*

60. Unde hereditatem sibi delatam libere accipiens ad nomina, quae in ea sunt, dissolvenda obstringitur, simulque iudicium defuncti agnoscere sancitum iure est, ita ut legata omnia et fideicommissa ab eo relicta praestare quasi ex contractu adigatur, L. 4 §. heres ff. de oblig. et act. §. heres 3, Inst. de oblig. quae quasi ex contractu, quae si iure fuerint relicta, statim ab herede forent praestanda, L. *Omnia* ff. de legatis 4, et L. 41 §. Quoties de verb. oblig. *in Caven. Legatorum die 23 Novembris 1833* §. *Cum.*

Item *in Theatina Legatorum die 1 Martii 1834* §. *Onera.*

61. Idcirco illata sibi onera heres sustinere debet *in Theatina Legatorum die 1 Martii 1834* §. *Onera.*

62. Atque hoc certe sanctius et religiosius servandum est, ubi de legatis ad Causas pias res sit *in Theatina Legatorum die 1 Martii 1834* §. *Onera.*

Item *in Cathacen. Absolutionis et Reductionis Missarum die 4 Iunii 1842* §. *Iamvero.*

63. Quin imo ad effectum se eximendi a praestatione legatorum heres exhibere debet computum exitus et introitus hereditatis per decennium, ad regulam exornatam a Rota in decis. 169 n. 2 coram Royas, in Recent decis. 298 n. 10 part. 12, et in decis. 6 n. 3 part. 17 *in Romana Subsidii Dotalis die 2 Martii 1776* §. *Rursus.*

64. Sola tamen inventarii omissio non prohibet, quominus heres gravatus, vel ab eo causam habens adversus fideicommissarium detractiones tum quotitativas, tum quantitativas assequi possit, ad firmata per Rotam in Firmana Immissionis 7 Iunii 1754 §. 9 coram Canilliac *in Vaden. Legatorum die 29 Novembris 1777* §. *Urgent.*

65. Hinc heres, qui adierit hereditatem nullo confecto inventario, ac nullo implorato legis praesidio, universos census fructus proprio aere solvere tenetur, si bona hereditaria deficiant, L. fin. Cod. de iur. delib., Rot. in decis. 68 n. 10 coram Gamberini *in Forolivien. Absolutionis et Reductionis 16 Aprilis 1825* §. *Verum.*

Item *in Aretina Condonationis die 14 Maii 1831* §. *Ex iuris.*

66. Inventario namque omisso, pinguior praesumitur hereditas, et integrum legatum heres praestare tenetur, L. ult. *Sin autem* Cod. de iur. deliber., Authen. de hered. et falcid. §. Hinc nobis vers. si vero non fecerit, Rot. in decis. 399 n. 4 part. 5 tom. 1; idque procedit etiam de iure canonico, Rota in Recent. part. 10 decis. 54 n. 13, atque insuper statutum fuit a S. Congregatione in Camerinen. Subsidii Dotalis 17 Iunii 1761 ad II dubium, in Ianuen. Legati 1787 ad 1 dubium *in Bononien. Legati Pii die 5 Septembris 1835* §. *Nunc.*

67. Attamen paupertas heredis eiusque familiae iustam ut plurimum causam suppeditat pro temporaria sortis et fructuum reductione, non autem pro perpetua, quemadmodum docent exempla S. Congregationis in Mutinen. Reductionis Missarum 17 Februarii 1821, in Sorana Reductionis 18 Septembris 1824 *in Aretina Condonationis die 14 Maii 1831* §. *Ex iuris.*

Item *in Forolivien. Legatorum 1826* §. *Quamobrem.*

68. Nam et ii, qui bonis suis cesserunt, si fortunam perditam restituerint, in id, quod possunt, conveniuntur, L. ult. ff. de cess. bonorum, L. 1 Cod. qui bon. ced. *in Aretina Condonationis die 14 Maii 1831* §. *Ex iuris.*

69. Aequitas enim canonica non patitur, ut, qui reapse nullum retulit compendium ex adita hereditate, aere suo nomina dissolvat, Card. De Luc. de hered. disc. 23 a n. 3 *in Aretina Condonationis die 14 Maii 1831* §. *At.*

70. Quin imo, attentis rerum circumstantiis, etiam perpetuam legatorum reductionem heredi inopi saepius concessit Sacra Congregatio, ceu videre est in Taurinen. 30 Martii 1776, in Mazzarien. Reductionis 14 Decembris 1822, et in Spoletana Absolutionis et Reductionis 22 aprilis 1825 *in Aretina Condonationis die 14 Maii 1831* §. *Praeterea.*

71. Ea tamen est Causae piae seu expiationis animae Testatoris vis ac ratio, ut heredibus, licet omni ipsi destituantur lucro, minime ius sit deducendi falcidiam ex legatis ad pias Causas relictis, ad Textum in Auth. *Similiter* ad legem falcidiam, L. *Si quis* 49 Cod. de episcop. et clericis, Donnell. comment. iur. civil. lib. 8 cap. 27 §. Utrum autem, Voet ad Pandect. lib. 35 tit. 11 ad leg. falcid. n. 16, Barbos. iur. eccles. lib. 3 cap. 27, Surd. de aliment. lib. 8 privil. 18 n. 2 *in Ferrarien. Commutationis voluntatis die 20 Novembris 1830* §. *Oratorum.*

Item *in Bononien. Legati die 5 Septembris 1835* §. *Nunc; in Pergulana Legati pii die 27 Iunii 1857* §. *Qui.*

72. Quam sententiam secuta perpetua est S. Rota, uti in Recent. decis. 27 n. 11 par. 5 tom. 1, decis. 49 coram Cerro §. 9, decis. 45 §. 8 coram Comitulo *in Pergulana Legati die 27 Iunii 1857* §. *Qui.*

73. At exploratum usque adeo non est, falcidiam a piis legatis per Causam piam heredem detrahi posse. Nam plures negant, falcidiam a piis legatis per Causam piam heredem detrahi posse, Barbos. lib. 2 iur. eccles. Cap. 3, et Card. Petra in Comment. ad Constit. 10 Innocentii III tom. 2 n. 29,

Crass. de success. §. falcidia quaest. 3 n. 9, et Magon. decis. 130 n. 9 *in Praenestina Fundationis Beneficii die 28 Septembris 1743* §. *Falcidiam.*

Item *in Caesenaten. die 3 Martii 1787* §. *Exploratum.*

74. Plurimi autem alii magni nominis affirmant, Ciarlin. controv. iur. lib. 2 cap. 139 a n. 9, Verricell. quaest. moral. 65 per totum *in Caesenaten. die 3 Martii 1787* §. *Exploratum.*

75. Ita tamen emunctae naris Doctores in negativam conveniunt opinionem, si maior pietas sit in legatis piis, quam in pia Causa herede, ut est in legatis Missarum, Ferrar. Biblioth. verb. Falcidia, Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom. 2 quaest. 1006 sub n. 4, et De Luc. ad Franch. dec. 612 sub n. 15 *in Caesenaten. die 3 Martii 1787* §. *Exploratum.*

76. Haec conciliatrix sententia eo magis procedere videtur in casu, in quo non obscura Testatoris voluntas detractioni falcidiae resistit *in Caesenaten. die 3 Martii 1787* §. *Exploratum.*

77. Idcirco quum Testator nominatim vetuerit, ne res legata alienetur, intelligitur, detractionem prohibuisse, Authen. *Sed et in ea* Cod. ad leg. falcidiam, Novell. 109 cap. Si quando, Voet. ad Pandect. lib. 35 tit. 11 ad leg. falcid. n. 11, Fachinaeus controv. lib. 5 cap. 6, Mantic. de coniect. ult. vol. lib. 9 tit. 14 n. 16, Rot. in Recent. decis. 582 a n. 30 tom. 2 part. 5 *in Bononien. Legati die 5 Septembris 1835* §. *Nunc.*

78. Hinc ex responso Iurisconsulti in L. *Lucius Tertius* §. A te peto ff. de legat. tradunt Interpretes, vulgo quidquid post impletum opus a Testatore iniunctum superest, ad heredem spectare *in Camerinen. Subsidiorum dotalium die 23 Novembris 1743* §. *Ex.*

79. Limita vero, quoties mens ac dispositio Testatoris ad opus pium praestandum praecipue directa fuerit, ut, si mens eius et dispositio defectu personarum, quae demonstrative, non taxative vocatae sunt, impleri non potest, non ad heredem pertinere debeat relictum, sed in aliud simile opus pium erogatio reliquae pecuniae facienda sit: atque ad hanc rem trahi videtur vexatum illud Modestini responsum in L. *Legatum* 16 ff. de usu et usufruct. legat., quaeque ex eo tradunt Bartolus in L. *Pater filium* §. Tusculanus ff. de legat. 3, Mantic. de coniect. ult. vol. lib. 4 tit. 5 art. 5, Barbos. de iur. eccles. lib. 3 cap. 27 n. 81, Tondut. quaest. Benef. part. 1 cap. 83 tom. 5, Rot. in Recent. decis. 152 n. 5 part. 18 *in Camerinen. Subsidiorum dotalium die 23 Novembris 1743* §. *Ex.*

80. Qua de re quum certus a Testatore designatus non fuerit legati fundus, sed quantitas, haec in lucrum cedit heredis, ubi impedita sit illius erogatio. Negant vero Romanus et Aretinus in L. *Impossibilis* ff. de verb. oblig., et Rot. coram Falconerio de legat. decis. 14 n. 15, regulam hanc procedere posse in casu, in quo agitur de legato pio: sive enim deficiat locus, sive deficiant personae, quibus legatum pium praestari debet, implendam semper esse Testatoris voluntatem vel eodem vel alio simili modo aut opere pio, tradunt Gonzalez ad Cap. *Nos quidem* de testamentis, Gratian. discept. 339 a n. 29 *in Aesina Subsidiorum dotalium die 19 Decembris 1789* §. *Quibus.*

81. Unde iuris dispositione cautum est, ut cum legatum pium ad eum modum, quem voluit Testator, impleri impossibile est, nec caducum fit, nec ad heredem libere pertinet, sed in simile pium opus, implorato Episcopi officio, tenetur heres illud convertere, cum legatum pium eo, quo potest meliori modo, semper implendum sit. Dispositio siquidem in Deum propriamque Animam directa est, et hanc rationem sequitur legatum, ut modus implementi nihil referat, ut arguunt Tiraquell. de privileg. piar. Caus. privil. 38 et 74, Tondut. quaest. Benef. part. 3 cap. 175 n. 9, Card. De Luc. in adnot. ad Concil. Trid. disc. 21 n. 3 *in Camerinen. Subsidiorum dotalium die 23 Novembris 1743* §. *Quod.*

82. Hinc ob id, sive deficiat locus, in quo legatum pium impleri debet, sive deficiant personae, implenda Testatoris voluntas est alio simili opere pio, ut de loco tradunt Fagnan. in Cap. 3 de testam. n. 13, Tondut. quaest Benef. part. 1 cap. 83 n. 5, Pignatell. consult. 46 n. 4 tom. 10, de personis vero idem Fagnan. dict. Cap. 3 de testam. n. 27, Amostaz de Caus. piis lib. 4 cap. 3 n. 74, Piton. discept. 2 a n. 4, Rot. post eamdem disceptationem n. 39 et 49, Gonza-

lez in Cap. *Nos quidem* 3 de testamentis, Gratian. discept. 339 n. 29, Scarfanton. ad Ceccoper. lucubrat. can. lib. 4 tit. 5 n. 11 et 12 *in Camerinen. Subsidiorum dotalium die 23 Novembris 1743* §. *Quod.*

83. Idcirco quum Testator heredem instituerit, pluribus eidem datis conditionibus et oneribus perpetuo implendis, ut scilicet ex fructibus hereditariis, demptis designatis quotis, reliquum in assignationem dotium erogaretur, nequit praefatus heres, detractis dotibus et oneribus, reliquos sibi fructus attribuere, sed dotes distribuere tenetur iuxta requisita ab ipso Testatore praescripta, unde eiusdem Consanguinei inopes nonnisi in casibus particularibus petere valent a Summo Pontifice aliquod subsidium ex superextantibus reditibus *in Camerinen. Subsidiorum dotalium die 26 Novembris 1743 et die 29 Februarii 1744.*

84. Siquidem testamento Petri Sanctis Fantii heres instituta fuit Communitas Campi Rotundi, datis tamen conditionibus et oneribus perpetuo implendis, ut scilicet annui reditus fructusque hereditarii deponi deberent singulis annis in Aede sacra Urbis, ut ex iis quota portio solvi posset Medico et Ludimagistro, et annua scuta decem erogarentur ab eadem Communitate in conservandas muniendas restituendasque publicas vias aedes operaque eiusdem Communitatis, reliquum vero depositorum redituum fructuumque erogari deberet in assignationem et distributionem dotium inopum honestarumque Virginum, quae natae essent et moram facerent in eodem Pago Campi Rotundi, constituta singulis dotibus quantitate aureorum quinquaginta, et dotium numero ad pecuniae depositae modum distribuendo, vetita bonorum omnium suorum alienatione, ut in causas et erogationes expressas perpetuo conservarentur. E vivis erepto Testatore apertisque tabulis, implevit, ut par erat, Communitas singulis annis voluntatem Defuncti: at cum in humili Pago et infrequenti tres aut quatuor tantum quotannis nuberent Puellae, factum est, ut, detractis dotibus, superessent adhuc in Aede sacra pecuniae depositae, atque ob id ipsa Communitas anno 1733 beneficio Clementis XII obtinuit e pecuniis depositis summam scutorum 535 erogandi in aedificium et reparationem duorum pontium, et Philippus Bezzius, qui sanguini Testatori coniunctus erat et numerosa familia onerabatur, idem beneficium ab eodem Pontifice obtinuerit, praevio suffragio Sacrae Congregationis, quae his verbis respondit: - Pro gratia applicationis scutorum 300 favore filiae, scutorum vero 200 favore cuiuslibet ex neptibus, quae detrahantur ex annuis fructibus superextantibus post solutas dotes Puellis commorantibus in Campo Rotundo a Communitate quolibet anno nominandis, nec non solutis aliis oneribus a Testatore praescriptis, cum dispensatione respectu filiae et neptum Oratoris tam super nativitate, quam super mora in dicto loco Campi Rotundi -. Cuius gratiae exequutioni cum se paratam primo praestitisset contradictricem Communitas Campi Rotundi, inde tamen agnita aequitate beneficii Summi Pontificis litem deseruit et controversia transactione sopita est. Cum vero subinde plures superessent in Aede sacra pecuniae depositae e fructibus et reditibus hereditatis, Iacobus Bonellius Tolentini natus libellum dedit, quo filiabus dotem ex iis assignari petebat, filiis vero annuam praestationem constitui, quo in aliqua Academia operam studiis dare possent, Lucia Corradina et Morichettus pius vir e Pago Belfortis Camerinensis Diaecesis alio libello dotem quinque filiabus constitui postularunt, Ioseph et Felix fratres Eustachii nati in eodem Campo Rotundo annuam praestationem, ut se alere possent, rogarunt, et Maria Magdalena Eustachia eorum soror et dotem filiabus et alimenta praestari postulavit; hi omnes Testatoris consanguinei erant et inopes; sed et Communitas Campi Rotundi postulavit id, quod e fructibus depositis supererat, detractis dotibus, sibi tribui, quod publicae viae reficiendae forent molendinum frumentarium reparandum moenia et aedes publicae restituendae Ecclesia parochialis munienda, ipsa vero impar tot impensis. Nec satis id, sed futuro quoque tempori prospici petiit, et annua scuta 50 sibi dari, ut viae aedes Ecclesia opera publica repararentur, et ut pro modo superextantium fructuum nominatio eidem permitteretur unius alteriusque optimae spei Adolescentis, qui in Urbe studiis incumberet annua praestatione scutorum 36 ad aetatem annorum 20. Ipse demum Episcopus

Camerinensis, qui angustias Seminarii ampliare cupiebat, summam saltem scutorum quingentorum sibi solvi postulavit, ut vicina domus emeretur, et reditus fructusque omnes, qui, detractis dotibus et oneribus, superessent, Seminario in perpetuum tribui, non renuntians Alumnum, qui ex eodem Pago Campi Rotundi esset, in eodem Seminario absque ulla alimentorum solutione recipere.

85. Communitas itaque contra omnes sustinuit,sibi uti heredi competere fructus omnes et reditus, qui, detractis dotibus aliisque oneribus, superessent. Ceteri Oratores vero contenderunt, Testatorem demonstrative tantum inopes honestasque Puellas Campi Rotundi nominasse, quibus reliquum hereditariorum fructuum dotis nomine tribuendum esset,mentem autem eius et dispositionem ad opus pium dotium praestandarum praecipue directam fuisse, ut, si mens eius et dispositio defectu Puellarum, quae demonstrative, non taxative vocatae erant, impleri non poterat, non ad heredem pertinere deberet relictum, sed in aliud simile opus pium erogatio reliquae pecuniae facienda esset. Postquam Oratores omnes conspiratione quadam animorum facta in Communitatem insurrexissent, mox sibi quisque dari adversus alium postulavit. Bonellio favit iudicium Episcopi, qui ei succurrendum censuit, assignando dotem eiusdem filiae pro matrimonio spirituali, et per quinquennium aliam summam arbitrio Sacrae Congregationis pro manutenendo uno ex ipsius filiis masculis in aliqua studiorum Universitate. Monstravit inde eius inopiam et praesumptam Testatoris voluntatem ex legato praedii eidem, ut aiebant, ab eodem dato, quin obesset, quod Tolentini natus fuerit, et moram non faceret in Pago Campi Rotundi. De Luciae Corradinae precibus nullum apertum erat Episcopi iudicium: retulit tantum, possidere eum in territorio Belfortis bona immobilia, quae aestimabantur scut. 3520, gravari onere octo filiorum, quos inter sex feminae numerabantur, quinto consanguinitatis gradu filios eius Testatori esse coniunctos. Contra Communitatem Campi Rotundi apertum erat iudicium eiusdem Episcopi, qui retulit, ex facto vera non esse, quae illa narravit. Felici Iosepho et Mariae Magdalenae Eustachiis annuendum censuit Episcopus,quod quarto consanguinitatis gradu Testatori iungerentur, quod dura paupertate laborarent victumque manibus et industria sibi quaerere cogerentur; sed Bonellius et Morichettus ob id praeferendos esse negabant, quod ignobiles illi essent, nec aliquid vetaret labore et industria eos sibi quaerere victum, ut pauperes dici non possent, cum contra non deceret, Bonellium et Morichettum honestiori loco natos quique nobiles eorum patriae reputabantur, ut in concursu ignobilium essent praeferendi. His interim perpensis, proposito dubio: – An Communitas Campi Rotundi possit libere disponere de fructibus superextantibus ex hereditate Piersanctis Fanti, vel potius an et cuius favore sit consulendum Sanctissimo pro applicatione eorumdem fructuum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 23 novembris 1743 responsum dedit: – Dilata, et ad mentem. –. Mens autem fuit, ut inquireretur de numero dotium, quae a Republica sive Communitate Campi Rotundi collatae quidem fuissent in Puellas inopes natas et moram in eo Pago facientes, non tamen eousque solutas, et de quantitate pecuniarum, quae superextarent. Hinc iterum audito Episcopo Camerinensi, retulit ille, dotes esse 42, quantitatem pecuniarum, quae in Aede sacra depositae erant, esse ad diem usque 27 novembris anni 1743 in scutis 1707 76 $^1/_2$. Atque ob id inutilis fuisset quaestio omnis et disputatio, quae instituta erat inter eos, qui postulabant sibi tribui, quod reliquum erat; nam quadraginta duarum dotium solutio faciebat summam scutorum 2100, quae excedebat quantitatem depositam scutorum 1707 76, et deerant scuta 393. At cum iussu Sacrae Congregationis Boni Regiminis e pecuniis depositis empta fuerint Loca decem Montium, quae obnoxia erant et affecta hypotheca harum dotium praestandarum, ideo si coniungerentur pretium decem Locorum Montium et quantitas pecuniae, quae in Aede sacra erat,habebatur excessus,et quaestio tractari poterat de reditibus superextantibus.

86. Reproposito vero dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primam partem, Negative; ad secundam, docto de superextantia redituum, supplicet in casibus particularibus, et ad mentem; mens est, quod scribatur Episcopo iuxta instructio-

nem (1) – *in Camerinen. Subsidiorum dotalium die 29 Februarii 1744.*

87. Voluntate itaque Testatoris praesertim inspecta, heres non potest suspendere stipendium assignatum a Testatore Capellanis pro restauratione bonorum hereditariorum; his enim in terminis proposito dubio: – I. An sit locus suspensioni scutorum 50 annuorum solvendorum singulis Capellanis ad effectum restaurandi bona, de quibus agitur, et in qua summa et pro quo tempore in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative - *in Tusculana Capellaniarum die 16 Martii 1715 lib. 65 Decretorum.*

88. Nec heres vel administrator potest assignare alicui ad libitum stipendium pro Missis celebrandis, quando commodius ab aliis Sacerdotibus, et sine ulla diminutione ad mentem Testatoris, haec celebratio fiat, Navarr. consil. 10 de celebrat. Miss., et Amostaz de Caus. piis lib. 2 Cap. 12 n. 34 *in Ariminen. die 14 Ianuarii 1741 §. Num.*

89. Quod si Testator nedum taxaverit pecuniam pro celebratione Missarum, sed et facultatem dederit heredi retinendi aliquid ex ea, quoties extraneum nominaret Capellanum, haud tenetur ad augmentum earum eleemosynae *in Mediolanen. Reductionis Missarum die 30 Septembris 1702 lib. 52 Decretorum* (2).

90. Quapropter heres habens arbitrium assignandi pro fundo Missae quotidianae vel domum, vel designatam summam pecuniae investiendam, potest assignare dictam summam, retenta sibi domo, etiamsi praefata pecuniae summa investienda satis non sit pro eleemosyna praedictae Missae, iuxta taxam synodalem, quin tamen eidem ius sit alibi transferre Missarum celebrationem *in Mediolanen. seu Ferentina Capellaniae die 23 Februarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

91. Enimvero – inde ab anno 1683 Ioannes Stampa postremum condidit suae voluntatis elogium, evulgatum, ut asseritur, post eius mortem sub anno 1704, in quo sepultura electa in Ecclesia S. Nazarii, hanc prae ceteris piam dispositionem exaravit: « Aggravo il mio herede a dare alla Sagrestia di S. Nazaro la casa, che tengo nella contrada etc. con obbligo a detta Sagrestia ne facci celebrare una Messa quotidiana in perpetuo, e perchè ora la ricavata di detta casa è di lire 450, ne diano a Capellani per la celebrazione d'essa lire 350 all'anno, il rimanente ceda per le riparazioni e tasse con una Messa d'essenzione alla settimana a Cappellani, e li giorni tutti di sabbato celebrino all'Altare di N. Signorà della Fiorana. E se vi saranno Sacerdoti della mia linea mascolina, siano preferiti a qualunque altro, che così assolutamente voglio. Che se poi l'infrascritto mio erede e successori in infinito volessero in luogo della detta casa dare il capitale per la celebrazione di suddetta Messa quotidiana, li sia lecito in qualunque tempo dare a detta Sagrestia lire 8000 imperiali, e trattenersi essi la suddetta casa, e la detta Sagrestia con detta somma retrocedere infallibilmente detta casa »; ceterisque omissis subtexuit Testator: « E perchè di sopra ho omesso di dire, ove celebrare si debba la Messa quotidiana da me ordinata, il mio herede procurerà siasi celebrata all'Altare di N. Signora della Fiorana di suddetta chiesa di S. Nazaro in perpetuo ». Neque defuit Testator pro omnimoda executione huiusce dispositionis auctoritatem Senatus Mediolanensis implorare, ut latius ex testamento in summario exhibendo. Hac dispositione perspecta, Petrus Antonius Stampa heres institutus contendere cepit, quod recusante Capitulo S. Nazarii capitale libellarum 8000 cum onere a Testatore iniuncto acceptare, ipsi heredi liceat celebrationem exequi facere in Civitate Ferentini, ubi moratur, ex pluribus assertis rationibus, tum quia Testatoris praeceptum circa Altaris designationem nequaquam concurrere autumat, cum etiam quia praelatio, attributa Sacerdotibus ex familia, nullius esset effectus, si Sacrificia omnino offerri deberent in Ecclesia Mediolanensi,

(1) Scilicet, ut Episcopus stricte iniungat eidem Communitati Campi Rotundi, ut ad subsidia dotalia iuxta Testatoris dispositionem distribuenda Puellas eligat omnia requisita ab ipso Testatore petita pollentes, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 29 die 29 Februarii 1744.*

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capellania*, §. II, n. 150, Tom. V, ubi plura huiusmodi exempla prostant.

cum heres ipse domicilium fixerit in Civitate Ferentina ab anno 1700, ceteroquin idem heres non inficiatur, quod in Civitate Mediolanensi impar omnino comperitur capitale libellarum 8000 oneri quotidie celebrandi, quod tamen in Civitate Ferentina sufficiens asseritur; prorsus vero non dubitat, quin possit loco domus designatae capitale mox dictum assignare; quatenus igitur Sacrae Congregationi placeat decernere, quod Sacrificia offerri debeant in Civitate Mediolani, preces ipse heres addit pro eorum reductione.

92. Remissis hisce precibus ad Ordinarium Mediolanensem, qui, auditis Partibus, instructos desuper redderet EE. PP., idem ipse iampridem, literis redditis, facti seriem confirmavit addens, quod capitale libellarum 8000 correspondens summae scutorum 1066 circiter impar omnino comperitur oneri a Testatore adiuncto, computatis fructibus ad ratam scutorum trium vel quatuor pro quolibet centenario iuxta modernum usum; etenim ex synodali taxa Missae quotidianae eleemosyna summam pertingit libellarum 400 seu scutorum 53 circiter, computata impensa sacrorum utensilium. Postremo idem Relator transmisit Capituli S. Nazarii in scriptis expositas obiectiones, ex quibus autumat, heredem, qui domum retinere vult, omnino adstrictum esse summam librarum 8000 accrescere usque ad capitale sufficiens oneribus a Testatore iniunctis, qui demonstrative tantum, ut inquit, in ultimis tabulis disposuit super assignatione mox dictae summae; neque in controversiam idem Capitulum revocari posse, addit, praeceptum ipsius disponentis, quod Missae celebrentur in Ecclesia S. Nazarii, ubi eius cadaver sepulturae mandari voluit, aliis quoque expressis specialis devotionis argumentis, non recusat vero onus Missarum iuxta Testatoris voluntatem acceptare, dummodo capitale libellarum 8000 augeatur, ut latius ex documento in Summario Oratoris describendo. Dignentur igitur EE. VV. ex latius adducendis dubia infrascripta sapienter resolvere, Capitulo pluries citato et non comparente. – I. An sit locus celebrationi Missarum alibi etiam in Civitate Ferentini, vel potius in Ecclesia S. Nazarii in casu etc. II. An heredi liceat pro eleemosyna huiusmodi oneris assignare libellas 8000 imperiales, seu potius sit tradenda domus in casu etc. *Et quatenus sint celebrandae Missae in Ecclesia Mediolani et sit assignanda Capitulo summa tantum librarum 8000.* III. An sit locus reductioni Missarum et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium, dilata; et supplicent secuto investimento – *in Mediolanen. seu Ferentina Capellaniae die 23 Februarii 1715 lib. 65 Decretourm.*

93. At non licet heredi, contradicente Confraternitate, in eius Ecclesia, in qua Testator mandavit perfici ornamentum Altaris maioris, construere depositum praedicto Testatori cum inscriptione nec non appositione insignium tam ipsius heredis, quam Testatoris in lateribus dicti Altaris, ei tamen licet augere legatum pro memorati Altaris ornamento relictum *in Romana Appositionis Insignium die 4 Septembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

94. Siquidem – in postremis, quas condidit, tabulis quondam Ioannes Bartolus, demandata prius eius heredi erectione cuiusdam Capellaniae perpetuae in Ecclesia Plagarum Sacratissimi Domini, praevia assignatione annuae dotis scutorum 80, conditione videlicet, quod scuta 72 solverentur Capellano amovibili per dictum heredem cum onere celebrationis Missae quotidianae, ac residualia scuta 8 Sacristiae eiusdem Ecclesiae pro sacris et necessariis supellectilibus, eumdem heredem successive gravavit, ut unica pro tantum vice scuta 500 ad Altaris maioris dictae Ecclesiae ornatum persolvere deberet. In horum itaque executionem cum Famianus Pozzolana praefati Testatoris heres, se iam paratum exhibuerit ad solvendum praedicta scuta 500 a Testatore relicta, verum etiam alia scuta 350 obtulerit, nempe 250 pro eiusdem Altaris splendidiori ornatu, et reliqua scuta 100 pro constructione depositi praefati quondam Ioannis cum illius nominis inscriptione, armorumque seu insignium tam eiusdem Testatoris, quam ipsiusmet heredis appositione, et e converso nonnulli ex Confratribus dicti legati pii augmentum cum huiusmodi conditionibus acceptare renuerint, porrectis ad hunc effectum precibus Sanctis-

simo Domino Nostro, eisque ad hanc S. Congregationem remissis, EE. PP. modo exorantur decernere: – I. An liceat heredi augere legatum pium pro ornamento Altaris maioris a Testatore ornatum? II. An Confraternitas impedire possit constructionem depositi Testatoris, cum inscriptione in Ecclesia dictae Confraternitatis? III. An impedire possit appositionem insignium tam dicti Testatoris, quam heredis in lateribus dicti Altaris maioris exornandi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus – *in Romana Appositionis Insignium die 4 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum.*

95. Hinc heres, qui Conventui Regularium assignavit bona stabilia pro fundo oneris Missarum cum pacto regressus et facultate transferendi dictam Missarum celebrationem ad aliam Ecclesiam, quoties ipsi praedicto oneri Missarum adamussim haud satisfacerent, pro nunc non habet regressum ad dicta bona nec facultatem transferendi ad aliam Ecclesiam praefatum onus Missarum, ex eo quod iidem nulliter obtinuerint reductionem Missarum, ac ideo aliquas Missas arbitrio Episcopi pro praeteritis omissionibus celebrare tenentur *in Lucana die 24 Augusti 1715 lib. 65 Decretorum.*

96. Enimvero – iam inde ab anno 1496 nobilis Iacobus de Ghivizzano, pluribus in postremis tabulis institutis heredibus, prae ceteris onus adiunxit celebrari faciendi Missam quotidianam in Ecclesia eorum arbitrio seligenda, constituta eleemosyna flor. 20 ad 36. Huiusce dispositioni obsequens Martinus Bernardinus in quarta hereditarii assis parte heres iam dicti Testatoris, Apostolicam facultatem benigne obtinuit assignandi tot terras et stabilia valoris in proprietate ducatorum auri centum, annui vero reditus ducatorum similium quinque Conventui et Fratribus Ordinis Servorum Beatae Mariae Civitatis Lucanae, qui tenerentur celebrari facere alternis diebus unam Missam hora tertiarum in Altari Annunciationis, ita ut ab omni onere, occasione huiusce testamentariae dispositionis sibi iniuncto, Orator ipse absolutus et liberatus censeatur, qui ulterius eius descendentes possint unum ex Fratribus iam dicti Conventus eligere ad Missam celebrandam; in omnem vero eventum, quo Fratres ipsi non celebrarent, ita hypothecata et obligata remanere bona assignata Partes ipsae voluerunt, ut liceat ipsi Martino eiusque heredibus ad aliam Ecclesiam eadem bona transferre cum adiuncto onere, quemadmodum latius ex Poenitentiariae Apostolicae literis, quae in summario dabuntur. In exequutionem igitur huiusce facultatis, designata Ecclesia et respective Altari Sanctissimae Annunciationis Ordinis Servorum Beatae Mariae pro memoratae Missae celebratione, iamdictus Martinus ipse assignavit petia quinque terrarum annui reditus scutorum quinque auri, quae pretio centum scutorum auri ab ipsis Fratribus eadem die coemerat, atque onus Capellano adiunxit Missam celebrandi alternis diebus, pacto expresso stipulato, quod si minus celebratio exequeretur, tum ipse Martinus eiusque Successores possent propria auctoritate, absque Iudicis officio terras assignatas reassumere ac Ecclesiam mutare; quibus expressis, Procurator praelibati Monasterii cum consensu totius Capituli onus et emolumentum supra expressum acceptavit ac promisit, dictam Missam alternis diebus celebrare, prout Martinus ipse ex testamento praedicto teneretur, quem ab huiusmodi onere prorsus liberavit, ut pariter latius ex documento in summario exhibendo.

97. Sedulo huiusmodi onere functi sunt Patres Civitatis Lucae ad annum usque 1667, quo tempore Ordo Servorum Beatae Mariae generale promeruit Apostolicum Indultum reducendi onera Missarum ante Constitutionem Urbanam acceptata, quae congruum stipendium tum minus habebant, ad rationem annuae eleemosynae scutorum sexaginta monetae Romanae pro qualibet Missa quotidiana perpetua, sub quadam praescripta forma, quae exhibetur in summario. Sub huiusmodi inquam Indulti clypeo supramemorata Sacrificia, alternis diebus celebranda, a Magistro Generali Ordinis reducta fuere ad numerum viginti quatuor annuatim, huiusmodi moderatione approbante Cardinali Sanctacrucio, tum temporis Ordini saepedicti comprotectore. Nuper vero cum Federicus de Bernardinis compertam habuerit huiusmodi reductionem, statim reputavit, quod contra initam conventionem nulliter desuper processum fuerit, nihil obstante exposito Indulto; tum

quia eius formam, ut asseritur, fuisse servatam, non comprobatur; cum certius quia in eiusmodi generalibus Indultis nullimodo comprehenduntur Missarum onera, quae ex Partium conventione firmantur. Hinc ipse Federicus declarari quam demisse expetit, quod Fratres Servitae imposterum teneantur Missas integre celebrare iuxta formam exarati instrumenti, eaque Sacrificia supplere, quae a die assertae reductionis praetermissa comperiuntur; quatenus vero id decernere minus placeat EE. VV. saltem heredes Ghivizzani transferre possint bona ac respective Missarum onera ad aliam sibi benevisam Ecclesiam, iuxta initam legem. Ex adverso vero insurgunt praelibati Patres primum contendentes, reductionem rite peractam fuisse, perspecta insufficienti eleemosyna, deinde autumant, nequaquam dici posse ex contractu huiusmodi onera provenire, quae primam originem ex testamento habent, ac tandem translationem bonorum nullo modo decerni posse asserunt, cum sit de instrumento emptionis simulate ac nulliter, ut dicunt, exarato.

98. Perspecta igitur Ordinarii relatione, in qua praemissa confirmantur, iuraque a Partibus adducta recensentur, dignabuntur EE. PP. tria haec dubia, ex latius adducendis, definire: – I. An reductio onerum Missarum sustineatur, vel potius Patres Beatae Mariae Servorum Lucae teneantur alternis diebus in perpetuum celebrare Missam in suffragium animae bo. me. equitis Iacobi de Ghivizzano in casu etc. *Et quatenus affirmative quoad secundam partem.* II. An teneantur supplere vel celebrare Missas omissas et non celebratas a die praetensae reductionis in casu etc. *Et quatenus negative ad utrumque.* III. An sit locus regressui ad bona pro dicta celebratione Missarum eisdem Patribus assignata ac translationi oneris praedicti ad quamcumque aliam Ecclesiam arbitrio heredum dictae bo. me. equitis Iacobi de Ghivizzano in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 ianuarii 1715 respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius. Ad secundum, celebrandas esse aliquas Missas arbitrio Episcopi; et amplius. Ad tertium, pro nunc Negative –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 26 ianuarii 1715 quoad tertium dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Lucana Reductionis Missarum die 24 Augusti 1715 lib. 65 Decretorum.*

99. Idcirco heres non potest transferre legatum seu onus Missarum ad aliam Ecclesiam, quod Testator reliquit Fratribus incapacibus habendi huiusmodi legatum, sed potest census creare et assignare pro onere Missarum cum auctoritate Episcopi, ita ut novus censuarius se obliget solvere praedictis Patribus eleemosynam ad formam testamenti; his quippe in terminis propositis dubiis: – I. An Fratres sint capaces legati in casu, de quo agitur? *Et quatenus negative.* II. An heres legatum seu onus celebrationis Missarum ab Altari S. Francisci de Paula transferre possit ad Ecclesiam Collegiatam Terrae Liberiani? *Et quatenus negative.* III. Quando dictus heres adimplere valeat onus impositum celebrationis Missarum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, heredem posse census creare et assignare pro onere Missarum, sed creare et assignare cum auctoritate Episcopi, cui scribatur iuxta mentem, ita ut novus censuarius se obliget solvere Patribus eleemosynam ad formam testamenti – *in Brundusina Adimplementi die 26 Augusti 1719.*

100. Unde permissum esse non debet, sub obtentu incapacitatis Fratrum, qui nihil possunt possidere, ut heredes se eximant ab onere adimplendi Missarum, ut probat Textus in L. *Heredes* in fin. ff. de petit. heredit., et ad rem prosequuntur Corduba in exposit. Regul. S. Francisci cap. 6 quaest. 7 et quaest. 11 punct. 2, Redoan. de spoliis eccles. quaest. 8 n. 47 *in Brundusina Adimplementi die 5 Augusti 1719* §. *Quia.*

101. Firma tamen interea remanente libertate apud heredes dandi aut non dandi huiusmodi Fratribus annuos reditus, quod est idem ac dicere, celebrari faciendi per illos aut per alios sibi benevisos Sacerdotes Missas et Sacrificia legata, uti probat Textus in Cap. *Exiit* §. Si vero de verb. signif. in 6: – Ad quae legata solvenda tam heredes Testatorum, quam Executores se liberales exhibeant –; et habetur in compendio privilegio-

rum Fabricae pag. 72 et 74, et praecedentes decisiones modificando firmavit Rota in decis. 1326 a n. 8 coram Emerix iuniore, ad cuius postremae decisionis normam datum fuit ab eadem Rota votum Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium, a qua fuerat pro voto requisita, uti colligitur ex tenore voti impressi apud Pitonium discept. eccles. tom. 1 discept. 2 n. 53, quod votum eadem Sacra Congregatio amplexa est, et s. m. Clemens X resolutionem S. Congregationis confirmavit per Literas Apostolicas in forma Brevis impressas apud Matthaeucc. in suo Officiali cap. 30 n. 12 *in Brundusina Adimplementi die 5 Augusti 1719* §. *Firma.*

102. Quum igitur Testator erectionem Capellaniae demandaverit in Ecclesia Regularium, liberum est heredibus Missarum celebrationem committere vel ipsis Regularibus, vel Sacerdotibus Secularibus, quia electio Capellani non ad Regulares pertinet, sed ad heredes Testatoris, Monacell. form. leg. tom. 1 tit. 10 *in Romana Celebrationis Missarum die 12 Iunii 1773* §. *Iuxta.*

103. Ceterum Sacra Congregatio attentis peculiaribus circumstantiis permisit, ut posset heres exequi voluntatem Testatoris legantis capitale ad favorem Capuccinorum et Minorum Observantium S. Francisci pro celebratione tot Missarum, traditis eisdem fructibus annuatim praedicti capitalis titulo eleemosynae pro dictis Missis celebrandis, facto tamen verbo cum Sanctissimo *in Bononien. Legati die 6 Iunii 1693 lib. 43 Decretorum.*

104. Alias heres a distributione subsidiorum dotalium a Testatore semper exclusus praesumitur, eo ipso quod alium certum destinavit Executorem istiusque industriam elegit, iuxta opinionem Iacobi a canonibus in tract. de Executor. cap. 22 a n. 21 lib. 1, et Passerin. in Cap. *Religiosus* §. Sanen. 51 de testam. in 6 *in Nullius seu Montis Casini Distributionis subsidiorum dotalium die 14 Ianuarii 1730* §. *Ordinarius.*

105. In iis vero, quae alteri specialiter non fuerunt commissa, tota facultas remanet apud heredem, Piton. de controv. patron. alleg. 25 n. 22, L. *Alio herede* ff. de alim. et cibar. *in Aquinaten. die 23 Aprilis 1853* §. *Ex hisce.*

106. Amplia, heres vel in ipsis institutionibus taxative demandatis habet ex iure, praesertim una cum Episcopo, facultatem interpretandi, Lambertin. de iurepatronat. quaest. 6 art. 7 n. 8, Navarr. lib. 3 de cleric. non resid. decis. 7 *in Burgi S. Sepulchri Institutionis die 22 Iunii 1844* §. *Ex lege.*

107. Itaque mortem obeuntibus executoribus testamento datis, integrum semper esse heredi voluntatem defuncti exequi disserunt Abbas cons. 65, Mantica de coniect. ult. vol. lib. 9 tit. 3 n. 34, Rubeus de conf. et distinct. iur. defunct. et hered. cap. 19 §. 2 n. 23, Gratian. discept. for. cap. 941 n. 20, cum et ipsis Executoribus extantibus iure isto potiatur, nisi expresse vetitus fuerit, ad Bald. in L. *Si heres* de condict. ob caus., Fesc. pract. concl. litt. E concl. 541 n. 9. Hinc extante herede, silere videtur Episcopi facultas, quae se exerit dumtaxat deficientibus herede aut executoribus testamento datis, uti ad Textum in Cap. *Nos quidem* tradunt Tiraquell. de privil. piae Caus. privil. 149, Moneta de commut. ult. vol. cap. 3 n. 63 *in Viterbien. Capellaniae die 20 Novembris 1841* §. *Mortem.*

108. Nullum tamen dubium, quin Episcopus in heredum et executorum negligentia pias voluntates exequi valeat *in Viterbien. Capellaniae die 18 Decembris 1841* (1).

109. Quin imo in Cap. *Si heredes* de testamentis praescribitur, quod – si heredes iussa Testatoris non adimpleverint, ab Episcopo loci illius omnis res, quae his relicta est, canonice interdicatur, cum fructibus et ceteris emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur – *in Romana Fundationis Missarum die 17 Septembris 1774* §. *In.*

110. Hinc inferunt Doctores et praesertim Gonzalez in comment. ad dictum Caput n. 1 et 3, quod hereditate privari debeant heredes negligentes exequutionem voluntatis Testatoris, eaque applicari debeat coheredi sive substituto cum iisdem oneribus, cum non deceat compendium hereditatis ab iis percipi, qui onera subire detrectant, Cap. *Qui debet*

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. XI, n. 31, Tom. IX.

de regulis iuris in 6 *in Romana Fundationis Missarum die 17 Septembris 1784* §. *Hinc.*

111. Verum ad incurrendam privationis poenam requiritur praecedens monitio Iudicis, et quod post monitionem heres per integrum annum in sua contumacia et negligentia perseveraverit, prout desumitur ex Cap. *Nos quidem* de testamentis, nisi forte certum tempus pro adimplemento voluntatis fuerit a Testatore praefinitum, Authen. *Hoc amplius* Cod. de fideicommissis *in Romana Fundationis Missarum die 17 Septembris 1774* §. *Hinc.*

112. Qua de re cum in praefata Viterbien. Capellaniae 18 decembris 1841 probatum exinde fuerit, veram ac realem, non vero fiduciariam qualitatem heredem habuisse a Testatore, nec ullam adhibuisse negligentiam, Sacra Congregatio reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, responsum tulit: – Praevio recessu a decisis, Decretum Curiae Episcopalis esse infirmandum, firma remanente inscriptione hypothecaria capta anno 1835 – *in Viterbien. Capellaniae die 27 Iulii 1844.*

113. Nam etsi negligentia adhibita fuisset, heredibus purgatio morae concedi debuisset, antequam gravissima infligeretur caducitatis poena, id canonica aequitate suadente, Cap. 3 de testamentis, Pasqualig de leg. celebr. Miss. quaest. 1081 n. 2, et Pirhing in ius can. lib. 3 tit. 26 sect. 5 §. 4 n. 122 *in Viterbien. Capellaniae die 22 Iunii 1844* §. *Quin.*

114. Nec obstitit, quod res esset de heredibus heredis: namque et his integra disponendi facultas relinquitur, excluso Episcopo *in Viterbien. Capellaniae die 22 Iunii 1844* §. *Posito.*

115. Hinc distributio hereditatis in usus a Testatore praescriptos et ab herede non facta spectat ad heredem heredis dicti Testatoris cum participatione et consensu Episcopi, non vero ad Episcopum, quin tamen valeat dictus heres heredis de ea erigere Capellanias cum onere Missarum et reservatione iurispatronatus favore suae familiae *in Lunen. Sarzanen. Distributionis hereditatis die 6 Februariis 1700 lib. 50 Decretorum.*

116. Siquidem – in ultimis tabulis, quas conscripsit Angelus de Blanchis anno 1686, universalem sibi heredem instituit Thomasiam sororem, cum onere, demptis legatis, dote eidem constituta in casu nuptiarum ac congrua et condecenti eius substentatione, distribuendi ceteros reditus seu fructus capitalium hereditatis Pauperibus invalidis ad sui libitum; residuum vero eiusdem hereditatis erogandi in eius vita iuxta formam ipsimet, sive per scripturam publicam, sive privatam, sive oretenus insinuandam, addens haec verba: « Ha sempre inteso e intende, che quello, che de' capitali rendite e frutti resterà libero di detta sua eredità a commodità di detta sua sorella e a suo arbitrio si disponga e si dispensi per l'amor di Dio a Poveri, che non si possono più aiutare, e secondo la sua coscienza ». Anno 1688 idem Testator schedulam confecit ad formam testamenti his verbis: – Che tutto l'avanzo della mia eredità dico voglio e comando, che a sua commodità la dispensi per amor di Dio a povere genti, che non si possono più aiutare, e alla morte sua disponga a chi lascierà suo erede, che ne segua l'effetto in tutto e per tutto, e potrà vincolare detto resto della mia eredità, e chiamare Luoghi pii con obbligo di far celebrare Messe per detto Testatore e suoi, e tutto quello, che ella potrà eseguire in vita, mi sarà caro –. Obiit Thomasia heres nulla facta distributione seu vinculatione capitalium residui hereditatis, nulloque scripto herede. Unde cum Petrus de Blanchis nepos, ab intestato heres, hereditate adita, praetendat distributionem in causam a Testatore volitam exequi, ac etiam cupiat cum capitalibus duas erigere Capellanias cum reservatione iurispatronatus pro se et familia; e contra vero Episcopus nedum totum residuum hereditatis esse integre distribuendum in dictorum Pauperum eleemosynas, ex quo dicta Thomasia usa non fuit praenarrata facultate a Testatore concessa, verum etiam huiusmodi distributionem ad se devolutam esse contendat, hinc doctissimo aeque ac iustissimo EE. VV. iudicio decidendum proponitur: – I. An distributio hereditatis in usus a Testatore praescriptos et ab herede non facta aliquo modo spectat ad Episcopum, seu potius ad heredem heredis? *Et quatenus affirmative quoad secundam partem.* II. An possit idem

heres heredis saltem per viam gratiae illam erogare in erectionem tot Capellaniarum cum onere Missarum et cum reservatione iurispatronatus ad favorem suae familiae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, ad heredem cum participatione et et consensu Episcopi. Ad secundum, Negative - *in Lunen. Sarzanen. Distributionis hereditatis die 6 Februarii 1700 lib. 50 Decretorum.*

117. Alias heredes etiam extranei possunt recedere a prohibitione decedentium, si haec nulla honesta et laudabili causa nitatur, L. *Pater* 36 §. Iulianus Agrippa ff. de legat. 3 *in Veliterna Permutationis die 3 Augusti 1771* §. *Bonorum.*

118. Hinc heres Locatarii fundi Capellaniae non tenetur stare locationi nullae ob defectum Beneplaciti Apostolici, etiamsi in instrumento locationis adsit conditio, quod Beneplacitum Apostolicum in casu, quo sit necessarium, haberi debeat expensis Locatarii *in Florentina Beneplaciti die 7 Iunii 1692 lib. 42 Decretorum.*

119. Is tamen solvere debet fructus decursos usque ad diem denegati Beneplaciti Apostolici *in Florentina Beneplaciti die 7 Iunii 1692 lib. 42 Decretorum.*

120. E contra receptum in iure est, eos, qui ingratitudinis argumentum erga beneficos Testatores praebuissent, sive eorum voluntati contradicentes, sive magis eorumdem institutionem evertere conati, a quolibet ab Testatorum dispositione assequendo commodo repelli, ac vel ipsa delata hereditate spoliari, ut docet Textus in L. 2 ff. de iis, quibus ut indignis legata auferuntur, ibique Glossa et Gothofredus, Brunneman in Pandect. lib. 34 tit. 9 ad leg. n. 1, et Voet ad lib. 34 tit. 9 n. 3, Rot. in decis. 271 n. 13 coram Ludovisio, et decis. 257 n. 18 coram Buratto *in Spoletana et Romana Legati studiorum quoad administrationem die 19 Decembris 1840* §. *Subinde.*

121. Nullum propterea dubium, quod heres melioris conditionis esse non debeat, quam illius auctor, L. *Ex qua* 149 ff. de regulis iuris *in Forolivien. Legatorum die 18 Novembris 1826* §. *At.*

Item *in Alben. Operis 18 Februarii 1832* §. *Ex sacrorum.*

122. Hinc legitimus heres, in quem universa transierunt auctoris iura, quantitatem retinere valet, de qua disponere poterat, Mantica de coniect. ult. vol. lib. 7 tit. 7 n. 17, Rot. in Recent. decis. 17 n. 38 part. 5 tom. 1 *in Asculana Capellaniarum die 27 Februarii 1790* §. *Quaeritur.*

123. Idcirco multo magis facultas disponendi data heredi praesefert arbitrium determinandi portiones cuique tradendas, ad tradita per Rotam in Civitatis Plebis Immissionis 26 ianuarii 1750 §. 10, et 8 maii eiusdem anni §. 7 coram Emo Bussio, et 2 decembris eiusdem anni §. 16 coram Card. Caprara, et in Ariminen. fideicommissi de Gridulphis 13 iunii 1755 a §. 10 coram Vicecomite *in Ragusina die 11 Septembris 1762* §. *Verum.*

124. Non aliter vero ad actum deducta censetur alienandi facultas heredi concessa, quam per expressam declarationem, Mans. Consult. 429 a n. 2 tom. 5, Card. De Luc. de fideicomm. disc. 58 n. 7, Polit. eod. tit. dissert. 18 n. 26 tom. 1, et dissert. 105 n. 27 tom. 2 *in Asculana Capellaniarum die 27 Februarii 1790* §. *Ne quid.*

125. Heres igitur de re hereditaria expresse non disponens, uti noluisse censetur tributa alienandi facultate, secundum Mans. consult. 429 a n. 2 tom. 5, Card. De Luca de fideicomm. disc. 58 n. 7, Polit. eod. tit. dissert. 18 n. 26 tom. 1, et dissert. 105 n. 27 tom. 2 *in Asculana Capellaniarum die 3 Martii 1792* §. *Ad statuendum.*

126. Tacita tamen admittitur eius dispositio; respuere enim noluisse praesumitur Testatoris beneficium, maxime si tenuis sit fortunae, illudque propterea ad suum transmittit heredem ex opinione Manticae de coniect. ult. vol. lib. 7 tit. 7 n. 14 *in Asculana Capellaniarum die 3 Martii 1792* §. *Ad statuendum.*

127. Verum ex iure nequit heres de re, quae ex Testatoris voluntate certum usum habet, libere disponere, eamque in alium usum convertere, praesertim cum res sit de legatis piis *in Camerinen. Subsidiorum dotalium die 23 Novembris 1743* §. *Ex.*

128. Qua de re heres non potest variare opus pium a Testatore volitum in perpetuum, Cap. *Illud* in fin. de Iurepatronatus, Rot. in

decis. 774 n. 1 coram Seraphino, et in decis. 775 n. 2 coram Molin. *in Colonien. die 8 Iunii 1765* §. *Inquit.*

129. Quin imo nec heres nec alius quilibet potest naturam alterare supremae defuncti dispositionis in praeiudicium vocatorum, Piton. de controv. patron. alleg. 34 n. 22 *in Burgi S. Sepulchri Institutionis die 22 Iunii 1844* §. *Decretum.*

130. Nefas est enim heredi alterare naturam dispositionis testamentariae, Can. *Ultima voluntas* caus. 13 quaest. 2, et L. 1 in fin. Cod. de sacros. eccles., Fargn. de iurepatronat. part. 1 can. 6 cas. 2 n. 11 *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed.*

131. Ideirco heres impugnare nequit declarationem defuncti, Gloss. fin. in Can. *Episcopus qui* 12 quaest. 2 *in Ferrarien. Reductionis Missarum et Absolutionis die 29 Novembris 1788* §. *Quamvis.*

132. Nequit namque heres impugnare factum illius, L. *Heres in omne* ff. de acquiren. heredit., L. *Nihil aliud* ff. de regul. Iuris, Piton. de controv. patron. allegat. 24 n. 20, Rot. in decis. 1294 n. 5 coram Molines *in Nepesina Dotium die 21 Augusti 1790* §. *Secundum.*

133. Hinc heres factum sui auctoris servare tenetur, Rot. in decis. 75 n. 2 tit. de Miscell. coram Falconerio, et in Urbinaten. Transactionis 20 Iunii 1760 §. 15 coram Canilliac *in Pontis Curvi Redditionis rationum die 15 Septembris 1827* §. *At vero.*

134. Quidquid quippe heres molitur ab sui auctoris voluntate dimanat, Rot. in decis. 6 a n. 1 decis. 23 a n. 2 coram Riminaldo, et maxime cum minus favorabilis heredibus esse deprehenditur Testatorum voluntas per eos exequuta, Reiffenst. in ius can. lib. 2 tit. 18 §. 2 n. 6, Rot. decis. 49 a n. 1 coram Bichio *in Melevitana Condonationis et Suppressionis Beneficii die 29 Decembris 1835* §. *Ex.*

135. Unde Provinciali Synodo absque expressa Fundatoris voluntate heres derogare non valet, Lambertin. de iurepatronat. lib. 1 part. 1 quaest. 9 art. 1 per totum, et Piton. de controv. patron. alleg. 62 n. 32 tom. 2 *in Mediolanen. Praecedentiae die 19 Septembris 1761* §. *Verum.*

136. Quin imo heredes tenentur bonorum hereditariorum, quibus erigendae sunt Capellaniae, rationem Episcopo reddere, iuxta censuram Sacri Concilii Tridentini sess. 22 cap. 9 de reformatione *in Amerina Capellaniarum die 22 Ianuarii 1773* §. *Contendit.*

137. Quapropter sustinetur Decretum ab Episcopo latum in sacra visitatione, quo sub suspensionis comminatione compellitur ad reddendam rationem administrationis piae hereditatis is, quem heres fiduciarius ac etiam proprietarius post explicatam fiduciam ac nominationem heredis universalis constituit ex amplissimis sibi reservatis facultatibus heredem fiduciarium et executorem testamentarium cum exemptione a quavis rationum redditione *in Nucerina pii Relicti super redditione rationum et attentatis die 20 Decembris 1856 et die 24 Iulii 1858* (1).

138. Et qui praeest Operi pio a Testatore instituto vices ipsius heredis repraesentat, ut ex Textu in L. *Quidem* ff. de legatis, L. *Non aliter* ff. de legat. docet Mantica de coniect. ult. vol. lib. 12 tit. 6 n. 24 et 25, Menoch. praesumpt. 147 n. 48, Castill. controv. iur. lib. 4 cap. 54 n. 20, Rot. decis. 456 a n. 24 coram Merlino *in Romana Supplementi et Reductionis die 23 Ianuarii 1802* §. *Quaestio.*

Item *in Pisauren. Commutationis voluntatis die 24 Aprilis 1852* §. *De.*

139. Hinc si quis iure proprietatis bonorum haud fruatur, eadem nequit vindicare, inscribenda tamen est super omnibus bonis hypotheca ad effectum implendi onera eius favore *in Verulana Capellae die 24 Augusti 1844 die 18 Iulii 1857 die 22 Decembris 1860 et die 29 Martii 1862* (2).

140. Contra autem declarationem heredis fiduciarii Iudicis arbitrium non intrat, Rot. in decis. 100 §. 6, et quidquid ipse declarat, censetur ab ipso Testatore declaratum, nisi contrarium evidentissime demonstretur, Dec. 162 §. 9 ad Text. in Leg. Theopomp. ff. de dot. praelegat., L. *Si quis pro redemptione* §. 1 Cod. de donatione, ubi Card. De Luc. de legat. disc. 27 n. 12; maxime si declaratio a fiduciario edita verosimillima, ac Te-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Administrator*, §. VI, n. 249 ad 260, Tom. I.
(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Capella*, n. 63 ad 72, Tom. V.

statoris menti consona deprehendatur, Bart. in Leg. *Quem heredi* ff. de rebus dubiis n. 2, Castrens. ibid. n. 5, Card. De Luc. de fideicomm. disc. 182 n. 17 *in Romana et Sutrina Exequutionis voluntatis die 22 Iunii 1839* §. *Porro.*

141. Nefas enim est heredi fiduciario quidquam moliri, per quod edita declaratio quoquomodo infirmetur aut deleatur, Tartagl. de reservat. statutor. art. 36 n. 95, Rot. in Romana Legatorum 6 Decembris 1728 coram Aldrovando *in Firmana Commutationis Voluntatis die 29 Aprilis 1837* §. *Ast.*

142. Perperam vero denegatur heredi fiduciario variandi facultas post emissam fiduciae declarationem, Nam ex una ipsa heredis fiduciarii qualitate potestas exurgit declarationem factam ampliandi, sive ad alios casus, vel personas extendendi, Rot. in Anconitana seu Fanen. Fideicommissi 28 Martii 1791 §. Itaque coram Paracciano. Quod quidem eo magis obtinet, quoties fiduciarius constitutus insuper est a Testatore heres facultatarius, veluti tradit eadem Rota in Pisauren. Immissionis 17 Iunii 1803 §. 6 coram Tassoni. Accedit, declarationem fiduciae suapte natura variandi facultatem in declarante secumferre, utpote quae connexa est cum actu revocabili, seu cum tabulis testamenti, ad monitum Rot. in dicta Pisauren. Immissionis 17 Iunii 1803 §. 16 coram Tassoni; praesertim ubi heres fiduciarius hanc sibi facultatem expresse reservaverit, De Luc. de con. hered. instit. Cap. 65 n. 5, nec ulli ius quaesitum sit, nec possessio tradita, itaut res adhuc integra sit. Hisce insuper cumulum imponi videtur cum eximiae heredis fiduciarii qualitates concurrant, unde praesumptio oritur, ultimam eius declarationem non secus ac primam menti Testatoris omnino consentaneam esse iuxta ea, quae tradit Rot. in Romana Nullitatis testamenti 5 Iulii 1716 §. 13 coram Piccolomini *in Nucerina Pii Relicti super Redditione rationum et Attentatis die 20 Decembris 1856* §. *Defensor.*

143. Unde Rota in decis. 2 n. 11 coram Patritio haec tradit: – Heres fiduciarius depositarius quidem censetur custos testis atque etiam executor alienae voluntatis, non arbiter, qui proinde, quantum in se situm est, curare deberet, ut, quod sibi panditum et commissum est, eo modo eoque tempore executioni committatur, quo Testator iussit, atque ita servare promissam fidem, in qua defunctus sua consilia reposuit – *in Firmana Commutationis voluntatis die 1 Februarii 1834* §. *Dubitandi.*

144. Quae autem obveniunt non iure directae vocationis, sed iure obliquo substitutionis poenalis, non in beneficium universae hereditatis, sed in commodum heredis substituti cedere debent, L. *Fundo* 4 ff. ad legem falcidiam *in Romana Reductionis Legatorum die 14 Maii 1774* §. *Pro.*

145. Hinc scitum propterea est, ab herede gravato nullum inferri posse substituto detrimentum, Rota in Veliterna Fideicommissi 3 martii 1815 §. 15; ac fideicommissario esse potestatem condicere bona, ad quorum restitutionem tenetur, penes quemcumque possessorem reperiantur, Valenti de ult. vol., Rot. in Recent. decis. 67 n. 18 part. 13, decis. 1171 n. 12 coram Molines *in Senogallien. Aperitionis oris et reintegrationis die 20 Septembris 1845* §. *Quod si.*

§. II.

HERES QUOAD ONERA

1. Filius est necessarius heres Patris *in Urbanien. Reductionis Onerum die 15 Aprilis 1820* §. *Fabius.*

2. Ille enim tamquam heres est una eademque cum Patre persona *in Urbanien. Reductionis Onerum die 15 Aprilis 1820* §. *Fabius.*

3. Idcirco Filius Patris heres, licet ex florenti conditione redactus sit fere ad inopiam, reductionem legatorum piorum praetendere non potest, ex eo quod bona sibi in fideicommissum devoluta perperam a Patre fuerint distracta *in Urbanien. Reductionis Onerum die 6 Maii 1820.*

4. Siquidem testamento anni 1790 Fabius Bischi Urbaniensis omnium bonorum suorum

Vincentium Guerra ex sorore nepotem eiusque filios masculos heredes fideicommissarios instituit. Bona, quae reliquit, nonnullis piis legatis oneravit, ac inter cetera mandavit, ut sex scuta annua in perpetuum darentur Societati Sanctissimi Sacramenti, pro eiusdem Sanctissimi Sacramenti conservatione, quae erecta erat in Ecclesia parochiali S. Floriani Palatii Mutiorum; darentur etiam scuta sexaginta non una tamen solutione, sed tribus vicibus, ad effectum comparandi supellectilia favore praefatae Ecclesiae parochialis S. Floriani; nec non darentur duo annua scuta pro sonitu aeris campani maioris tempore aurorae meridiei et unius horae noctis, ut Populus suetas recitare posset preces. Voluit tamen Testator, ut, decrescentibus vel pereuntibus bonis hereditariis, onera quoque ipsis adnexa decrescere vel cessare deberent, ne heres de proprio sustinere cogeretur. Huic dispositioni innixus Fabius Guerra Vincentii filius rogavit, ut ab hisce praedictis tribus legatis absolveretur, eo quod bona sibi in fideicommissum devoluta iam a Patre fuere distracta, et ipse inopia pressus ea satisfacere nequiret. Episcopus rem, uti se habuit, accurate narravit in sua informatione: – Ad haec substinenda legata, dum praedictus heres anno 1810 illius temporis legibus innixus omnia bona sibi in fideicommissum tradita distraxit, scuta bis centum emptori reliquit; onera enim huiusmodi bonis inhaerentia, iure reluctantibus interesse habentibus, eodem modo vendere nequibat –. Testatus est inde Episcopus, quod Orator ex florenti conditione ad inopiam fere redactus fuerit; sed omnes interesse habentes eiusdem petitioni adversarentur. Quidquid enim esset quoad solutionem vinculi fideicommissi, certe nequibat laica potestas vim suam exercere contra Ecclesiam et bona, ad piorum legatorum satisfactionem destinata. Si igitur haec eadem alienatio a culpa immunis non fuit in Vincentio, idem dicendum videbatur de Fabio, qui tamquam heres erat una eademque cum Vincentio persona. Advertebatur favore praedicti Oratoris, quod ea, quae ex delicto aut quasi delicto procedunt, non egrediantur Personam delinquentis, unde ad ipsius culpam verti nequiret alienatio bonorum a Patre consummata. Insuper expresse cavit Fundator, ut, si reditus institutae ab ipso Primogenitae minuerentur quacumque de causa – per qualunque evento ed accidente –, congrua fieret legatorum etiam ad pias Causas decurtatio. Proposito vero dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Fabii Guerra in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et notificetur Episcopo, qui curet inscriptionem legatorum ad formam novissimi Edicti – *in Urbanien. Reductionis Onerum die 6 Maii 1820.*

5. Filius vero, qui paternae se non immiscuit hereditati, ad parentis debita dissolvenda adigi non potest *in Forolivien. Legatorum die 18 Novembris 1826* §. *Exploratum.*

6. Alias non obstantibus gallicis legibus, quae fideicommissa dissolverunt, nec non lapsu quadraginta fere annorum, heres tenetur adimplere onera Missarum cum eleemosyna quatuor libellarum pro quilibet Missa ad formam testamenti *in Bellunen. Onerum die 14 Ianuarii 1860.*

7. Enimvero testamento, quod propria manu exarabat exeunte mense augusti 1780 Bellunensis Ioannes Baptista Regozza, heredem in usufructu vocavit in primis uxorem Octaviam Alpago, eidem simul iniuncto onere celebrare faciendi Missam quotidie solita eleemosyna a die obitus in suffragium ipsius animae propinquorumque in Ecclesia S. Rochi vel S. Iosephi. Uxore vero decedente constituit, ut hereditas devolveretur filiis masculis Francisci Alpago suis cognatis cum onere et conditione, ut, bonorum omnium notula confecta, eadem in Communali archivio asservaretur, nec non bona omnia sub vinculo fideicommissi ad masculos descendentes heredes transirent, qui nominari deberent Alpago Regozza. Quum autem plures masculorum lineae inter heredes constituerentur, et casus contigeret, quod plures masculi existerent lineae, quae bona possiderent, tunc Primogenitum aliarum proximiarum linearum designavit. Quod si forte contigeret, ut masculorum linea quandoque exaresceret, tunc in spem vocavit secundum natum masculorum descendentium a nobili viro Durando Pagani Cesa. Quibus quoad ordinem successionis praestitutis mandavit, ut heredes perpetuo celebrari facere tenerentur quotidie Missam in Ecclesia S. Rochi vel

S. Iosephi cum eleemosyna quatuor libellarum in suffragium propriae animae propinquorum eorumque, quorum intentionem habebat, nec non pro illis, quorum suffragia peragere obstringeretur. Defuncto Testatore, bonorum Regozza possessionem nacta est tamquam heres usufructuaria uxor Octavia, quae usquedum in humanis fuit, oneri sibi iniuncto cum sueta eleemosyna ad unguem satisfecit. Eodemque se more gessit Ioannes Ascanius Alpago heres proprietarius, qui anno 1817 post decessum Usufructuariae hereditatem Regozza assequutus est fideicommissariis nexibus dissolutam ob vulgatas interea gallicas leges. Idem onus pariter adimplevit Octavia iunior eiusdem Ascanii filia atque heres ab anno 1817 ad annum 1825; quo quidem ineunte anno petiit atque obtinuit a Bellunensi tunc temporis Episcopo Zuppani, ut numerus Missarum, quae quotidie erant celebrandae, ad quatuor supra biscentum et septuaginta coarctarentur, aucta tamen eleemosyna ad austriacas libellas duas pro unaquaque Missa. Novam deinde Missarum reductionem ob assignatae eleemosynae insufficientiam postulavit Octavia ineunte anno 1857; sed incassum. Bellunensis enim Antistes, quin in vota Oratricis concederet, eidem onus incumbere autumavit quotidianae Missae celebrationem curandi, persoluta eleemosyna quatuor libellarum pro unaquaque Missa, ideoque reductionem ab Episcopo Zuppani concessam tamquam Testatoris voluntati contrariam ac falsa causa inixam haud suis viribus consistere. Episcopali Decreto non acquievit Oratrix, quae statim ad Sacram Congregationem provocavit, ut declararetur onus, quod ipsa implere deberet. Hinc Oratrix contendit, se nonnisi ordinariam eleemosynam persolvere teneri, cum eadem non inter descendentes ex familia Pagani Cesa, sed inter descendentes Alpago numeraretur. Nam onus persolvendi quatuor libellas pro unaquaque Missa non primis vocatis, sed tantum substitutis impositam fuisse constabat, ex eo etiam quod ipsa, dissolutis fideicommissis, non tamquam fideicommissaria, verum uti proprii parentis heres bonis Regozza potiretur. Nec praetereundum, quod ab anno 1817 ad annum 1858 quadraginta et amplius anni delapsi fuerant, quin unquam huiusmodi eleemosyna libellarum quatuor persoluta fuerit. Ex adverso Episcopus sustinuit, inspecto onere Missarum, non tribus, sed duabus tantum partibus constare Ioannis Baptistae testamentum: altera transitoria, quae tantum ad uxorem spectabat; altera, quae tum descendentes Alpago, tum descendentes Cesa Pagani aeque complectatur. Uxori quippe impositum fuit onus Missarum cum eleemosyna ordinaria, ceteris vero heredibus eiusdem Missae celebrationem fuit indicta cum eleemosyna quatuor libellarum pro unaquaque Missa. Idemque etiam recurrere advertit, si posthabita testamenti litera, eiusdem spiritus et sententia quaereretur. Frustra hinc in medium proferebatur reductio Missarum et gallica lex, cum haec afficere non potuerit legata pia onera Missarum iurapatronatus et alia huius generis, multoque minus praescriptio proferri poterat, cum nulla detur contra Missarum onera praescriptio, nec adesset in themate bona fides, nec tempus quadraginta annorum, quum ab anno 1819, quo adita fuerat hereditas Octaviae senioris, ad diem lati Decreti 11 martii 1858, quadraginta anni, ad praescriptionem necessarii, nondum effluxissent.

8. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus satisfactioni oneri Missarum in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et esse locum celebrationi Missae quotidianae cum eleemosyna libellarum quatuor pro qualibet Missa ad formam testamenti – *in Bellunen. Onerum die 14 Ianuarii 1860.*

9. Quin imo heres, dum retinet qualitatem hereditariam, etiam in bonis propriis pro legato obligatur, ut passim tenuit S. Congregatio in Camerinen. Subsidii Dotalis 17 Iunii 1761 ad 11 dubium, et in Ianuen. Legati 15 Decembris 1787 ad 1 dubium *in Patavina Reductionis onerum die 20 Februarii 1802* §. *Neque.*

Item *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832* §. *Sed.*

10. Multo sane magis ad id obstrictus videtur, dum bona hereditaria sufficiant, licet favore Primogeniturae diminuantur; maxime cum pro pio legato Testator non tantum bona particularis Primogeniturae, quam reliquum patrimonium fideicommisso subiectum obligavit *in Patavina Reductionis onerum die 20 Februarii 1802* §. *Neque.*

11. Nec dubium, quin fideicommissarius heres ad voluntatem Testatoris implendam quam citius tenetur, Novell. 1 Cap. 1; et eo vel magis si agatur de legato pio, pro cuius implemento, ubi Testator tempus non praefinierit, semestre tantum ab lege indulgetur, Amostaz de Caus. piis lib. 1 Cap. 12 n. 3 et 10, Molin. de instit. et iur. tract. 2 disp. 251 *in Verulana Praelaturae die 29 Aprilis 1854* §. *Ad principium.*

12. Heres tamen non tenetur tradere speciem, si debet quantitatem, per Textum in L. *Plerumque interest* 10 §. ult. ff. de iur. dot., Voet. in Pandect. lib. 45 tit. 1 n. 2 *in Asculana Capellaniarum die 3 Martii 1792* §. *Agitur.*

13. Tenetur vero heres praedium designatum a Testatore ex hereditariis creditis redimere ac designatum legati fundum praestare, §. Non solum 4 Inst. de legat., et L. *Non dubium est* 14 ff. de legat. 3 *in Ianuen. Legati die 24 Novembris 1787* §. *Mandavit.*

14. Unde si in tertium transierit possessionem redimendus quidem est fundus, non tamen – immenso vel iniquo pretio –, ut notat Voet in Pandect. lib. 30 tit. unic. de legat. et fideicomm. n. 26 *in Ianuen. Legati die 24 Novembris 1787* §. *Quoties.*

15. Nam heres legatariis praestare tenetur quod integrae deest quantitati legatae, per Textum in L. *Legatum* Inst. de legatis, et in L. *Legatum* est ff. de legat. 2 *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 29 Ianuarii 1791* §. *Quidquid.*

16. Siquidem iuris dispositione cautum est, ut teneatur heres ad impensas rei legatae praestandas, ut Cerbidius Scevola respondit in L. *Iis verbis* penult. §. Alumno de legat. 3, et longe aptius in §. sequenti: – Item Testator Liberto militiam his verbis legavit, Seio Liberto meo militiam do lego, illam militiam, quam et Testator habuit: quaesitum est, an onera omnia et introitus militiae ab herede sint danda? Respondi, danda –; quae responsa doctissime, ut solet, illustravit Averanius lib. 2 interpr. iur. Cap. 17 praesertim a n. 16 ad finem capitis, traduntque Gloss. in dicto §. Alumno verb. posse, Alberic. n. 4, Gratian. discept. for. Cap. 294 n. 39, Rot. in Recent. decis. 658 n. 9 part. 19 vol. 2, in Colonien. Fundationis 11 ianuarii 1717 §. Pro eo enim coram Foscaro impressa apud Fargn. de iurepatronat. part. 1 can. 6 sec. 7 n. 19 vol. 1 *in Tolentina Archipresbiteratus die 5 Decembris 1744* §. *Testamento.*

17. Idcirco cum iuxta communem Doctorum sententiam heres teneatur in conscientia adimplere onera et pias dispositiones Testatoris, potest etiam ad implementum cogi, instante Syndaco Apostolico, non tamquam altero de Populo, sed nomine Ecclesiae Romanae, vigore Constitutionis Gregorii XIII Martini IV et Pauli IV, Rodriguez quaest. 127 art. 4 §. Ad primum, Amostaz de Caus. piis lib. 4 Cap. 3 n. 78, Piton. discept. eccles. 2 n. 23 *in Sancti Severini Eleemosynae die 26 Novembris 1768* §. *Quare.*

18. Hinc tabulis testamentariis mature expensis, heredes proprietarii tenentur subire onus Missarum ab obitu Usufructuariae, non vero ab obitu Testatoris, dum eadem Usufructuaria praedictum onus sustinere debet a die obitus Testatoris ad obitum ipsius *in Reatina Oneris seu Celebrationis Missarum die 27 Aprilis die 16 Novembris 1709 et die 27 Ianuarii 1714 lib. 59 et 64 Decretorum.*

19. Iamvero – in instrumento dotali rogato de anno 1635 praevie ad Matrimonium successive contractum inter Felicianum Finucium et Mariam de Camisciottis inter cetera pacta illud appositum fuit: « Cum hac tamen conditione et pacto inter dictas Partes initum et solemni stipulatione vallatum, quod in omnem casum, in quem dicta Maria post mortem dicti Feliciani remaneat cum Filiis eiusdem Feliciani ex ipsa Maria, nec velit ad secunda vota transire, sit et esse debeat, vita durante, usufructuaria omnium bonorum dicti Feliciani una cum dictis filiis; si vero Felicianus decesserit sine filiis et dicta Maria ad secunda vota transire noluerit, tunc et eo casu dicta Maria pariter sit usufructuaria omnium bonorum ipsius Feliciani eius vita durante; quatenus vero dicta Maria non extantibus filiis legitimis et naturalibus dicti Feliciani ex ipsa Maria (quod Deus avertat) ad secunda vota transire voluerit, tunc et eo casu dictus Felicianus in augmentum dotis dictae Mariae ac alias omni

meliori modo etc. eidem cessit et assignavit infrascripta bona stabilia ultra restitutionem dotis receptae et mobilium etc. ». Postmodum idem Felicianus de anno 1651 in postremo eius testamento, sub quo decessit, illud condidit legatum: « Item lascia per la salute dell'anima sua, che gli infrascritti suoi eredi siano tenuti ed obbligati ogni anno in perpetuo di fargli celebrare scudi dieci di Messe, cioè settanta tutte le feste commandate di precetto all'alba per salute del Popolo etc. nella Chiesa della Santissima Annunziata di Riccodutri etc., e trenta altre Messe si debbano celebrare dal Curato pro tempore nell'Altare del Santissimo Sacramento etc., il Sacrificio debba applicarlo per l'anima di detto Testatore, volendo detto Testatore, che sempre in perpetuo li suoi eredi e successori abbiano il ius d'elegere il Sacerdote per la celebrazione di dette Messe da celebrarsi nella Chiesa della Santissima Annunziata etc. », uti latius ex particula tum instrumenti, tum legati in summario exhibendis. Post obitum Testatoris sequutum anno 1657 praefata Maria usufructuaria pluribus interpellationibus fuit lacessita in Curia Episcopali ab Administratoribus dictarum Ecclesiarum pro adimplemento desuper legatorum, et tandem anno 1674 soluta certa pecuniarum summa obtinuit a Commissario R. Fabricae absolutionem ab adimplemento omnium legatorum relictorum a Feliciano in eius testamento, firma tamen remanente obligatione celebrari faciendi in futurum anno quolibet et in perpetuum dictas Missas centum. Quoad vixit Maria per plures annos easdem Missas adimpleri fecit, sed ea mortua controversiae revixerunt inter Angelam Camisciottam Mariae heredem atque heredes proprietarios Feliciani, super quibus delectus fuit in arbitrum Emus Sperellus tunc Episcopus Interamnensis, qui sententiam arbitramentalem protulit, quod heredes proprietarii tenerentur restituere favore Angelae annua scuta decem usque ad totalem reintegrationem, totidem solutorum per dictam Mariam spatio annorum 28, praevia tamen declaratione obtinenda ab hac Sacra Congregatione, quod praefatum onus Missarum nonnisi a die obitus Mariae incipere debeat, nec non ut praefati heredes desistere valeant ab huiusmodi Missarum annua celebratione, donec satisfecerint eidem Angelae, quae proinde supplicavit pro laudi praedicti approbatione.

20. Hanc seriem facti confirmat Episcopus informare requisitus censetque, Oratricis praecibus annuendum innixus Testatoris voluntati, qui contemplatione Matrimonii cum dicta Maria celebrati anno 1635 iam disposuerat de praefato usufructu ad eius favorem in casu praedecessus, ac ideo censendum sit, quod voluerit ipsam gravare notabili Missarum onere, habito respectu ad totam hereditatem, cuius reditus non excedunt annua scuta 25, multoque magis assentientibus iisdem heredibus proprietariis, uti latius ex eiusdem Episcopi relatione in summario danda. Die 23 iunii 1708 proposita Causa per Summarium, demandatum fuit, ut poneretur in folio, citatis interesse habentibus. Monitis itaque heredibus proprietariis Feliciani et concordato infrascripto dubio, rogantur EE. VV. ex deducendis definire: – An onus Missarum quoad Proprietarios incipiat ab obitu Usufructuariae, vel potius ab obitu Testatoris in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 aprilis 1709 responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam –. Cumque modo ulterius examinandum sit, an praefata Maria debuisset celebrari facere dictas Missas ab obitu Testatoris usque ad extremum eiusdem Mariae diem, prout eadem Maria effective eas celebrari fecit per spatium, ut dicitur, 28 annorum, praetendente ceteroquin Angela de Camisciottis herede dictae Mariae, hanc neutiquam fuisse obligatam de eo tempore ad dictam celebrationem coacte adimpletam, proptereaque dictas Missas iam celebratas fore compensandas in futurum, mediante cessatione ab earumdem celebratione per idem tempus 28 annorum, et interim teneri heredes proprietarios reintegrare ipsam heredem de annuis scutis 10 solutis a Maria pro stipendio dictarum Missarum anticipate celebratarum ad formam laudi Emi Sperelli olim Episcopi Interamnensis desuper promulgati et in summario exhibendi. Hinc concordata fuere inter Partes infrascripta dubia, quorum resolutio ab EE. VV. ex hinc inde deducendis reverenter petitur: – I. An Usufructuaria teneretur celebrari facere Missas a die obitus Testatoris usque

ad obitum eiusdem Usufructuariae? *Et quatenus negative.* II. An Missae, quae celebratae fuerunt de ordine Usufructuariae, possint suffragari respective pro Missis, quas tenentur Proprietarii celebrari facere post obitum dictae Usufructuarii, ita ut Proprietarii, loco dictae celebrationis, possint solvere eleemosynam heredi dictae Usufructuariae ad formam laudi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 16 novembris 1709 respondit: - Ad primum, Affirmative –. Huic Rescripto non acquiescens praefata Angela Camisciotta novam desuper obtinuit audientiam; quapropter proponitur consuetum dubium cum altero tum non definitum, ut, Partibus monitis, prodeat sapiens resolutio: - I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16 novembris 1709 ad primum? *Et quatenus recedendum a decisis.* II. An Missae, quae celebratae fuerunt de ordine Usufructuariae possint suffragari respective pro Missis, quas tenentur Proprietarii celebrari facere post obitum dictae Usufructuariae, ita ut Proprietarii, loco dictae celebrationis, possint solvere eleemosynam heredi dictae Usufructuariae ad formam laudi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, provisum in primo – *in Auximana Oneris seu Celebrationis Missarum die 27 Ianuarii 1714 lib. 64 Decretorum.*

21. Unde si hereditas pro dimidia tantum parte ad heredem pervenit, eum pro dimidia parte oneribus relevandum vult Papinianus in L. 79 §. Cum de leg. 2 innixus praesertim rationibus aequitatis et perpetui edicti exemplo. Et requidemvera aequitatis ratio postulat, ut onera pro rata parte hereditatis sequantur, Rota in Romana Reductionis legati 12 martii 1841 coram Bofondi, et in confirmatoria diei 2 decembris coram eodem; et Surdus dec. 90 a n. 2, postquam dixit, heredem non posse conveniri, nisi pro ea parte, qua heres est, iuxta Textum in L. 2 Cod. de hered. action., hanc rationem subiecit: – Heres Defunctum repraesentat pro ea portione, pro qua heres est, pro alia vero portione habetur pro extraneo – *in Reatina Capellaniae die 6 Maii 1848* §. *Esto.*

22. Quapropter omnes coheredes pro virili supplere debent dotem Beneficii, si eius reditus non sufficiant ad implenda onera a Fundatore praestituta, qui enixe voluit eorum implementum, ac bona demonstrative, non taxative assignavit, adeoque iidem tenentur etiam reintegrare Capellanum de pecuniis ultrà fructus perceptos erogatis pro oneribus praedicti Beneficii *in Cremonen. Supplementi Dotis die 13 Augusti 1729 die 28 Martii 1733 die 20 Augusti 1735 et die 8 Februarii 1738* (1).

23. Ceterum ipso iure quidem actiones hereditariae activae et passivae inter heredes scinduntur, unde coheredes, rite facta divisione hereditatis, non possunt condemnari in solidum; sed si Testator erectionem Capellaniae demandaverit, et heres haud illico adstringere curaverit coheredem ad partem sibi debitam praestandam, pro dicta Capellaniae erectione, ipse integram Capellaniae dotem super fundis hereditariis assignare tenetur, si alter bonis distractis ad inopiam redactus fuerit, eidem tamen reservato iure agendi adversus coheredem, attentis exinde vero peculiaribus circumstantiis, praevio recessu a decisis, ex gratia est locus assignationi per heredem pro summa determinata *in Reatina Capellaniae die 24 Martii 1832 et die 6 Maii 1848* (2).

24. Hinc heres, de mandato Testatoris obligatus dotare Capellam pro Missa quotidiana ibi celebranda, non satisfacit obligationi solvendo annuam eleemosynam manualem celebranti dictam Missam quotidianam, sed tenetur dotare, prout de iure; his enim in terminis proposito dubio: – II. An sit locus augmento dotis, vel reductioni Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, teneri ad dotationem prout de iure – *in Fanen. die 18 Martii 1719 lib. 69 Decretorum.*

25. Obligatio igitur exhibendi alicui syngraphas adimplementi Sacrorum indicta a Testatore heredibus scriptis sub poena caducitatis totius hereditatis, si ex negligentia vel culpa iis non satisfaciant, afficit etiam heredes heredum, quin etiam ex gra-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Beneficia*, §. X, n. 37 ad 54, Tom. III.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Actio*, §. II, n. 62 ad finem, Tom. I; et in Verb. *Capellania*, §. II, n. 107 et 108, Tom. V.

tia indulgendum sit, ut assignetur fundus liber pro eorum satisfactione, cum obligatione totius hereditatis subrogandi alium, tam in casu diminutionis, quam in casu peremptionis ad effectum evitandi poenam caducitatis *in Caesenaten. die 26 Martii 1746.*

26. Siquidem bona omnia sua Ioseph Verzaglius reliquit Primogenitis masculis Iulii Caesaris et Ioannis Baptistae fratrum suorum, adiecto onere plurium Sacrorum, indictaque poena caducitatis, si datum onus neglexissent, nec edidissent syngraphas et probationes Sacrorum actorum coram Caesenatensi Concilio, cui eo casu iussit deferri hereditatem et ius sorte edicendi unum ex quatuor Viris Urbici Magistratus, qui illam administraret, sibique haberet eadem conditione eademque poena caducitatis. Defuncto herede testamentario Hyppolito Verzaglio, hereditatem adiit Lucretia Bologhinia Verzaglia, quae paruit oneri Sacrorum, ediditque coram Concilio documenta impleti oneris, ne fraudi ei esset negligentia: metuens vero, ne sibi haec imposterum poena immineret, neve haec Concilio causa fieret affectandi hereditatem, ad quam substitutum fuerat in casu negligentiae vel culpae scriptorum heredum, postulavit a Summo Pontifice facultatem assignandi fundum liberum, cuius fructibus impleri posset onus Anniversarii et Sacrorum a Testatore iniunctum, et hac ratione vitaretur caducitas hereditatis culpa vel negligentia heredum incurrenda. Disputavit itaque Lucretia, se affici non posse caducitatis poena, dum ipsa non erat heres scripta et vocata a Testatore, sed a lege ad luctuosam filii hereditatem: nam Testator heredes scriptos et legitimos ea voluit affici poena, quin etiam propter legati perpetuitatem ad alios extendi deberet. Quum autem hereditas post ipsius obitum in plures foret dividenda, facile ex negligentia unius ceteri heredes in lites cum Concilio inciderent; adeoque saltem ex gratia preces excipi debebant. Concilium vero sese petitioni huiusmodi opposuit. Propositis hinc dubiis: - I. An obligatio exhibendi in Concilio Civitatis Caesenae syngraphas adimplementi legatorum, de quibus agitur, imposita a bo. me. Iosepho Verzagli in eius testamento afficiat Lucretiam Bologhini ceterosque heredes heredum in perpetuum in casu etc. *Et quatenus affirative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro gratia assignandi fundum liberum pro satisfactione dictorum legatorum cum obligatione totius hereditatis subrogandi alium tam in casu diminutionis fructuum, quam in casu peremptionis ad effectum evitandi poenam caducitatis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, Negative; et amplius - *in Caesenaten. die 26 Martii 1746.*

27. Idcirco quum heres bona vendiderit, quae a Testatore gravata reperiebantur onere trium hebdomadalium Missarum, et hoc onus perpetuo per se heredes ac successores susceperit, retento sibi eiusdem respectivo pretio, sed inde huiusmodi obligatione haud pandita obtinuerit reductionem dictarum Missarum, et praediolum, cui adhaerere asserebatur praedictum onus Missarum, vendiderit, quin aliud nec emptrix nec eius heres aliud subrogaverit, frustra heres heredis petiit facultatem cedendi legatum Missarum iam reductarum longe minori summa, qua illud onus dicta emptrix susceperat, cum Sacra Congregatio, praevia revocatione indultorum reductionis, mandavit adimplendum esse onus Missarum ab emptricis heredibus, etiam quoad praeteritum ad formam testamenti *in Ariminen. Legati die 18 Iulii et die 26 Septembris 1795.*

28. Iamvero praescripsit anno 1647 Sacerdos Laurentius Fiorentini eius fratri et heredi Belmonti celebrationem trium hebdomadalium Missarum in Ecclesia SS. Simonis et Blasii Montis Scutuli ad Sacellum Deiparae vel alibi, interdicta deputatione Sacerdotis Regularis. Quae fuerit illius hereditas, ignorabatur. Praediolum tornaturarum quinque ad hereditatem indubie pertinens cum aliis bonis emit Columba Gratiosi a Iosepho Fiorentini, eius familiae novissimo, assumpto Missarum onere. Quum illius praedioli reditus non excederent annua scuta 3 80 iuxta relationem Peritorum, obtinuit idcirco emptrix anno 1749 ab Sacra Congregatione reductionem Missarum ad manualem iuxta reditus, et secundum liquidatam summam celebrari fecit Missas sequenti quatriennio. Locato hinc anno 1754 praediolo pro annua pensione scutorum trium, reductae fuerunt

Missae ad triginta, nec unquam postea auctus vel imminutus fuit illarum numerus. Alieno aere pressa, praediolum una cum aliis viginti tornaturis vendidit Columba anno 1763 Patribus Servorum Beatae Mariae Virginis Vallis Draconis S. Martini pretio scutorum 1264 $^1/_2$, aliudque in eius locum subrogare promisit praedium in vocabulo *la Crocetta*. Hanc tamen ipsa eiusque heres Carolus Graziosi ad obitum neglexerunt subrogationem, licet continuassent celebrationem Missarum triginta. Et moriens legavit Carolus 1793 scuta 65 pro fundo legati, ac perpetuam demandavit dictarum Missarum celebrationem per Patres Conventuales S. Francisci vel alios Religiosos Montis Scutuli. In executionem huiusce dispositionis obtulit primum Dominicus Garattoni heres Caroli Graziosi Patribus Conventualibus scuta 65; deindeque, iis renuentibus, legatum cessit numeravitque scuta 70 Patribus eremitis S. Augustini Conventus Ariminensis, qui pecuniam occuparunt in censibus, Missas triginta retulerunt in tabellam, easque celebrare ceperunt ineunte anno 1795. Dubitans mox, num recte tradiderit capitale respondens Missis triginta, quot a locatione anni 1754 celebratae fuerunt, supplicavit pro approbatione huiusmodi contractus, vel alia providentia, qua suam conscientiam redderet tranquillam. Episcopus monuit, vindicari non posse praediolum venditum Patribus Servitis Vallis Draconis absque diuturna lite, neque illud rurali aede destitutum legato pio expedire; subrogationem quoque alterius praedioli *la Crocetta,* a Columba Graziosi promissam, satis utilem, si fieret, ob malam illius qualitatem, non fore; Patres S. Augustini iam consumato contractu recedere nolle; hinc aequum censuit et legato expediens, ut cessio ab Oratore facta approbaretur. At Procurator Generalis Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis retulit, quod heredes familiae Fiorentini varia bona stabilia vendiderunt Columbae, et onus adimplendi legatum in se suscepit Columba emptrix, et sua hoc titulo reliquerunt in eius manibus ipsaque sibi retinuit nec exolvit scutata quadrigenta de integro pretio, asserens, id legi in instrumento venditionis et respective emptionis.

29. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit approbanda cessio legati et traditio capitalis in casu etc. II. An et quomodo quoad praeteritum sit locus supplemento Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 iulii 1795 respondit: – Dilata, et exhibeatur instrumentum, de quo in informatione Procuratoris Generalis Servorum Beatae Mariae Virginis –. Re ipsa autem exhibito instrumento constabat, quod venditores – perchè tali beni vengono gravati di peso perpetuo di un pio legato di Messe tre la settimana, per liberarsi da quello lasciano di tale prezzo alla signora compratrice scudi 400, ed essa per se eredi e successori si assume tale obbligo –. His igitur perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative in omnibus, et praevia revocatione Indultorum reductionis, adimplendum esse onus Missarum ab heredibus Columbae ad formam testamenti. Ad secundum, Affirmative ab anno 1763 ad formam testamenti – *in Ariminen. Legati die 26 Septembris 1795.*

30. Quum itaque impar oneri implendo quantitas designata est, ac de eo minuendo vel augenda pecunia legata agitur, communis distinctio est inter onus per contractum, et onus per ultimam voluntatem iniunctum. Primo casu onus implendum est integrum, etsi quantitas impar ad onus iniunctum evaserit, Rot. in Ravennaten. Salviani 16 februarii 1753 §. 10 coram Card. Molino, S. Congregatio in Maceraten. Oneris Missarum 15 novembris 1687, in Montis Politiani 3 septembris 1715, in Bergomen. Reductionis Missarum 10 iulii 1728, nisi tamen contractus manifestam iniquitatem secumferat, ita ut ad aequitatem redigi debeat ad terminos L. *Cum quidam* de usuris. Sin vero onus non ex contractu, sed ex ultima voluntate est, tunc alteri fit locus distinctioni: aut quantitas taxative relicta est, et tunc onus minuitur, L. *Si quis* de legat. 2; aut quantitas demonstrative, et tunc onus non minuitur, sed heres de suo supplet, L. *Quidem* de testam., L. *Paulo Callancio* §. Iulianus, et L. *Non aliter* §. 1 de legat. 3 *in Mediolanen. die 23 Novembris 1765* §. *Cum* §. *Sin.*

31. Quare praecipue hac in re animadvertendum occurrit, an taxative vel demonstra-

tive fundum Fundator pro dote piae Institutionis assignaverit, ut inde diiudicari possit, an heredes ad supplementum adigi debeant, seu potius sit locus reductioni. Perspecta satis est regula, quam tradit s. m. Benedictus XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. ult. n. 23, ut nempe si dispositio ab oneris impositione exordiatur, et deinde ad assignationem fundi descendat, tunc teneantur heredes supplere quod deficit; sin autem a dotis constitutione incipiat, et deinde ad oneris praefinitionem deveniat, tunc taxativa dicatur assignatio, et onerum reductio tribuatur *in Florentina Reductionis Missarum die 17 Septembris 1774* §. *Praecipue.*

32. Unde taxativum reputatur Legatum, quod incipit ab assignatione fundi in certa quantitate Locorum Montium, quibus adiicitur onus Missarum et dotium; solumque censetur demonstrativum, quando praescriptis oneribus inde sequatur assignatio fundi, iuxta vulgatam distinctionem, de qua etiam Rota in decis. 795 n. 7 coram Ansaldo, in Romana supplementi et applicationis 11 iunii 1731 §. Tunc enim coram Card. Aldrovando, et in Ravennaten. Salviani 16 februarii 1753 §. 8 coram Brixien *in Romana Legati die 15 Decembris 1759* §. *Multis.*

33. Quando hinc agitur pro supplemento, assumenda utique est inspectio ad tramites praecitatae distinctionis, quam passim sequuta est Sacra Congregatio, iuxta casus relatos per Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. can. lib. 3 tit. 14 n. 1, et Lanfred. respons. canon. 42 n. 8 et 9, et alibi passim *in Romana Legati die 15 Decembris 1759* §. *Si.*

34. Quapropter si fundus legatus fuerit demonstrative, etiamsi in parte perierit praesertim non sine culpa heredum, haud est locus commutationi voluntatis Testatoris, sed exequenda est eiusdem dispositio, qua mandavit erectionem Canonicatus *in Narnien. Canonicatus die 15 Maii 1802.*

35. Siquidem postremis testamenti tabulis anno 1796 scriptis Nicolaus Massoli legavit = scudi mille in un censo di tal somma per eriggere un Canonicato in detta mia Parrocchia (quae erat Collegiata Ecclesia S. Michaelis Archangeli Oppidi Stronconi) con obblico di tre Messe la settimana, e voglio che ritirandosi detto censo non possa il Canonico ritenere il denaro, ma si debba depositare sotto pena di caducità, e per questo nomino D. Francesco Massoli mio Nipote –. Plura praeterea reliquit legata, ex quibus annua Sacra 96 celebrari debebant, et praestanda erant pro fundis scuta 285 ab Octavio et Hyacinto Massoli Testatoris nepotibus et heredibus. Plures in inventario post Testatoris obitum confecto notati legebantur census, qui in unum collecti attingebant summam scutorum 2202 83. Inter hos principem obtinebat locum census in sorte scutorum 1000, cuius debitor erat Ioannes Baptista Giovannelli. Hic die 15 martii 1798, nulla praemissa per duos menses ante denunciatione, ut fert Bulla Piana, sortem census obtulit fratribus Massoli in tesseris nummariis non excedentibus summam scutorum 50, et isti incunctanter eam acceptam tulerunt censumque retrovenderunt. Vix decem interpositis diebus abrogatae fuerunt schedae papyraceae supra valorem scutorum 35, ita ut assererent fratres Massoli, ex restituta sorte scutorum 1000 periisse scuta 680, et residualem summam scutorum 320 ab iisdem collocatam fuisse in novum censum cum Communitate Stronconii. Rati igitur heredes, quod legatum pro erectione Canonicatus esset taxativum in hoc censu ex parte perempto, neglexerunt eousque Canonicatus erectionem. Siluerunt Canonici Collegiatae S. Michaelis inter publicam rerum omnium perturbationem. Restituta veteri disciplina, cum Narniensis Antistes in sacra visitatione compulisset fratres Massoli ad hanc erectionem faciendam, isti a Sacra Congregatione deprecati sunt, ut, quoniam census ille erat in parte peremptus, et quae supererant scuta 320 satis esse non poterant ad implendum onus Canonicatui adnexum trium Missarum in singulas hebdomadas, ita haec summa coniuncta cum aliis scutis 285 pro aliis memoratis Legatis Missarum converteretur in fundum Capellaniae, Canonicatus loco, erigendae cum onere omnium Missarum tam Canonicatui, quam respectivis legatis praedictis adiecto. Sacra Congregatio vero, audito Episcopo, die 13 septembris 1800 rescripsit: – Servandam esse Testatoris dispositionem –. At fratres Massoli haud praefato Rescripto acquiescentes contenderunt, fundum, quem Testator pro

Canonicatus erectione legavit, esse censum Giovannelli; cumque eius dispositio a fundo inciperet, et deinde ad onus pergeret, fundus taxative legatus videbatur, quin ullatenus eorum culpa perierit. Negarunt contra Canonici, quod pro Canonicatu erigendo legatus esset fundus Giovannelli. Nam legata erat quantitas – lascio mille scudi –; et quaquam additum fuerit, - in un censo di tal somma –, attamen non expressit Testator, quod esse deberet census Giovannelli, qui ex parte peremptus est. Quare haec adiectio accipienda erat tamquam modus, quo facienda erat solutio quantitatis, ita ut ante traditionem census non perierit damno legatarii, sed ipsius heredis, quum eadem quantitas etiam in praesens tradi posset ex aliis censibus, qui salvi ex hereditate supererant. Adverterunt praeterea Canonici, Fratres Massoli non procul a culpa sponte retrovenditionem census fecisse, quam poterant recusare duplici ex capite; primo, quia ex Constitutione Piana necessaria erat disdicta per duos menses ante, nec poterat debitor cogere venditorem ad retrovenditionem, nisi elapso bimestre: secundo ex rumore mutationis monetae, cum enim ad retrovenditionem ineundam offerrentur schedae papyraceae deterioris valoris, et quarum imminebat demonetatio, ideo a creditoribus sive ab ipsis fratribus Massoli omni iure poterant recusari.

36. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus commutationi voluntatis, seu potius sit exequenda dispositio Nicolai Massoli in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Narnien. Canonicatus die 15 Maii 1802.*

37. Unde si fructus pecuniae pro celebratione Missarum praestituti ad id non sufficiunt, non est locus earum reductioni, sed heres seu successor donatarii tenetur ad supplementum, quoties huiusmodi pecunia fuerit assignata demonstrative, non vero taxative *in Fanen. die 6 Decembris 1727.*

38. Enimvero Ioannes Paulus de Palazzis donatione irrevocabili inter vivos donavit Taddeo de Palazzis suo ex fratre nepoti plurima bona, et signanter praedium *Valle di Veltrica,* imposito onere sequenti per Taddeum donatarium adimplendo: – Teneantur et debeant infra terminum sex annorum ab hodie incipiendum erigere in supradicto praedio nuncupato *la valle di Veltrica* Capellaniam sub invocatione Beatae Mariae Virginis ac Sancti Caietani ac Beati Gherardi, et a dicto tempore erectionis celebrari faciant duas Missas qualibet hebdomada in perpetuum, scilicet unam die Dominico et alteram in die Festo, si advenerit in hebdomada, si minus in Sabbato cuiuslibet hebdomadae pro anima ipsius donantis, et pro eleemosyna dictorum Sacrificiorum assignavit Capellano pro tempore existenti et respective eligendo a dicto Donatario fructus scutorum ducentorum monetae Urbini, quae vult a dicto Donatario accensari ad hunc effectum retrahenda ex bonis ut supra donatis –. Donatio haec facta fuit anno 1690, et Taddeus donatarius, nulla facta erectione Capellaniae, celebrare fecit in Ecclesia designata per Sacerdotem sibi benevisum Missas a Donatore demandatas. Anno 1722 Diophaebus de Palazzis Donatarii successor praedium *di valle Veltrica* pretio scutorum monetae Romanae 1875 vendidit Antonio Gineuri, pacto adiecto, ut, translato in emptorem onere manutentionis Ecclesiae et utensilium pro celebratione Missarum, onus celebrationis earum penes se remanere deberet, iuxta tenorem instrumenti donationis factae a Ioanne de Palazzis; et subinde recursum habuit ad Sacram Congregationem pro reductione Missarum, sed die 17 augusti 1727, attenta opulentia donationis desumpta ex instrumento ac etiam ex venditione praedii pretio scutorum 1875 nec non summa demonstrative, non taxative apposita, rescriptum fuit: – Lectum, et Episcopus mandet erigi Capellaniam –. His tamen minime obstantibus penitusque dissimulatis, Promotor fiscalis R. Fabricae S. Petri iudicium instruxit coram Commissario in Provincia Marchiae, qui sententiam tulit super applicatione legati cum praefixione termini unius mensis ad obtinendam a Sede Apostolica quamcumque commutationem Missarum reductionem aut aliam magis congruam provisionem, sub obtentu, quod Capellanus reperiri non posset, qui binas Missas hebdomadales celebraret cum exigua eleemosyna percipienda ex fructibus capitalis scutorum ducentorum monetae Urbini.

Displicuit haec sententia Antonio Gineuri, eamque credidit emanasse ad instantiam Diophaebi de Palazzis, qui post reportatum negativum responsum ab Sacra Congregatione super petita reductione Missarum et facultate investiendi summam ducentorum scutorum, ut tot Missae ex eius fructibus celebrari possent, excitavit Promotorem fiscalem R. Fabricae, ut per indirectum obtineret, quod directe obtinere non potuerat.

39. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit sit locus reductioni et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Non esse locum reductioni, sed Diophaebum teneri ad supplementum; et amplius – *in Fanen. die 6 Decembris 1727.*

40. Quando enim legatum a Testatore relictum incipit ab onere Missarum et ultimo loco designatur impensa pecuniae ad illud implendum tunc temporis necessaria, heres supplere tenetur eleemosynam, si illa in institutione designata subinde satis amplius non sit, dum praesertim is insignem reditum hereditarium percipiat, ac tenue sit supplementum, quin ullatenus obstet asserta paupertatis causa *in Aesina Reductionis Missarum die 18 Novembris 1797.*

41. Siquidem testamentariis tabulis anni 1671 mandavit Ioannes Baptista Ricci, – che in detta Cappella ed Altare di S. Margherita (existenti in Templo Aesinorum Patrum Oratorii) i miei eredi in perpetuo faccino celebrare quattro Offizii l'anno di quindici Messe per ciascheduno Offizio, cioè uno il giorno di S. Giovanni Battista, l'altro di S. Margherita, l'altro di S. Agostino, e l'altro il giorno di S. Vincenzo martire, e tutti i sabbati dell'anno una Messa della Beatissima Vergine, e quattro libre di cera l'anno, il tutto con spesa di dodici scudi –. Legatum hoc accurate adimpletum fuit: sed inde EE. PP. supplicavit Vincentius Ricci pro illius reductione ob petitam a Patribus Oratorii celebrantibus eleemosynam obulorum 12 pro qualibet Missa, praeter utensilia, eique favebat Emus Aesinus Episcopus. Advertendum tamen erat, quod legatum incipiebat ab onere Missarum, ultimoque loco designabatur impensa scutorum duodecim; unde in his terminis demonstrative censebatur huiusmodi designatio, ad indicandam nempe tunc sufficientem summam, et iusta ex bonis hereditariis suppleri debebat eleemosyna, secundum Benedictum XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. ult. §. 32. Maxime quia, praeter domum habitationis, percipiebat Orator ex bonis hereditariis Testatoris annua scuta 263 97, nec grave ipsi esse valebat supplementum scutorum 2 22, quae deficere affirmabat ad praestandam eleemosynam obulorum 12 $^1/_2$ et utensilia. Non obstante igitur assertae paupertatis causa, proposito dubio: – An et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et eleemosynam ab herede esse supplendam – *in Aesina Reductionis Missarum die 18 Novembris 1797.*

42. Idcirco quum ex tenore Literarum Apostolicarum et instrumenti ac signanter ex promissione Fundatoris simpliciter facta dotandi Ecclesiam in annuo determinato fructu satis coniiciatur, eumdem respexisse potissimum ad certam illam summam annui fructus, iuxta regulas, quas ad rem ponderant Ansald. de commerc. et mercat. disc. 71 a n. 30, Rot. Florentin. apud de Comitibus decis. 46 a n. 13, Rot. in Recent. decis. 16 n. 18 part. 16, et decis. 352 coram Molines, certum est, respectivum capitale nonnisi demonstrative dicendum esse assignatum, sed reditum taxative relictum censeri, adeo ut, statim ac iste decrevit, ex aliis eiusdem Fundatoris bonis suppleri debeat per heredes, ad explendam autem actionem adversus bona hereditaria retenta a tertiis Possessoribus interesse habentes remittuntur ad Iudices suos *in Narnien. die 15 Ianuarii 1721 et die 1 Iunii 1737.*

43. Iamvero anno 1629 Petrus Rapaccio-lus exoptans sibi natuque maiori ex suis heredibus et successoribus honorificum patronatum super Ecclesia Beatae Mariae Virginis Terrae Colli Scipionis ferme e fundamentis aere proprio extructa reservari, supplicem s. m. Urbano VIII porrexit libellum, quo se paratum exhibuit, eamdem Ecclesiam exornare sacra supellectili instruere ibique binas erigere Capellanias, adiecto plurium Missarum onere et constituta dote in annuo reditu scutorum 75, si exoptata patronatus praerogativa sibi tribueretur. Annuit Summus Pontifex cum onere manutenendi praedictam Ec-

clesiam, ob idque bona quaecumque eiusdem perpetuo valide et efficaciter obligandi, nec non valide efficaciter perpetuo donandi et assignandi tot Loca Montium Cameralium non vacabilium de Urbe pro illius dote et duorum Presbiterorum manutentione. Hinc anno 1630 exaratum fuit publicum et solemne instrumentum, quo memoratus Petrus promisit ac sese et alios ad huiusmodi iuspatronatus vocatos et eius et illorum res et bona quaecumque perpetuo valide et efficaciter etiam in ampliori forma Camerae Apostolicae obligavit dictam Ecclesiam ornare ac paramentis et ornamentis ecclesiasticis ad sufficientiam munire, illamque sartam tectamque manutenere, nec non pro dote dictae Ecclesiae ac duorum Capellanorum pro tempore manutentione donavit dedit cessit et assignavit iuxta formam Literarum Apostolicarum Loca sua quindecim ex Locis suis Montis fidei non vacabilium R. C. Apostolicae, ab omni et quocumque onere devolutione caducitate et hypotheca prorsus libera et exempta, ex quibus annuus reditus scutorum 75 percipiebatur. Nominati fuerunt itaque duo Capellani, qui, licet usque ab initio agnovissent, nonnulla ex dictis Locis Montium extracta fuisse eorumque fructum ita imminutum, ut nonnisi annua scuta 40 perciperentur, attamen confidentes, se posse reperire alia bona praefati Fundatoris, quibus tum annuus reditus scutorum 75 redintegrari, tum sibi de praeteritis annuis praestationibus in integra summa scutorum 75 non habitis posset deinceps satisfieri, dictarum Missarum celebrationem ad normam enunciati instrumenti usque ad annum 1720 prosequuti sunt. Verum quia, petente postmodum altero ex Capellanis Missarum reductionem, Sacra Congregatio die 15 ianuarii 1721 eius precibus rescripsit: – Lectum, et heredes teneri ad supplementum –. Compertum interea habuerunt praedicti Capellani, nonnulla bona hereditaria praefati Fundatoris penes Iacobum Mansuetum iure venditionis sibi a Bartholomaeo Christino pretio scutorum 400 factae existere, iudicium immissionis in vim Salviani Interdicti adversus praedicta bona instruxere coram A. C. Guglielmo pro assequendo complemento annuarum responsionum, quas in minori summa scutorum 75 eousque perceperant, nec non pro reportando augmento capitalis, ex quo fructus annuus scutorum 75 imposterum retrahi posset. At ad instantiam praefati Christini ex Decreto Emi Pro-Auditoris ad Sacram Congregationem fuit remissa controversiae cognitio.

44. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis? *Et quatenus affirmative.* II. An competat actio adversus bona hereditaria quondam Petri senioris de Rapacciolis retentis a tertiis Possessoribus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, ad Iudices suos – *in Narnien. die 1 Iunii 1737.*

45. Hinc obligatio supplendi dotem Capellaniarum in casu inexigibilitatis heredi a Testatore iniuncta, censetur similiter iniuncta in casum diminutionis redituum, adeoque haud locus est reductioni Missarum *in Romana Reductionis Missarum die 7 Septembris 1697 lib. 47 Decretorum.*

46. Siquidem – mandaverat anno 1637 Franciscus Falconerius in eius codicillis, ut ex capitali ducatorum 2500 existentium in Civitate Neapolis fundarentur tot Capellaniae amovibiles cum onere Missae quotidianae et cum obligatione heredibus supplendi reditus insufficientes in casum inexigibilitatis sub his verbis: « Ordina e comanda, che si assegni l'entrata di ducati 2500 dell'entrata di Napoli per l'erezione di tante Capellanie, quante v'entrano, conforme al Sinodo di Napoli a benefizio de' Preti secolari, quali debbono celebrare giornalmente per l'anima di esso Testatore etc., ma non potendosi esigere l'entrata di Napoli sia obbligato il suo erede supplire quell'entrata, che fruttano ducati 2500 in Napoli, di qualsivoglia effetto della sua eredità, acciocchè senza impedimento, nè ritardazione alcuna si faccia detta celebrazione, quale duri in perpetuo, e l'esazione si faccia da detti Cappellani dell'entrate, che si assegnano, e non potendosi esiggere, come di sopra l'erede debba supplire, pagando del modo, che averebbero da esiggere dette entrate se si pagassero ». Pro adimplemento huiusmodi dispositionis bo. me. R. P. Franciscus Falconerius magis tutum existimans investimentum dictarum pecuniarum in Urbe, fundavit ibidem duas Capellanias, ac pro illarum dote

assignavit Loca 21 Montis Communitatis tertiae erectionis empta cum dictis ducatis 2500 constituentia tunc temporis annuum reditum scutorum 94 50, et sic annua scuta 47 25 pro quolibet Capellano. Cum autem ob pluries superventam dictorum Montium extractionem illorumque fructuum reductionem hodie reditus praefatarum Capellaniarum reductus fuerit ad annua scuta 54, et sic ad scuta 27 pro unaquaque ipsarum, penitus insufficientia ad substentationem oneris Missae quotidianae, hinc moderni Capellani insteterunt coram hac Sacra Congregatione pro reductione eiusdem oneris. Verum excitata per Emum Urbis Vicarium desuper requisitum difficultate, an per obligationem supplendi heredi a Testatore iniunctam in casu inexigibilitatis censeatur similiter iniuncta eadem obligatio in casum diminutionis redituum, non gravabuntur hodie EE. VV., informantibus tam Capellanis, quam heredibus pii Testatoris decernere: – An sit locus petitae reductioni, vel potius heredes teneantur supplere in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Romana Reductionis Missarum die 7 Septembris 1697 lib. 47 Decretorum.*

47. Qua de re si reditus Beneficii vel Legati a Testatrice constituti satis non sint ad ferenda onera, haud est locus suppressioni ad effectum eosdem in alium usum applicandi, sed cogendi sunt heredes ad supplementum *in Taurinen. Suppressionis Beneficii die 12 Aprilis 1710 lib. 60 Decretorum* (1).

48. Quin imo heredes tenentur solvere annuam summam legatam in alimentationem Sacerdotis Missionarii, non obstante notabili diminutione redituum hereditatis vix sufficientium ad eorum honestam sustentationem, nec possunt illam erogare in alimentationem Sacellani domestici pro commoditate non tantum ipsorum, sed etiam vicinorum Incolarum catholicorum *in Hollandiae Pastoratus die 22 Februarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

49. Iamvero – per Secretarium Status remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem sequens adnotatio facti transmissa ab Hollandia cum infrascriptis dubiis pro declaratione. Quidam Vir catholicus in Hollandia post testamentum condidit codicillum, in quo huiusmodi legatum fecit: « In primis lego ex obligatione voti 500 florenos singulis annis ab heredibus meis successive solvendos ad sustentandum in perpetuum Sacerdotem in quodam Pastoratu et Sacellaria, qui fundabitur in provincia Hollandiae ad usum Populi catholici, et curabitur per Missionarium ex Societate Iesu, et pro tempore, quo haec fundatio commode non poterit fieri (volo autem, ut quamprimum fiat) solventur Patribus Societatis annui ducenti floreni, Fratribus Minoribus Franciscanis ducenti, et Magistro Adriano centum floreni, ut miserae animae recordentur ». Vigore huius dispositionis de sequenti anno 1661 erectus iam fuit Pastoratus in Pago sito prope Brielam, eique praepositus in Curatum Missionarius ex Societate Iesu; postmodum vero Vicarius Apostolicus nolens Pastoratum residere penes Patres dictae Societatis, eum loco removit, et ab eo tempore heredes Testatoris cum dictis quingentis florenis ceperunt sustentare in eorum arce quemdam Sacellanum tam ad usum domesticum, quam Incolarum viciniorum catholicorum, quod ita pluribus annis observatum fuit, donec per mortem primorum heredum hereditas, in quatuor partes divisa, per onera bellica multum fuerit gravata: imo Catholici possidentes ibi bona ob dicta onera nullos fere fructus percipiant, ut ex attestatione transmissa ad dictam Secretariam Status. Quin et si spectetur summa, quae pro centesimo denario a tot annis est exsoluta, cuius dimidia pars iuxta morem Hollandiae detrahitur ex reditibus piarum fundationum, vix hodie tantum residui extat, ut propriae honestae alimentationi possint heredes satisfacere. Relata hac Causa per Summarium in anteacta Congregatione, rescriptum fuit, ut poneretur in folio. Hinc iidem heredes, qui quatuor viventes sunt humiliter quaerunt ab hac Sacra Congregatione declarari: – I. An, attentis hisce circumstantiis et signanter tam notabili diminutione hereditatis a Testatore non praevisa, teneantur heredes solvere annuos 500 florenos pro alimentatione Pastoris,

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Beneficia*, §. XXV, n. 23 ad 28, Tom. III.

iuxta dispositionem Testatoris? *Et quatenus teneantur*. II. An hoc tempore, quo omnes Patres Societatis Iesu expulsi sunt ex provincia Hollandiae, liceat eisdem heredibus, cuilibet pro portione sua hereditaria, praedictam summam impendere in alimentationem alicuius Sacellani domestici pro commoditate etiam Incolarum viciniorum catholicorum, vel alterius Sacerdotis Missionarii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Hollandiae Pastoratus die 22 Februarii 1710 lib. 60 Decretorum*.

50. Unde heredes supplere tenentur de proprio pro reintegratione fructuum assignatorum pro distributione dotium ad mentem Testatoris, etiamsi mediante Beneplacito Apostolico tot Loca Montium assignaverint reddentia fructum sufficientem pro dictis dotibus, cum pacto tamen, quod dato casu diminutionis dicti heredes tenerentur supplere, et Officiales Confraternitatis legatariae eos ab hoc onere liberaverint *in Romana Reductionis subsidiorum dotalium die 23 Februarii 1715 lib. 65 Decretorum*.

51. Siquidem – nuncupatis sibi heredibus Patribus Theatinis S. Andreae de Valle sub anno 1622 Emmanuel Henriquez prae ceteris legatis iussit, quod bina annuatim distribuerentur dotalia subsidia scutorum 25 pro unoquoque una cum solita veste; quod si Loca Montium, quae in eius hereditate extabant, tantam pecuniarum quantitatem non redderent, quanta par esset eleemosynae cuiusdam Capellaniae in Testamento erectae ac dotium huiusmodi distributioni, tunc Patres heredes coemere tenerentur alia Loca Montium, quorum fructus adamussim sufficerent pro eius complenda voluntate, expresse prohibendo alienationem dictorum Locorum Montium, et quatenus extraherentur, denuo pecunias implicari mandavit in aliis Locis Montium vel in stabilibus, quorum fructus in supradictos usus converti deberent. Quoniam vero iam dicti Patres heredes reputabant huiusmodi subsidiorum dotalium distributionem minus eorum instituto convenire, praevio Apostolico Beneplacito, sub anno 1627 cesserunt Archiconfraternitati Confalonis Urbis ius nominandi Puellas onusque distribuendi dotes, eique renunciarunt undecim Loca Montium tum annui fructus scutorum 54 45 una cum summa scutorum 108 eroganda in altero Loco Montis, complendi causa annuum reditum scutorum 60 pro binis dotibus ac vestibus, uti asseritur, sufficientem, pacto tamen expresse adiecto, quod in eventu, quo Loca Montium non sufficerent, Patres de proprio supplere tenerentur: verum eadem die, qua huiusmodi stipulata fuit conventio, Officiales praelaudatae Archiconfraternitatis per actum separatum, nullo tamen Apostolico indulto suffultum, liberarunt supradictos Patres a praefato onere supplendi, attenta redituum assignatorum sufficientia. Post Locorum Montium reductionem sub anno 1687 Officiales iamdicti subsidia quaecumque dotalia ab ipsis distribuenda reduxerunt ad summam scutorum 20 pro quolibet, neque ullas unquam dotes distribuerunt designate pro adimplenda ultima voluntate Henriquez, licet pro certo habeant, fuisse inter alias comprehensas, quae ad ratam redituum distribui solent. Hinc pro conscientiae serenitate declarari ab EE. PP. expetierunt, quod pro tempore praeterito ad nihil teneantur; imposterum vero distribuere tantum possint pro huiusmodi dotibus summam scutorum 36, quot impraesentiarum retrahuntur ex Locis Montium. Reportata itaque Emi Protectoris relatione, qui pro tempore transacto indulgeri posse precibus censuit, in futurum vero difficultatem excitavit, quod assignatio Locorum Montium in testamento comperiatur demonstrativa, quodque obligatio supplendi in instrumento assignationis incumbat Patribus, quidquid sit de contemporanea retrocessione nulliter exarata. Relatis itaque precibus per Summarium in Congregatione diei 28 ianuarii 1708, Rescriptum prodiit: « Lectum in omnibus, et agant contra heredes ». In cuius oraculi obsequium Officiales iudicium instruxerunt adversus Patres Theatinos in tribunali Emi Urbis Vicarii, sed contrariam passi sunt sententiam definitivam. Idcirco suppliciter denuo instarunt pro recessu a decisis –, sed proposito dubio: – An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis sub die 28 ianuarii 1708 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 16 maii 1711 responsum tulit: – Proponatur dubium, citatis etiam Patribus Theatinis –.

52. Iterum igitur firmata huiusmodi controversiae discussione in Sacra Congregatione, mediante iterato Decreto R. P. Auditoris Sanctissimi, Officiales saepedicti preces quam demisse renovant pro expetita reductione, quam si haud concedendam esse EE. VV. censeant, declarari saltem exposcunt, quod Patres Theatini supplere teneantur ex proprio. Quod igitur resolvendum sit, summa eorum sapientia diiudicabit sub binis dubiis: – I. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 28 ianuarii 1708 in casu etc. *Et quatenus in decisis.* II. An Patres Theatini teneantur supplere de proprio pro integra distributione dotium, de quibus agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, Affirmative – *in Romana Reductionis subsidiorum dotalium die 23 Februarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

53. Nec igitur dubium, quin heres teneatur supplere defectum eleemosynae assignatae a Testatore pro celebratione Missae, si eleemosyna aucta fuerit ex legitima auctoritate post eiusdem Testatoris mortem *in Melevitana Moderationis oneris Missarum die 8 Augusti 1665 lib. 24 Decretorum pag. 570.*

54. Hinc heres tenetur supplere usque ad summam praescriptam a Testatore, si fructus capitalis, assignati a principio sufficientes ad eam constituendam, etiam facto Principis sint diminuti et redditi insufficientes ad eamdem integraliter complendam *in Romana Distributionis dotium die 14 Ianuarii et 17 Martii 1696 lib. 46 Decretorum.*

55. Amplia, heres tenetur etiam supplere pro adimplemento celebrationis Missarum a Testatore praescriptarum, licet assignaverit summam ab eodem Testatore assignatam pro fundo dicti oneris *in Novarien Reductionis Missarum die 29 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

56. Qua de re si Testator heredes oneraverit ad dandam aliquibus qualibet hebdomada determinatam eleemosynam, et ad hunc effectum mandaverit, ut sufficiens pecunia investiretur, sed iidem id neglexerint, ipsorum successores tenentur facere investimentum in quantitate aequivalenti ad integrum onus, licet ubi investimentum factum esset ad formam testamenti fructus vix in praesens ad medietatem ascenderent, quin imo facto etiam investimento tenentur supplere cum bonis hereditariis, si fructus investimenti exinde non sufficiant ad integraliter complendam mentem Testatoris *in Aesina Legati die 4 Maii 1697 lib. 47 Decretorum.*

57. Iamvero – Balthassar de Galvanis anno 1639, instituta herede usufructuaria Pieria uxore, gravavit tam ipsam, quam heredes proprietarios ad tradendum in perpetuum Patribus Capuccinis eleemosynam iuliorum septem singulis hebdomadis pro duobus ferculis seu pietantiis, iniuncto onere eidem Pieriae faciendi intra certum tempus investimentum aequivalens annuae satisfactioni praedicti legati per haec verba: « Lascia la medesima signora Piera, mentre sarà viva, e gli infrascritti eredi e successori in infinito siano obbligati, siccome esso Testatore espressamente commanda di fare due volte la settimana l' elemosina alli Cappuccini di Iesi giulii tre e mezzo per ciascheduna volta di carne o pesce, e che per detto effetto pagati li scudi cento del legato fatto di sopra per l' altare di S. Giuseppe dalla signora Piera sua Consorte tra lo spazio di quattro o cinque anni o quanto prima si possa si ponga a frutto quella quantita di denaro, che sarà bastante per il stabilimento perpetuo delle dette elemosine delle due pietanze la settimana per li detti Padri, e, che insino a detto cumolo e stabilimento la signora Piera si compiaccia, siccome esso Testatore la grava di tenere communicati li frutti della sua dote e contradote, pregando il medesimo signor Testatore li detti Padri Cappuccini per la detta carità di pregare nelle loro orazioni per l' anime di esso e di suoi antenati morti etc. ». Neglexerunt tam Pieria, quam primi heredes nedum praedictum investimentum, verum etiam traditionem supradictae eleemosynae per plures annos. Quare Nicolaus et Theodorus de Galvanis heredes mediati condemnati fuerunt a R. Fabrica per viam compositionis ad solutionem scutorum 300 pro eleemosynis decursis et non solutis. Modo autem volentes iidem heredes executioni demandare praefati Testatoris voluntatem quoad investimentum capitalis, de quo supra, recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem pro reductione praedicti oneris eo sub fundamento,

quod ubi ad formam Testamenti factum fuisset investimentum de anno 1639 vel paulo post fructus illius ascendentes tunc ad annua scuta 36 vix hodie ascenderent ad medietatem, attenta notoria diminutione fructuum censuum aliorumque stabilium. Verum audito desuper Episcopo comprobante narratorum veritatem, excitata fuit difficultas, an onus investimenti tamquam adiectum executioni legati dicatur stare demonstrative vel taxative, ita ut investimentum modo faciendum, sit ab heredibus perpetuo manutenendum pro integra satisfactione summae legatae; cumque placuerit EE. VV. demandare, ut instantia praedicta describeretur in folio, hinc in praesenti Congregatione informantibus tantum praedictis heredibus exquiritur: – I. An et in qua quantitate praefatum investimentum sit faciendum? II. An post factum dictum investimentum ac superveniente aliqua diminutione tam in capitali, quam in fructibus heredes teneantur cum bonis hereditariis perpetuo supplere summam deficientem? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, faciendum esse investimentum in quantitate aequivalenti ad integrum onus. Ad secundum, Affirmative – *in Aesina Legati die 4 Maii 1697 lib. 47 Decretorum.*

58. Quum igitur pro satisfatione onerum Missarum sufficiens de tempore conditi testamenti assignata fuerit eleemosyna, sed exinde eadem ad id satis non sit ob deficientiam Capellanorum, et incrementum rerum usualium, haud est locus earum reductioni, dum heredes seu possidentes Maioratum teneantur ad supplementum *in Ulyssiponen. Reductionis Missarum die 8 februarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

59. Siquidem – Emmanuel Malheiro et Isabella Fernandez coniuges in eorum testamento, quod una simul condiderunt de anno 1644, instituerunt quemdam Maioratum, addita conditione, ut eorum successores perpetuo tenerentur celebrari facere binas Missas quotidianas pro anima eorum cuiuslibet in Ecclesia, in qua praefati Institutores fuerint sepulti, facta tamen facultate eisdem Successoribus in Maioratu, ut eo casu, quo obtinerent indultum celebrari faciendi in Oratorio domestico, inibi una ex dictis Missis celebraretur, assignata tandem pro celebratione dictarum Missarum eleemosyna consueta sive ordinaria. Defuncta Isabella, convolavit Emmanuel ad secunda vota cum Maria Malheiro, qua pariter defuncta, aliud condidit testamentum de anno 1662, in quo facta mentione Maioratus supra instituti cum prima Uxore, alium similem Maioratum instituit, et fassus fuit, se construxisse binas Capellas sub invocatione Beatae Virginis Conceptionis et S. Antonii respective, intra claustrum Cathedralis Ulyssiponensis una cum tumulo, in quo extabat sepulta dicta prima Coniux, ac deputasse Capellanum quotidie celebrantem pro anima dictae Coniugis, eidemque Capellano annuatim praestare triginta duo millia reg a lium. In eodem secundo testamento insuper ordinavit Testator, ut post eius obitum deputaretur alter Capellanus, qui teneretur quotidie celebrare pro eius anima nec non pro anima dictae Mariae Malheiro suae secundae uxoris, ob cuius gratitudinem declaravit, ut omnia Sacrificia, quae pro seipso perageret Capellanus, suffragarentur pro medietate animae eiusdem Mariae, eidemque alteri Capellano mandavit praestari similem annuam eleemosynam triginta duorum millia regalium, superaddita ulterius declaratione, quod ex his duobus Capellanis alter celebraret pro anima primae Uxoris, alter vero pro animabus ipsius Testatoris respective et secundae Uxoris, repetita tandem facultate suis Successoribus celebrari faciendi in Oratorio domestico, ad praescriptum primae dispositionis, uti latius ex exemplaribus dictarum dispositionum ab idiomate Lusitano ad nostrum maternum translatis, quae in summario dabuntur. Nonnullis abhinc annis cessatum fuit ab adimplemento dictarum Missarum, eo quia non reperiatur Sacerdos, qui celebrare velit cum recensita eleemosyna tam tenui, unde Antonius Leyte Malheiro administrator dictorum Maioratuum et Capellaniarum haec referens humiliter institit in S. Congregatione pro earumdem Missarum reductione. Episcopus Tagastensis Officialis Generalis Ulyssiponensis informare requisitus praemissa comprobavit, ac retulit, sibi constare deficientiam Capellanorum, ob eleemosynae tenuitatem triginta duorum millium regalium conflantium scuta 32 monetae Romanae, quae tempore institutionis adhuc erat ordinaria pro qualibet

Capellania, ideoque cessatum fuisse ait a Missarum satisfactione, cum ob excessivum incrementum rerum usualium valde creverit hodie eleemosyna manualis cuiuslibet Missae, in regalibus scilicet 120 constituentibus bononenos 12 monetae Romanae; subditque tandem, ut, nisi Missarum numerus reducatur, nunquam praefata onera adimplebuntur, uti fusius in eius relatione.

60. Exorat igitur Orator EE. VV., ut ex deducendis resolvatur dubium: – An sit locus reductioni Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et Maioratum teneri ad supplementum – *in Ulyssiponen. Reductionis Missarum die 8 Februarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

61. Idcirco si reditus haud satis sint pro satifactione onerum Missarum, nullatenus indulgetur earum reductio, sed Rector Capellaniae contra heredes pro supplemento agere debet; quandoquidem quum Gaspar de Amantibus Rector Capellaniae sub titulo Sanctissimae Annuntiatae cum onere trium Missarum qualibet hebdomada, inspecta redituum tenuitate in scutis octo consistentium, preces porrexerit Sacrae Congregationi pro earum reductione, Sacra Congregatio preces reiecit ac declaravit, Oratorem contra heredes pro supplemento agere debere *in Urbinaten. die 12 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

62. Hinc heres, praeter eleemosynam Missae quotidianae a Testatore praestitutam, tenetur etiam ad sacra utensilia *in Romana Eleemosynae Missarum die 12 Decembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

63. Enimvero – Lucretia Ceccopieri mandavit per Fratres Augustinianos Discalceatos Conventus Iesus Mariae tria Anniversaria spatio annorum triginta trium celebrari cum eleemosyna scutorum trium singulis annis ab herede praestanda, nec non pro eodem temporis spatio celebrationem Missae quotidianae de requie ita praecepit: « Quali Messe vuole si celebrino nella ven. Chiesa di Gesù e Maria dalli Padri della suddetta Religione, quando però si contentino di ricevere l' elemosina a ragione di un giulio. E quando non vogliono celebrarle detti Padri alla ragione di un giulio, in tal caso vuole che si facciano celebrare dette Messe da altri Sacerdoti nella suddetta Chiesa ». Patres Augustiniani interpellati declaraverunt, se contentos dicta eleemosyna unius iulii, cum aliqua tamen congrua et honesta contributione pro expensis utensilium, tam si Missae ab ipsis, quam si a Capellano seculari in eorum Ecclesia sint celebrandae: heres autem nihil aliud ultra eleemosynam dicti iulii subministrandum esse contendit, maxime dum alii Regulares dictas Missas cum sola eleemosyna et sine ulla utensilium expensa prompti sint celebrare, et consequenter intimatis dictis Patribus iustissimum EE. VV. sequentibus dubiis responsum heres praefatus exorat: – I. An heres ultra eleemosynam iulii unius teneatur etiam ad sacra utensilia in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit locus reductioni Missarum, seu potius commutationi voluntatis Testatoris quoad Ecclesiam, ubi Missae celebrari debent in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, provisum in primo – *in Romana Eleemosynae Missarum die 12 Decembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

64. Quin imo licet heres, attenta insufficientia eleemosynae, quam Testator designavit pro celebratione Missae quotidianae, obtinuisset reductionem, ac exinde preces, ob deficientiam Sacerdotum, qui vellent in Ecclesia loci Missas huiusmodi pro dicta eleemosyna celebrare, reiteraverit pro ulteriori reductione et pro facultate satisfaciendi in aliis Ecclesiis Missas in praeteritum praetermissas, Sacra Congregatio indulsit quidem facultatem celebrari faciendi in alio loco praetermissas Missas, sed declaravit, heredem teneri ad supplendum pro celebratione Missae quotidianae etiam non obstante reductione *in Cremen. Reductionis Missarum die 17 Augusti 1697 lib 47 Decretorum.*

65. Siquidem – Ortenga Tadinus anno 1621 gravavit heredes ad celebrari faciendum Missam quotidianam in perpetuum in parochiali Ecclesia loci Vidolaschi sub his verbis: « Raccommando l' anima mia all' Altissimo etc. lasciando, che in rimedio di quella perpetuamente e a perpetui tempi per l' infrascritto mio erede e suoi successori sia fatta celebrare una Messa quotidiana all' Altare della Beata Vergine della Chiesa di Vidolascho territorio di Crema con elemosina al celebrante di scudi 60 di lire sette pic-

cole per se ». Anno 1680 Camillus heres, attenta insufficientia eleemosynae, reductionem obtinuit ab hac Sacra Congregatione ad octo menses tantum cuiuslibet anni. Verum quia ab inde citra, ob deficientiam Sacerdotum in dicto loco, nemo reperiri potuit, qui Missas huiusmodi celebrare voluerit pro dicta eleemosyna scutorum 60, hinc idem heres preces huic Sacrae Congregationi reiteravit, tam pro ulteriori reductione, quam pro facultate satisfaciendi in aliis Ecclesiis Missas in praeteritum praetermissas. Episcopus desuper auditus testatur de veritate expositorum, addens: « Constat, Vidolaschi nullum praeter Parochum Sacerdotem adesse. Ad probandum vero, quod nec huiusmodi quidem reductionis beneficio possit obligationem adimplere duos Sacerdotes examinandos Orator exhibuit, e quorum depositionibus duo potissimum colliguntur. Primum vix inveniri posse Sacerdotem, qui velit illud onus subire pro sola eleemosyna scutorum 60 ex libris septenis huius monetae Venetae; tum ob defectum habitationis illic conducendae, cum domus omnes illius minimi Pagi vix Incolas capiant; tum ex viis hyeme praesertim praeruptis. Deinde quod colligitur est, ipsosmet Testes exhibitam sibi huiusmodi celebrationem de facto recusasse, addentes insuper, ideo olim non defuisse Sacerdotem, qui illam adimpleret, quia Orator praeter praefata scuta 60 habitationem et alimenta celebranti suppeditabat, quod non vult modo praestare, censens, se ad nullum aliud onus teneri, praeterquam ad praedictae eleemosynae solutionem etc., si Sacrae Congregationi placebit, novam reductionem ad brevius tempus benigne concedere, opportunum mihi videretur, illam ita fieri, ut in ea computentur omnes Missae festivae, hoc enim consultum erit maiori pauperum Incolarum commodo ». Recitatis huiusmodi precibus et literis, in praeterita Congregatione orta fuit dubitatio, an in praesenti casu heres teneatur supplere, vel potius intrare possit reductio, attento, quod legatum incipiat ab onere, et sic videatur potius stare demonstrative, quam taxative, non obstante subsequenti taxatione certae eleemosynae, iuxta distinctionem Felini in Cap. *Super literis* de Rescriptis, pluries ab hac Sacra Congregatione probatam, ut in voto bo. me. R. P. D. De Vecchis apud Crispinum in visit. pastor. part. 2 §. 18 n. 6. Cumque e converso Orator inniteretur alteri distinctioni Castrensis in cons. 138 n. 3 lib. 1, per Sacram Rotam probatae coram Merlino decis. 55 n. 1 et 2, quando scilicet taxatio facta est in eadem oratione, in qua iniunctum est onus, ut tunc dispositio dicatur stare taxative, et non demonstrative, exinde placuit EE. VV. demandare, ut Causa describeretur in folio.

66. Quocirca perpensis etiam his, quae ad materiam deducta habentur apud Barbosam de offic. et potest. Episcop. part. 2 alleg. 29 n. 7, Ricc. in prax. part. 3 resol. 371 alias 364 a n. 3, EE. VV. respondere dignabuntur: – I. An heres in praesenti casu teneatur supplere eleemosynam pro celebratione Missae quotidianae, vel potius locus sit reductioni Missarum et in qua quantitate? II. An quoad praetermissas annuendum sit petitae facultati eas celebrari faciendi in alio loco heredi beneviso in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, heredem teneri ad supplendum pro celebratione Missae quotidianae etiam non obstante reductione. Ad secundum, esse annuendum – *in Cremen. Reductionis Missarum die 17 Augusti 1697 lib. 47 Decretorum.*

67. Ceterum Sacra Congregatio censuit, non esse heredes molestandos pro praeterito quoad Missas non celebratas in vim reductionis impetratae ab eadem S. Congregatione et exequutae post quatuor annos a die impetrationis, orto post longi temporis lapsum dubio de illius validitate *in Vaden. Reductionis Missarum die 4 Iulii 1722 lib. 72 Decretorum.*

68. Iamvero cum in testamento condito die 28 maii 1597 Vincentius Vernatius inter cetera pia legata suis heredibus demandasset, ut suae hereditatis sumptibus perpetuo celebrari facerent quatuor Missas qualibet hebdomada in Ecclesia S. Vincentii, Franciscus et Ortensius de Vernatiis pronepotes Sacrae Congregationi supplicarunt pro onerum reductione, et inter cetera pro reductione quatuor Missarum ad unam Missam qualibet hebdomada sub obtentu decrementi hereditatis et augmenti eleemosynae Missarum, et requisita Episcopi informatione, cum idem die 9

iunii 1670 exposuisset, quod narrata in facto subsistebant, Sacra Congregatio die 14 iunii eiusdem anni, - attenta relatione Episcopi S. Angeli in Vado, eidem benigne commisit, ut, veris existentibus narratis, praedictum onus Missarum, firmis remanentibus aliis oneribus, ad Missas duas qualibet hebdomada, et ad unicum panem pro singulis Pauperibus pro suo arbitrio et conscientia gratis moderaretur atque reduceret -; et Episcopus die 16 ianuarii 1674, capta nova informatione, Decretum executioni mandavit, et ab inde citra Missae fuerunt celebratae ad rationem duarum qualibet hebdomada. Inter Decretum S. Congregationis et eius executionem quoddam adnotatum reperiebatur Rescriptum editum die 2 augusti 1670, in quo ad petitionem supra memoratorum Francisci Mariae et Ortensii de Vernatiis responsum fuit, quod transmitteretur particula legati et videretur, an heredes tenerentur supplere. Ab hoc intermedio Decreto Procurator fiscalis Fabricae S. Petri ansam desumebat arguendi, quod Episcopus in se reversus notificavit S. Congregationi, quod non agebatur de onere Missarum imposito super aliquo particulari corpore, sed super universa hereditate, quod legatum non erat capax reductionis, eo quod incipiebat ab onere, et sic quod hac de causa S. Congregatio mandavit, ut particula legati transmitteretur, quod demum, negligentibus Francisco et Ortensio particulae transmissionem, iisdemque subdole instantibus apud Episcopum pro reductione ad tramites Decreti editi die 14 iunii 1670, Episcopus propter ingravescentem aetatem oblitus actuum intermediorum, post quadriennium nempe anno 1674 dictum Decretum executioni mandavit, concludendo, nullam esse reductionem, et sibi vindicare locum obligationem tam in praeteritum, quam in futurum celebrare faciendi qualibet hebdomada quatuor Missas. Excepterunt e contra habentes causam ab heredibus, validam omnino fuisse reductionem, cum facta fuerit ab Sacra Congregatione usque de anno 1670, cum fuerit executioni demandata ab Episcopo anno 1674, et cum imposterum Missae fuerint celebratae ad tramites reductionis; nec obesse posse intermedium Rescriptum editum die 2 augusti 1670, quum imperceptibile esset, quod referretur ad reductionem Missarum obtentam antecedenter a Sacra Congregatione post Episcopi informationem, et probabile admodum esset, quod percuteret aliquod aliud ex oneribus, quae S. Congregatio firmata esse voluit in Decreto anni 1670, – firmis remanentibus aliis oneribus –, si Sacrae Congregationis regesta in eo, quod attinebat ad supplices libellos, fuissent antiquiori tempore exarata, sicuti in praesens exarabantur, in praesens enim adnotabantur nomina petentium qualitas petitionis et Sacrae Congregationis responsum, facilis fuisset huius controversiae resolutio, sed cum antiquiori tempore sola nomina petentium et S. Congregationis Rescriptum adnotarentur, hinc oriebatur confusio.

69. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An reductio oneris Missarum facta ab Episcopo Urbaniae sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Non esse molestandos quoad praeteritum, et quoad futurum scribatur Episcopo iuxta instructionem – *in Vaden. Reductionis Missarum die 4 Iulii 1722.*

70. Amplia, etiam heredis impotentia excusat ab omissarum Missarum celebratione, S. Congregatio in Siracusana 7 februarii 1705 lib. 55 Decretorum pag. 44, in Neapolitana Celebrationis Missarum 4 Decembris 1706 lib. 56 Decretorum pag. 383, in Romana Oneris Missarum 11 Maii 1709 ad IV dubium lib. 59 Decretorum pag. 146 *in Feretrana die 14 Ianuarii 1792* §. *Si credendum.*

71. Pendente tamen iudicio super asserta facultate dimittendi legatum Missarum ob redituum assignatorum decrementum, differtur diremptio controversiae, an heredes teneantur supplere, sed habebitur ratio suis loco et tempore *in Romana Legati die 21 Novembris 1721.*

72. Siquidem Monachi S. Praxedis de Urbe, qui acceptare noluerant annua scuta 72 relicta a Bernardo Olgiato cum onere duarum Missarum quotidianarum, quique illud onus tandem acceptarunt postquam legatum auctum fuit a Septimio Olgiato ad annua scuta 100 et obulos 55, sub obtentu decrementi redituum assignatorum devenerunt ad bononorum dimissionem, et insteterunt in Sacra Congregatione Visitationis pro deletione oneris praedictarum Missarum, sed responsum

acceperunt, ut recurrerent ad Sacram Concilii Congregationem. Unde praefati Monachi contenderunt, quod primo vigore pacti in ipsa acceptatione appositi erat in ipsorum facultate dimittere bona assignata et se liberare ab onere Missarum; secundo, quod haec dimissio ad tramites pacti facta erat, intimatis dominis de Olgiatis; tertio, quod decrementum redituum assignatorum non ex propria culpa, sed ex diminutione naturali processerat; quarto, quod in assignatorum bonorum administratione fideliter et punctualiter se gesserant, quum investimenta, quae de novo fieri oportuit, facta essent, vel consciis dominis de Olgiatis, vel cum consilio et approbatione virorum omni exceptione maiorum; quinto, quod si bona ab ipsis dimissa fuerunt per R. Fabricam occupata, id secutum erat in vim privilegiorum eiusdem Fabricae et citatis iisdem dominis de Olgiatis; ultimo, quod si adhuc retinebant aliqua ex dictis bonis dimissis, retentio causam non habebat a compositione inita cum R. Fabrica, sed a contractu emptionis et venditionis, cum ipsis prohibitum non esset emere a Fabrica ea bona, quae Fabrica parata erat vendere unicuique. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An onus Missarum relictum in testamento Bernardi Olgiati anno 1604 seu etc. sit delendum a tabella onerum Missarum Monasterii et Ecclesiae S. Praxedis de Urbe in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An teneantur heredes Bernardi supplere in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative pro nunc, et Procuratores utantur iure suo coram Iudice competenti, et ad Emum Praefectum Fabricae iuxta mentem. Ad secundum, habebitur ratio suis loco et tempore - *in Romana Legati die 21 Novembris 1721.*

73. Quando autem Testator nullum stipendium nullum fundum nullam annuam praestationem implendo legato assignaverit, sed ab heredibus legaverit numerum determinatum Sacrorum perpetuorum, omnia illius bona hereditaria, quae ab heredibus possidentur, hypothecae subiecta sunt, ut legatum impleatur, unde efficitur, obstrictos esse heredes ad supplendum ex reliquo hereditatis, ut tradunt Baldus cons. 151 per totum lib. 5, Gratian. discept. for. Cap. 256 n. 122, Cyriacus controv. 336 n. 8, Rovit. decis. 57 per totum, et Rot. in Recent. decis. 488 n. 6 part. 19 *in Pisauren. die 11 Ianuarii 1744* §. *Ex his.*

Item *in Forolivien. Legatorum die 18 Novembris 1826* §. *Hanc; in Viterbien. Capellaniae die 20 Novembris 1841* §. *Hanc.*

74. Idcirco quoties fundus pro pii legati satisfactione statutus non fuerit taxative a Testante, teneri semper heredes ad supplendum eiusdem defectum ex reliquo hereditatis, certa regula est, da qua praeter Benedictum XIV de synod. diaeces. lib. 13 Cap. ult. a n. 31, etiam Bald. cons. 151 per totum lib. 5, Gratian. discept. for. Cap. 256 n. 122, Cyriac. contr. 336 n. 8, Rot. in Recent. decis. 488 n. 5 part. 19 *in Viterbien. Capellaniae die 20 Novembris 1841* §. *Hanc.*

75. Ubi vero non agatur de annuo legato scutorum, quo sit heres gravatus, sed solum de assignatione alicuius ex creditis hereditariis, ea adimpleta, heres ab omni ulteriori onere, seu periculo fit immunis, tametsi habita etiam fuerit mentio de annuorum proventuum quantitate, Card. de Luc. de donat. disc. 52 n. 6, Gratian. discept. 620 n. 23, Rot. in decis. 62 n. 29 part. 11, et decis. 433 coram Cerro, in Romana supplementi et Applicationis 11 Iunii 1731 coram Card. Aldovrando, et consentanee ad haec ita resolutum fuit a Sacra Congregatione in Romana Supplementi Concordiae et Reintegrationis die 28 Novembris 1733 ad 1 dubium *in Romana Capellaniae die 22 Maii 1734* §. *Defuncta.*

76. Nam heres, qui iuxta Testatoris praeceptum assignaverat tot bona, quot satis erant pro celebratione Missarum quotidianarum, non tenetur fructibus subinde imminutis supplere, cum Testator inceperit ab assignatione fundi, S. Congregatio die 1 Decembris 1685 lib. 35 Decretorum pag. 487 *in Romana Subsidiorum Dotalium die 28 Februarii 1733* §. *Non aliena.*

77. Idcirco heres, quando dispositio Testatoris non ab onere, sed a rei designatione incipit, nihil ultra pretium rei designatae supplere tenetur, Tondut. quaest. Benef. tom. 2 part. 3 quaest. 162 n. 5, Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom. 2 quaest. 1023 *in Urbinaten. Legati die 9 Februarii 1737* §. *Bina.*

78. Unde in Sacra Congregatione, reprobata

sententia Boerii in Cap. *Super literis* de rescriptis negantis, heredem posse cogi ad supplendum, quando Testator expressit quantitatem eleemosynae pro Missis celebrandis, invaluit opinio Felini in eodem Cap. *Super literis* de rescriptis, qui dicit, esse locum supplemento, quando quantitas fuit relicta demonstrative, secus autem si taxative fuerit relicta, et semper censendum esse, quod quantitas fuerit demonstrative relicta, quando Testator incepit ab onere, uti testatur Carolus de Vecchiis meritissimus olim Sacrae Congregationis Secretarius in suo suffragio impresso apud Chrispinum de visitat. pastor. part. 2 §. 18 n. 6 *in Veneta Reductionis Missarum die 4 Februarii 1719* §. *Si.*

79. Felini tamen doctrina in Sacra Congregatione recepta non applicatur, quando ex testamento desumitur et ex circumstantiis, supplementum sibi locum vindicare non posse, iuxta tradita per Monacell. in form. part. 1 tit. 10 form. 19 n. 22 *in Veneta Reductionis Missarum die 4 Februarii 1719* §. *At.*

80. E contra si Fundator enixe et determinate voluerit implementum praescriptorum onerum, licet bona pro dote fuerint taxative assignata, adhuc locus tamen est supplemento *in Cremonen. Supplementi dotis die 23 Iutii 1729* §. *Capellanus.*

81. Quum itaque Testator mandaverit, ut ex fructibus designati numeri Locorum Montium quotannis tot Missae celebrarentur, quot ratione unius iulii pro unaquaque celebrari possent, sed mox aliquot ex iis, nullo impellente Creditore, sponte alienaverit, deposito tamen eorum pretio in Monte Pietatis, Missae haud sunt celebrandae cum fructibus tantummodo numeri superextantis Locorum Montium, sed heres tenetur supplere usque ad numerum in testamento praestitutum *in Romana Legati die 2 Octobris 1721.*

82. Iamvero Antonius Maria Lancianus die 26 ianuarii 1715 heredem sibi scripsit Philippum Maruffum, et inter cetera disposuit: – Per l'anima mia e remissione de' miei peccati voglio ed ordino, che nella detta Chiesa (nempe Sacrorum Stigmatum) si celebrino ogni anno con i frutti di dieci luoghi di Monte, cioè cinque di S. Pietro seconda erezione e cinque Restorato terza erezione, tante Messe, quante v' entreranno a ragione d' un giulio l' una, detratti scudi tre l' anno per la Sacristia della detta Chiesa per i paramenti ed altri utensili per le dette Messe e le solite mancie, incaricando al mio erede di far voltare detti luoghi di Monte in faccia della mia eredità con il detto peso e con la riserva de' frutti a suo favore per erogarli come sopra –. Die 23 decembris eiusdem anni Antonius Maria tres ex dictis Locis Montium S. Petri resignavit, et die 2 ianuarii 1716 deposuit in sacro Monte Pietatis scuta 357 provenientia ex pretio Locorum Montium alienatorum, et die 23 eiusdem mensis et anni ex hac vita decessit. Secuto Testatoris obitu, sola septem Loca Montium in eius hereditate reperta sunt; cumque Philippus Maruffus heres contenderet, Missas esse celebrandas ex fructibus dictorum septem Locorum Montium, nec se ad ullam supplectionem teneri, fuit eius instantia de more remissa ad Emum Card. Archiconfraternitatis protectorem, qui censuit, eam esse reiiciendam. Nam primo ex alienatione voluntaria rei legatae legatum pium nec extinguitur, nec minuitur, Iason. in L. *Qui post testamentum* col. 3 Cod. de legatis, Tiraquell. de privileg. Caus. piae privil. 41, Gerven. pract. eccles. quaest. 267, Amostaz de Caus. piis lib. 1 Cap. 13 n. 41, Pasqualig. de Sacrif. novae legis quaest. 110 per totam. Secundo, quia etiamsi legatum pium extingueretur, id in themate locum habere non poterat, cum Testator pretium deposuerit in Monte Pietatis. E contra tamen advertebatur, ex alienatione rei legatae pium etiam legatum extingui aut imminui, Mantica de coniect. ult. vol. lib. 12 tit. 6 n. 5, Menoch. de praesumpt. lib. 4 praesumpt. 167 a n. 15, Ciarlin. controv. foren. lib. 1 cap. 69 a n. 25, quin obesset, quod Testator pretium deposuerit; nam id procedit in casu, in quo Testator pretium recepit, quod recusare non potuit, non vero quoties, prout in themate, in tantum pretium recepit, in quantum, nullo impellente, vendere voluit Loca Montium, uti desumitur ex Textu in L. *Fideicommissa* §. Si rem ff. de legat. 3, ubi licet pro legati perseverantia momentum constituatur in deposito a Testatore facto, immediate tamen subditur, quod Testator non sponte sua, sed impellente Creditore pretium receperat, – maxime quia non

ipse exegerat, sed debitor ultro pecuniam obtulerat, quam offerente ipso non potuit non accipere –. Insuper derelicta quaestione, an in alienatione rei legatae extinguatur vel imminuatur legati, in themate non agebatur de decem Locis Montium legatis, sed de adimplemento legati Missarum ex fructibus decem Locorum Montium, quorum tria fuerant a Testatore alienata: hinc non videbatur, quod unquam heres teneri posset ad supplendum; tum quia in una eademque oratione Testator tam Loca Montium, quam onus Missarum complexus erat, in quibus circumstantiis Loca Montium stare dicuntur taxative, non demonstrative, Roman. in cons. 430, Mantic. de coniect. ult. vol. lib. 12 tit. 6 n. 24 et 25, Menoch. de praesumpt. lib. 4 praesumpt. 147 a n. 48, Castil. controv. iur. lib. 4 Cap. 54 a n. 20, Rot. decis. 456 a n. 34 coram Merlino; tum quia Testator non inceperat ab onere, sed a summa, ex quo sequebatur, Loca Montium non stare demonstrative, sed taxative iuxta celebre votum de Vecchiis olim Secretarii Sacrae Congregationis impressum apud Chrispin. in visit. past. part. 2 §. 18 n. 6, quod Sacra Congregatio in facti contingentia semper secuta est, adeoque cessare videbatur quaecumque obligatio heredis ad supplendum.

83. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An Missae in futurum celebrandae sint cum fructibus tantummodo septem Locorum Montium, vel potius esse debeat locus supplemento? –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Romana Legati die 2 Octobris 1721.*

84. Heres autem, qui habet arbitrium satisfaciendi oneribus a Testatore hereditati impositis, vel solvendi summam quingentum scutorum investiendam pro illorum satisfactione, potest mediante tali solutione se liberare a praedictis oneribus, satisfactis tamen eisdem usque ad diem peractae solutionis *in Lunen. Sarzanen. Celebrationis Missarum die 21 Iunii 1692 lib. 42 Decretorum.*

85. Quapropter depositare tenetur heres summam praescriptam, iuxta valorem de tempore testamenti tantum *in Lunen. Sarzanen. Celebrationis Missarum die 21 Iunii 1692 lib. 42 Decretorum.*

86. Quod si praescripta summa est insufficiens oneribus adimplendis, supplere debet *in Lunen. Sarzanen. Celebrationis Missarum die 21 Iunii 1692 lib. 42 Decretorum.*

87. Quin imo dispositione testamentaria maturius expensa, resolutum fuit, heredem non posse per dictam summam quingentum scutorum tantum se liberare ab oneribus a Testatore impositis, quin amplius Causa reproponi posset *in Lunen. Sarzanen. Celebrationis Missarum die 23 Augusti 1692 lib. 42 Decretorum.*

88. Unde id a mente Testatoris omnino pendet; si enim expressis verbis Testator facultatem dederit omnibus heredibus in infinitum se liberandi ab annua determinata pecuniae summa, quae inservire deberet pro celebratione Missae quotidianae, mediante exbursatione summae pariter determinatae, cuius fructibus praefata Missa quotidiana celebranda foret, etiam Pronepos Testatoris id perficere valet, licet in praesens summa huiusmodi in emptionem census erogata ad onus Missarum iniunctum adimplendum haud sufficiat, adeoque locus est earum reductioni, non vero cogendus est ad supplementum *in Mediolanen. Oneris Missarum die 2 Iulii 1718 et die 1 Aprilis 1719.*

89. Siquidem Franciscus Ripa in ultimo, cum quo decessit, testamento condito anno 1610 suos heredes gravavit ad solvendum quolibet anno libras 300 imperiales, hoc est scuta 40 monetae Romanae Capellae S. Antonii erectae in Ecclesia S. Thomae, ut in eadem Missa quotidiana celebraretur; iisdemque heredibus libertatem dedit sese eximendi ab annua praestatione, solvendo unica vice libras 6000, nempe scuta 800 monetae Romanae. Anno 1654 fuit hoc onus Missarum, praevia auctoritate Sacrae Congregationis, redactum ad Missas festivas tantum de praecepto, et ad quatuor in singulis hebdomadis celebrandas; et anno 1656, accedente auctoritate ordinaria, fuit hoc Missarum legatum erectum in titulum perpetuae ecclesiasticae Capellaniae, et heredes Testatoris pro eius dote tot bona stabilia assignarunt, quae reddebant annuas libras 300, sibique reservarunt jus praedicta bona redimendi semper et quandocumque et etiam post centum annos media solutione seu deposito librarum 6000. Anno 1614 Ludovicus Ripa redemit bona praedicta

et punctualiter solvit libras 6000, sed cum haec summa fuerit erogata in emptionem census annui reditus librarum 240, nimirum scutorum monetae Romanae 32, quae non sufficiebant pro adimplemento oneris Missarum, eleemosynam regulando ad tramites Constitutionum Synodalium Mediolanensium, exorta est in Congregatione legatorum piorum Mediolani controversia inter memoratum Ludovicum heredem et Promotorem legatorum piorum, an scilicet onus Missarum esset reducendum, vel potius heres summam deficientem pro eius adimplemento supplere teneretur, et unanimi voto dictum fuit, quod Sacrae Congregationi esset supplicandum pro decisione controversiae. Proposito interim dubio: - An heres teneatur supplere, vel potius sit locus reductioni oneris Missarum in casu etc. -, Sacra Congregatio die 2 iulii 1718 responsum dedit: - Exhibeatur testamentum -. Exhibitum hinc fuit testamentum, et ex eius verbis praefatus Ludovicus Ripa, pronepos Francisci Testatoris, contendit, se posse uti facultate data a Testatore suis heredibus se liberandi ab annua solutione librarum 300 exbursando libras 6000. Quum enim data fuerit haec facultas - dictis et infrascriptis heredibus -, sub nomine dictorum heredum comprehendebantur omnes heredes in infinitum, ex quo Testator antecedenter locutus fuerat de seniore et propinquiore ex heredibus et descendentibus suis suaeque familiae in infinitum. Consimile dixit habendo iudicium de aliis verbis - et infrascriptis heredibus meis -, cum in parte Fisci exclusiva, quae inservire valebat pro declaratione in ordine ad partem dispositivam, habuerit rationem de filiis tam masculorum, quam feminarum, sub quorum nomine nepotes aliique descendentes in infinitum comprehendebantur, quoties dignoscebatur, Testatorem noluisse suam vocationem in primis heredibus restringere, sed ad ulteriores extendere voluisse.

90. His igitur perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam - *in Mediolanen. Oneris Missarum die 1 Aprilis 1719.*

91. Hinc dum Testator non gravavit heredes ad solvendam annuam praestationem respondentem oneri Missarum, sed certa ab hereditate segregavit bona, quae voluit subiecta oneri designato, iidem non tenentur praestare alium fundum idoneum ad praedictum onus adamussim implendum, si praedicta bona in parte perierint, neque solvere debent eleemosynam pro Missis iam celebratis, qui autem huiusmodi legatum acceptarunt pro tempore, quo fructus exigi possent, liberantur a dicto onere Missarum, praeterquam pro rata redituum fundi ab ipsis possessi *in Albanen. Legati die 10 Martii 1742.*

92. Enimvero Ioseph de Albertis in testamento sub diem 19 ianuarii 1709 condito post institutos heredes Iosephum et Thomam ex altero Thoma filio praedefuncto nepotes legavit Capitulo Collegiatae Terrae Ariciae - li censi, che imposero a suo favore Paolo e Giuseppe fratelli di Mappelli alla ragione di sei per ciascheduno centinaro in sorte di scudi 250, con che l'Arciprete e Canonici pro tempore in perpetuum debbano celebrare e respettivamente far celebrare in suffragio dell'anima d'esso Testatore in ogni anno due Messe cantate con *libera me Domine* in fine di ciascheduna di esse, e tutte le Messe dette di requiem de' suddetti Arcipreti e Canonici, con la loro continua assistenza in dette funzioni, cioè una nel giorno della di lui morte, e l'altra nel giorno dell'ottava della commemorazione de' Morti con le suddette Messe lette, siccome anche una Messa letta di requiem ogni mese seguita la sua morte in perpetuum nell'Altare privilegiato -. Legatum hoc, annuente Vicario Generali, per actum capitularem anno 1710 acceptarunt Canonici, ea tamen sub conditione adimplendi onera adnexa - per il tempo, che li suddetti censi saranno esigibili, e non altrimenti -. Quum autem huiusmodi census, dum vixit Mater Iosephi et Thomae de Albertis, quorum in pupillari aetate constitutorum tutelam et curam ipsa susceperat, traditi nunquam Capitulo fuerint, sed tantum ab eadem Matre soluta quotannis essent eidem Capitulo scuta quindecim aequantia fructus dictorum censuum, compertum deinde fuit post obitum praefatae Mulieris, memoratos fratres de Mappellis eorumdem censuum debitores ita lapsos e facultatibus esse, ut quaedam tantum superfuerit portio domus, in cuius possessionem

obtinuit Capitulum ex remedio Salviani Interdicti pro credito dictorum censuum, citatis fratribus de Albertis, immitti. At quia longe minor scutis quindecim erat annua pensio, quam Capitulum percipiebat ex dicta portione domus, et totus etiam eius valor ne par quidem esset solvendis censuum fructibus eousque debitis, pluries proinde moniti fuerunt ab eodem Capitulo saepedicti fratres de Albertis, tum ad praestandos fructus iam decursos, tum ad subrogandum aliud capitale annui reditus scutorum quindecim in locum sortis praefatorum censuum. Sed neu'rum assequi valentes, tandem circa annum 1734 postularunt ab Sacra Congregatione, ut vel ipsi ab oneribus praedicto legato adiectis liberi declararentur, vel ut praefati heredes novum sufficientem et idoneum fundum praestare adigerentur. Re interim suspensa, tandem Vicarius Generalis die 29 maii 1741 bina edidit Decreta, quibus praecepit Canonicis, ut Missas ab anno 1728 usque ad totum annum 1740 non integre iuxta dispositionem Iosephi de Albertis celebratas infra terminum unius mensis omnino persolvi curarent. Huiusmodi iussibus paruerunt Canonici: sed inde docuerunt, se in sustinendis praedictarum Missarum oneribus aliisque pro legato isto subeundis expensis scuta 194 35, ultra pecunias omnes ex memorata Testatoris domo receptas, de proprio aere impendisse; hinc autumarunt, cogendos esse heredes ad alium idoneum fundum praestandum et ad tradendam eleemosynam pro Missis et Anniversariis eousque celebratis, ipsi enim susceperunt legatum cum relata conditione – per il tempo, che li detti censi saranno esigibili, e non altrimenti –. Heredes contra sustinuerunt, se ad id nullatenus obstringi posse; cum enim controversum legatum inciperet ab assignatione bonorum, nonnisi taxativum censeri debebat. Siquidem Testator non gravavit heredes ad solvendam annuam paestationem respondentem oneri Missarum, sed certa ab hereditate segregavit bona, quae voluit subiecta oneri designato. Contenderunt etiam praefati heredes, Canonicos haudquaquam esse imposterum liberandos ab adimplemento onerum, quia census perierant ex culpa et negligentia Capituli, quod vineam a debitoribus de Mappellis possessam Clementi Corradini vendere renuit pretio scutorum 200, antequam dominus directus eamdem vineam veluti ob non solutos canones devolutam sibi vindicaret, quemadmodum praedictus Corradini testabatur.

93. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An heredes cogendi sint praestare alium fundum annui reditus scutorum quindecim pro Missis et Anniversariis imposterum celebrandis, et respective teneantur solvere eleemosynam pro iam celebratis in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An Capitulum et Canonici Terrae Ariciae sint liberandi ab onere dictarum Missarum et Anniversariorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative, praeterquam pro rata redituum portionis domus a Capitulo possessae – *in Albanen. die 10 Martii 1742.*

94. Qua de re si heredes per contractum, soluta una vice summa pecuniae, onus Missarum in alios transtulerunt, ob fructus inde imminutos, ad supplementum non tenentur; quandoquidem quum heredes Petri Catanei, qui sex a Petro relictorum Sacrorum onus Patribus S. Bartholomaei Apostoli Montis Imperialis Pisauri imposuerunt, facta solutione aureorum 250 monetae Romanae, eamque summam Patres illi erogandam voluerint in emptionem tot censuum, quorum usuras reditusque perpetuo oneri dictorum Sacrorum singulis hebdomadis operandorum obnoxios esse debere dixerunt,sed imminutis exinde fructibus iidem Patres nullum esse contractum, ac praefatos heredes teneri ad supplementum, contenderent, proposito dubio: – III. An teneantur heredes dicti quondam Petri Catanei ad supplementum pro intranti quantitate eleemosynae Missarum ordinatarum a dicto quondam Petro in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Negative; et amplius – *in Pisauren. die 25 Ianuarii 1744.*

95. Si enim legatum non demonstrative, sed taxative fuerit relictum, heredes cogi non possunt ad supplendum stipendium pro eo constitutum, si fundus perierit aut fuerit imminutus, Amostaz de Caus. piis lib. 2 cap. 6 n. 13 et 18, Gratian. discept. for. cap. 256 n. 1, Benedicti XIV de synod. diaeces. cap. ult. lib. 13 n. 30 et 32 *in Spoletana Reductionis die 8 Iunii 1771* §. *Contendit.*

96. Idcirco heres non tenetur supplere, si Testator assignavit determinatum fundum, ex cuius fructu satisfacienda est Missa quotidiana, si fructus inde provenientes non sufficiant pro eleemosyna dictae Missae *in Romana Celebrationis Missarum die 31 Martii 1696 lib. 46 Decretorum.*

97. Nam ex directa fundorum assignatione ab onere supplendi absolvi debent Fundatorum heredes *in Viglevanen. die 14 Martii 1789* §. *Licet.*

98. Qua de re ubi dispositio non ab onere, sed a rei designatione incipit, nihil heres ultra pretium rei designatae supplere tenetur, iuxta vulgatam distinctionem, quam cum aliis tradunt Tondut. quaest. Benef. tom. 2 quaest. 162 part. 3 n. 5, Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom. 2 quaest. 1023, et passim sequitur Sacra Congregatio *in Urbinaten. Legati die 9 Februarii 1737* §. *Prima.*

99. Distinguendum binc est inter casum, quo Testator mandet heredi, ut solvat quotannis certam determinatam summam alicui Ecclesiae, nulla facta designatione nec in genere nec in specie quod solvat de bonis hereditariis, et inter casum, quo Testator mandet assignari Ecclesiae capitale, ex quo singulis annis talis determinata summa pecuniaria retrahatur implicanda in celebrationem Missarum; videtur enim, quod hoc in secundo casu, facta per heredem assignatione capitalis, eodemque translato in Ecclesia dominium, esse nequeat supplemento in casu diminutionis, iuxta decis. 433 per totum coram Cerro, cui etiam adhaesit Rota in Romana annuae praestationis 16 ianuarii 1702 coram Card. Caprara *in Romana Dotis Capellaniae die 13 Iunii 1722* §. *Inter.*

100. Unde in L. *Si Servus* ff. de legat. 1 ita sancitum habetur: – Qui quinque in arca habebat ita legavit vel stipulanti promisit decem, quae in arca habeo, et legatum et stipulatio valebit, ita tamen, ut sola quinque vel ex stipulatione vel ex testamento debeantur. Ut vero quinque, quae deerunt, ex testamento peti possint, vix ratio patitur, nam quodammodo certum corpus, quod in rerum natura non sit, legatum videtur –: hinc igitur, cum Testator fundum legaverit aut certam aliquam pecuniarum summam, quam in arca habere asseruerat, reliquerit, heredem non teneri quidquam supplere, si fundus vel dicta pecuniarum summa in minori valore seu quantitate post Testatoris obitum reperiatur, statuunt per citatam Legem *Si Servus* §. quinque omnes ibi scribentes *in Venefrana Legati die 15 Martii 1738* §. *Ad.*

101. Siquidem Ioannes Baptista Tucci, scripto herede Francisco de Orlando, uxori suae Annae Palmieri, praeter omnium bonorum usumfructum, legati iure reliquit omnia mobilia – eccettuatene l'infrascritte somme di danaro contante, cioè ducati 300, che si ritrovano prontamente in cassa ducati 170 e grana 40, che si ritrovano impiegati nella gabella del macinato, e ducati 250, che mi si devono dalli eredi del quondam Bruni di questa Città una con le Terze decorse e decorrende al sette per cento –: deinde vero post condita nonnulla legata, illudque praesertim, quod favore ven. Cappellae nuncupatae S. Mariae *della Sanità* in haec verba exaravit: – Più lascio alla ven. Cappella di S. Maria della Sanità della famiglia di detto mio erede istituito eretta dentro detta ven. Chiesa del Corpo di Cristo ducati 100, de' frutti de' quali se n'abbiano a far celebrare quelle Messe, che vi capiranno ogni anno da detto mio erede a carlini due l'una per l'anima mia di mio padre e madre e fratelli in detta Cappella –, ita subiunxit: – Più dichiaro, che del danaro contante, dedotti li suddetti legati, il di più che resta voglio, che si unisca alli ducati cento lasciati alla detta Cappella della famiglia di Orlando con il peso annuo delle Messe, che vi capiranno a carlini due l'una, lasciando il peso di farle celebrare al detto mio erede istituito e suoi successori, essendo così la mia volontà –. Sequuto Testatoris obitu, ut pia eius dispositio exequutioni mandaretur, fuit a memorato herede coram Testibus aperta Arca, in qua Testator enunciaverat, ducatos 300 in pecunia numerata asservari, sed cum in ea 95 solum ducati fuerint reperti, non obstante asserta diligentia per heredem adhibita, ideoque summa superius per Testatorem expressa non esset ducatorum 720 et assium 40, sed tantum ducatorum 515 40, hinc exorta est dubitatio, num praelaudatus heres summam ducatorum 213 40 dumtaxat, quae, solutis omnibus enunciatis legatis, supererat, persol-

vere deberet, vel potius teneretur usque ad summam a Testatore descriptam in dictis ducatis 720 40 supplere. Nam ex iuris dispositione in L. *Si Servus* 111 de leg. 1 heres haud supplere quidem debebat: at quia huiusmodi iuris sanctio verisimili Testatoris voluntati niti videtur, ideoque limitationem patitur, ubi ex qualitate legati aliisque facti circumstantiis coniicitur, ipsum Testatorem principaliter et primario respexisse ad implementum oneris in legato adiecti, fundum vero aut pecunias tamquam medium ad finem intentum demostrative tantum designare, ut in terminis similis legati celebrationis Missarum notant cum aliis Amostaz de Caus. piis lib. 2 cap. 6 a n. 18, Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quaest. 1025 a n. 3; ac praeterea in enunciata dispositione iuris §. Qui quinque ita cautum legitur: – Quod si mortis tempore plena summa fuerat, et postea aliquid ex ea deperierit, sine dubio soli heredi deperit –: duo hinc in facto erant inspicienda; alterum nempe, an in praesenti themate Testator principaliter intenderit Missarum celebrationem, suppositam vero pecuniarum quantitatem non taxative per modum certae speciei, sed eam tamquam purum medium pro earumdem Missarum celebratione expresserit, hoc enim in casu heres ab onere supplendi summam deficientem non potuisset liberari; alterum vero, num pecunia, quae non fuit in numero a Testatore supposito reperta, culpa aut negligentia heredis deperierit; tunc quippe heredi deperiisset, ac ipse deberet ad supplementum obstringi, iuxta expressum Textum in memorata L. *Si Servus* §. Quinque, et cum Glossa verb. deperierit tradunt communiter Doctores.

102. His interim perpensis, proposito dubio: – An heres pro adimplemento legati Missarum, de quo agitur, teneatur supplere usque ad summam a Testatore enunciatam in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 aprilis 1738 responsum tulit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem, nempe an ex diligentiis statim post obitum dicti Testatoris peractis constiterit, nullam aliam summam in pecunia numerata extitisse in hereditate praeter ducatos 95 repertos in enunciata Arca existente in domo Uxoris –. Vicarius Generalis retulit, omnes adhibitas fuisse diligentias, sed frustra, cum nil aliud praeter dictam summam ducatorum 95 in arca Testatoris repertum fuerit. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Venefrana Legati die 20 Decembris 1738.*

103. Idcirco multo minus heredes tenentur supplere, si Testator expressis verbis voluerit, ut, praeter determinatam pecuniae summam, nullo unquam tempore ad aliam expensam tenerentur; quandoquidem quum Gabriel Pratus conventionem inierit cum Canonicis Basilicae S. Mariae Transtyberim, qua pro scutis quinquaginta annuis iidem plura designata onera implerent, quin heredes ullo unquam tempore ad aliam expensas tenerentur, unde praedicti Canonici post obitum Testatoris ab eius heredibus ad formam testamenti receperunt conventum assignamentum in Locis undecim Montis Novennalis, quae subinde ex reductionibus sequutis passa sunt notabilem diminutionem, propositis dubiis: – I. An Patres S. Mariae de Scala heredes quondam Gabrielis Prati teneantur ex bonis hereditariis eiusdem supplere integram summam annuorum scutorum quinquaginta quinque a dicto Gabriele promissorum Basilicae S. Mariae Transtyberim pro supportatione onerum correspective impositorum? *Et quatenus affirmative.* II. An etiam teneantur pro decursis saltem loco damnorum et interesse? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative; et amplius – *in Romana Suppletionis seu Reductionis Onerum Missarum die 11 Maii 1709 lib. 59 Decretorum.*

104. Si enim heres non fuerit a Testatore oneratus, ut summa certa ex sua hereditate detraheret, eaque in bonis stabilibus pro annua tot Missarum celebratione investiret, sed Executoribus testamentariis iniuncta fuit rei alienatio, pretiique inde retracti investimentum, his iam expletis, parvipensa mentione valoris, quem Testator rei suae attribuit, nullo alio ulteriori onere gravatur heres, Gratian. discept. for. Cap. 620 n. 23, Card. De Luca de donat. disc. 52 n. 6, Rot. in Recent. decis. 62 n. 29 part. 11, decis. 433 coram Cerro, in Romana Supplementi et applicationis 11 iunii 1731 coram Aldrovando, et consentanee ad haec ita etiam pluries reso-

lutum fuit a Sacra Congregatione, et signanter in Romana Supplementi concordiae et reintegrationis 28 novembris 1733 *in Urbinaten. Legati die 9 Februarii 1737* §. *Bina.*

105. Quando igitur Testator in dotem Capellaniae assignaverit in genere creditum aliquod hereditarium annui reditus designati, nec eisdem heredibus iniunxerit onus in eodem annuo reditu dictum creditum perpetuo conservandi, atque non agatur de annuo legato praefatae summae, quo fuerint gravati praedicti heredes, sed solum de assignatione alicuius ex creditis hereditariis, ea adimpleta, heredes ab omni ulteriori onere seu periculo fiunt immunes, tametsi habita etiam fuerit mentio de annuorum proventuum quantitate *in Romana Capellaniae die 22 Maii 1734* §. *Defuncta.*

106. Nam heres statim ac iussa Testatoris implevit atque rem tradidit, plenissime liberatus est, nec ulla Capellano competit actio contra hereditatem, minuantur licet reditus fructusque rei adsignatae, ut docet Card. De Luca in miscell. disc. 33 n. 3 et 4 *in Feretrana Capellaniae die 19 Decembris 1744* §. *Nec.*

107. Idcirco, consignata re legata, liberatur heres, si casu contingat, ut res ipsa oneri impar evadat, ut concludit Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. ult. §. *33 in Romana Supplementi et Reductionis die 23 Ianuarii 1802* §. *At.*

108. Certa proinde est regula, quod nihil aliud heredes praestare debeant, quam iniunctum fuit, L. *Certus numerus* ff. de trit. vin. et oleo, L. *Nomen debitoris* §. Uni ex heredibus ff. de leg. 3 *in Mediolanen. die 23 Novembris 1765* §. *Inquiunt.*

109. Namque hereditaria qualitas non facit, ut heres teneatur ad onus, quod Testator non dedit *in Firmana Legati die 17 Iulii 1756* §. *Huic.*

110. Hinc heres non tenetur ad onus celebrationis Missarum, quas Testator praescripsit, si Capellam in Ecclesia Collegiata loci emeret, sed is exinde diem obiit, quin illam emisset, licet praefatus heres eam postea emerit Missas celebrari fecerit ac etiam ex Decreto Episcopi per plures annos id adimpleverit *in Auximana Oneris Missarum die 24 Augusti 1709 lib. 59 Decretorum.*

111. Enimvero — in postremo elogio condito die 28 octobris 1667 Alexander de Raphaellis hanc fecit dispositionem: « Item si ipse Testator ante eius obitum acquireret unam ex Capellis existentibus in nova Collegiata Ecclesia Cinguli, tali casu voluit, quod dicta Capella sit decenter ornata ad arbitrium sui heredis universalis, et conservata cum supellectili cum tabula picta S. Iosephi, in cuius festivitate quolibet anno in perpetuum in illa Ecclesia et Capella celebrari voluit Missas triginta cum solita eleemosyna pro refrigerio eius animae etc. ». Decessit Testator sub die 8 eiusdem mensis octobris, non facta acquisitione enunciatae Capellae. Anno postmodum 1669 Nicolaus Antonius de Raphaellis mediatus heres Testatoris obtinuit a Communitate Terrae Cinguli Capellam seu Altare sub invocatione S. Caietani existentem in antedicta Collegiata, cum onere eam adornandi, et ibi conficiendi effigiem dicti Sancti, quemadmodum fuit adimpletum. Defuncto dicto Antonio anno 1679 et superstite Philippo Antonio de Raphaellis eius germano fratre in aetate minori, uti asseritur, tunc constituto, et mediato pariter coherede Alexandri Testatoris, recensitae Missae fuerunt celebratae quotannis in dicta Capella in festivitate S. Iosephi de tempore eiusdem minoris aetatis, sed ea celebratione subinde praetermissa, cl. me. Cardinalis Bichius Auximanae Ecclesiae Antistes de anno 1687 in visitatione dictae Capellae seu Altaris S. Caietani hanc edidit declarationem: « In hoc Altari adest obligatio celebrandi Officium semel in anno Missarum triginta festivo die S. Iosephi ex testamento quondam Alexandri de Raphaelis de anno 1667 »; ac ulterius idem Cardinalis visitator demandavit eidem Philippo Antonio, ut praefatum Altare dotaret et doceret de adimplemento dictarum Missarum in praeteritum, et in futurum earum satisfactio registraretur in libro Sacristiae, nec non eidem petenti indulsit, ut deinceps Altare praedictum titulo potiretur SS. Iosephi et Caietani; quod Decretum asseritur etiam renovatum per cl. me. Cardinalem Pallavicinum de anno 1692 iubentem, onus dictarum Missarum describendum in Tabella affigenda in uno ex lateralibus primodicti Altaris quemadmodum executum fuit. Resumpsit Philippus

Antonius Missarum celebrationem usque ad ad annum 1702, quo tempore destitit, ex eo praetenso motivo, quod purificata non fuit conditio a Testatore adiecta pro celebratione Missarum, si nempe Capellam ante eius obitum acquisiverit. Sed tandem de anno 1708 monitus ab Eño de Ardua Apostolico visitatore illius Episcopatus, ut recurreret ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, iam recurrit expressa huiusmodi facti serie, exorando pro abolitione dictorum Decretorum et remotione tabellae ab Altari, et sub die 7 iulii eiusdem anni, audita luculenti informatione eiusdem Eminentissimi exhibenda in summario, *Lectum* rescriptum fuit.

112. Hodie vero non acquiescens Orator, citato Promotore fiscali et Canonicis saepedictae Collegiatae, denuo redit ad EE. VV. ex iuribus in summario dandis pro recessu a decisis, sub consueto dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 7 iulii 1708 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Praevio recessu a decisis, non teneri ad celebrationem Missarum – *in Auximana Oneris Missarum die 24 Augusti 1709 lib. 59 Decretorum.*

113. Multo minus igitur tenentur heredes supplere, cum Testator mandaverit, ut heredes post eius obitum assignarent tot bona, quot satis essent ex eorum fructibus pro celebratione Missae quotidianae, idque iidem adamussim impleverint, si exinde bona assignata fructus sufficientes pro dictae Missae celebratione minime redderent; quandoquidem quum Testator legatum ita conceptum reliquerit: – Lascia, che l' infrascritte sue eredi siano obbligate subito dopo la morte sua assegnare tanti suoi beni ai Reggenti della Scuola del Santissimo Rosario della Terra di Sudriano, quanti siano sufficienti colli frutti, che da essi si caveranno, di far celebrare una Messa quotidiana al detto Altare del Santissimo Rosario, dovendo detti Reggenti aver cura, acciò detta Messa sia celebrata perpetuamente –, cumque post obitum Testatoris heredes assignassent Rectoribus Scholae certa praedia reddenda in anno fructu quantum satis erat ad Missam quotidianam celebrandam, sed tempore procedente diminuti annui proventus fuissent sine culpa Regentium, mandatum fuit, ut instantia poneretur in folio, et in suffragio b. m. Albitii tunc Secretarii firmatum fuit, heredem teneri ad supplementum, quando fuit legata quantitas, vel quando fuit legata res in specie, quae remanet penes heredem habentem onus curandi celebrationem Missarum, secus autem quando Testator heredem gravavit ad tradendum legatario rem legatam et legatario iniunxit onus curandi celebrationem *in Brixien. Reductionis Missarum die 1 Decembris 1685 lib. 35 Decretorum pag. 487.*

114. Quapropter quum Testator aggravaverit heredem ad implicandam determinatam summam in aliqua proprietate idonea et habili sustinere pondus Missae quotidianae cum eius fructibus, praefatus heres debet quidem docere de investimento, sed haud tenetur ad supplementum, si fructus ex illo derivantes ad sustinendum dictum onus Missae quotidianae non sufficiant *in Mediolanen. Reductionis Missarum die 21 Augusti 1706 lib. 56 Decretorum.*

115. Siquidem – postremis exaratis tabulis anno 1690 Canonicus Ioannes Petrus Braga pium legatum hisce verbis scripsit: « Item volo iubeo et mando, imo aggravo infrascriptum heredem meum ad implicandum libras novem mille in aliqua proprietate idonea habili sustinere pondus Missae quotidianae, quam ordino celebrari in Ecclesia etc. cum fructibus dictae proprietatis ». Tum iussit, dictam Missam celebrari per Capellanos mercenarios ab herede nominandos, eoque defuncto, eligendos a Persona, quam ipsemet heres nominaverit. Deinde voluit, eamdem Missam nunquam erigendam in titulum, nec perpetuum nec vitalitium, neque super ea ius aliquod ecclesiastico Superiori acquiri. Praeterea designavit diversas pecuniarum quantitates sibi a nonnullis debitoribus debitas, ex quibus conflaretur dicta summa librarum 9000, ut supra implicanda seu investienda. Mox advertens, quod ubi pro dicta summa conflanda designatae quantitates minime suppeterent, tunc iussit, illam suppleri ex effectibus promptioribus suae hereditatis, ad quem effectum praestituit heredi triennii tempus ad proprietatem emendam eamque obligandam dictae Missae quotidianae; interim vero demandavit interesse pecuniarum, ut supra nominatarum, adhiberi per ipsum heredem in

procuranda celebratione tot Missarum in suffragium animae suae suorumque defunctorum. Cum autem Ioseph Vicomercati heres Testatoris devenerit, ut ipse asserit, ad demandatam implicationem seu investimentum praememoratae summae librarum 9000 in tot effectus, compereritque eorum fructus minime sufficientes ferendo oneri Missae quotidianae, supplicavit huic Sacrae Congregationi pro eiusdem oneris reductione. Desuper auditus Emus Archiepiscopus refert, quod quatenus ex contextu testamenti EE. VV. existiment, heredem non esse ulterius cogendum, quam ad demandatum investimentum, quod factum asserit, absque ipsius Ordinarii approbatione, inauditisque interesse habentibus, ac proinde non tutum, certum est, quod ex dicta summa librarum 9000 constituentium scuta 1200 monetae Romanae, nequit maior fructus reportari, iuxta morem regionis, quam librarum 115 annuarum conflantium scuta 42 monetae Romanae, idque etiamsi investimentum factum fuisset statim post Testatoris obitum, quae quidem quantitas insufficiens reputatur, cum pro stipendio Missae quotidianae etiam manualis, iuxta taxam Synodalem, requirantur annuae librae 300 correspondentes scutis Romanis 48, ultra alias libras 40, scuta nempe quinque et iulios tres, pro paramentis.

116. Posita autem Causa in folio de mandato EE. VV. ad dignoscendum, an quantitas librarum 9000 fuerit apposita demonstrative tantum, ita ut heres fuerit gravatus emere fundum idoneum sustinendo oneri Missae quotidianae principaliter intentae, vel potius ea taxative adiecta, modo ipse heres dumtaxat informans reverenter supplicat decerni: – An sit locus reductioni Missarum, vel potius sit heres cogendus ad supplementum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Heredem non teneri ad supplementum, et doceat de investimento infra tres menses in Sacra Congregatione – *in Mediolanen. Reductionis Missarum die 21 Augusti 1706 lib. 56 Decretorum.*

117. Nam heres postquam bona a Testatore relicta pro aliquo legato vendidit, pretiumque inde retractum investivit iuxta Testatoris praeceptum, nullo ulteriori onere gravatur, Gratian. discept. foren. Cap. 620 n. 23, Card. De Luc. de donat. disc. 52 n. 6, Rot. in decis. 62 n. 29 part. 11 Recent., et in decis. 433 coram Cerro, in Romana supplementi et Applicationis 11 Iunii 1731 coram Card. Aldrovando *in Urbinaten. Legati die 9 Februarii 1737* §. *Bina.*

118. Idcirco quum Testator mandaverit heredibus, ut investirent determinatam pecuniae summam, eamque cum respectivis fructibus traderent piae Congregationi, cuius Praesides eosdem erogare deberent in celebrationem Missarum iuxta numerum ab eo praescriptum, satis est tradi a praedictis heredibus bona empta pretio dictae pecuniae, quin opus sit bona tradenda reddere tantum in annuo fructu, quantum sufficere posset ad praescripti oneris implementum, dum dicti fructus impares sint iniuncto oneri *in Bononien. die 17 Septembris 1722.*

119. Iamvero Alexander Ghislerius in ultimo, cum quo decessit, testamento disposuit, quod erogarentur annuae librae 60 monetae Bononiensis, ut in Altari S. Ioannis Evangelistae quolibet anno celebrarentur Missae 100, et hae centum Missae fuerunt ab Archiepiscopo Bononiensi redactae ad 30 iuxta facultates, quae ante Decreta Urbani VIII Ordinariis competebant super reductione Missarum. Andreas Giglius in ultimo pariter, cum quo decessit, testamento disposuit, ut qualibet die sabbati celebraretur Missa in quadam Ecclesia rurali, qua destructa, Missarum celebratio translata fuit ad parochialem Ecclesiam S. Michaelis Archangeli. Pater Rector Ghislerius Congregationis S. Philippi Bononiensis, ad quem onus devenerat celebrari faciendi omnes praedictas Missas in ultimo pariter, cum quo decessit, testamento ita disposuit: – Lascio, che l'investino nei modi e tempo, che dirò d'abbasso, lire sei mila di quatrini in tanti crediti di Monte o altra cosa stabile e sicura, e si consegni detta investita e sua entrata all'Opera e Congregazione del Catecumeno di Bologna istituita dalla sa. me. di Pio V, acciò li signori Governatori di detta Opera abbino cura di far celebrare le suddette Messe 30 all'Altare di S. Giovanni Evangelista sino che durerà il cielo e la terra, e le suddette Messe ogni sabbato conforme all'intenzione del signor cavalier Gigli nella suddetta Parocchia di

S. Michele Arcangelo, pure sino che durerà il cielo e la terra. E il resto si spenda per una Cappellania d' una Messa quotidiana da celebrarsi sino che durerà il cielo e la terra nella Cappella di detta casa di detto luogo del Catecumeno, intendendomi, che l'entrata delle suddette lire 6000 sia e serva per fondare una Messa continua ogni giorno perpetua sino che durerà il cielo e la terra, e che detratte le Messe da celebrarsi all'Altare suddetto di S. Giovanni Evangelista ed alla Parrocchia di S. Michele Arcangelo, il resto di esse Messe si celebrano al Catecumeno secondo la mia intenzione, e ciò per commodità di essa Opera del Catecumeno, che potrà, se così parerà ai signori Governatori di esso risparmiare la spesa, che si fa di un Cappellano –. Factus est inde casus cessitque dies solutionis iuxta leges a Patre Hectore Ghislerio praescriptas in suo testamento, et Praesides Montis Pietatis Bononiae, qui erant executores ultimae voluntatis eiusdem, prompti et parati fuerunt ad consignationem capitalis librarum 6000, et e contra Gubernatores piae Domus Cathecumeni dixerunt, non sufficere consignationem dicti capitalis, sed consignari debere capitale, ex cuius reditibus nedum celebrari possent triginta Missae relictae ab Alexandro Ghislerio, et aliae Missae celebrandae qualibet die sabbati ex dispositione Andreae Gigli, sed etiam una Missa quotidiana in Capella sive Oratorio Domus Cathecumeni. Proposito autem dubio: – An satis sit, quod consignetur capitale librarum 6000, vel potius opus sit, ut consignetur capitale, ex cuius reditibus nedum celebrari valeant 30 Missae relictae ab Alexandro Ghislerio, et Missa celebranda qualibet die sabbati ex dispositione Ioannes Andreae Gigli, sed etiam una Missa quotidiana perpetua in Capella piae Domus Cathecumeni in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Bononien. die 17 Septembris 1722.*

120. Unde heres Ecclesiae patronus non tenetur supplere, cum ad formam testamenti bona tradidit Ecclesiae, ex quorum fructibus tot Missae quotannis celebrari deberent, si ex facto Principis praedicti fructus fuerint imminuti, hinc haud sustinetur concordia inter dictum heredem et Ecclesiam inita, sed nova concordia ineunda est quoad reintegrationem summae, quam per plures annos praefata Ecclesia supplere censuit *in Romana Supplementi Concordiae et Reintegrationis die 14 Martii et die 28 Novembris 1733.*

121. Siquidem Princeps Camillus Pamphilius anno 1666 in testamento, quo decessit, mandavit, ut heres post eius obitum bona assignaret, quae annua scuta 400 redderent, quibus quotannis in perpetuum tot Missae pro ipsius anima celebrari deberent in Ecclesia S. Agnetis, data eidem facultate nominandi numerum Capellanorum, quem vellet. Ut paternae satisfaceret voluntati Princeps Ioannes Baptista Pamphilius heres anno 1667 transtulit ad Ecclesiam S. Agnetis centum Loca Montium S. Bonaventurae, quae tunc temporis reddebant in annuo fructu scuta quadringenta, sed cum anno 1685 auctoritate Summi Pontificis facta fuerit moderatio annuorum redituum omnium Locorum Montium, praetereaque Mons ille S. Bonaventurae fuerit extinctus cum transitu in alias species Montium, inde factum est, ut ex Locis quinque et nonaginta, qui in praesens existebant, annui proventus percepti fuerint solum in scutis 285. Hinc post diminutos fructus per aliquot annos quinque Capellani, qui nominari solebant, idem stipendium exigere perrexerunt, supplente Ecclesia S. Agnetis ex aliis suis reditibus quantum deerat in fructibus Locorum Montium. Anno autem 1726 inter eamdem Ecclesiam et Principem Pamphilium iuniorem inita fuit transactio, per quam idem Princeps promisit, se soluturum memoratae Ecclesiae scuta quingenta, ut damnum, quod illa ante subierat, sarciretur, deinceps vero se daturum spopondit singulis annis scuta sex et triginta. Unde anno 1729 petiit Beneplacitum Apostolicum in ea reservatum, quod concedendum censuit Emus Laurentius Corsinus in praesens iam Pontifex Maximus. Ad impediendam tamen illius transactionis confirmationem et demonstrandum non mediocre damnum, quod ex ea caperet Ecclesia S. Agnetis, plura exinde exponebantur. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus supplemento ad effectum, de quo agitur? II. An sit approbanda concordia? *Et quatenus negative.* III. In qua summa

sit reintegranda Ecclesia in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 martii 1733 respondit: – Dilata, et ad Emum Praefectum pro nova concordia –. Verum Emo Praefecto visum fuit expedire, quod de tota re ageretur in S. Congregatione, additis quoque aliis dubiis, quae pertinebant ad interpretationem Brevis Apostolici, quod s. m. Innocentius X edidit circa Ecclesiam S. Agnetis et eius gubernandae ratione. Idcirco praeter tria supra recensita propositis etiam dubiis: – IV. An et quomodo administratio oeconomica eiusdem Ecclesiae S. Agnetis spectet ad Emum eius pro tempore Protectorem? V. An deputatio Ministrorum oeconomiae eiusdem Ecclesiae S. Agnetis spectet ad eumdem Emum Protectorem, seu potius ad DD. Principes patronos dictae Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, ad Emum Praefectum pro nova concordia etiam ex officio iuxta mentem. Ad quartum, Affirmative ad formam Brevis. Ad quintum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Romana Supplementi Concordiae et Reintegrationis die 28 Novembris 1733.*

122. Qua de re si pius Institutor ita emerit fundum seu Loca Montium pro Puellis subsidio dotali indigentibus, ut in eam piam Causam, quasi translato in eas dominio, firma semper permanerent, heredes non tenentur supplere, dum absque eorum culpa, sed facto Principis fructus eorum fuerint imminuti, etiamsi in casu diminutae sortis propter eorumdem extractionem expresse voluerit, ut heredes supplere deberent de proprio quidquid deesset pro ipsorum reinvestimento, adeoque subsidia dotalia sunt distribuenda iuxta proportionem fructuum, qui singulis annis exiguntur *in Romana Subsidiorum dotalium die 14 Martii et die 16 Maii 1733.*

123. Enimvero Marchio Prosper Costagutus emit duodecim Loca Montis Sixti, quibus deinde anno 1644 subrogavit octo Loca Montis Bentivoli, et quatuor Loca Montis Qualenghi ad commodum Puellarum nobilium, quarum electionem prius ad seipsum spectare voluit, ac deinceps ad eos, qui succederent in Primogenituram conditam ab Ascanio Costaguto. Annuos vero reditus constituentes summam scutorum sexaginta distribui iussit vel inter duas, vel inter quatuor Puellas, assignatis nimirum cuique vel scutis triginta, si binae fuerint, vel quindecim, si fuerint quatuor. Haec deinde verba adiecta fuerunt: – In casum extractionis pretium reinvestiri debeat in aliis locis Montium non vacabilium ad favorem earumdem Puellarum, sed cum expresso consensu in scriptis D. Prosperi, si supervixerit, sin minus illius, ad quem spectabit nominatio, ut supra, et heredes dicti Prosperi teneantur supplere de proprio quidquid deerit pro huiusmodi reinvestimento ad effectum, ut semper reinvestimentum sit eiusdem reditus et non alias etc. –. Rursus anno 1685 idem Marchio Prosper emit alia tresdecim Loca Montis S. Petri cum tertia parte alterius Loci itidem pro Puellis, quae essent nupturae. Annuos vero fructus in summa scutorum sexaginta iussit dari sex talibus Puellis, quas eligendi ius attribuit eisdem memoratis Primogenitis, quorum in arbitrio etiam posuit vel duas nominare, assignando cuique subsidium scutorum triginta, vel sex cum subsidio scutorum decem, hisce postea subiectis verbis: – Quae Loca ut supra resignata stare debeant semper et in perpetuum pro fundo et assignamento dotium distribuendarum dictis Puellis ut supra nominandis sub expressa conditione et prohibitione, quod ullo unquam tempore et quavis causa et praetextu in totum vel in partem non possint vendi et alienari; et in eventum extractionis vel extinctionis dictorum Locorum in partem vel in totum, pro rata extincta vel extracta, pretium solvi debeat illi Patrono, ad quem tunc temporis spectabit dictum ius nominandi ac disponendi, ad effectum tamen illud in actu solutionis reinvestiendi in aliis Locis Montium Cameralium non vacabilium Romanae Curiae ad favorem dictarum Puellarum ut supra nubentium, pro fundo et assignatione dotium dictis Puellis distribuendarum et non alias, ad effectum, ut semper reinvestimentum sit eiusdem reditus scutorum sexaginta –. Fructus Locorum Montium exinde auctoritate Principis diminuti fuerunt, ideoque dicta Loca Montis S. Petri scuta quadraginta reddebant: alii vero duo Bentivoli et Qualenghus minus reddebant in annuo fructu, qui etiam raro exigebatur. Modernus Marchio Costagutus

existimavit, sarciendum ex aliis proventibus non esse quidquid detrimenti absque eius culpa subierunt Loca Montium, sed illud cedere damno Puellarum, quia ea acquisita fuerant pro Puellis subsidio dotalibus indigentibus, quasi translato in eas dominio, et quia non agebatur de legato annuorum scutorum centum viginti, quam scilicet pecuniae summam solvere deberent heredes, sed de assignatione ipsorum Locorum Montium in eam Causam piam facta, tametsi habita etiam fuerit mentio de annuorum proventuum quantitate, quae tunc temporis ex talibus Locis Montium percipiebatur. At contra Marchionem advertebatur, pium largitorem praecipue habuisse respectum annuorum fructuum in summa scutorum centum viginti, cum diserte praescripserit summam singulis Puellis assignandam; idque eo vel magis patebat ex declaratione illa inserta prioribus literis, nempe – heredes teneantur supplere de proprio quidquid deerit pro huiusmodi reinvestimento ad effectum, ut semper reinvestimentum sit eiusdem reditus –; itemque ex alia adiecta in aliis literis, scilicet – ad effectum, ut semper reinvestimentum sit eiusdem reditus scutorum sexaginta –. Quamquam enim detrimentum, quod contigit circa fructus, non versaretur in iis casibus, de quibus eo modo cavit Marchio Prosper, scilicet diminutae sortis propter extractionem Locorum Montium, non tamen dispar erat ratio, in eo potissimum posita, quod iuxta voluntatem pii Donatoris annuus reditus nunquam debebat esse minor scutis centum viginti, etiamsi diminutio contigeret ex facto Principis, cuiusmodi erat extractio Locorum Montium, de qua ille cogitavit, imposito heredibus onere supplendi de proprio.

124. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An heredes teneantur ad praestandum supplementum? *Et quatenus negative.* II. Quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 martii 1733 respondit: – Quoad Loca Montium Bentivoli et Qualenghi pro nunc Negative, in reliquis dilata –. Propositis hinc dubiis: – I. An quoad Loca Montium Bentivoli et Qualenghi sit standum, vel recedendum a decisis die 14 martii proxime praeteriti? II. An quoad Loca Montis S. Petri heredes teneantur ad praestandum supplementum? *Et quatenus in decisis ad primum et negative ad secundum.* III. Quomodo sit providendum ?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis. Ad secundum, Negative. Ad tertium, esse distribuenda subsidia dotalia iuxta proportionem fructuum, qui singulis annis exiguntur, et ad formam literarum patentium; nominationem vero Puellarum esse faciendam per mensem ante festum S. Ioannis Baptistae – *in Romana Subsidiorum dotalium die 16 Maii 1733.*

125. Si enim Loca Montium fuerint taxative legata, eorum tantummodo fructus praestandi sunt ab herede, etiamsi non sufficiant pro adimplemento onerum iniunctorum, ut communiter tradunt Doctores per Textum in L. *Si quis servum* 8 §. Si quis ita ff. de legat. 2 *in Romana Legati die 19 Decembris 1759* §. *Legata.*

126. Quapropter quum Testator taxative speciales constituerit fundos, ex quorum fructibus Missae per Capellanos, ab heredibus nominandos, celebrari deberent, et erectis Capellaniis ad formam testamenti inde fructus ex fundis designatis satis non essent ad implenda onera Missarum, praedicti heredes haud supplere debent, sed est potius locus earum reductioni *in Comen. Reductionis die 26 Aprilis 1698 lib. 48 Decretorum.*

127. Siquidem – in ultimis tabulis conditis de anno 1669 Paulus Carcanus ita mandavit: « Item aggravo infrascriptos dominos heredes meos ad celebrari faciendum tres Missas quotidianas usque in perpetuum in Ecclesia Sancti Domnini ad Capellam etc. per Sacerdotes seu Capellanos a dictis meis heredibus usque in infinitum eligendos, et hoc ex fructibus fictis et aliis proveniendis ex tribus possessionibus et bonis, quae possideo in territorio Vertemati Episcopatus Comicum hac regula, quod fructus proveniendi ex una possessione applicentur celebrationi unius ex dictis tribus Missis, alii alteri, et denique alii tertiae Missae, volens ego Testator, quod dicta omnia bona remaneant supposita et obnoxia supradictis oneribus dictarum trium Missarum quotidianarum celebrationis respective, ut supra, super quibus ideo bonis instituo iuspatronatum seu tres iuspatronatus in personas dictorum dominorum meorum

heredum eorumque descendentium masculorum in infinitum etc. ». Erectis Capellaniis ad formam testamenti, Sacerdos Tholomaeus Pila, de harum altera provisus, supplicavit Sacrae Congregationi pro reductione Missarum ad ratam fructuum, attento, quod reditus bonorum assignatorum, detracto canone scutorum 25, vix sufficiant pro adimplemento medietatis Missarum, ut refert Episcopus; cumque e converso dubitatum fuerit, an huiusmodi assignatio videatur potius stare taxative, quam demonstrative, ita ut heredes compelli debeant nec ne ad supplendum, iuxta originalem distinctionem Castrensis in cons. 338 n. 3 lib. 1, hinc de ordine huius Sacrae Congregationis, praefixo heredibus termino ad deducendum eorum iura, iisque pro reductione pariter supplicantibus, dignabuntur hodie EE. VV. respondere: – An sit locus petitae reductioni Missarum ad ratam fructuum bonorum assignatorum, vel potius heredes supplere teneantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Comen. Reductionis die 26 Aprilis 1698 lib. 48 Decretorum.*

§. I.

HOSPITALE QUOAD ERECTIONEM

1. Hospitalium origo fuit charitas, adeoque eximium est eorum opus, ut quam maxime a Sanctis Patribus Sacrisque Conciliis commendetur, teste Thomasinio de nov. et veter. eccles. disciplin. part. 1 lib. 2 cap. 89 et 91, Ludovic. Anton. Murator. de charitat. christian. cap. 12 et 27 *in Cremonen. Suppressionis Onerum die 14 Februarii 1761* §. *Redeunt.*

Item *in Alatrina Visitationis sacrorum Liminum die 10 Iulii 1790* §. *Hospitalium; in Sutrina Suppressionis dotium die 17 Decembris 1791* §. *EE. tamen; in Pharaonen. Suppressionis onerum et Absolutionis die 9 Iulii 1796* §. *Quamquam; in Imolen. Pensionis die 3 Augusti 1816* §. *Si.*

2. Unde eximium Hospitalium opus eleemosynis quoque praefertur, licet Deo acceptissimis, iuxta divum Hieronymum in Can. *Odi* 28 caus. 24 quaest. 1, Tiraquell. de nobilit. cap. 29 n. 30 lib. 1 *in Alatrina Visitationis sacrorum Liminum die 10 Iulii 1790* §. *Hospitalium.*

Item *in Imolen. Pensionis die 3 Augusti 1816* §. *Si.*

3. Miserabiliores enim sunt, qui inopia simul et adversa laborant valetudine, Leoncill. de privil. pauper. part. 1 quaest. 3 n. 27, Navarr. in prax. privileg. miserab. personar. privil. 71 n. 10 *in Alatrina Visitationis sacrorum Liminum die 10 Iulii 1790* §. *Hospitalium.*

4. Si propterea, qui inopia simul et adversa laborant valetudine, digni sunt subsidio supra reliquos Pauperes, eo magis iis praeferendi videntur, quibus non pinguis est census *in Imolen. Pensionis die 3 Augusti 1816* §. *Si.*

5. Idcirco Eugenius Summus Pontifex in Cap. 3 de religiosis domibus haec sanxit: – De Xenodochiis et aliis similibus Locis per solicitudinem Episcoporum, in quorum Diaecesi existunt, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur – *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Cap. 3.*

6. Hinc et Clemens V in Concilio Viennensi Cap. *Quia contingit* de religiosis domibus haec statuit: – Quia contingit interdum, quod Xenodochiorum Leprosaniarum Eleemosynariarum seu Hospitalium Rectores, Locorum ipsorum cura postposita, bona res et iura ipsorum interdum ab occupatorum et usurpatorum manibus excutere negligunt, quin imo ea collabi et deperdi domos et aedificia ruinis deformari permittunt, et non attento, quod Loca ipsa ad hoc fundata et fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes infectique lepra reciperentur inibi, et ex proventibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, proventus eosdem in usus suos damnabiliter convertentes, cum tamen ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva quidem Sedis

Apostolicae auctoritate) converti, nos incuriam et abusum huiusmodi detestantes, hoc Sacro Concilio approbante, Sancimus, ut hi, ad quos id de iure vel statuto in ipsorum fundatione Locorum apposito, aut ex consuetudine praescripta legitime, vel privilegio Sedis Apostolicae pertinet, Loca ipsa studeant in praedictis omnibus salubriter reformare, ac occupata deperdita et alienata indebite in statum reduci debitum faciant, et ad ipsarum miserabilium Personarum receptionem et sustentationem debitam, iuxta facultates et proventus Locorum ipsorum, Rectores praedictos compellere non omittant. In quo, si forte commiserint negligentiam vel defectum, Ordinariis locorum iniungimus, ut, etiamsi pia Loca praedicta exemptionis privilegio munita consistant, per se ipsos vel alios impleant omnia praemissa et singula, et Rectores eosdem utique non exemptos, propria; exemptos vero et alios privilegiatos Apostolica ad id Auctoritate compellant. Contradictores cuiuscumque status aut conditionis existant, ac praebentes eisdem circa praemissa consilium auxilium vel favorem, per censuram ecclesiasticam et aliis iuris remediis compescendo; nullum tamen per hoc exemptionibus seu privilegiis ipsis, quoad alia, praeiudicium generando – *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Quoad.*

Item *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Clemens; in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Clemens.*

7. Idipsum confirmavit Synodus Tridentina in sess. 7 cap. 15 de reformatione, ubi praescripsit: – Curent Ordinarii, ut Hospitalia quaecumque a suis Administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter et diligenter gubernentur, servata forma Constitutionis Concilii Viennensis, quae incipit: *Quia contingit,* quam quidem Constitutionem eadem S. Synodus innovandam duxit et innovat –. Dein vero in sess. 22 cap. 8 de reformatione iussit: – Episcopi etc. habeant ius visitandi Hospitalia Collegia quaecumque ac Confraternitates laicorum etc. Eleemosynas Montis Pietatis sive Charitatis et pia Loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsi praedictorum Locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia Loca exemptionis privilegio sint munita – *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Concilium.*

Idem *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Id; in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Clemens.*

8. Quo vero ad redditionem rationis eadem S. Synodus ita in sess. 22 cap. 9 de reformatione decrevit: – Administratores tam ecclesiastici, quam laici fabricae cuiusvis Ecclesiae Hospitalis Confraternitatis Eleemosynae Montis Pietatis et quorumcumque piorum Locorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione et ordinatione talis Ecclesiae seu Fabricae expresse cautum esset. Quod si, ex consuetudine aut privilegio aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, et aliter factae liberationes dictis Administratoribus minime suffragentur – *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Quoad.*

Item *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Clemens.*

9. Quin imo ius Episcoporum et potestatem in eiusmodi piis Locis erigendis constituendis ordinandis ipsae civiles leges agnoverunt in L. *Sancimus.* 44 Cod. de Episcopis et Clericis, – sive Testator iniunxerit pro tempore Episcopo curam agere, ut impleantur, quae ipse voluit, sive hoc reticuerit. Si autem transierit praedictum tempus, ac neque Ecclesia, neque Hospitale aedificatum fuerit, neque Hospitalis aliquis sit, qui hoc ordinet: mox ipsos Deo amabiles Episcopos exigere ea, quae pro eo ordinata sunt, et in id convenienter quaesita, et facere aedificationes sanctissimarum Ecclesiarum et Hospitalium Gerontocomiorum aut Orphanotrophiorum praeparationem, aut Procotrophiorum aut Nosocomiorum constructionem, aut Captivorum redemptionem, aut aliam quamlibet actionem piam a Testatore ordinatam: designare etiam seu praefigere, qui haec administrent Xenodochos vel Orphanotrophos vel Brephotrophos Gerontocomos vel simpliciter piarum actionum Dioecetas et Cu-

ratores; non amplius valentibus post dicti temporis lapsum et dictam indevotionem his, qui illa non fecerint immiscere se praedictarum rerum administrationi, aut Deo amabiles Episcopos impedire ab illarum rerum administratione – *in Senogallien. die 8 Iunii 1765* §. *Ius.*

10. Quapropter nullis extantibus Sodalibus, indulgetur unio Sodalitii Hospitali, ne infirmitate capti sine Medicorum et Sacerdotum opera in agris moriantur, licet reditus praedicti Sodalitii, cui onus fuit parandi Hospitale vagis, per Administratorem erogentur ad Pauperum egestati consulendum in miserorum Clericorum subsidium debitum Seminario pro alimentis praestandis, et in pios alios huiusmodi usus *in Alatrina Visitationis sacrorum Liminum die 10 Iulii 1790.*

11. Iamvero ad plura erant millia, qui Alatrinum incolebant agrum, nec domicilium habebant in Civitate. Ad eos igitur in casu infirmitatis curandos ampliare fecit Alatrinus Episcopus Xenodochium S. Benedicti; deindeque tenues augere studuit illius reditus, qui, ceteris detractis oneribus, vix annua attingebant scuta triginta, postulavitque anno 1783 occasione visitationis sacrorum Liminum unionem Sodalitii S. Ioannis, cui annua, detractis pariter oneribus, supererant scuta 38 05. Ex deperdita huiusce Sodalitii fundatione onus ei ad dimidium fere transacti seculi fuit parandi Hospitale vagis. Nulli in praesens erant Sodales, reditusque per Administratorem ab Episcopo deputatum in eleemosynas erogabantur. Episcopus in sua informatione haec addidit: – Nulli hac unione praeiudicium infertur, nullius laeditur ius; nemo est, qui resistat vel interesse habeat, quique audiri debeat; Administratori unice cordi est de fideli dati et accepti suo tempore danda ratione, nec alia curat, nisi demandatam superextantium redituum distributionem, partim ad Pauperum egestati consulendum, partim in miserorum Clericorum subsidium debitum Seminario pro alimentis praestandis, partim in pios alios usus, in quos quoad praeteritum erogati deprehenduntur praedicti proventus, si excipiatur non exigua summa a debitoribus exigenda et alia, quae penes praefatum Administratorem adhuc existit –. Atque ita conclusit: – Nihil igitur obstat, quin EE. VV. pro eximia, qua adornantur, humanitate religioneque votis meis, aegrotantium una simul corporale et spirituale levamen respicientibus, arrideant annuantque, quemadmodum suppliciter iterum peto deprecorque –. Unionem tamen impedire poterat subsidium Clericorum pauperum degentium in Seminario; magnum enim divini cultus incrementum affert pauperum Clericorum institutio. Sed res contra erat de ampliando Xenodochii reditu in loco, in quo saepe Pauperes, Episcopi testimonio, – infirmitate capti, sine Medicorum et Sacerdotum opera mortui audiuntur in agris –. Eleemosynae rursus, quae ex superextantibus Societatis reditibus erogabantur, praescriptae non erant in eius fundatione, sed ab Administratorum voluntate. Illud etiam adnotabatur, quod onus Societati erat hospitalitatis, ideoque utilius ei subrogaretur pauperum Infirmorum Hospitale. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus unioni in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Episcopi: – *in Alatrina Visitationis sacrorum Liminum die 10 Iulii 1790.*

12. Hinc Sacra Congregatio nullam ac irritam declaravit erectionem Hospitalis soliti conferri in administrationem in titulum Beneficii cum reservatione iurispatronatus favore eius, qui auxerat dotem eiusdem et reaedificaverat Ecclesiam dirutam cum licentia Vicarii Generalis, sine tamen praeiudicio iurium possessoris per nominationem habitam vigore dictae reservationis *in Lucana Hospitalis die 15 Iunii 1697 lib. 47 Decretorum.*

13. Siquidem – Hospitale seu Ecclesia sub titulo S. Reguli de Cabi positum inter alpes Montis Fegatesii Lucanae Diaecesis, quod, ut asseritur, conferebatur antiquitus Rectori seu Hospitalario seculari in administrationem ad beneficium pauperum Pastorum et Peregrinorum illac quotidie transeuntium, anno 1620 cum praesupposito, quod esset simplex perpetuum Beneficium ecclesiasticum vacans per mortem Pasqualis Leonardi ultimi Rectoris, collatum fuit in titulum per s. m. Paulum V Clerico Francisco Menochio, et ab inde citra in omnibus vacationibus habitum fuit uti Beneficium ecclesiasticum mere col-

lativum. Anno 1677 Ecclesia et parva domo eiusdem Hospitalis penitus collapsis, Franciscus Alexius tunc Rector auctoritate ordinaria provisus fundavit de novo in Communi Vithianae eius patriae Ecclesiam sub titulo SS. Reguli et Nicolai, auctaque dote eiusdem Beneficii in capitali scutorum 285, annui vero reditus scutorum 15 circiter, obtinuit a Vicario Generali Lucano, nemine tamen citato, reservari ad favorem tam sui ipsius, quam suorum de familia perpetuum iuspatronatus eiusdem Beneficii Hospitale nuncupatum, cuius reservationis vigore praesentavit Antonium de Alexiis eius nepotem, successive ad illius titulum ad sacros Ordines promotum. Hanc reservationem iurispatronatus favore domus de Alexiis impugnavit et impugnat acriter Communitas Montis Fegatesii, sive quia praedictum Hospitale uti solitum ab antiquo tempore dari in administrationem Personae seculari, erigi nequiverit in Beneficium perpetuum ecclesiasticum et collativum contra naturam primaevae institutionis, iuxta quam illius reditus applicari debuissent in officio hospitalitatis erga Pauperes et Peregrinos per alpes transeuntes, sive quia ad effectum acquirendi patronatum ex titulo reaedificationis Ecclesiae et augmenti dotis etiam ultra dimidiam, probandum fuisset, eadem Communitate citata, antiquam dotem Hospitalis fuisse penitus deperditam et ad non esse redactam, sive denique quia in omnem casum Ecclesia reaedificari debuisset in eodem loco et Communi, in quo existebat antiqua, non autem in Communi Vithianae. Quare porrectis nuper per Communitatem precibus Sanctissimo Domino Nostro pro abolitione praefati iurispatronatus, ac pro restitutione Beneficii ad primaevum statum hospitalitatis, illisque ad hanc Sacram Congregationem remissis, auditus desuper fuit Emus Episcopus, qui facti seriem et votum trium ecclesiasticorum Consultorum favore Communitatis transmittens; cum in reliquis se iudicio Sacrae Congregationis reverenter remittat, dignabuntur EE. VV. utraque Parte informante decernere: – An erectio Hospitalis in titulum ac reservatio iurispatronatus substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, sine praeiudicio iurium Alexii possessoris – *in Lucana Hospitalis die 15 Iunii 1697 lib. 47 Decretorum.*

14. Quum itaque a Gubernio Italico plura legata in unum coacta fuissent eorumque bona Congregationi instituti charitatis addicta, sed publicis rebus restitutis, non ideo cessaverit ea generalis legatorum coacervatio, unde Administratores Hospitalis loci ob redituum tenuitatem petierint eorumdem applicationem, nec non sanationem quoad praeteritum, Sacra Congregatio sanationem quidem indulsit, bona vero alterius Hospitalis alio in loco existentis restituenda esse mandavit, ac in reliquis censuit, consulendum esse Sanctissimo, ut per modum provisionis concederet manuteneri Hospitale Oratorem in administratione bonorum et redituum reliquarum fundationum, ita ut, adimpletis ad formam earum omnibus oneribus, quidquid supererit faceret suum, donec a Sanctitate Sua aliter provideretur, et Episcopus curaret adimplementum, et sibi quotannis reddi rationem adimplementi in specie cuiusque legati pii *in Faventina Commutationis voluntatis et Applicationis die 22 Martii et die 20 Decembris 1823.*

15. Enimvero plura, quae Brixichellae finitimisque in Terris seorsim administrabantur pia legata, in unum coacta fuere a Gubernio Italico, eorumque bona Congregationi instituti charitatis addicta. Publicis rebus restitutis, non ideo cessavit ea generalis legatorum coacervatio, unde Administratores Nosocomii Brixichellae, cui tenues erant reditus, a Summo Pontifice petierunt, ut bona instituto charitatis tributa Nosocomio applicarentur. Precibus S. Congregationi ablegatis, Rescriptum prodiit die 21 iulii 1821: – Pro nunc non expedire –, licet petitioni faveret Episcopus. Spem tamen non abiecerunt Administratores, sed renovatis precibus exposuerunt tenuitatem redituum Hospitalis, qui sex alendis Infirmis vix pares erant, dum necessitas Incolarum ceterorumque ex finitimis quoque agris ac terris illuc confluentium pinguiorem expostularet censum, nullamque aliam praeter legatorum applicationem subesse rationi huic necessitati occurrendi. Ea vero erat in praesens legatorum natura, ut quidquid, impletis oneribus ex Testatorum praecepto, reliqui fuerit, in pios usus eroga-

retur. Porro Administratores se eadem onera integre ac religiose spondebant impleturos, et solas reliquias redituum in levamen Hospitalis efflagitarunt. Quapropter speculum miserunt; scilicet, Opera pia Savorgnana habebat reditum scutorum 648 82, qui, adimpletis oneribus, compendium exhibebat scutorum 271 8; Hospitale *di Ponte Lungo* reditum habebat scutorum 37 28, qui, impletis pariter oneribus, compendium dabat scutorum 29 83; Hospitale S. Catharinae in *Fognano* potiebatur reditu scutorum 175 36, qui, impletis etiam oneribus, exhibebat summam scutorum 78 32; Hospitale S. Cassiani habebat reditum scutorum 53 36, satisfactis similiter oneribus, habebatur lucrum scutorum 16 32; demum Opera pia Gallamini Mons Pietatis Mons Frumentarius Hospitale *di Varnello Andecimo S. Lucia Zattaglia e Gavina* dabant reditum scutorum 267 62, et compendium scutorum 31 33. Quae reliquiae quotannis conflabant summam scutorum 428: at ita augerent Hospitalis opes, ut eidem si minus plene, certe aliquo pacto consultum videretur. Cumque iidem Administratores reditus legatorum, annuente Congregatione Instituti charitatis, in utilitatem Hospitalis erogaverint, ut eius inopiae praesto essent, praesertim cum Infirmi, morbo vulgo *tifo* grassante, ad Nosocomium curaturi magna frequentia sese conferebant, idcirco etiam sanationem postularunt. Episcopus, rerum serie narrata, conclusit: – Quamobrem legatis huiusmodi Hospitali Brixichellae iuxta petita rite adiudicatis, et institutorum voluntati et indigentium bono multo commodius consultum iri haud vereor opinari. Quod tamen aiebam de legatorum plerisque, id quidem haud opinari ausim de Hospitali S. Catharinae Fognani, ut in precibus affertur. Porro ipsamet Hospitalis appellatio plane subinnuit, vetustissimum Institutorem bono prospexisse Incolarum loci non infrequentis: atque adeo ius inde quoddam loci Incolis acquisitum, quo iure, quantum in praesens licet, eosdem esse manutenendos apprime liquet, atque eo vel magis, quod Hospitale illud suum ab illa administrationis communione segregandum, sibique iterum vindicandum enixe, neque sine spe faustitati temporum innixi contendunt –.

16. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro commutatione voluntatum ac legatorum applicatione in casu etc. II. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro sanatione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 martii 1823 respondit: – Ad primum, dilata, et interim Episcopus, inspectis fundationibus cuiusque Operis pii, referat singulariter de natura de adnexis Missarum oneribus, auditis omnibus interesse habentibus; an Montes Gallamini adhuc sint suspensi vel iam restituti, et an superextantes reditus piorum Operum, de quibus agitur, sint a Fundatoribus ad aliquos usus destinati. Ad secundum, Affirmative –. Episcopus mandatis obsequens, retulit singulariter ad normam respectivae fundationis de natura legatorum de adnexis Missarum oneribus ceterisque ad rem facientibus. Reproposito hinc dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatum et legatorum applicatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative quoad bona Nosocomii S. Catharinae Fognani, et ideo esse restituenda; in reliquis consulendum Sanctissimo, ut per modum provisionis concedat manuteneri Hospitale Oratorem in administratione bonorum et redituum reliquarum fundationum, ita ut, adimpletis ad formam earum omnibus oneribus, quidquid superefit faciat suum, donec a Sanctitate Sua aliter provideatur, et Episcopus curet adimplementum, et sibi quotannis reddi rationem adimplementi in specie cuiusque legati pii – *in Faventina Commutationis voluntatis et Applicationis die 20 Decembris 1823.*

17. Idcirco quum Testator heredem instituerit Sodalitium loci cum onere erigendi in eius domo Hospitale pro Convalescentibus, sed reditibus longe superextantibus expensas pro illius manutentione petierint, ut bona eiusdem unirentur bonis Hospitalis Infirmorum in eadem Civitate existentis, Sacra Congregatio, exulante iusta ac legitima causa, denegavit huiusmodi unionem, atque mandavit, ut Episcopus curaret retentionem Convalescentium in domo Testatoris, donec reconvaluerint iudicio Medici, reditus tamen adhuc superextantes ex hereditate Testatoris applicarentur Hospitali Infirmorum etiam in futurum

in Fanen. Unionis die 15 Aprilis et die 16 Septembris 1780.

18. Siquidem Petrus Galassi Praepositus Cathedralis Ecclesiae Fanensis anno 1767 in testamento suorum omnium bonorum usumfructum reliquit equiti Iosepho eius fratri donec vixerit, heredem vero proprietarium instituit Sodalitium Sanctae Crucis dictae Civitatis cum onere erigendi in ipsius domo Hospitale – per li convalescenti per gli uomini e non per le donne nè feriti durante la loro convalescenza e mero bisogno, posposta ogni parzialità, e giunto sia il capitale o con gli avanzi o Benefattori, ne inculco l'aperizione a gloria di Maria Santissima –. Defuncto Testatore, possessionem bonorum omnium hereditariorum apprehendit Hieronymus Galassi illius ex fratre nepos iure aviti fideicommissi, cuius vocationem per obitum Patrui sine filiis in sui personam purificatam esse contendebat: hanc tamen orituram quaestionem diremit praeambula transactio inita Hieronymum inter et Sodalitium, et illius virtute tradita Hieronymo fuerunt tot bona valoris scutorum 4006 68, reliqua vero, quae erant valoris scutorum 9216 66, immunia prorsus a Hieronymi vexationibus habuit Sodalitium. Confratres autem quammaxime timentes, superextantium bonorum reditus impares esse nedum ad erectionem, sed etiam ad manutentionem Xenodochii a Praeposito Testatore praescripti, hinc duo postularunt, primum, quod approbaretur antedicta transactio; et alterum, quod patrimonium erigendi Xenodochii Convalescentium uniretur patrimonio alterius iamdiu erecti Xenodochii pauperum infirmorum sub eadem administratione Sodalium S. Crucis existentis, ut ita unum tantum fieret Xenodochium pro Infirmis et Convalescentibus, votique compotes facti fuerunt quoad primam eorum petitionem, quo vero ad alteram rescriptum fuit, quod Xenodochium pro Convalescentibus erigeretur iuxta mentem Praepositi Galassi Testatoris. Xenodochium idcirco fuit erectum, Sodalesque subinde renovarunt preces coram Sacra Congregatione pro unione Xenodochiorum et patrimoniorum ea innixi ratione, quod cum reditus Xenodochii pro Convalescentibus longe superarent expensas pro illius manutentione et Convalescentium commodo et beneficio necessarias, de his superextantibus reditibus beneficium sentirent et Infirmi alterius Xenodochii. Episcopus Sodalium votis adhaesit in sua informatione. Proposito vero dubio: – An bona Hospitalis Convalescentium Civitatis Fani unienda sint bonis Hospitalis Infirmorum eiusdem Civitatis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 aprilis 1780 responsum dedit: – Negative, et ad mentem; et mens est, quod scribatur Episcopo, qui referat, an Convalescentes retineantur per tres dies tantum vel limitatum tempus, vel potius per tantum temporis, quantum ex iudicio Medici necesse est, ut retineatur ad hoc, ut perfecte convalescant –. Literae datae fuerunt Episcopo; sed adhuc eius relatio expectabatur.

19. Adversus autem resolutionem audiri postulavit Archiconfraternitas S. Crucis. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis iuxta modum; et modus est, quod Episcopus curet retentionem Convalescentium in domo Testatoris, donec reconvaluerint iudicio Medici, reditus vero adhuc superextantes ex hereditate Testatoris applicentur Hospitali Infirmorum etiam in futurum – *in Fanen. Unionis die 16 Septembris 1780.*

20. Quum vero inutilis videretur erectio novi Hospitalis, altero existente in eodem loco, Sacra Congregatio permisit, ut bona a Testatore relicta, ad illud erigendum, applicarentur favore alterius Hospitalis iam erecti, ac praesertim favore Seminarii erigendi, apposito tamen lapide, tam in Seminario, quam in Hospitali praedictis, in memoriam pii Testatoris *in Liparitana die 20 Novembris 1723* (1).

21. Contra quum magna concurrere videretur utilitas erigendi Hospitalis in loco, ubi erat Ecclesia cum domo parochiali, Sacra Congregatio facultatem tribuit Ordinario cedendi Communitati praefatam Ecclesiam ac

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Applicatio in genere*, n. 35 ad 42, Tom. I; ubi alia huiusmodi exempla prostant.

domum parochialem pro usu Hospitalis *in Pisana die 30 Augusti 1851* (1).

22. Hinc Sacra Congregatio censuit, concedendum esse indultum Hospitali subrogandi proprias domos loco emendi situm a Testatore praescriptum, attenta capacitate praedictarum domorum subrogandarum ad Testatoris mentem adimplendam *in Monopolitana Legati die 31 Ianuarii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 113 a tergo.*

23. Qua de re non obstante Parochorum oppositione, Sacra Congregatio censuit, confirmandam esse erectionem Hospitalis pro curandis infirmis Sacerdotibus, salva auctoritate Ordinarii ad formam Concilii, et dummodo reditus alterius instituti erogentur in eiusdem adimplementum, ad quem effectum fieret separatio bonorum, cui incumberet Ordinarius *in Toletana Iurium parochialium sive Hospitalis et Privilegiorum die 21 Aprilis 1742 die 16 Februarii 1743 die 20 Novembris 1745 et die 28 Maii 1746.*

24. Iamvero Congregatio Sacerdotum a seculo et ultra in parochiali Ecclesia S. Petri Regiae Villae Matriti sub eiusdem S. Petri invocatione instituta novum quoddam anno 1733 pro curandis infirmis Sacerdotibus erexit Hospitale; subindeque Summo Pontifici supplicavit, ut, praevia confirmatione erectionis huiusmodi, plura eidem Hospitali elargiretur privilegia. Ordinarius Toletanus accuratam transmisit relationem, in qua late exponebantur cum rationum momenta, quibus Parochi Villae Matritensis sustinebant, non esse annuendum precibus memoratae Congregationis Sacerdotum, tum ea, ob quae e contra iidem Sacerdotes confidebant, petitioni suae favendum fore. Ipse vero, quod attinebat ad facti circumstantias peculiari animadversione dignas, retulit in primis, controversum hoc recens instituti Hospitalis opus ita in suis adhuc initiis reperiri, ut ob redituum tenuitatem sperari minime posset perfectio illa, quam ipsius Administratores intendebant, quaeque Regiae Matritensi Villae responderet. Secundo enarravit, emolumenta parochialium Ecclesiarum eiusdem Villae non in decimis sistere, quippe quae vel nullae solvebantur, vel exiguae admodum erant, sed ea confici ab oblationibus fidelium, ac iuribus stolae, iisque potissimum, quae ex funeribus percipiebantur, adeoque non modicum certo certius passura forte detrimentum, si expetitis privilegiis Hospitale donaretur. Tertio memoravit, variis tantisque modis pietatem fidelium in Villa Matritensi exerceri pro levandis egestatibus et indigentiis pauperum Sacerdotum, ut nulla sive necessitatis, sive utilitatis deprehenderetur causa, ob quam praestaret novam huius Hospitalis institutionem fovere. Et tandem sententiam suam aperiens dixit, non aliter erectionem praedicti Hospitalis, quoties ea confirmari vellet ab EE. PP., esse approbandam, nisi cum clausula, absque iuris parochialis praeiudicio. His interim perpensis, proposito dubio: – I. An erectio Hospitalis S. Petri Villae Matriti sub instituto ven. Congregationis Presbiterorum sit confirmanda, vel potius sit locus illius suppressioni et quomodo? –, Sacra Congregatio die 21 aprilis 1742 respondit: – Ad primum, dilata; et scribatur Archiepiscopo administratori pro nova informatione, iuxta instructionem –. Instructio in eo versabatur, quod Sacra Congregatio certior fieret – ad quam summam ascendant reditus, qui debeant a Congregatione impendi in subsidium pauperum Sacerdotum infirmorum degentium in propria domo, et eorum, qui detinentur in carceribus, et quot sint reditus erogandi pro manutentione Hospitalis nuper erecti, itidemque an reditus destinati in priorem causam erogentur toti in eamdem, et num Congregatio parata sit prosequi opera pia prius instituta, etiamsi retineat Hospitale pro Sacerdotibus infirmis, et praesertim pro invalidis, iuxta dispositionem Sacerdotis Blasii Rodriguez de Carion –. Interea e vivis erepto Archiepiscopo administratore, conscriptae fuerunt Literae ad Vicarium Generalem, qui suam transmisit relationem. Reproposito tamen dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 16 februarii 1743 responsum tulit: – Dilata, et scribatur novo Archiepiscopo administratori pro informatione et voto iuxta instructionem –.

25. Adventa novi Archiepiscopi admini-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Alienatio*, §. IV, n. 217 ad 221, Tom. I.

stratoris epistola, reproposito praedicto dubio, Sacra Congregatio die 20 novembris 1745 respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, salva auctoritate Ordinarii ad formam Concilii, et dummodo reditus prioris instituti erogentur in eius adimplementum, ad quem effectum fiat separatio bonorum, cui incumbat Ordinarius –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Toletana Iurium parochialium sive Hospitalis et Privilegiorum die 28 Maii 1746.*

26. Insuper nedum Sacra Congregatio erectionem Hospitalis confirmare non ambigit, sed et plura indulget privilegia, etiamsi Parochi adversentur; quandoquidem postquam Sacra Congregatio confirmaverit erectionem praefati Hospitalis S. Petri Villae Matriti existentis intra fines Paraeciae S. Sebastiani sub instituto Congregationis Presbiterorum pro curandis infirmis Sacerdotibus, salva auctoritate Ordinarii ad formam Concilii, propositis dubiis: – II. An concedendum sit praedictis Hospitali et Congregationi indultum respective administrandi Sacramenta Poenitentiae Sanctissimae Eucharistiae etiam per viaticum, retinendi Oleum Sanctum illudque administrandi Sacerdotibus infirmis independenter a quovis Parocho etiam S. Sebastiani? *Et quatenus affirmative.* III. An sub eodem indulto comprehendendi sint Ministri seu Servientes et Familiae degentes intra septa dicti Hospitalis et Ecclesiae cum eadem independentia a Parocho sive Parochis in casu etc. IV. An concedendum sit indultum administrandi Sacramentum Eucharistiae pro satisfactione praecepti paschalis tam Sacerdotibus, quam Ministris aliisque supradictis Personis intra septa dictae Ecclesiae et Hospitalis degentibus sive infirmis, sive non in casu etc. V. An indulgendum sit eidem Congregationi et Hospitali ius sepeliendi tam Confratres Ministros aliosque in Hospitali decedentes, quam alios decedentes in quacumque Parochia et sepulturam eligentes in dictis Ecclesia et Hospitali cum eadem independentia a Parocho seu Parochis eorumdem et absque ipsorum interventu et Cruce tam in associando, quàm in sepeliendo cadavera una cum emolumentis competentibus aliis Ecclesiis et Hospitalibus exemptis a iurisdictione Parochi in casu etc. VI. An concedenda sit exemptio ab omni et quacumque solutione cuiusvis portionis seu quartae funeralis dictorum Ministrorum Servientium Familiae ac Sacerdotum in Hospitali decedentium in casu etc. VII. An concedendum sit Hospitali et respective Congregationi indultum exponendi in illius Ecclesia publicae venerationi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum celebrandi divina Officia in hebdomada maiori benedicendi candelas cineres et ramos olivarum ac celebrandi quamcumque festivitatem Missas cantatas praedicationes Anniversaria et Officia mortuorum et peragendi quasvis ecclesiasticas functiones fieri consuetas in Ecclesias aliorum Hospitalium exemptorum fruendique omnibus privilegiis et praerogativis pariter ad instar aliorum Hospitalium auctoritate Apostolica exemptorum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 decembris 1745 respondit: – Ad secundum et tertium, Affirmative quoad Sacerdotes infirmos de licentia Parochi S. Sebastiani. Ad quartum, Negative; et quoad Sacerdotes infirmos de licentia Parochi. Ad quintum, Affirmative quoad Sacerdotes infirmos in Hospitali decedentes, in reliquis Negative. Ad sextum, provisum in antecedenti. Ad septimum, quoad expositionem Sanctissimi Sacramenti et praedicationem arbitrio Ordinarii, in reliquis idem Ordinarius provideat pro sui prudentia, salvis iuribus parochialibus –. Repropositis mox dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 maii 1746 respondit. – Ad secundum tertium et quartum, in decisis, dempta clausula de licentia Parochi. Ad quintum sextum et septimum, in decisis; et amplius –. Demum repropositis dubiis secundo tertio quarto et quinto sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad secundum tertium quartum et quintum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit, in secundo loco decisis in omnibus; et amplius – *in Toletana Iurium parochialium sive Hospitalis et Privilegiorum die 27 Augusti 1746.*

27. Quin imo Summus Pontifex indulget

Episcopo potestatem imponendi taxam super omnibus Sodalitiis et Locis piis, exceptis Regularibus, ut extrui valeat Nosocomium, unde qui bonas Sodalitii suppressi possidet eam persolvere tenetur, quam tamen persolvere haud debet, qui unionem Beneficii iurispatronatus a Summo Pontifice impetravit *in Imolen. Pensionis die 24 Augusti 1816.*

28. Siquidem supremo elogio anni 1637 Sacerdos Dominicus Giovannini Rector Ecclesiae parochialis S. Ioannis Baptistae de Azelio ex universa hereditate Beneficium sub titulo S. Mariae Lauretanae erigi voluit cum adnexo onere duplicis Missae hebdomadalis, patronatum vero deferri iussit descendentibus agnatis Familiae suae, iisque deficientibus, administrationem bonorum dedit Sodalitio Sanctissimi Sacramenti in eadem Ecclesia Azelli erecto, sub lege erogandi reditum partim in celebrationem Missarum et ornamenta Capellae, partim in eleemosynas Pauperibus distribuendas; omnesque legati commodo privatos decrevit, qui onerum implementum neglexissent. Perempta agnatione Giovannini, cum in sacra visitatione anni 1717 Cardinalis Gozzadini Episcopus Imolensis comperiisset, male a Sodalitio redditam fuisse rationem gestae administrationis Giovannini, edito Decreto, ad privationem processit administrationis, eamque detulit Parochis pro tempore S. Ioannis Baptistae, qui ab hinc eamdem exercuerunt. Factum porro est, ut in Civitate Forocornelii initum fuerit consilium extruendi Nosocomium, quod opus cum graves exigeret sumptus, s. m. Pius VI, datis Literis in forma Brevis diei 10 aprilis 1787, potestatem fecit Cardinali Randi tunc Episcopo, ut pecunias imperare posset in eam causam omnibus Sodalitiis et Locis piis suae Diaecesis, ita ut nulla Sodalitia et Loca pia, exceptis Regularibus ab hoc contributo essent immunia. In quorum exequutionem die 10 februarii Cardinalis Randi decrevit, quantum quisque in hanc causam, pensionis nomine, conferre debebat. Atque hoc contributum prorogatum fuit a Summo Pontifice, cum Forocorneliensem Ecclesiam regebat ex Decreto 11 iunii 1796, in cuius calce, inter taxata Loca pia descripta, legebatur: – Compagnia di Zello scudi venti –. Sed hoc Sodalitium subinde in rerum publicarum discrimine suppressum fuit. Hinc decessor Parochus iure declaratae iam caducitatis, in quam Sodales inciderant, retentionem sibi vindicavit administrationis Beneficii Giovannini, cuius dos, ex hereditate conflata, consistebat in unico praedio, quod vocabant *Compagnia.* Ferebatur quoque, Parochum ipsum egisse et impetrasse eius unionem reditibus Paraeciae; sed cum nullum de ea monumentum superesset, ideo Sacerdos Vincentius Mirri modernus Parochus ex Rescripto Sanctissimi die 27 iunii 1814 gratiam exoravit – confirmationis praecedentis indulti, et quatenus opus sit, novae unionis in perpetuum iuxta petita, arbitrio et conscientiae Vicarii Apostolici, impletis tamen per Oratorem eiusque Successores omnibus oneribus adnexis bonis extinctae Confraternitatis, Paraeciae praesenti Decreto unitis, ad formam fundationis –. Controversia hinc orta est, num servanda esset super praedium illud ea taxa favore Hospitalis, quae indicta fuit Sodalitio in annuis scutis viginti. Illam enim nedum pro tempore praeterito in summa scutorum 360, sed in posterum Administratores Hospitalis reposcebant a moderno Parocho S. Ioannis, qui Beneficium Giovannini, quod olim Sodalitio addictum erat, in praesens parochialibus reditibus unitum retinebat. Quamobrem Parochus Mirri postulavit, ut pensio deleretur ex iure, cum pensio imposita fuerit super bonis Sodalitatis, non vero Beneficii. Quin imo nec super iis imponi poterat: nam data est facultas imponendi taxam super Sodalitiis et Locis piis, exceptis Regularibus, non vero super Beneficiis. Insuper ex gratia saltem delendum esse hoc onus contendit Parochus Mirri, quatenus etiam super patronatum iure infixum fuisset. Contra Administratores sustinuerunt, datam fuisse a Pio VI facultatem imponendi taxam super omnibus Locis piis, lata significatione sumptis. Nam excepti fuerunt Regulares: unde dum Parochi administrationem ferebant, indictam taxam ad annum 1796 persolvisse defenderunt, quin patronatus Giovannini Paraeciae unitus immunis evaserit a contributo; quandoquidem cum illud imperatum est, nondum fuerat unitum Paraeciae, adeoque accenseri debebat inter Legata pia, super quibus etiam impositam fuisse taxam ex facto constabat, cum ex Decreto illius prorogatio-

nis diei 11 iunii 1796 a Summo Pontifice tum Imolensi Episcopo lato contributioni obnoxia legerentur: - Eredità Turre - Eredità Duplesi - Eredità Matragliati - Legato Matteucci -.

29. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et a quo tempore a Parocho Mirri sit persolvenda taxa favore Xenodochii, seu potius sit locus abolitioni seu moderationi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative quoad bona fundationis Giovannini, Affirmative quoad cetera bona Confraternitatis a die unionis, quatenus Paraeciae unita fuerint - *in Imolen. Pensionis die 24 Augusti 1816.*

30. Hinc, attentis redituum insufficientia ac necessitate reaedificandi Hospitale aptiori salubriorique loco in ampliorem melioremque formam, ad instantiam Regis Lusitaniae concessum fuit indultum ad annos triginta applicandi Hospitali omnia legata non adimpleta ab eorum fundatione, et quoad ea, in quibus non intervenerit compositio cum R. Fabrica S. Petri de Urbe *in Conimbricen. Gratiae applicationis legatorum die 21 Augusti 1717 lib. 67 Decretorum.*

31. Iamvero - in platea Conimbriae pergrande extat Xenodochium sub invocatione Beatae Mariae Virginis de Conceptione administratum a Patribus Congregationis Canonicorum Secularium S. Ioannis Baptistae, ad quod omnes pauperes Infirmi Regni Lusitaniae et Peregrini confluunt. Verum quia huiusmodi Hospitalis fabrica subiacet frequentibus contermini fluminis Mondego irruptionibus et inundationibus, ita ut ad eversionis usque periculum hyemis tempore aquarum impetu concutiatur, et aer in damnum maximum Infirmorum ex aquis stagnantibus inficiatur, ideo Serenissimus Lusitaniae Rex illud aptiori salubriorique loco in ampliorem melioremque formam extruere destinavit; sed quia annui reditus, qui ad ducata mille auri de Camera non ascendunt, neque satis sunt pro Ministris et Infirmis, hinc nomine dicti Serenissimi Lusitaniae Regis supplicatum fuit Sanctissimo, « ut permitteret eidem Hospitali applicari omnia Legata a Testatoribus relicta in eorum testamentis in Civitate et Diaecesi Conimbricensi, quae exequutioni non demandantur, neque demandata fuerunt intra tempus in eis per Testatores praefixum, vel intra tempus a iure sive diaecesana lege statutum; et dummodo legata praedicta certis Locis vel Personis relicta non fuerint, ac nisi debitores dictorum Legatorum se componant in quocumque tempore cum R. Fabrica S. Petri, antequam dictum Hospitale conveniat debitores pro solutione, limitando tamen Hospitali, ut ei non liceat se cum debitoribus componere, sed teneatur totam integramque summam exigere ad instar consimilis gratiae a s. m. Paulo III et Clemente VIII Regio Hospitali Ulyssiponensi concessa ». Cumque preces huiusmodi remissae fuerint EE. VV. pro voto, instantia per Summarium proposita sub diebus 18 maii et 7 decembris anni 1715 admissa non fuit, sed in utraque propositione opponentibus se R. Fabricae Ministris iuxta memoriale tunc distributum, Rescriptum prodiit: « Relata »; et die 5 septembris novissimi rescriptum fuit: « Ponatur in folio, citatis Ministris R. Fabricae ». Quare in praesens exhibetur Decretum emanatum die 28 elapsi mensis aprilis in Congregatione Generali R. Fabricae, in quo declaratur: « Non obstare R. Fabricam gratiae petitae ». Rmus Nuncius ex relatione Episcopi Conimbriae omnia in precibus narrata confirmat, et uterque censet, locum esse gratiae cum conditionibus in precibus expositis, ea tamen addita, « dummodo legatorum applicatio fiat per Iudicem ecclesiasticum, si casus evenerit tempore, quo executio testamentorum ad ecclesiasticam Curiam pertinet, iuxta terminos alternativae concordatae cum laicis, et, ut dicitur, Apostolica Auctoritate confirmatae ». Ex quibus summa EE. VV. sapientia decernet: - An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 18 maii et 7 decembris anni 1715? -, Sacra Congregatio die 5 iunii 1717 responsum tulit: - Dilata -.

32. Unde - Administratores Hospitalis iterum pro gratia supplicant consentientes, ut exequutio eiusdem gratiae et legatorum applicatio Episcopo Conimbriae privative quoad omnes alios Iudices committatur, nec non consentiunt, ultra alias in primo folio expressas conditiones apponi etiam sequentes, ne gratia exequutioni mandetur, nisi post triennium a die illius publicationis et affi-

xionis in Urbe Conimbriae, et quod applicatio Hospitali nunquam fieri possit, nisi post decennium a die morae et maturatae solutionis, ita ut legata unica vice praestanda post decennium a die debiti adimplementi, et quoad annua legata annatae tantum decursae supra decennium pro Hospitali modo et forma iam expressis exigi valeant. Hinc EE. VV. dispicient: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 18 maii et 7 decembris 1715 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Praevio recessu a decisis, pro gratia ad annos triginta iuxta modum exprimendum – *in Conimbricen. Gratiae Applicationis legatorum die 21 Augusti 1717 lib. 67 Decretorum.*

33. Quando itaque legatorum adeo tenues deprehenduntur reditus, ut Testatoris voluntas impleri nequeat, et quando non fuit eorum praescriptus usus, aut saltem non constat, quaenam fuerit mens, in utroque casu huiusmodi legata in alium pium usum esse convertenda ad unum omnes fatentur Doctores cum Barbosa in Concil. Trid. sess. 22 de reform. cap. 6 n. 2 et 3, Moneta de commut. volunt. cap. 5 n. 130, Molin. de iust. tom. 2 disp. 249. Ubi vero aliquod adsit Nosocomium bonis indigens, huic procul dubio legata tribuenda erunt; siquidem hereditates incertis Pauperibus relictae de iure Hospitali deferuntur, iuxta censuram Textus in L. *Si quis ad declinandum* 37 Cod. de Episcopis et Clericis, et censuit etiam Sacra Congregatio in Hispalen. 7 septembris 1680 lib. 31 Decretorum pag. 224 *in Vicen. Commutationis et Applicationis die 20 Novembris 1762* §. *In.*

Item *in Alatrina Visitationis sacrorum Liminum die 10 Iulii 1790* §. *Hospitalium; in Faventina Commutationis voluntatis applicationis et sanationis die 22 Februarii 1823* §. *Praeterea.*

34. Quin imo quamquam defunctorum voluntates accurate religioseque sint servandae, nihilominus iusta aliqua intercedente causa commutari posse compertum est. Iustam autem praebet causam indigentia unius Loci pii, rerumque copia alterius, Layman in sum. lib. 4 tract. 2 cap. 13 n. 16, Amostaz de Caus. piis lib. 1 cap. 14 n. 37; multoque magis paupertas Hospitalium, quorum causa favorabilior est, quam Ecclesiae, cum levamen respiciat miserabilium Personarum, pro quibus res Ecclesiae, ipsaque vasa sacra alienantur, Can. *Aurum* 12 quaest. 2, Fagnan. in Cap. *Nulli* de reb. eccles. non alienan. n. 7 *in Ariminen. Applicationis Legati et Montis Pietatis die 19 Aprilis 1823* §. *Quamquam.*

35. Quapropter Sacra Congregatio probe sciens quam Deo accepta et a sacris Canonibus commendata sint Hospitalia, in quibus pauperes Infirmi medicaminibus curantur cibo reficiuntur ac etiam ad bene christianeque vivendum et moriendum adhortantur, nonnumquam, ut tenuis Nosocomiorum augeretur census, eisdem unionem concessit illorum bonorum, quae in dotandas Puellas, in Missas celebrandas, aut in alios pios usus ex Fundatorum lege erant destinata *in Mutinen. Reductionis et Commutationis die 24 Iulii 1830* §. *Attamen.*

Item *in Lucana Absolutionis et Reductionis die 6 Iulii 1840* §. *Iamvero.*

36. Unde si aliquod Nosocomium bonis careat, non modo ipsi suppetias ferre oportebit reditibus legatorum, quos Testatores curandis Aegrotis reliquerunt, sed insuper eidem unienda quoque erunt bona in eleemosynas, in dotandas Puellas, aliosque in pios usus ex defunctorum lege insumenda. Qui enim pii Testatores consultum voluerunt miserabilibus Personis eo vel magis putandum est, bona sua voluisse relinquere Nosocomio, si illud necessariis destitutum reditibus praevidissent. Nimirum qui misericors est in Pauperes, eo magis erit erga illos, qui et paupertate et infirma valetudine simul vexantur, ideoque nec labore, nec ostiatim victum quaeritare, nec ulla ratione saluti providere valeat *in Faventina Commutationis voluntatis applicationis et sanationis die 22 Februarii 1823* §. *Itaque.*

37. Qua de re quum plures Testatores mandaverint, ut reditus respective hereditatum in subsidia dotalia et alia pia opera distribuerentur, Sacra Congregatio, attenta maxima Hospitalis loci egestate, induxit, ut medietas redituum erogaretur in subsidia dotalia ad formam testamentorum, reliqua medietas applicaretur favore Hospitalis *in Vicen. Commutationis et Applicationis die 20 Novembris 1762.*

38. Enimvero Bartholomaeus Pedrissa pharmacopola condito testamento die 3 februarii 1436 heredem instituit D. O. M. et animam suam praecipiens, ut pecuniae ex venditione rerum hereditariarum retrahendae investirentur in censibus, ac distributis quolibet anno in hebdomada post festum omnium Sanctorum tribus vestibus *di panno burello* inter Pauperes loci de genere suo vel alios Exequutoribus benevisos, reliqui fructus erogarentur in subventionem Pauperum magis indigentium et Puellarum nubendarum, arbitrio eorumdem Exequutorum. Et in codicillis scriptis die 26 iulii 1437 quatuor adiunxit vestes modo praedicto distribuendas, et exequutionis ministerium concessit Decurionibus loci, qui tunc Consiliarii vocabantur. Insuper Raymundus Salissò sutor pariter eiusdem loci seu Oppidi, condito testamento die 9 maii 1400, instituit Causam piam, pro eleemosyna distribuenda Pauperibus verecundis et pro maritandis Puellis de genere suo suaeque Uxoris vel extraneis, pro libito Decani et Consiliariorum Oppidi, quos elegit Administratores. Et demum Petrus Sabata illius etiam loci aliam instituit Causam piam pro Puellis maritandis, data administrationis cura iisdem Consiliariis sive Decurionibus Oppidi. Harum trium hereditatum administrationem susceperunt Decuriones; sed, ut legebatur in precibus Summo Pontifici oblatis, – ob ignorantiam seu incuriam earum Administratorum multo iam ab hinc tempore praefati reditus ad praescriptos fines non deserviunt neque distribuuntur –. Et Honuphrius de Reart olim Episcopus Vicensis die 18 februarii 1610 indulsit Decurionibus, ut partem illarum redituum sexennio erogarent in constructionem Conventus Capuccinorum dicti Oppidi, Fabricae similiter Ecclesiae parochialis eiusdem loci partem dictorum redituum applicavit successor Episcopus Fr. Andreas a S. Hieronymo die 8 maii 1617; eamdem applicationem prorogavit et de novo concessit die 2 augusti 1757 modernus Episcopus pro perficiendis portis et organo aliisque ornamentis dictae Ecclesiae parochialis. Quocirca ad sedandas Administratorum conscientias, ob non servatum praescriptarum distributionum modum, petebatur, ut Auctoritate Apostolica earumdem reditatum reditus perpetuo applicarentur Ecclesiae parochiali et Hospitali Pauperum aegrotantium dicti loci, prout alterutrius indigentia maior pro tempore visa foret Decurionibus, praesertim quia summa erat Ecclesiae et Hospitalis egestas, et nulli amplius extabant Testatorum cognati vel affines, quibus videretur ius quaesitum pro eleemosynis aut vestibus consequendis. Episcopus precibus adhaerens censuit, aequum atque utilem fore perpetuam applicationem horum redituum favore Ecclesiae et Hospitalis, ob maximam illorum egestatem, et ob deficientiam Personarum piis Testatoribus coniunctarum. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit locus commutationi et applicationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Medietatem reditum esse erogandam in subsidia dotalia ad formam Testamentorum, reliquam medietatem favore Hospitalis – *in Vicen. Commutationis et Applicationis die 20 Novembris 1762.*

39. Hinc attenta Testatoris dispositione in testamento et in codicillis facta, Sacra Congregatio declaravit, erogatis in substentationem pauperum Infirmorum antiquis Hospitalis reditibus, erogandos esse in subsidium pro eadem causa reditus praedicti Testatoris, soluto Capellani stipendio, de reliquis vero fructibus adimplenda esse legata ad formam codicillorum *in Albinganen. die 28 Septembris 1765.*

40. Siquidem Ioannes Baptista Pagliari anno 1683 suis Literis testamenti, post mortem Iuliae uxoris usufructuariae omnium bonorum heredem Hospitale pauperum Infirmorum in Portu S. Mauritii instituit. Voluit primo, ut Capellanus amovibilis haberetur, qui Sacrum quotidie ibi ageret atque Infirmis Sacramenta ministraret, certo constituto annuo stipendio librarum Ianuensium 350. Perpetuos executores elegit Protectorem pro tempore Hospitalis Priores trium Sodalitiorum, et Protectorem seu Massarium Ecclesiae Collegiatae. De erogandis reditibus dixit: – Si debbano impiegare nell'elemosina a detto Sacerdote come sopra, ed il restante in sovvenir i poveri ammalati, che saranno alla giornata in detto Ospitale, e se agli medesimi esecutori parrà necessario di parte di detti redditi spenderlo in ridurre detto

Ospitale in qualche forma aggiustata e comprare qualche utensile, sia in elezione loro di farlo, basti che resti prima provisto agli ammalati, e dette spese si possino fare da quelli avanzi, se ve ne sarà –. Anno autem sequenti 1684 in codicillis addidit: – Più ha ordinato, che degli avanzi de' redditi facesse detto Ospitale di questo luogo chiamato erede nel suo testamento s'impieghi per terzo in celebrazione di Messe per l'anima di esso Testatore, anzi di esso signor Codicillante, l'altro terzo in riparamento o sia mobili o altro necessario per detto Ospedale, e l'altro terzo in distribuzione di pane a poveri di questo luogo, volendo che prima di tutto si proveda agli ammalati, nel resto poi conferma detto testamento –. Hospitale ante consecutionem hereditatis habebat ex suis bonis circa scuta 160 annua; habuit postmodum ex hereditate Pagliari reditus annuos scutorum 379. De Capellano nihil unquam immutatum est: nonnulli tamen ex Prioribus pro tempore administratoribus consilium secuti cuiusdam ex ordine Carmelitarum discalceatorum Theologi Ianuensis, ante alios Hospitalis proprios, pro Infirmis omnibus, fructus hereditatis Pagliari erogarunt, salvis ita plerumque remanentibus in totum vel in parte pristinis Hospitalis bonis. Hinc illud accidit, quod debebat, ut nulla ex hereditate Pagliari superesset pecunia, quae implendis legatis daretur, eaque legata plurimis annis impleta non fuerint. Huic malo occurrerunt praesentes Hospitalis Administratores: petierunt, ut unio et commixtio omnium bonorum fieret, ac certa quantitas pro legatis hereditatis Pagliari in annum constitueretur, quam in scutis 30 annuis offerebant. Dixerunt enim, ex contextu ipso testamenti et codicillorum apparere evidenter, Testatorem primo et principaliter respexisse sustentationem pauperum Infirmorum ex clara lege praeferendam legatis, quae ex abundantibus reditibus impleri Testator voluit. Necessariam hinc esse contenderunt unionem veteris et novi patrimonii, cuius utriusque reditus vix ad annua scuta 530 ascendebant, ut maior impensa eviteretur; utilem vero ipsi hereditati Pagliari, cui certa quantitas pro legatis dabatur, quam alias non habuisset, ob pauperum Infirmorum numerum quotidie excrescentem ex aucta per ea litora negociatione; nullam hinc fieri reductionem Missarum, quarum in codicillis numerus praefinitus non erat; nullam iniuriam voluntati, quae pinguius ac certius impleretur in posterum. Episcopus petitionem adiuvit, et aliqua de suo addidit. Quum vero Testator bona Hospitali addiderit, nihil ex eo, quod extabat, evertisse videbatur: multo magis, quia abundantes fructus in certam causam impendi voluit, pro Sacris nempe celebrandis, ac pro pane Pauperibus distribuendo. Credidit itaque atque exoptavit, si fieri posset, ut in eam causam abundarent. Quae alia, sive ab Administratoribus, sive ab Episcopo proponebantur, ad voluntatis commutationem pertinebant. Nec videbatur multam veri haberi similitudinem, quod quolibet anno ex utroque patrimonio vix scuta annua 20 reliqua essent. Administratores ipsi de suis rebus instructi offerebant annua scuta 30 pro legatis. Episcopus ipse dicebat, non exactas pecunias ascendere ad conspicuam summam scutorum 1277, quam si recuperari posse existimabat, ideo neque veteris, neque desperatae exactionis reliquiae erant.

41. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit providendum satisfactioni legatorum relictorum in codicillis Ioannis Baptistae Pagliari in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Erogatis in substentationem pauperum Infirmorum antiquis Hospitalis reditibus, erogentur in subsidium pro eadem causa reditus hereditatis Pagliari, soluto Capellani stipendio; de reliquis vero fructibus adimpleantur Testatoris legata ad formam codicillorum, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo ad mentem – *in Albinganen. die 28 Septembris 1765.*

42. Quod si reditus Hospitalis superent exitum, haud concurrit iusta et rationabilis causa ad effectum obtinendi suspensionem dotium, indulgetur tamen absolutio quoad praeteritum, cum praedicti reditus in uno exitum vel altero excedant scuto, adeoque non sine gravi eiusdem Xenodochii detrimento suppleri posset praeterita omissio *in Sutrina Suspensionis Dotium die 14 Ianuarii 1792.*

43. Iamvero Iustinus Colelli tamquam fiduciarius heres Antoniae Panetti declaravit anno 1671, unam quotannis ex fructibus he-

reditatis, hisque deficientibus, secundo distribuendam anno dotem scutorum 25; commisitque huiusce dispositionis executionem Xenodochio Tulpharum, cui attribuit quod singulis fortasse superesset annis, integrosque anni reditus post quaternas quoque dotationes. Anno rursus 1701 substituit Paulus Pugnaletti Xenodochium ipsum Laurae Ambrogetti cum onere tradendi Patribus Capuccinis annuos cados sex cum dimidio vini, et distribuendi quolibet biennio dotem alteram scutorum 25. Consistebat potissimum hereditas Panetti in medicamentaria officina, vixque, imminuto eius fructu, annua attingebat scuta circiter 15. Reddebat altera Pugnaletti scuta circiter 35, sed in reparandis hereditariis domibus impensa erant scuta 470 55 1/2. Hisce de causis, et ob additum sumptum scutorum 216 pro reparatione Ecclesiae, pro qua creatus fuit anno 1783 census in sorte scutorum 150, pro rata tunc vigens scutorum 50, intermiserunt Officiales Xenodochii ab anno 1780 distributionem dotis Panetti alteriusque Pugnaletti ab anno 1786. Re cognita, iniunxit eis Episcopus Sutrinus in pastorali visitatione, ut Sacram adirent Congregationem, statimque ad praescriptum supplicarunt pro absolutione quoad praeteritum, ac futura suspensione ad decennium. Episcopus retulit, reditus Xenodochii, habita ratione ad decennium, adscendere ad scuta 360 circiter; ac censuit, – ad levamen huius Loci pii admodum Pauperibus necessarii indulgeri petitioni posse –. Facile vero concedenda non videbatur dotium suspensio. Pro illa enim Panetti scuta erant 15, quae si pro annua non sufficiebant, pro biennii tamen exuberabant distributione, ad formam declarationis Colelli. Pro altera autem Pugnaletti, quae singulis distribuenda erat biennis, annua Xenodochium percipiebat scuta 35, ideoque detracto etiam legato vini, non parum lucrabatur. Annui contra ipsius Xenodochii reditus superabant exitum in uno vel altero scuto; eaque idcirco non concurrebat iusta et rationabilis causa, ob quam piae Fundatorum dispositiones per diuturnum tempus exequi non debeant, iuxta S. Concilium Tridentinum sess. 22 cap. 6 de reformatione. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus suspensioni dotium in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative – *in Sutrina Suspensionis Dotium die 14 Ianuarii 1792.*

44. Alias nec absonum est consulere indigentiae Hospitalis per suspensionem Missarum *in Pharaonen. Suppressionis Onerum et Absolutionis die 9 Iulii 1796* §. *Quamquam.*

Item *in Lunen. Sarzanen. Unionis et Translationis die 23 Ianuarii 1802* §. *Pugnant.*

45. Siquidem dum pii Testatores hereditates vel legata Hospitali reliquerunt, primario respexisse videntur ad pietatis opera ex instituto adimplenda, secundario vero ad Missas et eleemosynas praescriptas in suffragium propriae animae, ut tradit Capon. discept. iur. 351 a n. 23 tom. 5; ideoque in his terminis potior esse videtur causa piorum Operum, ex instituto adimplendorum, et reducenda potius esse onera Missarum et Suffragiorum secundario praescripta, ut distinguunt Passerin. de stat. homin. tom. 2 quaest. 187, et Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom. 2 tit. de reduct. Miss. quaest. 1190 a n. 2, et disertissimè s. m. Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. ult. n. 23 *in Cremonen. Suppressionis Onerum die 14 Februarii 1761* §. *Et.*

Item *in Pharaonen. Suppressionis Onerum et Absolutionis die 9 Iulii 1796* §. *Contra; in Lucana Absolutionis et Reductionis die 6 Iunii 1840* §. *Iamvero.*

46. Licet enim in hac materia piorum onerum, ubi nequeant omnia adimpleri, alia potius reducenda sunt, quam illa Missarum, iuxta regulam servatam ab hac Sacra Congregatione, de qua Fagnanus in Cap. *Ex parte* de constit. n. 34, praesertim cum Missae non ex devotione celebrandae sint, sed ex piorum Testatorum praescripto, quibus fidem servare debitum est iustitiae praeferendum praecepto charitatis; attamen aliter procedendum esse videtur in casu, ubi praecipua pietatis onera, ex instituto Hospitali incumbentia, sunt, aegrotos excipere et curare, expositos Infantes alere, Puellas vel expositas vel ab Hospitali Horphanarum dimissas

dotare in casu nuptiarum, et medicamina gratis elargiri Infirmis alterius Hospitalis Incurabilium, nec non Monialibus Capuccinis Orphanis, iisque, qui in carceribus detinentur *in Cremonen. Suppressionis Onerum die 14 Februarii 1761* §. *Et.*

47. Idcirco licet reducenda potius videantur alia onera Hospitalis, secundum Fagnan. in Cap. *Ex parte* de constit. n. 34, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. ult. §. 23, quam illa Missarum, id tamen locum non habere videtur, ubi minueretur piissimum misericordiae opus, cui plurimum fovendum censet Thomassinius de veter. et nov. eccles. disciplin. part. 1 lib. 2 cap. 89 et 91 *in Savonen. Reductionis Missarum die 18 Augusti 1792* §. *Iuxta.*

48. Quapropter quum terraemotus flagellum plerasque Hospitalis res ita perdiderit, ut exitus longe superaret reditum, ob idque Missarum ac dotium onera inadimpleta extiterint, Sacra Congregatio haud concedere quidem censuit suppressionem huiusmodi onerum, sed suspensionem indulsit ad decennium, celebrato Anniversario infra octavam omnium Fidelium defunctorum, applicando collective pro omnibus, qui onera reliquerunt, et quoad praeteritum mandavit, consulendum esse Sanctissimo pro absolutione *in Pharaonen. Suppressionis Onerum et Absolutionis die 9 Iulii 1796.*

49. Iamvero pia Domus Misericordiae, quae iamdiu in Pharaonensi Civitate pro Infirmis et Peregrinis erecta erat, pluribus ab ipsa erectione gravabatur Sacrificiis annuisque subsidiis dotalibus sex. Onera haec prae redituum imminutione reducta fuerunt anno 1736, Missae scilicet ad annuas 338, dotes ad tres. Ob maximum deinde terraemotum anni 1755 in Algarbiorum Regno graviores Domus illa passa fuit calamitates in rusticis urbanisque praediis, et ab eo propterea tempore omissa sunt Sacra ad numerum duodecim circiter millium, et collatio dotium. Huc in praesens redacta res erat, ut certi eiusdem Domus reditus annuam attingerent summam scutorum circiter 800 monetae Romanae; aegrotantium aliorumque piorum Operum sumptus summam scutorum 1100. Qua de re illius Provisor et Confratres Summo Pontifici sapplicarunt pro suppressione oneris Missarum et dotium quoad futurum, et absolutione quoad praeteritum. Episcopus exposita confirmavit ac censuit, – sanctum iustumque mihi videri, Congregationem hanc piam et in operibus charitatis semper se exercentem benigne ab his oneribus liberare –. Nam illud etiam accedebat, quod – haec pia Domus Misericordiae, cohortationibus meis persuasa, incipit novam fabricam construere ad domum hospitalem amplificandam; quae nova aedificatio est summe necessaria, parva enim domus, quae hodie aegrotos recipit, indigna est, quae Hospitalis nomine decoretur –. Annui sane reditus nec pares erant, Episcopo teste, illius sumptibus; ideoque vel pium restringendum videbatur agrotantium opus, vel onus supprimendum Missarum et dotium. Pugnabant autem inter se iustitia et charitas: una pro Testatoribus, qui suffragia praesertim voluerunt Missarum, altera pro Aegrotis et Peregrinis, quae illi cedebat. Si aliquod propterea levamen mereretur Hospitale, ex aliis potius, quam Missarum oneribus concedendum esset. Contra quidem urgebat iuris praesumptio, quod Testatores, qui hereditates et legata relinquunt Hospitali, primario respicere censentur opera pietatis, quae in illo exercentur, secundario ad Missas. At cum Episcopo notabatur, – consuetudinem esse olim Fidelium hic (in Pharaonensi Civitate) decedentium, ut Missarum onera relinquerent absque numero, pauperum aegrotantium parum aut nihil recordati –. Ceterum quoad praeteritum reprehendi poterant Curatores Hospitalis, quod nec in parte saltem ab anno 1755 adimpleverint onera Missarum et dotium, licet iampridem reducta; totque per annos implorare neglexerint gratiam, quam in praesens postulabant. Veniam tamen fortasse merebantur ob flagellum terraemotus, qui plerasque Hospitalis res perdidit.

50. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus suppressioni, seu potius suspensioni onerum Missarum et dotium in casu etc. II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ad decennium, celebrato Anniversario infra octavam omnium Fidelium defunctorum, appli-

cando collective pro omnibus, qui onera reliquerunt. Ad secundum, Affirmative – *in Pharaonen. Suppressionis Onerum et Absolutionis die 9 Iulii 1796.*

51. Quin imo attenta gravi Hospitalis indigentia, nedum indulgetur suspensio Missarum, sed et prorogatio, nec non absolutio a Missis non celebratis *in Savonen. Suspensionis Onerum die 10 Aprilis 1802.*

52. Siquidem quod in Valle S. Bernardi Savonensis Diaecesis erectum erat anno 1537 Hospitale S. Mariae de Misericordia separatos habebat fundos tum pro curandis Infirmis instituendisque Puellis, tum pro legatis Missarum, quae annuum attingebant numerum 12253, comprehensis Missis 135 cum cantu celebrandis. Verum saeviente bello et grassante peste sub seculo decimo sexto, Rectores Hospitalis, ut Infirmis opem ferrent, alienarunt fundos pro celebratione Missarum destinatos in summa scutorum 16000 monetae Romanae; cumque inter publica rerum discrimina, quae labente seculo decimo octavo evenerunt, distractos fundos reintegrare non possent, a Sacra Congregatione deprecati sunt reductionem Missarum 3073,quae deficientibus fundis respondebant. Sed proposito dubio: – An et quomodo sit locus suppressioni oneris Missarum, seu potius suspensioni in casu etc. –, rescriptum fuit in Congregatione die 18 augusti 1792: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ad decennium prout in Cremonensi –, in qua sub die 16 februarii 1743 similis concessa est suspensio onerum, – exceptis tamen iis per contractus acceptatis –, et iniuncta celebratione annui Anniversarii. Interim novissimis aerumnis deterior facta est Xenodochii conditio. Quae enim possidebat capitalia frugifera Bataviae Mediclanae Bononiae et Romae, penitus amisit; iterumque proinde Rectores s. m. Pio VI Florentiae degenti supplicarunt, ut Sacra novem millia, quae ex praecedenti indulto erant quotannis celebranda, ad annua duo millia reducerentur. Preces huiusmodi ex Rescripto diei 16 ianuarii 1799 remissae fuerunt arbitrio Ordinarii, qui utendo tributis facultatibus petitam reductionem ad triennium concessit. Nihilominus census Hospitalis semper in deterius abivit. Nam cessarunt solutiones capitalium, quae Viennae Neapolis Ianuae Panormi extabant, cessarunt piae fidelium oblationes, vastati sunt agri statione militum, et tandem direptus thesaurus, qui ex auro argento et gemmis constabat ad scuta circiter tercenta millia. Hinc ex oblatis rationibus annui accepti in libellis 58710 et expensi in libellis 78765 apparebat, quod impossibile esset Pauperes alere et Missas celebrare. Denuo igitur postularunt prorogationem ad aliud decennium utriusque indulti anno 1792 et 1799 iam impetrati, ita tamen, ut per decennium omnia Missarum onera suspenderentur, quoniam ex annuis Missis adventitiis usque ad numerum 2500 cultui Ecclesiae Hospitali adnexae satis foret consultum. Postularunt etiam absolutionem Missarum 3581, quarum celebratio non fuit adimpleta. Episcopus narrata confirmans dixit, quod Xenodochium – ad extremum egestatis reductum impar omnino est, ut Pauperes ibidem degentes, quibus nuncium dare hisce praesertim temporibus nefas est, sustentare valeat, ac una simul oneribus Missarum satisfacere –. Necessitatem implorati indulti probavit ex statu passivo, qui activum superabat in annuis circiter scutis 3500 monetae Romanae; et quoad interesse habentes retulit, quod heres eorum, qui celebrationem Missarum correspective ad assignatam dotem demandarunt, ultro assensum Pontificiae reductioni praestabant, alii vero de Sacerdotum coetu, uti patrimonii titulo nonnullas ex his Capellaniis possidentes, quarum bona erant penes dictum pium Opus, assensum reductioni propterea detrectabant.

53. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus prorogationi indultorum in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad aliud decennium iuxta petita, exceptis Capellaniis plenis, nec non celebrato unico Anniversario infra octavam omnium Defunctorum. Ad secundum, Affirmative celebrata unica Missa – *in Savonen. Suspensionis Onerum die 10 Aprilis 1802.*

54. Perseverante itaque redituum Hospitalis deficientia, Sacra Congregatio nedum absolutionem et condonationem quoad praeteritum et suspensionem onerum Missarum An-

niversariorum eleemosynarum aliorumque similium indulget, sed et pluries gratiam prorogationis concedit ad tempus, non vero in perpetuum, et exceptis iis per contractum acceptatis; quandoquidem quum magnum Hospitale S. Mariae Pietatis, quod pro curandis Infirmis alendisque Infantibus expositis anno 1451 erectum fuerat in Civitate Cremonae, praeter eximia pietatis opera ex instituto adimplenda pluribus gravaretur oneribus Missarum Anniversariorum atque eleemosynarum panis et vini cerae et similium, quae a piis Benefactoribus iniuncta vel adnexa erant parvis Hospitalibus Locisque piis Civitatis et Diaecesis, iussu s. m. Nicolai V huic Hospitali unitis in primaeva illius fundatione, sed postremis temporibus adeo auctus esset aegrotantium et expositorum numerus, ut, consumptis in illorum usu omnibus Hospitalis redditibus, summam annuam decem millium scutorum fere attingentibus, adimpleri nequiverint reliqua secundi generis onera, unde Curatores Hospitalis supplicaverint Summo Pontifici, ut, condonatis praeteritis omissionibus, penitus abrogarentur praefata Missarum Anniversariorum et eleemosynarum onera. Sacra Congregatio, audito Episcopo, qui plura insinuavit, ut petitis annueretur, die 16 februarii 1743 rescripsit: - Praevia absolutione et condonatione quoad praeteritum, pro suspensione ad decennium onerum, de quibus agitur, exceptis tamen iis per contractum acceptatis, iniuncta tamen obligatione celebrandi in die infra octavam omnium Fidelium defunctorum unum Anniversarium applicandum collective per omnibus, qui onera reliquerunt, facto verbo cum Sanctissimo -, qui editam resolutionem benigne approbavit. Ac iterum post novam Episcopi relationem die 10 ianuarii 1753 aliud prodiit Rescriptum ex oraculo Summi Pontificis: - Pro gratia prorogationis ad aliud quinquennium. Redierunt etiam tertio Administratores praedicti Hospitalis, et supplicarunt pro totali suppressione eorumdem onerum, illorumque votis adhaerebat Episcopus, cum experientia compertum esset, omnes Hospitalis reditus, suspensis etiam oneribus controversis, impares esse pro manutentione aegrotantium et expositorum, aliisque pietatis operibus ex instituto adimplendis, ita ut Hospitale gravari debuerit aere alieno in summa plurium millium scutorum, et propterea dum vires non suppeterent pro adimplendis utriusque generis oneribus, censebant, abolenda potius esse onera Missarum et suffragiorum, quibus suppleri poterat de thesauro Ecclesiae, quam deserere Infirmorum expositorumque curam ex praecepto charitatis praestandam, ex eo praesertim quod in tota illa Provincia unum hoc Hospitale existebat, praeter aliud parvum Hospitale Incurabilium. His mature perpensis, proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro gratia suppressionis onerum Missarum Anniversariorum Capellaniarum aliorumque suffragiorum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Esse consulendum Sanctissimo pro gratia prorogationis ad aliud decennium, ad formam praecedentis Indulti - *in Cremonen. Suppressionis Onerum die 28 Februarii 1761.*

55. Hinc et Hospitali sub invocatione S. Mariae de Misericordia Sacra Congregatio indulsit suspensionem Missarum ad decennium, ne multi, ob redituum defectum, ex Pauperibus ab Hospitali dimitterentur; his enim in terminis proposito dubio: - An et quomodo sit locus suppressioni oneris Missarum,seu potius suspensioni in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ad decennium, prout in Cremonen. - *in Savonen. Reductionis Missarum die 18 Augusti 1792.*

56. Unde imminutis redditibus piae Domus Peregrinorum ob terraemotum, pluribusque Missarum dotium eleemosynarum ac similium oneribus inadimpletis existentibus, Sacra Congregatio rem totam arbitrio et conscientiae Episcopi remisit, qui, auditis interesse habentibus, praefata onera reduceret ad mensuram et vires redituum actu vigentium, ita tamen, ut ea legata, quae certos et non confusos habebant fundos, separatam pariter sortirentur reductionem, facta simul distincta et invariabili reductorum onerum tabella, in Ecclesiae Sacrario affigenda, ac pro illorum celeri et accurata satisfactione in Domino invigilaret *in Pharaonen. Reductionis Onerum die 16 Decembris 1797.*

57. Enimvero piae Domui Misericordiae Civitatis Tavirae Algarbiorum in Lusitania haec, iuxta folium ab eius Curatoribus exhi-

bitum, praeter receptionem Peregrinorum, incumbebant onera: annuae Missae 2286, quarum 169 cum cantu, et ex certo reditu scutorum 15 monetae Romanae 82 meridianae; duo responsoria et officia defunctorum sex; dotalia subsidia decem, quatuor nempe scutorum 12 pro quolibet, duo scutorum 7 50, reliqua ex certo reditu scutorum 103.28 $^1/_2$; plures eleemosynae et praestationes, Pauperibus nimirum scuta 27, Captivis scuta sex, pauperi Mulieri assistenti duabus Missis cum cantu scuta duo; Patribus Franciscanis scuta 21 60, oleique lagenae; minoribus Observantibus scuta quatuor; Patribus reformatis scuta 12. Ex legato vero Emmanuelis Nobre Canellas, (qui in fundatione reliquit capitale scutorum 3450, in praesens annui reditus scutorum 57 85) singulis Fundatoris consanguineis parvae frumenti mensurae, vulgo *scorzi* 18; totidemque Patribus reformatis et observantibus S. Francisci; Religiosis S. Pauli primi eremitae mensurae frumenti 36; Monialibus S. Bernardi 12, et singulis Puellis Conservatorii S. Ioannis tres; ac distributio tandem panis inter Pauperes et Captivos in solemnioribus festis. Pluribus amissis capitalibus, annuus decrevit reditus; et detrimenti causae fuerunt terraemotus anni 1755, quo vel eversi sunt fundi, vel tituli perierunt possidendi; rerum confusio ex antiquitate temporis; abolitio et reductio canonum anni 1773; et minus recta administratio praecedentium Curatorum Loci pii. Quum autem neque ea superextans summa, neque integri piae Domus reditus pares essent legatis, crevit idcirco eorum inadimplementum ad ingentem summam scutorum 12000. Pro invariabilibus enim legatis Missarum dotium et similium annua requirebantur scuta 470, pro varialibus vero, ut ratione variabilis pretii et numeri accipientium erant praestatio frumenti et olei ac distributio panis alia scuta circiter 160, in unum scuta 630, praeter id, quod in receptionem Peregrinorum sacra utensilia aliaque divinum cultum respicientia impendi debebat. Reditus contra piae Domus non excedebat summam scutorum 450, ex quibus detrahendum insuper alienum aes. Qua de re Summo Pontifici tandem supplicarunt eiusdem Domus Provisor et Mensarii pro dictorum onerum reductione arbitrio Pharaonensis Ordinarii. Episcopus favit Oratoribus. Hinc et Emus Rinuccini Relator censuit, – rem totam relinquere arbitrio et conscientiae ipsius Episcopi Pharaonensis, qui iniuncta piae Domui Misericordiae Civitatis Tavirae celebratione certi et congrui numeri Missarum lectarum ad rationem eleemosynae manualis inibi actu vigentis, eamdem piam Domum absolvat in reliquis a transactorum onerum adimplemento. Quo vero ad futurum, vocatis auditisque iis, quorum favorem respiciunt legata eleemosynarum sive distributionum frumenti dotium etc., tum illas, tum quoque Missas ac cetera onera coerceat reducatque ad mensuram et vires redituum actu vigentium; ita tamen, ut ea legata, quae certos et non confusos habent fundos, separatam pariter sortiantur reductionem, factaque distincta et invariabili reductorum onerum tabella, in Ecclesia Sacrario affigenda, pro illorum celeri et accurata satisfactione in Domino invigilet –.

58. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus reductioni onerum quoad futurum in casu etc. II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris – *in Pharaonen. Reductionis Onerum die 16 Decembris 1797.*

59. Qua de re quum a pluribus annis onera Missarum piaeque institutiones ita omnino neglectae fuerint, ut ingens appareret defectus, quin eas Hospitalis Director implere posset, dum introitus ab exitu longe superaretur, Sacra Congregatio nedum declaravit, consulendum esse Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritas omissiones, celebratis Missis decem, praeter solemne Anniversarium, sed et reductionem onerum quoad futurum esse concedendam ad decem Missas quotidianas praeter Anniversarium cum cantu quolibet mense *in Lucana Absolutionis et Reductionis die 6 Iunii 1840 et die 22 Iunii 1844.*

60. Siquidem cum omnia vetera Hospitalia ceteraque charitatis Instituta una cum novo Invalidorum Hospitio Lucana in Ditione posita a supremo, qui ibidem dominabatur, Principe, sub unicam Civitatis Lucae Ho-

spitalis administrationem labente anno 1808 redacta fuerint, cumque hac de re Lucano Hospitali ingens expensarum accessisset numerus, necessarium profecto fuit nonnulla remedia adhibere, ut eiusdem necessitati prospiceretur, ac revera adhibita sunt praesertim ex Principis providentia et beneficentia. Haec inter et illud statutum fuit per edictale Gubernii Decretum sub die 20 augusti 1808 - di liberare l'Ospedale da tutte le gravezze di canoni censi legati celebrazioni di Messe feste e doti tanto di quelle, che gli appartenevano in antico, quanto di quelle, che appartenevano ai nuovi stabilimenti riuniti –, ac ut clarius explicabat modernus Rector – venne con quel Decreto ordinata la soppressione assoluta dei legati e gravezze dell' Ospedale verso i stabilimenti soppressi, e che le altre gravezze verso i stabilimenti conservati unitamente all'offiziatura della Chiesa dell' Ospedale stesso venissero soddisfatte dall' amministrazione dell' altro così detto Demanio –. Verum onera, tum quae aboleri, tum quae conservari iubebantur, nonnullis dumtaxat exceptis, ab eo tempore usque nunc ita omnino neglecta fuere, ut ingens sane appareret defectus, nempe – Messe piane e cantate 151536, Vesperi 655, feste 420, ai quali si uniscono altri legati grascie contanti e doti non soddisfatte dal 20 agosto 1808 a tutto il 1818 –, quae vim scutorum Lucanorum 8750 constituebant. Tantam piarum Institutionum iacturam quum animadvertisset modernus regii Hospitalis Director, dum nunciato Decreto nullam accessisse ecclesiasticam auctoritatem fatebatur, preces apud Sacram Congregationem admovit, et humillime deprecatus est generalem condonationem quoad praeteritum; quoad posterum petiit, ut Missae 7347, quae quotannis celebrari deberent, aliaeque obligationes ad annua Sacra 3148 reducerentur (inclusis duabus Missis quotidianis, quae propter Sodalitiorum Crucis et Trinitatis extinctionem Pontificio Decreto imposita fuere) ad festum S. Lucae Eucharistiae expositionem, vulgo *delle 40 ore,* defunctorum commemorationem, dotiumque ex vigentibus dispositionibus praeceptarum subministrationem. Rogatus super his Archiepiscopus Lucanus, transmissis opportunis documentis, ita sententiam suam aperuit: – In primis necessarium non duxi personas et corpora moralia, quae interesse hac in re habere poterant, singillatim audire, non solum propter arduitatem operis, sed potissimum quia in longo spatio annorum fere triginta nunquam reclamarunt pro perceptione legatorum, nec post illud tempus, quo, Ecclesia ad pristinum statum restituta, omnes Legatarii suis uti iuribus non impediebantur. Illud etiam praetereundum non censeo, omnes Sodalitates atque Ecclesias iampridem suppressas et postmodum ad pristinum statum restitutas, etsi nulla sint praedita dotatione, attamen commode omnibus expensis ad cultum necessariis ita sibi providere, vel Confratrum taxationibus, vel pii fidelium oblationibus, ut nunc temporis ecclesiasticae functiones maiori decore et ornatu religioso celebrarentur, quam eo tempore, quo propriis reditibus gaudebant. . . . Ex quibus omnibus Oratoris preces mihi dignae viderentur, quae perbenigne exaudiri possent –. Literis his adiecit tum statum activum et passivum Loci pii, ex quo constabat, introitum eius esse lib. 343166 1 2, exitum lib. 375224 10 8, ex quibus exurgebat annuus libellarum 32058 9 6 defectus; tum notulam onerum nedum ad Hospitale spectantium ante annum 1808, quae ad libellas 4412 conscendebant, sed etiam onerum de praesenti, quae ad Missas mensiles 396 et annuas 3199 assurgebant; tum demum nonnullas Directoris Hospitalis responsiones et animadversiones, ex quibus apparebat; 1°. nullos in specie fundos vel periisse vel imminutos fuisse vel alienatos, qui oneribus ac legatis premebantur, sed tantum nonnulla cambia ac census nonnullos defecisse, quia Demanio devoluta fuere; 2°. vi testamenti Bottoni erogari debuisse annua scuta 180 pro nonnullarum Hospitalis feminarum dote in occasionem Matrimonii, quod ab anno 1808 ad annum usque 1818 infectum fuit; et ab anno 1818 eousque peractum est. Ex hac omissione summa scutorum 3302 collecta fuit, quae in alias tamen ipsarum Puellarum usus impensa est.

61. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu? II. An et quomodo sit concedenda onerum reductio in casu? –, Sacra

Congregatio die 6 iunii 1840 respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et scribatur Archiepiscopo, qui, auditis Deputatis Hospitalis, transmittat statum passivum per extensum, indicatis praesertim numero Officialium et Inservientium stipendio unicuique assignato ac singulis expensis ratione officii praestatione pensionum et similium, et referat, an fieri possit aliqua reformatio expensarum in statu passivo –. In eo non esse retulit Archiepiscopus, ut ex se praecise referret super his, quae desiderabantur, transmisit vero nonnullas animadversiones a moderno Nosocomii Directore editas in litera data ad Administrum, quem vocabant - Consigliere di Stato Direttor generale dell' interno –, et quam hic idem Archipraesuli tradidit, ut Sacrae Congregationi patefaceret; ubi narrata rerum serie concludebatur, – che di ogni debito, che vi possa essere per conto di questi legati, è il Demanio, o chi per lui, che si ha da tenere obligato di corrispondere, e che per conseguenza è il Demanio, o chi per lui, che si dovrebbe almeno unire con questa Amministrazione a cercarlo –. Status his adiunctus fuit activus et passivus administrationis Nosocomii, nec non elenchus Officialium eiusdem servitio vel moderationi addictorum, qui, teste moderno Directore, - fanno assai,se riescono a sostener l'amministrazione in così poco numero come sono, fra le tante scosse, a cui va sempre soggetta, e la molta miseria, in cui è continuamente involta –. Porro ex primo eruebatur, annuos reditus pertingere ad libellas Lucenses 404274 3 8, expensas ad libellas 509118 10 7; ideoque quolibet anno defectum extare in libellis 104844 6 11. Ex altero vero mancipatos Nosocomii servitio ac administrationi conflare numerum 820, in quorum stipendium impendebatur complexiva summa libellarum 136464 1 8. Sic rebus igitur stantibus, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, celebratis Missis decem, praeter solemne Anniversarium. Ad secundum, Affirmative, reductis oneribus ad decem quotidianas Missas, praeter Anniversarium cum cantu quolibet mense – *in Lucana Absolutionis et Reductionis die 22 Iunii 1844.*

62. Sacra Congregatio vero nunquam indulget reductionem Missarum et commutationem voluntatum, ut augeatur earumdem eleemosyna et subsidium feratur Hospitali, nisi prius cuncta clare ac distincte ita pateant, ut reapse adsit necessitas ac iusta causa, nec ullum grave detrimentum Populi commoditati et Cleri sustentationi inferatur *in Mutinen. Reductionis et Commutationis die 28 Augusti 1830 die 23 Aprilis 1831 die 23 Iunii 1832 et die 22 Novembris 1834 in Mutinen. Reductionis die 23 Iunii 1832 et die 22 Novembris 1834.*

63. Iamvero ex pluribus religiosarum Domorum bonis, quae post ipsarum suppressionem Mutinae in pium Pauperum Opus a serenissimo Duce Francisco III institutum coaluerant, anno 1788 Hercules III eiusdem successor duas potissimum erigi iussit separatas Administrationes, quarum nomen *Albergo – Arti* et *Ritiro*. Huic postremo Operi praeter omnes beneficentiae sumptus, quibus Puellarum Mutinensium Collegium ali debebat, annuum simul onus Missarum 18432 cum eleemosyna obulorum 10 $^3/_4$ monetae Romanae pro qualibet plerumque Missa infixum erat; atque ita quidem, ut, singulis Testatorum elogiis prae temporis vetustate deperditis, nulla prorsus fundorum et legatorum distinctio habita fuisse comperiretur. Alterum autem pium Opus, cui titulum *Albergo–Arti,* praeter ordinaria et extraordinaria Pauperum subsidia quotannis distribuenda, manutenendi onere obstringebatur non modo aliquas Ecclesias et Collegiatam in Hospitalis aegrotantium commodum, sed etiam bis centum circiter chronico laborantium morbo Hospitium, itidemque otiosorum hominum per Pagos vagantium Xenodochium: quae duo Instituta sub annis 1812 et 1824 sine ullo redituum augmento novissime fundata sunt. Hinc et huic pio Operi *Albergo–Arti* certum quoque Missarum onus ab anno 1788 adnexum fuerat; at ob notissimas rerum publicarum perturbationes opus certe fuit anno 1821, ut ab Apostolica Sede aliqua eiusmodi onerum reductio ad decennium impertiretur, dum tamen ex parte pii Operis *Ritiro* integro Missarum 18432 numero rursum satisfieri iampridem ceptum est. Hisce ad rem praeiactis, Mutinensis Charitatis Congregatio, quae in praesentiarum cunctis praeerat piis Mutinae

Operibus, ob gravem annuam redituum imminutionem in scutis mille, enixe petiit, ut ex Missarum numero, quibus celebrandis pium Opus *Ritiro* devinciebatur, tanta in perpetuum pars pro Apostolicae Sedis indulgentia reduceretur, quanta annuam scutorum Romanorum summam favore pii Operis *Albergo – Arti* erogandam conficere posset. Vicarius Capitularis pro informatione et voto requisitus, rerum serie exposita, censuit, petitam Missarum reductionem ad decennium concedendam esse. Iustam enim urgentemque occurrere causam reducendi Sacrorum numerum ac etiam commutandi piam defunctorum voluntatem suadebat exiguitas redituum, quibus gaudebat pium Opus *Albergo – Arti,* adeo ut, nisi petita indulgeretur Sacrorum imminutio, nulla eidem suppeteret ratio, qua viris et feminis chronico morbo laborantibus aliisque miserabilibus personis prospicere valeret. Reditus vero Legatorum, de quibus sermo erat, satis superque sufficere cunctis implendis Missarum oneribus facili negotio eliciebatur ex tabulis accepti et expensi, quas misit Mutinensis Vicarius Capitularis, ac etiam colligebatur ex supplici libello Congregationis Charitatis, ubi sub annis 1812 et 1824 duo pia Instituta sine ullo redituum augmento fundata fuisse narrabantur. Illud insuper accedebat, quod petita Sacrorum imminutio commutationem secumferebat supremae decedentium voluntatis, ab huiusmodi autem commutatione, qua Pontificiae, qua Caesareae leges abhorrebant.

64. His interim perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedenda Missarum reductio in casu etc. –, Sacra Congregatio die 23 augusti 1830 responsum dedit: – Dilata, et exquiratur votum novi Episcopi, qui transmittat exemplum indulti reductionis diei 14 iulii 1821, et referat qua ratione in hypothesi tam amplae reductionis Missarum Populi commoditati et Cleri sustentationi consuli possit –. Episcopus autem retulit, omnia, quae in Literis Vicarii Capitularis exposita fuerant, veritati congruere, ac proinde eidem visum fuit, idem ferendum esse iudicium. Praedictus enim Vicarius Capitularis cupiens eodem tempore necessitatibus Ecclesiarum et Sacerdotum prospicere, subiunxerat, esse in voto, quod praefata reductio et commutatio ad decennium solummodo, non in perpetuum concederetur, et eleemosynam manualem obulorum $14\,1/5$ monetae Romanae pro unaquaque Missa dari iuberetur, firma illa remanente, quae manualem excedebat. Hac igitur ratione Clero aliquo pacto prospiciebatur et insimul Pauperibus, in quorum levamen residuales reditus Congregatio praedicta erogaret. Indultum etiam reductionis diei 14 iulii 1821 a Sacra Congregatione Visitationis Apostolicae concessum remisit, ex quo patebat pium Opus *Albergo – Arti,* onere Missarum 10940 quotannis gravatum, iam inde ab anno 1809 reductionem Sacrorum ad septennium ab Apostolica Sede obtinuisse, impertitamque reductionem postea ad triennium ab ipsa Sacra Congregatione Concilii prorogari impetrasse. Cumque pium Opus iisdem ac etiam gravioribus premeretur census angustiis, S. Congregatio Visitationis Apostolicae anno 1821 facultatem tribuit Episcopo Mutinensi, ut – petitam suspensionem Missarum bis mille bis centum sexaginta septem in omnibus iuxta preces benigne in Domino impertiri possit ad decennium proximum tantum incipiendum a prima die ianuarii currentis anni, firma remanente celebratione Missarum octo mille sex centum septuaginta trium proportionabiliter adimplendarum pro unoquoque pio legato –. His tamen perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 23 aprilis 1831 respondit: – Dilata, et Episcopus magis praecise referat ad formam praecedentis resolutionis –. Sacrae Congregationis mandatis paruit Mutinensis Episcopus, alteram transmittens relationem. Interim vero Generalis Deputatio piorum Operum Mutinensium, quae nuper Congregationi Charitatis ad gerendam trium Operum *Ospitale Albergo – Arti* et *Ritiro* administrationem subrogata fuerat, cum inveniri non possent Presbiteri, qui Missas celebrare vellent pro eleemosyna obulorum $10\,1/2$, quia eleemosyna manualis erat obulorum $14\,1/2$, petiit ob id, ut numerus 23191 Missarum ad decennium reduceretur, ad effectum augendi eleemosynam Missarum, quae proportionabiliter in pluribus celebrari deberent Ecclesiis. Proposito autem dubio: – An et quomodo annuendum precibus Generalis Deputationis piorum Operum Mutinensium in

casu etc. –, Sacra Congregatio die 23 iunii 1832 respondit: – Dilata et scribatur Episcopo iuxta mentem. Mens est, ut – Episcopus referat, cur celebratio Missarum 4740 impleri debeat a Canonicis S. Mariae Pomposa et Capellanis Borelli et Coltri, aut cur saltem impleri nequeat ad manualem; atque hinc collecta superstitum eleemosynarum summa tam ex supradictis Missis 4740, quam ex aliis Missis ad taxam sive libellas 13 43 1 $^1/_2$, sive libellas 3 07, cur ex huiusmodi libellarum cumulo consuli in partem nequeat tot Missarum celebrationi, quot ad variam taxam a Deputatione piorum Operum propositam undecim articulis continentur, reducta tamen in casu taxa primi articuli ad manualem; itidemque referat quot Missae celebrari valeant, tum in Civitate Mutinensi ad minorem, quae nunc viget, eleemosynam, tum extra Civitatem, atque in eadem tamen Diaecesi ad taxam centesimorum 57 et millesimorum 6; denique animi sui sententiam pandat de necessaria Sacrorum reductione, ut minus, quam fieri possit, detrimentum piae fundationes patiantur –. Reproposito hinc etiam dubio quoad petitionem Congregationis Charitatis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 23 iunii 1832 respondit: – Dilata, ut in praecedenti –.

65. Mandatis itaque Sacrae Congregationis obsequens Episcopus, Praesidem generalem piorum Operum rogavit, ut omnia ad rem necessaria ipsi exponeret, ab eoque elucubratam accepit commentationem, cuius exemplar misit ad S. Congregationem. Hac igitur commentatione mature perpensa, propositis dubiis: – An et quomodo annuendum sit precibus generalis Deputationis piorum Operum Mutinensium in casu etc. II. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro omissionibus praeteritis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative pro applicatione libellarum 6454 76 in Missas 6181 iuxta distributionem factam a Deputatione, reliquas libellas 13364 85 erogandas esse in tot Missas ad taxam manualem vigentem centesimorum 77 seu obulorum 14, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative, celebratis 10 Missis pro omnibus omissionibus – *in Mutinen. Reductionis die 22 Novembris 1834.*

66. Quum autem praefata Causa alteri, quae petitionem Congregationis Charitatis respiciebat, connexa esse existimaretur, reproposito proinde dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Provisum in antecedenti – *in Mutinen. Reductionis et Commutationis die 22 Novembris 1834.*

67. Non quaevis enim unius Loci pii rerum ubertas, nec quaevis alterius indigentia satis habetur ad voluntates defunctorum immutandas; requiritur imo, ut opes non tenui summa nulli usui inserviant, ac otiosae in arca maneant, simulque ut alterius pii Loci gravis sit, non aliqua tantum multisque communis rei familiaris angustia, secus Sacra Congregatio a concedenda voluntatis commutatione abstinendum respondere solet, ut in Ravennaten. Subsidiorum dotalium 11 ianuarii 1766, et Feretrana 20 decembris eiusdem anni *in Ariminen. Applicationis legati et Montis Pietatis die 19 Aprilis 1823* §. *Complura.*

68. Amplia, id eo vel magis vim obtinet, si Testator expressis verbis quamlibet commutationem ex quavis causa etiam urgentissima prohibuerit *in Ariminen. Applicationis legati et Montis Pietatis die 19 Aprilis 1823* §. *Nec.*

69. Idcirco quum Pauperum indigentiae, ut pro viribus consuleret Hieronymus Amati, testamento diei 20 februarii 1767 legaverit Monti Pietatis Terrae Sabiniani scuta 100 in censibus cum fructuum fructibus investienda, donec redderent annuum reditum scutorum quinquaginta, ad effectum – per i quali scudi 50 si dovrà diminuire il denaro sopra i pegni in sollievo della povertà –, atque ut pia dispositio firma perpetuo maneret, expresse caverit dictus Testator, – che non possa tale assegnamento o assegnamenti distraersi o divertirsi in altri usi e cause, ancorchè urgentissime –, Sacra Congregatio renuit concedere applicationem praedicti legati Amati eiusque multiplici Nosocomio dicti loci; id enim etiam accedebat, quod qui Montis Pietatis Sabiniani quotannis supererant reditus, valde erant tenues, praesertim si ex eius statu activo deducenda essent scuta 10, quae proficiscebantur ex legato Amati; ac proinde si quid reliqui esset, id ne satis quidem foret aedium refectioni ac tot inopinatis

casibus, quibus praecavendis ac reparandis praesto esse debebant uberes reditus, ne postea serum remedium quaereretur. Hospitali autem deerant tantummodo annua scuta 23, quorum defectui frugi administratione consuli fortasse poterat. Quapropter proposito dubio: – I. An et quomodo concedenda sit applicatio legati cum incrementis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative – *in Ariminen. Applicationis Legati et Montis Pietatis die 19 Aprilis 1823.*

70. Idcirco quum legitima desit causa, haud indulgetur favore Xenodochii commutatio voluntatis Testatoris, quae mandavit erectionem Monasterii Monialium, et quoties id perfici non posset, expresse substituit Tertiarias *in Faventina die 10 Maii 1766.*

71. Siquidem Hieronyma Lega Taroni Faventina suis tabulis anno 1750 heredem usufructuarium instituit Savinum Azzurini virum, proprietariam vero Camillam Lucretiam Azzurini filiam nuptam comiti Dionysio Naldo. Filiae substituit Monasterium erigendum Faventiae in sua domo, pro Monialibus discalceatis S. Theresiae. Ut autem voluntas pinguius impleretur, voluit, filiam, post mortem Viri usufructuarii, deponere in eam causam quolibet anno scuta 50 quoad viveret; additisque, – che tutti i proventi, che si ricaveranno dalla detta casa e podere, dopo la morte della prefata mia erede, tutti si mettano a cumulo, come sopra, a comodo del Monastero fino all' attuale di lui fondazione ed erezione –, quod tamen tempus usque ad decennium post filiae mortem prorogandum dixit. Sua bona descripsit, ac nonnulla credita ad summam scutorum 1800 circiter. Erecto Monasterio, Sacrum quotidianum celebrandum aliaque iussit; ac expressam itidem conditionem adiecit, quod si impossibilis fieret praedicti Monasterii erectio, mandavit, ut in eiusdem domum Tertiariae S. Theresiae admitterentur. Anno vero 1757, quo obiit, codicillos fecit, quibus nedum integrae hereditatis usumfructum favore viri confirmavit, eidemque praelegatum reliquit, sed et ipsi facultatem vendendi bona hereditatis fecit, quin ulli omnino rationes unquam reddere teneretur. Hereditas omnis, mortuo Savino patre anno 1760, ad Camillam Lucretiam venit, quam tamen non sufficientem existimabat ad implendum quocumque tempore mandatum opus. Hinc de commutatione supplicavit vel ad scuta 600 pro una vice danda Xenodochio Faventino pauperum aegrotantium nuper summa munificentia ex providentia Episcopi erecto, vel ad perpetua annua scuta 12. Camilla enim sustinuit, Testatricem in priori voluntate haud perseverasse, cum nihil ipsa vivens pro Monasterio paraverit, et in codicillis nova legata viro fecerit, ac facultatem alienandi dederit. Haec monstrare dixit, omnem de Monasterio abiecisse cogitationem; adeoque facilius concedenda videbatur commutatio. Quin imo eadem necessaria apparebat. Nam patrimonium vix ad 9808 tempore testamenti erat: deductis legati debitis credito lucri dotalis, quod Maritus acquisiverat, legitima et trebellianica filiae, vix reliquum extabat in scutis 1626: depositum fieri non poterat, ob annuum legatum relictum etiam Ancillae: ad constructionem solam Monasterii requirebantur scuta 12000. Insuper agebatur de novo Monasterio in Civitate horum abundanti; Episcopus dissentiebat; credibile erat, quod facultas a Sede Apostolica non daretur. E contra vero advertebatur, scitum esse ex lege Iustiniani Imperatoris *Sancimus* 27 Cod. de testamentis, praeter lapsum decennii ad testamenti abrogationem requiri apertam professionem contrariae voluntatis apud acta, ut dixerunt Interpretes ad praedictam legem, vel saltem certam et indubitatam variationis probationem. Plura subinde animadvertebantur quoad lucrum dotalem trebellianicam legitimam ac non solemnem inventarii confectionem; atque demum si Monasterium suo tempore erigi non poterat, vocandae erant Tertiariae expresse substitutae.

72. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Hieronymae Lega Taroni in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, non retardato annuo deposito scutorum 50 ad formam dispositionis; et amplius – *in Faventina die 10 Maii 1766.*

73. Unde reditus instituti ad alimoniam Pauperum nullo modo permittendum est, ut in alium usum, quam destinatum, convertantur, etiamsi Hospitalia sint de iurepatrona-

tus Universitatis *in Nuscana anno 1605 lib. 10 Decretorum pag. 122.*

74. Reditus vero Hospitalium in certos usus relicti, et deficientibus Personis, quibus possint iuxta legem fundationis applicari, et propterea ante Concilium in alios usus conversi, non comprehenduntur in derogatione Concilii Tridentini cap. 8 sess. 25 de reformatione, statuendo, dictos reditus in usum proximiorem menti Fundatoris convertendos, non obstante quacumque consuetudine immemorabili. Ita Sanctissimus ex sententia S. Congregationis declaravit *in Cremonen. ad Cap. 8 sess. 25 de reformatione posit. 147.*

75. Iamvero Concilium Tridentinum in Cap. 8 sess. 25 de reformatione statuit: – Quod si Hospitalia haec ad certum Peregrinorum aut Infirmorum aut aliarum Personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta Hospitalia, similes Personae aut perpaucae reperiantur, mandat adhuc,ut fructus illorum in alium pium usum, qui illorum institutioni proximior sit, ac pro loco et tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit, nisi aliter forte in hunc eventum in eorum fundatione aut institutione fuerit expressum, quo casu, quod ordinatum fuit observari curet Episcopus, aut si id possit, ipse, prout supra, utiliter provideat –. Idemque tradunt Doctores, – si pia relicta vel non possunt applicari ad pium usum a Testatore designatum, vel non sufficiunt, vel converti nequeunt eo modo, quo voluit Testator –, ut probat Reiffenstuel in lib. 3 Decret. tit. 26 §. 23 n. 809, pluribus adductis Auctoritatibus *in Imolen. Aperitionis oris et commutationis voluntatis die 26 Februarii 1820* §. *Verum.*

76. Unde Sacra Congregatio pluries indulsit facultatem uniendi bona Hospitalis inutilis Seminario *in Nucerina Applicationis die 13 Februarii 1773* §. *Sacra* (1).

77. Iustis proinde concurrentibus causis, approbandam esse censuit S. Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, unionem Hospitalis cum omnibus suis bonis Conservatorio Puellarum factam ab Episcopo in actu visitationis, non obstante contradictione Sodalitatis in eo erectae *in Caesenaten. Unionis die 1 Septembris 1691 lib. 41 Decretorum.*

78. Imo attenta Patronorum simulque administratorum Hospitii Peregrinorum inopia, Sacra Congregatio bis impertita est Episcopo facultatem transigendi iuxta eorum vires, auditis reliquis Compatronis, cum eorumdem Avunculus praefati Hospitii gubernator calamitatibus familiae motus ipsius Hospitii reditibus in designata pecuniae vi pluries uti ausus fuisset *in Suessana Condonationis die 27 Augusti 1831 et die 6 Augusii 1842.*

79. Siquidem extabat Suessae Peregrinis excipiendis ab aevo praestitutum Hospitium cum adnexa Ecclesia a S. Iacobo Apostolo nuncupata, quod familiae praesertim di Paolo e di Transo aere suo fundarunt, quae et eiusdem administrationem gerebant et iurepatronatus fruebantur. Porro quum mortem oppeteret exeunte anno 1836 Arcarius quidam eiusdem Ecclesiae ac Diversorii, syngrapham exhibuit manu Nicolai di Paolo signatam sub die 27 iunii 1818, quo tempore Gubernatoris et Patroni munere fungebatur, qua debitorem se declarabat erga eamdem piam Causam in ducatis 2474 61; eam siquidem pecuniae vim ab eiusdem Arcario tunc Caietano Schiavone se recepisse identidem confitebatur, ut suis occurreret indigentiis. Licet autem debitor ipse extremam viderit lucem ab anno 1810, nunquam tamen eiusdem heredibus querela admota est de praedicta summa restituenda ante annum 1836. Excitati tunc a pii Loci Gubernatoribus filii et heredes Nicolai di Paolo supplicarunt Summo Pontifici, ut intuitu miserae, qua in praesens nobilis eorum familia premebatur, conditionis, condonari sibi dignaretur eam pecuniam, quam tot annorum lapsu nunquam repetitam, solutam iamdiu fuisse praesumi poterat. Plura hinc in medium protulerunt, ut nedum praescriptionem, sed et praesumptam solutionem evincerent; quibus aequitas accedebat. Etenim de canonica benignitate est, ut Patronis egestate pressis, eorumque Uxori ac liberis succurratur, maxime si Fundatorum consan-

(1) Plures resolutiones huiusmodi habebis in Verb. *Seminarium.*

guinei sint, etiamsi paupertate tantum relativa laborarent. Familiae sane calamitatibus motus ausus est Nicolaus di Paolo vir ceteroquin pius, Hospitii reditibus in praefata vi identidem uti, qui hoc ipsum praesidium de iure consequi potuisset. Haud incongruum ergo esset, si eius heredes, qui in eadem navi versarentur, a contracta per illum obligatione benigne dispensarentur, accedente praesertim satis diviti conditione piae Causae, quae tandem in egenorum subsidium costituta erat. Gravem tamen difficultatem parere poterat, quin Oratorum preces exciperentur, cum ipsi iam die 27 augusti 1831 benignitatem experti fuissent Sacrae Congregationis quoad aliud debitum ducatorum 2400 pariter ab Avo Nicolao contractum erga idem Peregrinorum Hospitium. Proposito enim dubio: – I. An et quomodo sit supplicandum Sanctissimo pro condonatione favore Oratorum in casu etc. –, Sacra Congregati dicta die 27 augusti 1831 responsum tulerat: – Ad primum, Affirmative, impertita Episcopo facultate transigendi iuxta vires Oratorum, auditis reliquis Compatronis –.

80. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de solutione debiti in casu? *Et quatenus negative.* II. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro eiusdem condonatione favore Oratorum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, esse impertiendam Episcopo facultatem transigendi iuxta vires Oratorum, auditis reliquis Compatronis, facto verbo cum Sanctissimo – *in Suessana Condonationis die 6 Aprilis 1842.*

81. Id tamen haud aliis eiusdem Hospitii debitoribus concedere merito censuit Sacra Congregatio; proposito enim dubio: – II. An et quae condonatio sit concedenda aliis Hospitii debitoribus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative – *in Suessana Condonationis die 27 Augusti 1831*

82. Quum itaque Fundator Hospitalis mandaverit, ut si aliquid superesset, demptis Hospitalis expensis, erogaretur singulis annis in dotationem pauperum Puellarum loci, Sacra Congregatio, postulantibus herede patrona atque praesentibus Hospitalis Oeconomis, permisit, ut applicarentur capitalia et fundi, qui fuerunt quidem comparati ex fructibus Hospitalis, sed ex iis fructibus, qui alias in dotes Puellarum converti debuissent, pro erectione Monasterii Monialium, data etiam Patronae eiusque Successoribus facultate pluribus anni vicibus cum comitatu aliarum ingrediendi Monasterium, imposito tamen onere Monasterio erogandi ducatos 300 singulis annis in dotes Puellarum *in Magdalunen. die 22 Aprilis 1719.*

83. Enimvero fundatum fuit in Oppido Magdaluni Hospitale pro curandis et alendis Oppidi aliorumque locorum Duci Magdaluni subiectorum Infirmis, et fundatio initium habuit a Legato Diomedis Ducis Caraffae, qui anno 1560 in suo ultimo testamento erectionem demandavit, relictis ducatis 1000 in fabricam impendendis, et aliis bis mille pro dote, eaque adiecta conditione, ut, si aliquid superesset, demptis Hospitalis expensis, erogaretur singulis annis in dotationem pauperum Puellarum, suumque habuit fundatio complementum opera Ducissae Robertae, quae post obitum Ducis Diomedis viri nedum suas circa annum 1566 contulit opes, sed impetratis a Summo Pontifice S. Pii V Literis in forma Brevis pro unione cuiusdam antiquae Ecclesiae Beatae Mariae Virginis de Raccomandatis, certas pro regimine Hospitalis approbari Apostolica auctoritate obtinuit leges, et potissimum, ut a se suisque successoribus duo aut tres nominari possent Oeconomi, ab Ordinario tamen approbandi, qui singulis annis, tam Ducissae, quam eius Successoribus, tenerentur rationem administrationis reddere coram Ordinario, et quod exuberantes reditus Hospitalis converterentur in dotes Puellarum nuptui tradendarum, aut in Captivorum redemptionem, aut demum in Carceratorum subsidium. Fundatio haec Hospitalis propitium utilemque, prout sperari poterat, non habuit effectum. Cives enim Magdalunenses aliique ad eius beneficium invitati probro habuerunt, se curandos ad dictum Hospitale conferre, et neglecta fere dotium distributione, non solum Administratores omnem operam navarunt in emendo nova pro Hospitali stabilia, ita ut in unum collectis, tam bonis primae fundationis, quam aliis subinde comparatis, annuus reditus, teste Episcopo, esset in ducatis 1070 circiter, sed quod gra-

vius erat, cum circa annum 1638 irrepsisset opinio, quod Ducibus fundatoris heredibus pro suo arbitrio et conscientia in alios usus pios vertere liceret reditus, substentationi Infirmorum exuberantes, nulla requisita licentia Ordinarii aut alterius ecclesiastici Superioris, permiserunt, ut ad eorum manus devenirent ducati 11000. Res hoc modo se habuit usque ad annum 1660, quo decurrente, Antonia Caraccioli ex Principibus Abellinatensium, tunc temporis Magdaluni Ducissa, ignara, uti credere fas erat, fundationis Hospitalis et eorum, quae in fundatione continebantur, curavit ex superfluis eius reditibus construi Monasterium pro Virginibus Deo dicandis; cumque eius obitu secuto non amplius fuerit ecgitatum de Monialibus introducendis, non obstante, quod fabrica ad finem fuerit ab ipsa perducta, adeo ut de anno 1668 Moniales Terrae Cereti Thelesinae Diaecesis, tunc impellente terraemotus flagello, facile et commode intra septa novi Monasterii se recipere, et ad septennium usque in eo commorari valuerint, delata subinde rei familiaris administratione ad Ducissam Carlottam Columnam matrem tutricem et baiulam praesentis Ducis Magdaluni, adinventisque in domestico archivio tabulis testamentariis Diomedis Caraffae fundatoris nec non Literis S. Pii V, agi ceptum est de rebus componendis ad limites aequitatis atque iustitiae. Unde tam dicta Ducissa, quam praesentes Oeconomi Hospitalis a Tribunali R. Fabricae honestam de more compositionem obtinuerunt, cessis a Fabrica iuribus quomodocumque sibi competentibus, sub obtentu perficiendi ceptum opus Monasterii. Pro itaque rerum omnium complemento, dicta Ducissa Carlotta ac praefati Oeconomi Hospitalis supplicarunt Summo Pontifici ad effectum applicandi capitalia et fundos, qui fuerunt quidem comparati ex fructibus Hospitalis, sed ex iis fructibus, qui alias in dotes Puellarum converti debuissent, ut horum capitalium ope fundari valeret et stabiliri Monasterium Monialium, nec non reportandi approbationem nonnullarum aliarum conditionum, quae in minuta exarata sub reservatione assensus Apostolici habebantur.

84. Episcopus censuit, petitioni esse annuendum, et esse novo Monasterio faciendam assignationem bonorum atque redituum, imposita eidem obligatione expendendi pro manutentione Hospitalis, quatenus necessitas exigeret, quolibet anno ducatos 300. Hinc et operae pretium existimatum fuit pro ulteriori diligenti negocii examine illud committere Emo Card. Ptolomaeo, ut dignaretur rem perpendere et votum suum Sacrae Congregationi aperire. Praefatus Emus Ptolomaeus vero censuit, dictos ducatos 300 pro manutentione Hospitalis iuxta votum Episcopi erogandos in dotalia subsidia Puellarum, ut, quantum fieri poterat, executioni mandaretur voluntas Fundatoris et Apostolicis obtemperetur Literis S. Pii V. Item cum inter alias res, quae a Ducissa Carlotta petebantur occasione huius fundationis, ea esset, quod sibi et Ducissis in futurum, semel obtenta licentia Sedis Apostolicae, liceret ingredi clausuram Monialium duodecies per annum, et cum competenti aliarum nobilium vel honestarum feminarum numero, quae tamen excedere non valerent numerum duodecim Personarum, Emus Ptolomaeus fuit in sensu, quod aliqua adhiberetur moderatio, ita nimirum, ut nonnisi cum parvo numero Personarum Arbitrio Episcopi, et nonnisi ter aut quater in anno Ducissae huiusmodi indulto frui valerent. Denique cum inter alias res proponeretur, ut admitteretur unus Civis Magdalunensis toties quoties Episcopus erat ingressurus septa Monasterii, Emus Ptolomaeus censuit, id esse remittendum arbitrio et prudentiae Episcopi. Postremo cum peteretur, quod Puellae Magdalunenses, quae supra numerum ab Episcopo taxandum forent in Monasterium aliquando recipiendae, non tenerentur eleemosynam, quam supra dotem appellabant, persolvere in ducatis 30, Emus Ptolomaeus censuit, tutius esse, quod supplicarent in casibus particularibus pro moderatione dotis, quae alias deberet esse duplicata, iuxta notum Decretum Clementis VIII. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo petitioni Ducissae Carlottae et Oeconomorum Hospitalis sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Emi Ptolomaei, et quoad ingressum in Monasterium pro facultate ingrediendi per sex vices quolibet anno, et cum comitatu sex Matronarum quoad Ducissam Carlottam, et quoad alias

in Ducatu succedentes pro facultate ingrediendi per tres vices quolibet anno et cum tribus tantum Matronis, servatis in reliquis forma aliarum clausarum, quae in consimilibus Brevibus pro ingressu in Monasterium apponi solet – *in Magdalunen. die 22 Aprilis 1719.*

85. Qua de re quum Administratores Nosocomii petierint onerum translationem et reductionem ad effectum eligendi Presbiterum, qui spiritualibus Infirmorum indigentiis sollicite opitularetur, Sacra Congregatio censuit quoad aliqua non expedire, et quoad alia mandavit, ut probationes super asserto iurepatronatus coadiuvarentur, nec non interesse habentes audirentur *in Lunen. Sarzanen. Commutationis voluntatis Applicationis et Reductionis die 22 Aprilis 1826.*

86. Siquidem Administratores Hospitiorum cum intelligerent, in Nosocomio Civitatis Sarzanae ex aegrotantium copia Parochorum curam quandoque deficere, Presbiteri electionem meditabantur, qui spiritualibus Infirmorum indigentiis sollicite opitularentur. Ad congruam vero vitae sustentationem ipsi exhibendam onerum translationem et reductionem implorarunt, ita ut pro numero Missarum 906, quo Nosocomium onerabatur, Sacrum tantum quotidie faceret in Sacello Hospitalis idem Sacerdos et integram eleemosynam gallicarum libellarum 600 Romanorum scutorum 110 40 perciperet. Onera haec erant: ex Capellania Brucionio erecta in Ecclesia S. Andreae olim Cathedrali annuae Missae 366, ex legato Ioannis Tregiana 104, ex legato Archidiaconi Mascardi 36, ex Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii 83, Sanctissimae Trinitatis 254, Boni Consilii et S. Barbarae 52, Sanctissimae Conceptionis 11. Episcopus retulit, reditus ac onera cuiusque legati, nec non statum activum Hospitalis, decem annis computatis, idest ab anno 1812 usque ad annum 1821, esse libellarum Galliae 18000, passivum vero esse pariter libellarum earumdem 18000; atque ita censuit: – Sentirem itaque, attentis omnibus supradictis ac consideratis expensis, quas per nonnullos annos sustinere coguntur supra laudati Administratores, ne egeni Infirmi huius Civitatis humanis auxiliis destituantur, benigne fore excipiendas eorumdem preces, ac ad decennium saltem ipsis concedendum esse, ut omnibus, de quibus in precibus, satisfiat mediante quotidiana celebratione unius Missae ad commodum Infirmorum utriusque sexus in Ecclesia Hospitalis, quae cito futura est, ut in ipsa Sacrosanctum Missae Sacrificium peragi possit –. At Capitulum Cathedralis Ecclesiae censuit, Capellaniae Brucionio patronatus iure gaudere, ipsiusque redituum separationem ab Nosocomii bonis expostulavit, ut ad formam fundationis Capellanus nominari posset. Item adversatum est tum reductioni Missarum, quae in Ecclesia S. Andreae erant celebrandae, tum earum translationi, qua fideles quotidiano Sacrificio in Ecclesia accessu facillima privarentur, quaeque in divini cultus imminutionem redundaret. Confratres quoque Sanctissimae Trinitatis nec non Sanctissimi Rosarii, quorum Sodalitia, pace Ecclesiae tributa, in antiquum statum redierunt, petitionibus Administratorum Hospitalis contradixerunt ac flagitarunt, ut bona, quae transactis temporibus ab Italico regimine Nosocomio fuerunt addicta, eorum Sodalitiis restituerentur. Nullum enim ius in eisdem bonis Nosocomium acquisivisse sustinuerunt ex defectu Beneplaciti Apostolici, quin ex subsequenti possessione aliquid iuris ipsi accessisset; nam quod ab initio vitiosum est non potest tractu temporis convalescere, L. 29 de regulis iuris.

87. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de iurepatronatus Capellaniae Sanctissimae Annunciationis favore Capituli Cathedralis Ecclesiae in casu? II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro translatione et reductione Missarum Capellaniae Brucionio in casu? III. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro translatione et reductione Missarum legati Mascardi ac pro reductione Missarum legati Tregiana in casu? IV. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatum et bonorum Confraternitatum applicatione in casu? *Et quatenus affirmative.* V. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro translatione et reductione Missarum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Dilata; et coadiuventur probationes hinc inde per Capitulum et Consilium

municipale in scriptis. Ad secundum, dilata. Ad tertium, dilata; et quoad legatum Mascardi, audiatur Capitulum. Ad quartum et quintum, non expedire – *in Lunen. Sarzanen. Commutationis voluntatis applicationis et reductionis die 22 Aprilis 1826.*

§. II.

HOSPITALE QUOAD EXEMPTIONEM VISITATIONEM ET REDITUUM ADMINISTRATIONEM

1. Hospitalia ecclesiastica et religiosa subsunt iurisdictioni et curae Episcopi, etiamsi illorum administratio resideat penes laicos, Concil. Trid. sess. 22 Cap. 8 de reformatione *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Ad I.*

2. Idcirco Episcopus potest concedere statuta legesque ac condita reformare pro recto regimine administratione et directione Hospitalium aliorumque Locorum piorum, Cap. 2 de maior. et obed., Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3 alleg. 75 n. 14, Fagnan. in Cap. 3 et 4 de religiosis domibus *in Civitatis Castellani Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Ad III.*

Item *in Nullius Foripompilii sacrae Visitationis die 14 Maii 1825* §. *Capitula.*

3. Nam dum Hospitale exhibetur ecclesiasticum, non vero laicale, Episcopus potest illud visitare, et visitando statuere ea, quae ad rectam eius administrationem pertinent, nec non potest revidere computa administrationis in eius Episcopi domo, idque intelligendum est etiam quoad temporalia, salva tamen administratione penes Rectores *in Narnien. Visitationis Hospitalis die 6 Aprilis 1574 die 8 Augusti 1693 die 29 Ianuarii 1701 et die 28 Martii 1716 lib. 43 51 et 66 Decretorum.*

4. Iamvero – Hospitale sub invocatione Sanctissimae Trinitatis extat Narniae, cuius pingues reditus per Deputatos a Communitate, quae regimini praeest, in opera pia pro Infirmis Peregrinis Pueris que expositis erogantur. Fundationis antiquissimae huius Hospitalis documenta non suppetunt, illud tamen esse ecclesiasticum, non vero laicale denotant expositus titulus Sanctissimae Trinitatis, Ecclesia in ipso existens cum sepulturis et coemeterio, immunitas localis et realis eius aedificio et bonis competens, aliaque uberius recensita in informatione Promotoris Curiae Episcopalis plene comprobata ex visitationibus Episcoporum decessorum. Ab anno 1574 censuit haec Sacra Congregatio, posse Episcopum « visitare ipsum Hospitale, et visitando statuere ea, quae ad rectam eius administrationem pertinent »; successive sub die 8 augusti 1693 propositis sequentibus dubiis: « I. An Episcopo competat ius visitandi dictum Hospitale et revidendi computa administrationis? *Et quatenus affirmative.* II. An et ubi dicta computa revidenda sint? », ad primum responsum fuit: « Affirmative. Ad secundum censuit, danda esse Decreta hac de re edita, et signanter in Valentina 11 maii 1624 », ubi Sacra Congregatio censuit, rationes reddendas in domo Episcopi. Cumque Communitati concessa fuisset nova audientia, demum Sacra Congregatio sub die 29 ianuarii 1701 rescripsit: « Praevio recessu a decisis, servetur Decretum Sacrae Congregationis anni 1693 ». Hinc proponuntur infrascripta dubia sapientissime ab EE. VV. resolvenda: – I. An quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 6 aprilis 1574 et 8 augusti 1693 et 29 ianuarii 1701? *Et quatenus affirmative* II. An huiusmodi Decreta concernentia visitationem sint intelligenda de visitatione quoad spiritualia tantum, vel etiam quoad temporalia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis. Ad secundam, Affirmative etiam quoad temporalia, salva administratione penes Rectores – *in Narnien. Visitationis Hospitalis die 28 Martii 1716 lib. 66 Decretorum.*

5. Quin imo Ordinario ius competit visitare Hospitale nec non pro eius regimine et circa bonorum administrationem Decreta condere, etiamsi Rectores laici privatum illud esse et laicale atque omnino exemptum contendant *in Vasionen. die 19 Iunii 1751.*

6. Siquidem vetustissmum Nosocomium et Xenodochium, quod Vasione Piorum largitione extructum fuit cum Ecclesia et turri campanaria, Ioseph Maria Suaresius Vasionensis Episcopus pecunia sua restituit anno 1642, pluribusque editis Decretis, Administratores removit, aliosque suffecit. Idem factum fuit ab Episcopo Genetio anno 1690, latis in visitatione Decretis, quibus expulit eum, qui reditus omnes exigebat, praesentibus Civitatis Consulibus, et in eiecti locum substituit Canonicum Cathedralis Ecclesiae. Eadem in hoc Hospitali iurisdictione usi sunt Episcopi alii: anno siquidem 1704 Episcopus Gualterius pro recta administratione et regimine eiusdem, Civitate assensum suum praestante, Congregationem octo Virorum instituit, quorum quatuor essent ecclesiastici, duo perpetui Praepositus et Parochus Cathedralis Ecclesiae Vasionensis, duo annarii et amovibiles; quatuor vero laici, duo perpetui Consul et Exconsul Civitatis, duo annarii pariter et amovibiles. Haec Congregatio octo Virorum, quae coram ipso Episcopo aut eius Vicario Generali habebatur, defecit anno 1714, exortis inter laicos et ecclesiasticos dissidiis, ideoque idem Episcopus Gualterius novam instituendam esse censuit Congregationem, quae sex Viris constaret, duabus nempe Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis, et quatuor laicis, quos inter duo essent Exconsules Civitatis, reliqui ex primo et ultimo Civium ordine; hos autem sex Viros Concilium Civitatis eligeret, praesente Vicario Generali, ut a sex Rectoribus et Civitate eligeretur, qui reditus Hospitalis exigeret, et Depositarius, qui coram Episcopo obligationem emitterent de fideliter administrando, impletoque anno, rationem redderent, neglecta vero a Rectoribus et Civitate horum electione, ius eos eligendi ad Episcopum devolveretur. Haec omnia transactione conventa fuerunt: additum est, ut pro regimine Hospitalis Statuta ab Episcopo conderentur. Statuta haec condita fuerunt; et quia non omnium, quae evenire poterant, ratio haberi poterat, neque omnes casus mente complecti poterat, qui leges condebat, ideo Episcopus facultatem sibi reservavit faciendi nova Statuta illaque mutandi moderandi et reformandi in totum vel in parte iuxta rerum eventum casuumque exigentiam. Hoc rerum statu ventum fuit ad annum 1734, quo tempore, auctis reditibus Hospitalis plurimis accessionibus legatorum et hereditatum, Rectores eiusdem postularunt ab Episcopo facultatem transferendi Hospitale in ampliorem aptioremque locum, qui erat in suburbiis Civitatis, distrahendo antiquam domum et adiunctam illi Ecclesiam diruendo, ut coementa tigna et ornamenta in novam Ecclesiam aedificandam transferrentur. Hac igitur facultate impetrata, translatum fuit Hospitale in suburbia Civitatis, extructo amplo aedificio cum nova Ecclesia, quae tabulis pictis supellectilibus ornamentis campanis aliisque ad veterem Ecclesiam spectantibus aucta fuit. Novus hic Hospitalis status novas inter laicos et ecclesiasticos excitavit discordias: licet enim Rectores ecclesiastici in regimine et administratione primas semper partes habuerint et praecedentiam obtinuerint in Congregationibus et subscriptionibus mandatorum, Rectores tamen laici et praesertim Exconsules praecedentiam negarunt ecclesiasticis, ipsique Episcopo bellum indicentes, iurisdictionem nullam ei competere in Hospitali contendebant, privatum illud et laicale atque omnino exemptum dicentes: ideoque Capitulum et Canonici Cathedralis Ecclesiae, ut iura sua et ipsius Episcopi tuerentur, preces hac de re Sacrae Congregationi obtulerunt.

7. His utrinque perpensis, proposito dubio: - I. An Rmo Ordinario Vasionensi visitare liceat venerabile Hospitale pauperum Infirmorum dictae Civitatis et pro recto illius regimine et circa bonorum administrationem Decreta condere in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative - *in Vasionen. die 19 Iunii 1751.*

8. Hinc Episcopus Eugubinus anno 1570 plura de erectione Hospitalis eiusdem Civitatis, quod Hospitale magnum nuncupabatur, quodque exemptionem ex fundatione Pontificum privilegiis sancita iactabat, nec non protectioni Ducum Urbini commendatum dicebatur, Sacrae Congregationi retulit, et petiit declarari: – An ei liceret praefatum Hospitale libere visitare et tamquam Sedis Apostolicae Delegato ea sub eius nomine ordinare moderate punire et exequi, quae ad praefati Hospitalis utilitatem necessaria vi-

debuntur, iuxta formam Cap. 8 sess. 22 et Cap. 10 sess. 24? –, sequens prodiit responsum: –, Sacra Congregatio Concilii censuit, ex dispositione dicti Cap. 8 sess. 22 licere Episcopo visitare dictum Hospitale, et ea cognoscere et exequi, quae dicto Capite 8 continentur – *in Eugubina die 2 Septembris 1570 lib. 1 Decretorum pag. 160.*

9. Qua de re attentis sacrarum visitationum actis et consuetudine, nullatenus constat de exemptione Hospitalis a iurisdictione ordinaria Episcopi, adeoque Episcopo licet in visitatione et extra tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia Decreta condere, nec non eidem ius competit convocandi Congregationem dicti Hospitalis et in ea per se vel per eius Deputatum praesidendi, hinc Rectores aliique Administratores praefato Episcopo rationem reddere tenentur, administratio tamen et gubernium spectat ad dictam Congregationem, non vero ad Consilium loci, sed Parochus ipsius loci arbitrio Episcopi intervenire potest Congregationibus, ubi primum locum inter Rectores tenet ac suffragium fert iure ac merito *in Vasionen. Iurisdictionis die 11 Augusti 1753* (1).

10. Unde licet Confratres habeant indultum Pontificium, quo libere et licite Hospitale regere eiusque bona administrare valent, nihilominus Episcopus illud iure ordinario visitare potest, ac eiusdem Administratores tenentur quolibet anno praefato Episcopo reddere rationem administrationis; quandoquidem quum Episcopus Sutrinus contenderet, ordinariae iurisdictioni subesse tam Oratorium, quam Hospitale Societatis Disciplinatorum Roncilionis, ut aiebat, ecclesiasticum, proinde visitationem in ipsis instituere posse autumaret, Administratores deputatos teneri annuatim rationem administrationis reddere etiam extra actum visitationis, pluribus documentis exhibitis, ut asserebatur, ecclesiasticam qualitatem denotantibus, ac super praetensa consuetudine, sed e contra Officiales praelaudatae Confraternitatis adversus Episcopi praetensionem insurgentes, sibi ipsis non deficerent, pluribus adductis et potissimum Apostolico diplomate s. m. Iulii II sub data anni 1508, ut Confratres Hospitale huiusmodi libere et licite regere eiusque bona administrare valerent, neque idem Hospitale sub titulo ecclesiastici Beneficii per quemquam impetrari posset, propositis dubiis: – I. An liceat Episcopo Sutrino visitare Hospitale et Oratorium Disciplinatorum Roncilionis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An iure ordinario, vel potius delegato in casu etc. V. An iidem Officiales teneantur Episcopo rationem reddere eorum administrationis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* VI. An sit facienda redditio rationis quolibet anno, seu in actu visitationis tantum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, iure ordinario. Ad quintum, Affirmative. Ad sextum, quolibet anno; et amplius – *in Sutrina Iurisdictionis die 7 Decembris 1715 lib. 65 Decretorum.*

11. Nam extra casus exemptionis indubium videtur, Episcopum posse iura ordinaria exercere quemadmodum super ceteris Locis piis, ita et super Hospitalibus, quippe iuris communis super omnibus assistentiam habet *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Extra.*

12. Hinc potest visitare Hospitalia, etiamsi illorum Administratores et Ministri laici a Principe deputentur vel confirmentur: nam Decretum Cap. 8 sess. 22 Concilii Tridentini excipit a visitatione Episcopi illa tantum Hospitalia, quae sunt sub immediata Regum protectione, quae exceptio firmat regulam in contrarium in aliis Principibus, in quibus non viget tanta ratio, quanta in ipsis Regibus propter sublimitatem dignitatis, ceu in terminis reflectit Fagnanus in Cap. 4 *Ad haec* de religiosis domibus *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Extra.*

13. Idcirco Episcopus potest Hospitalia visitare, etiamsi curae Universitatum subsint, quippe in dicto capite satis clare includuntur etiam Universitates; praesertim quia ubi illas in aliquo exemptas voluit, disertis verbis expressit, ceu factum videtur in Cap. 5 in fin. sess. 14, et in Cap. 9 sess. 25 vers. exceptis. Et quemadmodum huiusmodi Universitates, ita et illorum Rectores Universitatum privilegiis gaudentes subsunt Episcopi

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Administrator*, §. IV, n. 176 ad 180, Tom. I.

visitationi, Fagnan. in Cap. 4 de religiosis domibus n. 19 *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Potest.*

14. Quo siquidem super negotio refert Fagnanus loc. cit. n. 19, propositum fuisse in Sacra Congregatione dubium: – An Episcopus possit cogere Magistratum Artium gaudentem privilegiis Universitatis Oscensis ad exhibendum testamentum, in quo sunt legata pia ab ipso solvenda, et eumdem ad executionem compellere? –, et responsum: – Utrumque posse – *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Potest.*

15. Hinc et quoad fundationem in solo Lateranensi post exemptionem a Bonifacio Papa IX concessam et revocatam a Summo Pontifice Pio IV nec non reintegratam a Sixto V nonnullis accedentibus circumstantiis et signanter, quod iurisdictioni et superioritati Episcoporum praeiudicium non intelligeretur irrogatum contra formam Decretorum et Ordinationum Sacri Concilii Tridentini, uti habetur in Constitutione 19 praedicti Sixti V, Bullar. tom. 2, permanet in suo esse ius, quod habet Episcopus visitandi tamquam Sedis Apostolicae Delegatus Hospitalia et alia Loca pia, iuxta late deducta apud Card. De Luca de iurisdict. disc. 38 et 39 de Parochis disc. 9 per totum, ubi allegantur resolutiones S. Congregationis et Rotae decisiones *in Senogallien. die 18 maii 1726* §. *Quoad fundationem.*

16. Quum autem Episcopus et Praeses loci respectiva sibi iura circa Hospitalis administrationem vindicare contendant, sed nemo eadem luculenter ostendat, Sacra Congregatio mandat, ut coadiuventur probationes *in Eugubina Iuris visitandi die 19 Iulii 1783.*

17. Siquidem Hospitali S. Mariae de Misericordia Civitatis Eugubii, quod pro recipiendis Infirmis Expositis et Peregrinis erat institutum, s. m. Iulius II anno 1505 tria alia eiusdem Civitatis Xenodochia univit, et exinde Hospitale magnum nuncupari cepit. Anno 1665 Antonius Gioia testamentariis tabulis heredem instituit unicam, quam habebat filiam nomine Marsiliam, eique sine filiis vel in pupillari aetate decedenti substituit Valetudinarium dicti Hospitalis cum onere celebrationis Missarum centum, et detracta earumdem Missarum eleemosyna, reditus omnes erogari iussit – per i poveri Infermi e curazione de' Febricitanti e Feriti, e che non possino convertirsi in altro uso –. In eodem testamento Tutores et Curatores suae filiae designavit, et voluntatis executionem commisit Rmo Episcopo Sperelli eiusque Successoribus. Supplex itaque libellus inscriptus nomine pauperum oblatus est Summo Pontifici, eique expositum, quod usque ab anno 1745 per obitum Marsiliae sine filiis hereditas Antonii ad Hospitale devenerat, nec in illius administratione ullam unquam partem habuerunt Episcopi Eugubini. Narratum insuper, quod hereditatis reditus impensi primum fuerunt in amplianda augendaque Hospitalis fabrica, deindeque in augendo Missarum stipendium et in assignandis pensionibus, quae ultra necessitatem fuerunt auctae. Omnia in Hospitali improvide geri, deesse Infirmis necessaria ad curationem, nonnullos fuisse dimissos non adhuc firma valetudine, nonnullos vero ultra tempus retineri. Ad haec avertenda absurda inutile futurum querelas deferre ad R. P. D. Praesidem Urbini, cum pleraque essent, quae celeriter et expedite emendari debebant, nec absque aegrotantium iactura differri poterant, ideoque consultius fore, si Episcopo, qui fere semper in Civitate morabatur, iniungeretur, ut sollicitudinem suam impenderet in regimine Hospitalis et exequenda voluntate Antonii Gioia. Cum autem huiusmodi preces Sacrae Congregationi ablegatae fuissent, factum est, ut inter Promotorem fiscalem Curiae Episcopalis Eugubinae et alterum legationis Urbini controversia orta fuerit circa Hospitalis administrationem. Plura quidem ad sustinenda respectiva iura deducta fuerunt, sed res adhuc anceps extitit. Propositis hinc dubiis: – I. An et cui et qualis competat iurisdictio super Hospitale maius Civitatis Eugubii et respective ius illud visitandi in casu etc. II. An et cui competat administratio bonorum et iurium hereditariorum bo. me. Antonii Gioia in casu etc. III. An et a quo eligi et approbari debeant Capellani Curati ceterique Officiales et Famuli Hospitalis ex reditibus supradictae hereditatis conducti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, dilata; coadiuventur pro-

bationes, et reformetur primum dubium – *in Eugubina Iuris visitandi die 19 Iulii 1783.*

18. Idcirco quum Communitas et Priores loci ex privilegio exemptionis et consuetudine praetenderent prohibere Episcopo regimen Hospitalis ius illud visitandi et exquirendi computa ab illius Ministris, Sacra Congregatio ante omnia mandavit, ut exhiberetur Breve Pontificium nec non coadiuvarentur probationes *in Sabinen. Hospitalis die 4 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum.*

19. Enimvero – praetendentibus Communitate et Prioribus Terrae Asprae in Sabinis prohibere Emo Episcopo nedum regimen Hospitalis in dicto loco existentis, pro recipiendis Pauperibus quaestuantibus, verum etiam ius illud visitandi et exquirendi computa ab illius Ministris, iidem obtinuerunt ab A. C. monitorium Iact. Iact. et super praetensa manutentione in quasi possessione administrationis et absoluti regiminis dicti Hospitalis nec non removendi Hospitalarium, et de effectibus illius persolvendi annua scuta 25 Ludimagistro, illoque praesentato Promotori Fiscali Curiae Episcopalis, fuit ad illius instantiam per R. P. Auditorem Sanctissimi quoad visitationem et revisionem computorum remissa Causa huic Sacrae Congregationi, ex cuius speciali Rescripto requisitus Emus Episcopus refert, neminem latere Ordinariis competere ius visitandi Hospitalia etiam sub censura laicorum existentia, exemptionis privilegio et consuetudine etiam immemorabili non obstante, ac compellendi Administratores illorum ad reddendam singulis annis rationem administrationis, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, excepto casu, quo aliter in eorum institutione expresse cautum fuisset, ex clara dispositione Conciliari in cap. 8 et 9 sess. 22 de reformatione, suosque Praedecessores semper visitasse, ac ad computorum revisionem processisse, et demum se referens ad informationem Vicarii Foranei addit, assertum Breve Ioannis XXII, cui innititur dicta Communitas, ad ostendendum praefatum Hospitale exemptum ab omni iurisdictione et subiectione Diaecesani aliorumque Iudicum ordinariorum, et illius regimen et administrationem ad se reservatam, nunquam fuisse in forma probanti exhibitum, nec continere facultatem praestandi Ludimagistro annua scuta 25, minusque exemptionem a visitatione et computorum redditione. Quibus ita se habentibus, grave non erit EE. VV. sapientissime de more respondere: – I. An et quomodo Emo Episcopo Sabinensi competat ius visitandi Hospitale, de quo agitur? II. An et quomodo Ministri seu Officiales dicti Hospitalis teneantur reddere rationem dicto Emo Episcopo Sabinensi privative quoad omnes alios in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et exhibeatur Breve exemptionis Ioannis XXII, et coadiuventur probationes – *in Sabinen. Hospitalis die 4 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum.*

20. Qua de re quum Summus Pontifex Rescriptum ediderit, quo regi administrarique deberet Brephotrophium ad Confraternitatem spectans, sed Sodales illud subreptitie et obreptitie obtentum esse enixe sustineret, Sacra Congregatio, antequam resolveret quaestiones intra Deputatos et Sodales exortas, mandavit, ut proponeretur dubium, an constaret de obreptione et subreptione praefati Rescripti Sanctissimi, nec non praescripsit, ut Episcopus plura ad rem facientia referret *in Asculana Brephotrophii die 9 Iulii 1796.*

21. Siquidem Asculanum Sodalitium Sanctissimi Corporis Christi curare consuevit ad decimum aetatis annum Spurios, eosque ob defectum Brephotrophii tradere Nutricibus Civitatis, cum menstrua lactantibus mercede obulorum 75, cum minori obulorum 40 aut 50 pro iis, quae post expletum nutricium Pueros ad decennium educarent. Quum plura autem per immaturam Puellarum dimissionem orirentur mala, ad instituendum idcirco illarum Conservatorium obtinuerunt Sodales a Summo Pontifice Collegium Ecclesiamque ex-Iesuitarum Asculi cum annuo reditu scutorum 140, hisce in chirographo 24 septembris 1791 praescriptis legibus; 1. nempe quod fieret ex Collegio Conservatorium sumptibus Sodalitii; 2. duodecim saltem decennes Spuriae deberent – essere quivi mantenute e custodite ed educate ed abilitate al lavoro a tutte spese della medesima Compagnia, nè possano essere dimesse, se non quando prenderanno stato o troveranno qualche altra

onesta situazione –; 3. quod remaneret – fisso ed immutabile l'altro pio istituto di ricevere e far nudrire i bambini lattanti esposti dell'uno e dell'altro sesso fino all'età di anni dieci, come si è praticato finora –; 4. manutenere teneretur Sodalitium aedificia Conservatorii et Ecclesiae atque onera adimplere Missarum, quibus eadem gravata erat Ecclesia; 5. denique reservata esset Ordinario Asculano ad formam sacrorum Canonum et sacri Concilii Tridentini facultas curandi piorum Operum onerumque adimplementum, – senza che però resti pregiudicata la Compagnia circa l'amministrazione delle rendite, nè circa la nomina delle fanciulle direzione economia e regolamento del Conservatorio e della Chiesa deputazione de' Sacerdoti e de' Predicatori (li quali però dovranno essere approvati dall'Ordinario) le quali cose tutte spetteranno alla Compagnia medesima –. Reipsa Collegium aptarunt Sodales ad usum Conservatorii cum sumptu scutorum circiter 800, sed eos apud Summum Pontificem incusarunt Zelatores negligentiae in Spuriorum cura, et die 5 augusti 1793 hoc obtinuerunt Rescriptum: – Sanctissimus, attentis et veris existentibus narratis, Officialibus et Confratribus Confraternitatis introscriptae mandavit, ut perpetuis futuris temporibus unam ex domibus in Civitate Asculana sitam ad dictam Confraternitatem spectantem, aptam ceteroquin et capacem pro excipiendis Expositis, sin minus luendam assignent, et in ea rotam, ut vocant, collocent; probam et honestam Personam destinent, Nutricibus ad hoc necessariis summam obulorum saltem 75 singulis mensibus persolvant, easque de utensilibus ad Puerorum usum necessariis provideant. Moderno et pro tempore Archidiacono Cathedralis existenti, cum duobus Parochis dictae Civitatis, prudentia et rerum gerendarum usu pollentibus, et nunc a Vicario Capitulari et deinde a pro tempore existenti Ordinario designentur, qui spirituali ac temporali Domus huiusmodi statui et regimini praesint, amoto praesenti dictae Domus Ministro. Et ut feliciori eius Domus statui prospiciatur, Sanctitas Sua modernis et pro tempore existentibus Officialibus Confraternitatis interdicit facultatem erogandi pro libito illius reditus –. Hoc per Vicarium Capitularem Asculanum exequuto Rescripto, plures inter Deputatos et Sodales ortae fuerunt quaestiones: Pontificium idcirco adierunt Solium Deputati, et supremum super nonnullis dubiis oraculum flagitarunt. Precibus vero ad Sacram Congregationem remissis, retulit Vicarius Capitularis, se in exequutionem Rescripti 5 augusti 1793 in Deputatos nominasse Archidiaconum Patrizi Priorem S. Andreae Dominicum Baldassarri et Priorem S. Iuliani Franciscum Cancellieri; ceterasque eiusdem Rescripti leges adimplevisse. Contentionum exposuit capita, illudque praesertim de praetensa obreptione et subreptione Rescripti 5 augusti, – quae tamen non videtur proficua, postquam idem Sanctissimus Noster illud servandum esse decrevit, prout retulit mihi meritissimus Praesul Mercanti –.

22. Priusquam Sodales autem ad propositas descenderent quaestiones, fuse lateque suadere conati sunt, subreptionem et obreptionem Rescripti 5 augusti 1793: sed cum Deputatis notandum, dubia omnia modum dumtaxat respicere exequendi Rescriptum; ideoque illius validitatem supponere. Propositis itaque dubiis: – I. An Deputati ius habeant interessendi comitiis Confraternitatis, in quibus capiendae sunt resolutiones de rebus et negotiis respicientibus Pueros expositos eorum bonorum administrationem et approbandi vel reprobandi resolutiones in casu etc. II. An et a quo tempore Confratres teneantur reddere rationem Deputatis de administratione bonorum ac redituum ad Pueros expositos pertinentium et sub quibus poenis in casu etc. III. An Minister electus rationem reddere debeat Prioribus Confraternitatis, vel potius Deputatis, vel utrisque, aut saltem redditio rationis a Deputatis approbari debeat in casu etc. IV. An electio Ministri Confraternitatis pro administratione bonorum ac redituum Domus Expositorum nec non eorumdem Custodis nuncupati *Balio* sive *Mamino* fieri debeat a Deputatis, aut saltem cum eorum consensu et approbatione in casu etc. V. An Confratres quoad expensas faciendas in posterum pro manutentione Expositorum eorumque Domus teneantur requirere consensum Deputatorum in casu etc. VI. An menstruum salarium iuliorum septem cum dimidio una cum utensilibus pro usu

Puerorum dari debeat solum Nutricibus lactantibus in casu etc. VII. An Pueris expositis, quibus datum non fuit integrum subsidium usque ad decimum aetatis annum, compensari debeat illud pluris, quod dari debuisset ad normam fundationum vel antiquae consuetudinis in casu etc. VIII. An pro necessitate circumstantiarum liceat ultra decennium prorogare subsidium etiam iis Expositis, qui nec animi, nec corporis vitio inhabiles sunt ad comparandum sibi victum, atque huius prorogationis arbitrium spectare debeat ad Deputatos in casu etc. IX. An Confraternitatis reditus, ex fundatione vel consuetudine destinati ad alendos Expositos, erogari possint etiam pro manutentione Ecclesiae ex-Iesuitarum a Sanctissimo concessae dictae Confraternitati in casu etc. X. An et quomodo sit locus executioni chirographi sub datum 24 septembris 1791, quoad erectionem Conservatorii pro manutentione duodecim Puellarum ex numero expositarum in casu etc. XI. An et quorum sumptu fieri debeant expensae praesentis litis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et proponatur dubium: – An constet de obreptione et subreptione Rescripti Sanctissimi, et interim scribatur Emo Episcopo pro informatione et voto iuxta mentem (1), auditis – *in Asculana Brephotrophii die 9 Iulii 1796.*

23. Quod si Apostolicum reapse extet privilegium, Episcopus quoad visitationem ea tantum peragere potest, quae concernunt cultum divinum, et quoad redditionem rationis, ius dumtaxat habet incumbendi executioni piarum dispositionum; his enim in terminis, postquam Sacra Congregatio in primo dubio declaraverit, Episcopum, attento privilegio exemptionis concesso a Clemente VII et confirmato a Benedicto XIV, posse visitare Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Consolationis Civitatis Tudertinae quoad ea solummodo, quae concernunt cultum divinum, proposito dubio: § II. An idem Episcopus habeat ius visitandi Hospitale dictae Ecclesiae et respective exigendi redditionem rationis ab illius Administratoribus?–, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, ut in primo, reservato iure Episcopo incumbendi executioni piarum dispositionum– *in Tudertina Iurisdictionis die 22 Septembris 1742.*

24. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, privilegium in limine fundationis Hospitali concessum, ut ab Ordinario visitari non possit, nequaquam esse derogatum Decreto Concilii Tridentini Cap. 8 sess. 22 de reformatione *in Lycien. die 16 Augusti 1604.*

25. Unde Sacra Congregatio inhaerens decisioni alias editae, quod Concilium Tridentinum Decreto cap. 8 sess. 22 de reformatione tribuens Episcopis facultatem visitandi Hospitalia non sustulerit fundationes excludentes Episcopum a iure visitandi, perpensoque tenore exhibitarum fundationum, censuit, Episcopum Abulensem Collegium S. Bernardi Hospitale aliaque pia Opera a B. Francisco de Toleto erecta nequaquam visitare aut alias se in eis ingerere posse *in Abulen. die 6 Aprilis 1606.*

26. Hinc Hospitale Ordinarii auctoritate non erectum non subditur Ordinario praeter visitationem et redditionem rationis, Fagnan. in Cap. *De Xenodochiis,* Tondut. quaest. Benef. part. 2 Cap. 1 §. 7 n. 1, praesertim si spatio centum annorum nullum aliud ius Episcopus exercuerit, tum enim privilegium exemptionis praesumitur, Cap. *Cum de beneficio* de praebendis in 6, Rot. coram Priolo decis. 318 n. 9 *in Senogallien. die Iunii 1765* §. *Ad VI.*

27. Quapropter Sacra Congregatio declaravit, Episcopum posse ac debere visitare Hospitale generale Civitatis ad praescriptum Cap. 8 sess. 22 de reformatione, nisi in limine fundationis fuerit ab Ordinarii visitatione exemptum, quo casu non posse visitare, praeterquam si idem Episcopus videre voluerit, an piae Testantium voluntates executioni demandentur, quo vero ad redditionem rationis ad eumdem Episcopum omnino esse reddendam; quod si ex privilegiis vel ex consuetudine vel aliqua alia ratione aliis esset

(1) Mens autem est, ut E. V. dignetur super adiunctis precibus Sacram ipsam Congregationem, auditis omnibus interesse habentibus et praesertim Deputatis et Parochis, ulteriusque super expositis eorumque veritate ac subsistentia instructam reddere, nec non prudentissimum animi sui sensum aperire, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 35 die 9 Iulii 1796 pag. 374.*

reddenda, eisdem reddendam esse adhibito Episcopo, nisi in fundatione expresse cautum esset, quod rationes Ordinario non sint reddendae nec cum illius interventu *in Derthusen. die 27 Maii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 75.*

28. Unde Sacra Congregatio mandavit, praefatum Episcopum visitare debere, ut in Hospitalis Collis Balagarii hospitalitas a Fundatore ordinata exerceatur *in Derthusen. die 27 Maii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 75.*

29. Hospitale enim in sua fundatione exemptum ab Ordinarii iurisdictione non potest ab ipso visitari, nisi in ea ratione tantum, ut videat, si piae Testatorum voluntates exequutioni demandantur *in Eugubina die 12 Novembris 1633 lib. 15 Decretorum pag. 6.*

Item *in Derthusen. die 27 Maii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 75.*

30. Iamvero Sacra Congregatio expressis etiam verbis declaravit, Hospitalia et quaecumque Loca pia, quamvis laicalia et prophana, posse visitari ab Episcopo ea ratione, ut inquirat,an Testatorum voluntates adimpleantur, atque ab eorum Administratoribus rationes administrationis exigi *in Mediolanen. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 66.*

31. Idcirco Hospitale pro triremibus in Civitate vetula una cum sua Ecclesia potest visitari ab Episcopo Viterbiensi, donec doceant illius Gubernatores, ex privilegio Apostolico esse exemptum *in Viterbien. die 19 Septembris 1637 lib. 15 Decretorum pag. 601.*

32. Nec aliter edixit Sacra Congregatio quoad Hospitale Proiectorum Civitatis Ariminensis, nisi doceatur de eius exemptione in fundatione ab Ordinarii iurisdictione *in Ariminen. die 23 Augusti 1637 lib. 15 Decretorum pag. 579.*

33. Hinc Sacra Congregatio post maturam discussionem, auditis Partibus Procuratoribus et Advocatis, resolvit, posse visitari ab Episcopo Hospitale Misericordiae Perusiae *in Perusina die 23 Iulii 1622 lib. 12 Decretorum pag. 105.*

34. Qua de re multo magis visitari potest ab Episcopo Hospitale S. Crucis in Civitate Lucae erectum tamquam ecclesiasticum *in Lucana mense Februarii 1586 lib. 4 Decretorum pag. 110.*

35. Unde Sacra Congregatio decidit, Archiepiscopum visitare posse Hospitale Plateae Nidi Neapolis, pendente lite in Rota Romana *in Dubium ad Cap. 8 sess. 22 de reformatione Posit. 41.*

36. Sacra Congregatio tamen declaravit, Hospitalia et alia Loca pia administrata a Laicis posse pariter ab ipsis deputatis laicis visitari, si alias hoc ius legitime competat, non obstante in hoc Decreto Concilii in Cap. 8 sess. 22 de reformatione *in Feretrana lib. 2 Decretorum pag. 2.*

37. Unde licet Summus Pontifex Hospitale univerit Conventui Regularium, illudque sit sub cura protectione et dominio praedicti Conventus, nihilominus Episcopus visitare potest tamquam Delegatus Apostolicus huiusmodi Hospitale, nec non revidere computa *in Derthonen. Visitationis die 26 Ianuarii 1760* (1).

38. Qua de re Sacra Congregatio iuxta expositam facti speciem quandoque Hospitalia ab Episcopi visitatione immunia declaravit; quandoque vero eadem Hospitalia visitationi Episcoporum subesse definivit *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Ad praxim.*

39. Quando vero ex hinc inde deductis non satis constet de exemptione Hospitalis a iurisdictione Episcopi quoad ius illud visitandi exigendique ab eiusdem Ministris rationem administrationis nec non ipsos eligendi ac removendi, Sacra Congregatio mandat, ut coadiuventur probationes; quandoquidem propositis dubiis: – I. An Episcopus Senogalliae habeat ius visitandi Hospitale Beatae Mariae Misericordiae et ab Administratoribus et Ministris exigendi rationem administrationis redituum eiusdem Hospitalis tamquam Ordinarius seu tamquam Delegatus Apostolicus? II. An administratio temporalis seu oeconomica dicti Hospitalis et electio seu remotio eius Ministrorum et Famulorum spectet ad Episcopum, seu potius ad Syndicos eiusdem Hospitalis cum dependentia ab Emo Legato seu Praeside pro tempore, ita ut licuerit et liceat Legato seu Praesidi demandare Syndi-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. XIX, n. 379 et 380, Tom. IX.

cis electionem et remotionem dictorum Ministrorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes – *in Senogallien. die 18 Maii 1726.*

40. Hinc antequam Sacra Congregatio resolveret, num Ordinarius Urbinatensis visitare posset iure delegato Hospitale S. Mariae de Misericordia, mandavit, ut audirentur Officiales Hospitalis; his enim in terminis proposito dubio: - XXIV. An visitationem iure delegato Episcopus peragere possit Hospitalis S. Mariae de Misericordia, cui sunt incorporata bona alterius Hospitalis exempti in fundatione? –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad vigesimum quartum, audiendos esse Officiales Hospitalis – *in Urbinaten. Visitationis sacrorum Liminum die 10 Martii 1663.*

41. An autem Hospitale sit exemptum ab Ordinarii iurisdictione sive ex fundatione sive ex privilegio debet coram eodem Ordinario probari *in Pisauren. die 5 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 310.*

42. Quod si Ordinarius ad dirimendas quaestiones inter ipsum et Officiales Hospitalis exortas propter Decreta in sacra visitatione edita, quae eiusdem administrationem respiciebant, amicam inierit transactionem, novae hinc Constitutiones communi Partium promulgatae haud indigent approbatione, cum is uti debeat iure suo *in Nullius Foripompilii sacrae Visitationis die 14 Maii 1825 et die 27 Ianuarii 1827* (1).

43. Unde Cap. 8 sess. 22 et Cap. 9 Concilii Tridentini ad duos casus reduci posse videtur exemptio Hospitalis ab Episcopi iurisdictione, si scilicet sub Regum immediata protectione sint; et si in institutione vel consuetudine vel privilegio id statutum reperiatur, Barbos. ad Concil. Trid. sess. 22 Cap. 8 per totum, Fagnan. in Cap. 3 et 4 de religiosis domibus *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Ex citatis.*

44. Attamen id notandum in primo exemptionis casu, quod licet Hospitalia, quae Regiae protectioni subsunt ab Episcoporum visitatione immunia sint, nihilominus eorum Hospitalium Administratores tenentur reddere Episcopis rationem gestae administrationis, Barbos. in Cap. 9 Concil. Trid. de reform. n. 15 *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Ex citatis.*

45. In secundo autem exemptionis casu, nimirum si in fundatione, aut consuetudine, aut privilegio contrarium statutum fuerit, hoc iure uti non possunt, Fagnan. in Cap. *Tua nobis* de testamentis, et in Cap. 4 de religios. domib. n. 58 59 *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Ex citatis.*

46. A qua tamen regula receditur, si Administratores deprehendantur negligentes in adimplenda Fundatorum voluntate: nam hoc casu potest Episcopus illos compellere ad sibi reddendam administrationis rationem, quamvis Hospitale in fundatione exemptum fuerit declaratum, S. Congregatio in Mediolanen. Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 66, in Eugubina 12 Novembris 1633, in Derthusen. 27 Maii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 6 et 75 *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851* §. *Ex citatis.*

47. Qua de re quoad redditionem rationis Episcopo faciendam ab Administratoribus Hospitalium, excipitur in Cap. 9 sess. 22 de reformatione casus, in quo aliter cautum fuisset in institutione et fundatione, nisi tamen Administratores essent negligentes in adimplenda mente Fundatorum, in quibus circumstantiis Episcopus quamvis in fundatione exclusus ab exigenda rationum redditione, excludi non potest, uti probat Textus in Cap. *Tua nobis,* ibique Fagnanus a n. 12 de testamentis, et in Cap. *Ad hoc* n. 58 et 59 de religiosis domibus *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Denique.*

48. Idcirco Hospitalia et Confraternitates, quae sunt sub immediata protectione Regum sunt quidem exempta a visitatione Episcopi, non vero a redditione rationis *in Senogallien. die 18 Maii 1726* §. *Quoad Hospitalia* (2).

49. Nam Episcopi iurisdictio circa redditionem rationis locum sibi vindicat etiam quoad Administratores Locorum Operumque nec non Hospitalium licet laicalium et privatorum, quamvis omni qualitate ecclesiastica sint destituta, Fagnan. in Cap. *Cum*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus,* §. XIX, n. 270 et 271, Tom. IX.
(2) Reliqua habes in Verb. *Episcopus,* §. XIX, a n. 453, Tom. IX.

ad haec de religios. dom. n. 57, Panimoll. decis. 88 n. 23, quin huiusmodi iurisdictio circa redditionem rationis cumulative competere possit Baroni loci, semel ac eidem nec privilegium nec consuetudo assistit, Concil. Trid. sess. 22 cap. 9 de reformatione *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Arguit.*

50. Quapropter licet Hospitium Peregrinorum administretur et gubernetur a Patronis, eius tamen Magister tenetur reddere rationem administrationis ad formam statutorum, et Episcopus uti debet iure suo ad praescriptum Concilii Tridentini sess.22 Cap.9 de reformatione; his quippe in terminis proposito dubio: – III. An Magister Hospitii teneatur reddere rationem administrationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative ad formam statutorum, et Episcopus utatur iure suo ad praescriptum Concilii Tridentini sess. 22 cap. 9 de reformatione – *in Suessana Condonationis die 27 Augusti 1831.*

51. Episcopus enim habet ius exigendi ab Hospitalium Montis Pietatis aliorumque locorum huiusmodi Administratoribus rationem administrationis ex Cap. 8 sess. 22 de reformatione *in Hispalen. mense Aprilis 1589 lib. 5 Decretorum pag. 287.*

Item *in Cremonen. mense Februarii 1609 lib. 11 Decretorum pag. 46.*

52. Quod si fundatione aut privilegio dictorum locorum piorum aut aliqua constitutione aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, una cum eis etiam Episcopus est adhibendus *in Caurien. mense Martii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 113.*

53. Recusantes hinc rationem administrationis reddere armis spiritualibus potest compellere *in Zamoren. mense Martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 6.*

54. Nam in exigenda ratione ab Administratoribus Locorum piorum habet facultatem ex Decreto Concilii in Cap. 9 sess. 22 de reformatione nedum inspiciendi et recognoscendi computa; sed etiam ipsos Administratores, quatenus debitores comperti fuerint, ad reliquatum solvendum iuris remediis cogendi *in Forosempronien. Administrationis die 11 Martii 1662 lib. 23 Decretorum pag. 88.*

55. Amplia, hoc habet locum, etiamsi Administratores sint Subcollectores Spoliorum, cum quoad hoc privilegiis exemptionis gaudere non possint *in Melphicten. die 12 Martii 1650 ad Cap. 9 sess. 22 de reformatione Posit. 80 pag. 610.*

56. Quin imo etiamsi sint Administratores Confraternitatis laicalis existentis in Ecclesia subiecta S. Religioni Hierosolymitanae *in Tranen. Administrationis die 27 Ianuarii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 413.*

57. Non potest tamen nec ipse nec ab eo Delegati ad exigendam rationem administrationis a Locorum piorum Aministratoribus omnino ea de causa quidquam recipere *in Caesenaten. anno 1604 lib. 10 Decretorum pag. 107.*

58. Idque statutum habetur, supposita etiam consuetudine immemorabili *in Derthusen. anno 1622 lib. 12 Decretorum pag. 114.*

59. Hinc deficientibus fundationis aut erectionis tabulis, ad tramites consuetudinis iuris et Synodi diaecesani, interesse debent Congregationibus, quae fiunt pro administratione Hospitalis eiusque bonorum, Vicarius Foraneus, ac ii dumtaxat, qui ad formam statutorum Congregationem componunt, quin approbanda sit electio Officialium eiusdem Hospitalis, sed ratio reddenda est duobus Syndicis a Consilio eligendis cum interessentia praedicti Vicarii Foranei, salvis iuribus Episcopi, cuius statuta et ordinationes iamdiu praescriptae pro recta administratione dicti Hospitalis sunt omnino observandae *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Martii 1773.*

60. Iamvero in Oppido Carboneani Diaecesis Civitatis Castellanae antiquissimum erectum erat Hospitale sub invocatione S. Antonii Abbatis, cuius administratio penes Communitatem extabat et eius nomine exercebatur a quatuor Prioribus et sex Deputatis ab illius Consilio electis. Hospitalis initium ac erectionis monumentum inter antiquitatis tenebras delitescebat, constabat tamen usque ab anno 1682, bo. me. Episcopum Altini statuta et ordinationes pro recto eiusdem Hospitalis regimine et administratione praescripsisse. Quaestio autem exinde orta est, an administratio et regimen dicti Hospitalis ecclesiasticae, vel laicali subesset potestati, et an dicta statuta et ordinationes anni 1682 essent exequendae. Promotor fiscalis enim con-

tendit, tabulis fundationis aut erectionis dicti Hospitalis deficientibus, constare de immemorabili vel saltem centenaria possessione favore Episcopi, quum iam ab anno 1616 sententiae syndicatoriae Administratorum a Vicariis Foraneis, nunquam a Praetore vel Barone signatae fuissent; anno item 1682 non Baronis,sed Episcopi auctoritate condita fuissent statuta, istiusque iurisdictioni, non Baronis Hospitale fuisset subiectum. Unde haec statuta inconcusse servata extiterant, ita quidem, ut ad illorum formam administratio omnis penes quatuor Priores et sex Deputatos extiterit, Congregationibus ab iis habitis pro Hospitalis regimine Vicarii Foranei, non Praetores, semper interfuerint, omniaque illarum Decreta non Praetorum, sed Episcoporum nomine lata fuerint. Evidens proinde esse arguit, ut ad formam statutorum ad solum Episcopum vel eius Vicarium Generalem aut Foraneum pertineret Congregationes convocare ipsis interesse et praesidere, quin obesset, quod Hospitalis administratio spectaret ad Communitatem, cum quaestio non esset de illius administratione, sed tantum de iurisdictione ac cura, quae in Hospitalibus ecclesiasticis et religiosis semper ad Episcopum pertinuit, etsi illorum administratio penes laicos resideret. Nec praeter consuetudinem deesse advertit certissima ecclesiasticitatis signa, cum res esset de Hospitali proprium titulum et nomen S. Antonii habente, ipsiusque bona nec ultra triennium locari, nec absque Sacrae Congregationis licentia distrahi possent, quin obesset, quod deficeret Capella turris campanaria et sepulchrum, quia sine his Hospitale poterat esse ecclesiasticum, Ciarlin. Cap. 116 n. 12. Qua de re ad Episcopum spectare dixit adprobationem Officialium, cum ad eum, non ad Baronem iurisdictio omnis et cura pertineret: et revera ita praescriptum esse in statutis Hospitalis cap. 24, et ita semper eousque servatum fuisse; adeoque eodem iure unice Episcopo, non vero Baroni rationem reddendam esse ab Hospitalis Administratoribus. Non esse igitur ambigendum sustinuit de potestate Episcopi Altini condendi statuta pro recto Hospitalis regimine, adeoque ea fore omnino servanda in casu praesertim, quia nihil in iis erat, quod sacris legibus adversaretur, sed omnia cum dispositione Iuris Pontificii et Concilii Tridentini cohaererent, et singula prudenter ad bonam pii Operis directionem et administrationem disposita comperirentur, accedente praesertim centenaria observantia et executione, ita ut nonnisi praesentibus dissidiis controverti ceperint.

61. His itaque perpensis, propositis dubiis: - I. An et qui interesse debeant Congregationibus, quae fiunt pro administratione Hospitalis Carboneani eiusque bonorum in casu etc. II. An et a quo sit approbanda electio Officialium eiusdem Hospitalis et cui sit reddenda ratio in casu etc. III. An statuta et ordinationes praescriptae usque ab anno 1682 per bo. me. Episcopum Altini pro recta administratione dicti Hospitalis sint observandae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, interesse debere Vicarium Foraneum ad formam Synodi diaecesanae, et solos componentes Congregationem ad formam statutorum anni 1682, et ad mentem. Ad secundum, Negative ad primam partem; et quoad secundam, rationem reddendam esse duobus Syndicis a Consilio eligendis cum interessentia Vicarii Foranei, salvis iuribus Episcopi. Ad tertium, Affirmative – *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Martii 1773.*

62. Siquidem – Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, Ordinarium ex Cap. 9 sess. 22 de reformatione posse ab Administratoribus Hospitalium aliorumque piorum Locorum rationem administrationis exigere, donec coram Ordinario doctum fuerit de institutione, in in qua secus expresse cautum sit – *in Leyrien. die 13 Septembris 1636 lib. 15 Decretorum pag. 413.*

63. Alias enim Administratores Hospitalis non tenentur reddere rationem eorum administrationis Episcopo, si in fundatione hoc cautum sit, ut rationes Episcopo non reddantur *in Eugubina die 12 Novembris 1633 lib. 15 Decretorum pag. 6.*

Item *in Derthusen. die 27 Maii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 75.*

64. Secluso tamen casu supra expresso legis fundationis, Administratores Hospitalium tenentur reddere dictam rationem Episcopo, non obstante quacumque consuetudine

etiam immemorabili in contrarium *in Eugubina die 12 Novembris 1633 lib. 15 Decretorum pag. 6.*

Item *in Derthusen. die 27 Maii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 75.*

65. Qua de re si ex consuetudine vel privilegio aut alia ratione iidem aliis rationem reddant, tenentur cum illis etiam Episcopum admittere *in Eugubina die 12 Novembris 1633 lib. 15 Decretorum pag. 6.*

Item *in Derthusen. die 27 Maii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 75; in Leyrien. die 13 Septembris 1636 lib. 15 Decretorum pag. 413.*

66. Attentis itaque deductis, rationes administrationis Hospitalis Civitatis Notabilis sunt reddendae Episcopo et Iuratis dictae Civitatis simul in eodem loco, sed Episcopus habet votum absolvendi et condemnandi Administratores cum ceteris Deputatis, nec non ad ipsum spectat executio contra praedictos Administratores condemnatos *in Melevitana Hospitalis die 20 Martii 1700 lib. 50 Decretorum.*

67. Enimvero - disputatio ad hanc Sacram Congregationem delata usque et ab anno 1619 inter tunc temporis magnum Magistrum Sacrae Religionis Hierosolymitanae et Episcopum Melitensem super visitatione Hospitalis S. Spiritus in suburbiis Civitatis Notabilis, ac super redditione rationum ab illius Administratoribus, post plures hinc inde disceptationes, persoluta remansit vigore resolutionis eiusdem Sacrae Congregationis sub die 19 iunii 1638, Sanctissimi etiam oraculo roboratae de anno 1659, tenoris sequentis: « Die etc. Sacra etc., attentis deductis, censuit, rationes administrationis reddendas esse Episcopo et Iuratis Civitatis simul, Episcopumque habere votum absolvendi et condemnandi Administratores cum ceteris Deputatis, et ad ipsum executionem spectare contra eosdem Administratores condemnatos », ut in lib. 16 Decretorum pag. 50. Cum autem modernus Antistes occasione ultimae visitationis iterum praetensionem excitaverit arctandi Procuratorem Hospitalis, etiam sub censuris ecclesiasticis, ad sibi vel eius Cancellario tradendum computa praefatae administrationis, et e converso dictus Procurator hucusque renuerit eidem rationes exhibere, tum quia Sacra Congregatio demandavit, dictas rationes reddendas esse Episcopo et Iuratis simul, tum etiam quia designandus veniat locus exhibendae rationis, qui in relatione Inquisitoris Melitae commodior reputatur Ecclesia antedicti Hospitalis, ad quam pars utraque convenire valet, etiam Notariorum praesentiam adhibendo, ad penitus sedandam huiusmodi redivivam contentionem, grave non erit EE. VV. sapientissime de more respondere: – An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis anni 1638 sub die 19 iunii, nempe rationes reddendas Episcopo una cum Iuratis tantum et in domo eiusdem Civitatis Notabilis et adhibito Notario Episcopali dumtaxat – *in Melevitana Hospitalis die 20 Martii 1700 lib. 50 Decretorum.*

68. Quin imo licet Episcopus ab ipso Testatore in limine fundationis expressis verbis excludatur ad effectum, ne Administratores Hospitalis teneantur cuicumque Personae ac eidem etiam Praelato reddere rationem, non propterea Hospitale huiusmodi laicale, attentis peculiaribus circumstantiis, exemptum censetur ac est a iurisdictione Episcopi quoad redditionem rationis *in Liparen. Exemptionis Hospitalis die 11 Iulii 1750* (1).

69. Sodalitas autem constituta heres cum onere erigendi Hospitale cogi quidem non potest ab Episcopo ad administranda bona Hospitalis per separatum Ministrum ab aliis bonis eiusdem Sodalitatis, quin etiam huiusmodi Administrator approbari debeat ab Episcopo, is tamen cavere tenetur de bene et fideliter administrando, atque praedicta Sodalitas conficere debet inventarium mobilium aliarumque rerum ad Hospitale pertinentium sine praeiudicio qualitatis hereditariae, prout de iure *in Senogallien. die 13 Iulii 1765.*

70. Siquidem Angelus Sammaranus e Monte Bodio Diaecesis Senogalliensis, Oppido prope sex millia hominum habente, anno 1585 Ioanni Baptistae filio substituit in universo asse Sodalitium Mortis, cum onere erigendi in patria Ecclesiam S. Iosepho, ac consti-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. XIX, n. 445, Tom. IX.

tuendi Hospitale, certis datis legibus. Substitutio non multo post tempore locum habuit, atque Hospitale constitutum est. Ex certis monumentis constabat, illud Vicarium Generalem Senogalliensem visitasse ac descripsisse iam ab anno 1639. Decessores Episcopi cl. me. Cardinales Paracciani anno 1716 et Pichi 1720, tum Episcopus Castelli anno 1725, iteratis Decretis, Sodalium negligentiam de Hospitalis administratione increpantes, Testatoris voluntatem integre servandam mandarunt, sed frustra. Propterea modernus Episcopus in sacra visitatione die 21 septembris 1761 de Hospitali Decreta edidit, ac praesertim ut Sodalitas duos nominaret Administratores, alterum nempe pro administratione bonorum a praefato Testatore relictorum, et alterum pro administratione bonorum ad ipsam Sodalitatem spectantium, qui nedum adprobari deberent ab Ordinario pro tempore, sed et cavere tenerentur de bene et fideliter administrando, nec non ut conficeretur inventarium mobilium aliarumque rerum ad Hospitale spectantium. Reclamarunt illico Sodales: namque dixerunt, unicum semper Hospitalis fuisse Administrum, non immutandam hanc consuetudinem, Piton. discept. eccles. 9 n. 33; duorum administrationem noxiam certe esse communi non adhuc diviso patrimonio, simul onerosam ob duplex stipendium dandum. Contenderunt etiam, Hospitale nulla Ordinarii auctoritate erectum; Episcopum, praeter visitationem et redditionem rationis accipiendam, nihil praeterea iuris habere, Fagnan. in Cap. *De Xenodochiis,* Tondut. quaest. Benef. part. 2 Cap. 1 §. 7 n. 1; ita a centum supra annis servatum fuisse; hinc, si opus esset, etiam privilegium exemptionis praesumi, Cap. *Cum de beneficio* de praebendis in 6, Rota coram Priolo decis. 318 n. 9; convenire ipsas Synodales Constitutiones, quae de Officialibus eligendis quolibet anno nihil dicebant, approbationem solummodo, si ultra exercerent, requirebant; de cautione autem danda Decretum laudarunt. Asseruerunt praeterea, inventarium ab ipso Episcopo confectum esse in sua visitatione anni 1761. E contra vero praedicabatur utilitas ac necessitas de duobus, qui separatim diversa bona administrarent, nec non de iis approbandis, et quod iidem caverent, atque demum de inventario conficiendo asserebatur iustitia atque utilitas apertissima.

71. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – V. An bona Hospitalis sint administranda per separatum Ministrum ab aliis bonis Confraternitatis in casu etc. VI. An Administratores praedicti sint adprobandi ab Ordinario, et cavere debeant de bene et fideliter administrando in casu etc. VII. An sit conficiendum inventarium mobilium aliarumque rerum ad Hospitale spectantium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Negative. Ad sextum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad septimum, Affirmative sine praeiudicio qualitatis hereditariae prout de iure; et amplius – *in Senogallien. die 13 Iulii 1765.*

72. Hinc Episcopus in cura Hospitalium suae Diaecesis se gerere debet secundum Instructionem tenoris sequentis. Congregatio Concilii statuit haec per modum instructionis, non autem per modum Decretorum, Episcopis petentibus tradi debere, ne stylus Congregationis immutetur – Instructio - eorum, quae observanda sunt ab Episcopis in administratione Hospitalium iussu S. Congregationis Concilii ad Episcopos transmittenda. Consuluerunt plerique Episcopi Congregationem Concilii, quae eorum sint partes in Administratoribus Hospitalium tam ordinaria auctoritate delectis, quam aliorum, alimentis eis decernendis, ratione exigenda, denique universa Hospitalium gubernatione ad praescriptum Clementinae *Quia contingit* et Decreti Concilii in Cap. 8 sess. 22 de reformatione dirigenda, et quid observandum sit quoad eos, quibus Hospitalium cura a Sede Apostolica quoad vixerint commissa fuerint. Congregatio Concilii censuit, quod attinet ad primam partem, cum Hospitalium cura committenda fuerit, Ordinarium omni studio inquirere oportere, ut virum probum industrium, spectatum fide et moribus non suspectum, qui gratis eam curam gerere velit, inveniat, eum omnino si invenerit administrationi praeficiat, qui de recte administrando iuramentum praestare ac de Hospitalium bonis inventarium conficere teneatur. Quod si, omni diligentia adhibita, neminem idoneum potuerit reperire, qui onus administrationis gratis suscipiat, tum demum alium virum

esse deputandum, cui ex reditibus Hospitalis congrua praebeantur alimenta. Quae alimenta qualia quantaque sint generaliter sane praescribi non possunt; sed cum pro qualibet loci personae redituum Hospitalis laboris et ceterarum circumstantiarum qualitate sint aestimanda conscientiae et iudicio Ordinarii S. Congregatio reliquit, plane confidens, eum in his alimentis decernendis, omni humano affectu seposito, Hospitalis utilitatem potissimum prae oculis habiturum; quippe meminisse debet, aliam esse rationem eorum, qui Ecclesiis praeficiuntur, atque eorum, quibus Hospitalia commendantur; Beneficia enim ad divinum cultum exercendum sunt praecipue instituta, et ideo qui ea obtinent, fructus suos faciunt, etsi eorum partem in certos usus dispensare ex sacris Canonibus teneantur. Hospitalia vero cum in id fuerint constituta et fundata, ut pauperum aliorumve hominum genus in eis suscipiatur, Administratores eorum fructus suos facere non possunt. Semper itaque in alimentis praescribendis cogitare Ordinarius debet, quo ampliora Administratori alimenta decernuntur, eo minus Pauperibus Peregrinis aliisve id genus hominibus suscipiendis superfuturum, iisque id totum decrescere, quod illi fuerit attributum. Quin imo si valde tenues sint fructus Hospitalis, tum Ordinarius salarium ei aliquod tenue pro fructuum tenuitate constituat oportet, ne in alimoniam Administratoris assumantur universi. Et si plura Hospitalia in Civitate et Diaecesi extiterint, quae per unum aliquem administrari commode possunt, eum ad levandam impensam Hospitalium curae praeficiat. Praeterea quotannis tam ab Administratoribus hactenus deputatis, quam in futurum deputandis rationem administrationis exigat, et si eos constiterit in alios usus, quam destinatos Hospitalium fructus erogasse, ad integram restitutionem omnino compellat, et amplius si opus sit eosdem ab administratione removeat. Idque observet etiam quoad ea Hospitalia, quorum Administratores hactenus rationem nunquam reddiderint, nullamque rationem habeat in his omnibus contrariae consuetudinis etiam immemorabilis, quae tamquam corruptela Decreto Concilii sublata fuit et pro munere suo in hanc rem diligenter incumbat, ne si secus fecerit, eam rationem, in qua exigenda negligens aut remissus fuerit, ipse in supremi Iudicii, quod tantopere timendum est, die ante Dei Tribunal reddere teneatur. Neminem etiam, cui Hospitalium cura post Concilium commissa fuerit, ultra terminum idest triennium in administratione perseverare sinat, et si quem id temporis administrando excessisse compererit, protinus amoveat. Et quia plerumque Hospitalia ad certum Peregrinorum Infirmorum aut aliarum personarum genus suscipiendum instituta sunt, nec in loco, ubi Hospitalia existunt, similes personae aut perpaucae reperiuntur, Ordinarius adhibitis duobus de Capitulo a se deligendis mature deliberet ac decernat, ut fructus eorum in alium usum institutioni proximiorem, ac pro loco et tempore utiliorem specialiter praescribendum convertantur, quemadmodum est a Concilio providentissime sancitum; et in summa sciat, eum necessariam sollicitudinis pastoralis partem in eo versari, ut Pauperes Infirmos Peregrinos quacumque ratione sublevet, nihil praetermittere debebit, ut administrationem Hospitalium ad eos sustentandos institutorum ad vivam tum Clementinae tum Concilii mentem quanto citius reducat, nec committere, ut suae hac in re partes ullo modo desiderentur. Quoad secundam partem attinet, Congregatio respondit, quae de administrationis ratione reddenda et reliquis restituendis superius dicta sunt,etiam in iis Administratoribus, qui a Sede Apostolica deputati fuerint, observari debere, sive in literis cura Hospitalium committatur iuxta Clementinam *Quia contingit,* sive eius nulla mentio habeatur, nisi forte in literis constet, aliter Sanctissimum disponere voluisse – *in Bononien. anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 164.*

73. Idcirco Episcopus curare debet, ut Hospitale recte administretur, et administrationis ratio sibi reddatur *in Maceraten. mense Augusti 1587 lib. 5 Decretorum pag. 14.*

74. Unde Sacra Congregatio mandavit, circa visitationem Hospitalium nec non rationem administrationis exigendam, Episcopum se conformare debere cum responsis ac declarationibus Sacrae Congregationis Concilii, quae, quum sint manu Card. Praefecti

et Secretarii signatae et sigillo munitae, licet typis non impressae, sunt omnino servandae *in Neapolitana die 7 Februarii 1637.*

75. Episcopus igitur, consentiente etiam Parocho et Capitulo Cathedralis Ecclesiae, nequit concedere Fundatoribus atque Patronis Hospitalis exemptionem a iurisdictione ordinaria ac iure parochiali, alias nulla ac irrita declaratur huiusmodi exemptio: Sacra Congregatio tamen, attentis rerum circumstantiis, mandat, supplicandum esse Sanctissimo pro concessione privilegii a iurisdictione Parochi *in Olinden. die 14 Martii 1705 lib. 55 Decretorum* (1).

§. III.

HOSPITALE QUOAD IURA PRIVILEGIA RECTORES AC INSERVIENTES

1. Hospitale a qualibet servitute immune renunciandum est, L. Cod. de servit. et aqua, Rot. in Romana Theatri 21 Iunii 1819 §. 2 coram Emo Odeschalchi, donec quis pacto testamento aut praescriptione ius servitutis sibi comparasse plenis probationibus ostenderit, Gloss. in L. 1 §. 1 ff. de itin., Rot. in Recent. part. 14 decis. 398 n. 1, et decis. 416 n. 1 *in Nullius Foripompilii Sacrae Visitationis die 14 Maii 1825* §. *Enimvero.*

2. Hinc nequeunt Hospitalibus ex dispositione Concilii Tridentini in Cap. 13 sess. 24 de reformatione uniri Ecclesiae parochiales *in Gnesnen. Unionis die 15 Septembris 1764* §. *Sed.*

3. Itaque Sacra Congregatio expressis etiam verbis declaravit, non posse taxari pro contributione Seminarii Hospitale, quod neque in titulum neque in administrationem datur, et est mere laicale *in Gravinen. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 43.*

Item *in Dubium die 17 Decembris 1622 lib. 12 Decretorum pag. 115; in Sabinen. die 26 Maii 1640 lib. 16 Decretorum pag. 380.*

4. Quapropter Hospitale S. Spiritus in Saxia de Urbe non tenetur contribuere Seminario neque pro Prioratibus illi annexis *in Fulginaten. die 2 Septembris 1651 lib. 19 Decretorum pag. 146.*

5. Deficientibus vero Ecclesiae reditibus ac Canonicorum inopia accedente, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in Sarzanen. 5 februarii 1602 decrevit, Hospitalia teneri contribuere ad expensas in reparatione Cathedralis erogandas *in Nullius seu Nonantulana Reaedificationis Ecclesiae Parochialis die 16 Maii 1778* §. *Novum.*

6. Unde Sacra Congregatio arbitrio Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium commisit examen quoad Societates Hospitalia aliaque Loca pia, quae dotes debitas pro collocandis nuptui Puellas non solvunt, nec alias obligationes satisfacere curarunt *in Civitatis Castellanae die 26 Augusti 1628.*

7. Qua de re iure ac merito Sacra Congregatio mandavit, ut Hospitalia domum panem necessarium ac determinatam annuam pecuniae summam Hospitio Pauperum invalidorum, quae Summus Pontifex eisdem praescripserat, in posterum subministrarent, quin ullatenus obstaret, quod eorumdem Administratores ad e medio tollendam huiusmodi praestationem deducere censuerunt *in Caesenaten. Annuae Praestationis die 3 Octobris 1711 et die 13 Ianuarii 1714 lib. 6 et 64 Decretorum.*

8. Siquidem comes Io. Antonius Lucatellus universalem heredem anno 1693 instituit Iosephum Lucatellum patruum suum tum in aetate 68 annorum constitutum, ea adiecta conditione, ut, si praefatus Ioseph decederet absque filiis legitimis et naturalibus, heres esset Hospitium pauperum mendicantium, a Summo Pontifice Innocentio XII promotum, quoties in Civitate Caesenae erectum extaret, cum onere, detractis oneribus atque legatis, erogandi omnes fructus hereditatis iuxta mentem Summi Pontificis. Post Testatoris obitum Innocentius XII die 26 maii 1694 motu proprio Hospitium, etiam

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 81, Tom. IX.

tum vivente Iosepho herede, erexit sub eo motivo in Apostolicis Literis expresso, scilicet – ne dictum Iosephum heredem sicut praemittitur institutum, qui pro eius provecta aetate facile nulla ex se prole relicta decedere potest, obire contingat, antequam dictum Hospitium sit erectum, ad ipsius Hospitii erectionem quanto citius procedere necesse sit –; ac sub alio huiusmodi: – Nos, qui huiusmodi Hospitalia, per quae pauperum praedictorum animae et corporis saluti opportune consulatur, ubique locorum et gentium, praesertim vero in Civitatibus ac locis S. R. E. Ditionis erigi et institui summopere exoptamus etc. –. Ad quem effectum dismembravit quamdam domum spectantem ad Hospitale SS. Crucifixi eiusdem Civitatis, et locari solitam pro annuis scutis 36, eamque assignavit pro receptione et habitatione supradictorum Pauperum invalidorum, nec non obligavit idem Hospitale ad panem solummodo dictis Pauperibus quotidie subministrandum, ac demum dimidiam partem annui reditus octoginta circiter scutorum per Hospitale S. Tobiae Peregrinorum pauperibus Sacerdotibus distribui soliti, eidem Hospitio applicavit,addita in fine clausula: - Ita tamen, ut statim atque ipsi Hospitio de annuis reditibus illius sustentationi sufficientibus aliunde provisum fuerit, obligatio dicti Hospitalis Sanctissimi Crucifixi de subministrando pane, nec non assignatio dimidiae partis reditus annui 80 circiter scutorum huiusmodi, cessent eo ipso –. Verum subinde accidit, ut dictus Ioseph Lucatellus heres institutus, tametsi ingravescenti aetate pressus, binos mares liberos susceperit,quos post obitum sequutum de mense februarii 1711 viventes reliquit. Hinc recursum habuerunt ad Summum Pontificem Administratores Hospitalis Sanctissimi Crucifixi et S. Tobiae, respective exorantes pro restitutione domus praedictae assignatae pro Hospitio nec non pro absolutione a contributione panis quotidiani et subministratione scutorum 40; quia ex decessu Iosephi cum filiis evanuerat spes substitutionis favore Hospitii, et quia ex notabili diminutione redituum praefatorum Hospitalium vix ea paria erant adimplendis eorum propriis et antiquis oneribus, et quia in dicto Hospitio contra formam Brevis retinebantur invalidi ultra opportunum numerum. Episcopus Caesenatensis negavit redituum insufficientiam, atque dixit, numerum invalidorum non fuisse determinatum, sed arbitrio Episcoporum pro tempore remissum: hinc censuit, Oratorum instantiam reiiciendam.

9. Rebus sic stantibus, proposito dubio: - An Hospitalia Sanctissimi Crucifixi et S. Tobiae Civitatis Caesenae teneantur amplius subministrare Hospitio invalidorum eiusdem Civitatis domum et panem necessarium et respective annua scuta quadraginta in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 octobris 1711 responsum tulit: – Non retardata annua praestatione, firmetur status bonorum Hospitalium et Hospitii, iuxta instructionem –. Unde – ad cuius formam datae fuerunt Literae Episcopo Foroliviensi, quatenus audito Episcopo Caesenatensi ac Officialibus mox dictorum Locorum piorum, distincte eorum statum firmaret, ac praesertim super quantitate panis aliorumque comestibilium, quae dictim Invalidis subministrantur: instructam quoque Sacram Congregationem redderet quoad Pauperum numerum, qui in Hospitio aluntur, anne Hospitale S. Tobiae in controversiam revocare velit contributionem scutorum 40, quae deberi asseritur iam dicto Hospitio, ac quaenam subsidia aliunde idem ipsum habeat. Sedulo hisce obsequens Episcopus Foroliviensis personalem visitationem instituit uniuscuiusque ex dictis Xenodochiis, ac semel iterumque auditis tam Vicario Generali Caesenatensi, quam Officialibus, comperiisse, nuper redditis Literis, retulit, Hospitale Sanctissimi Crucifixi necessariis supellectilibus destitutum gravique aere alieno pressum; Hospitale vero S. Tobiae satis provisum, cuius Ministri deputati declarationem emiserunt quoad annuam praestationem scutorum 40 sese morem gessuros supremis mandatis S. Congregationis, quae perscrutari dignabitur piam dispositionem Testatoris. Hospitium tamen Invalidorum, ut praelaudatus Relator prosequitur, nulla habet certa subsidia praeter ea, quae a memoratis Hospitalibus subministrantur; Pauperum numerus regulariter indeterminatus est, at tempore, quo visitatio peracta fuit, triginta circiter pauperes mulieres in ipso nutriebantur, quarum ut plurimum undecim invalidae reipsa dici poterant. Cete-

rum alimenta computantur pro quinquaginta Pauperibus, ac tandem panis quantitas aliorumque comestibilium, quae subministrantur ab Hospitali Sanctissimi Crucifixi, summam circiter pertingit scutorum 233 41. His itaque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, dummodo retineantur in Hospitio Invalidi tantum ad formam Brevis; et amplius – *in Caesenaten. Annuae praestationis die 13 Ianuarii 1714 lib. 64 Decretorum.*

10. Hinc Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum in Cap. 5 sess. 14 de reformatione per ea verba – Hospitalia actu hospitalitatem servantia – excludit Hospitalia S. Antonii Viennensis et similia *in Dubium ad dictum Cap. 5 sess. 14 de reformatione Posit. 16.*

11. Declaravit etiam Sacra Congregatio, Concilium Tridentinum in Cap. 8 sess. 25 de reformatione disponens, hospitalitatem servandam esse ab obtinentibus Beneficia sive Secularia, sive Regularia, comprehendere etiam Hospitale datum a Patronis in titulum administrationis *in Dubium ad Cap. 8 sess. 25 de reformatione Posit. 147.*

12. Hospitale expositorum vero ne gravetur recipere exteros proiectos, providendum est ab Ordinario: recipere tamen debet proiectos diaecesanos *in Urbinaten. seu Callien. die 4 Decembris 1762* §. *Quod potissimum.*

13. Expositi autem reputantur Cives Loci, in quo exponuntur *in Urbinaten. seu Callien. die 4 Decembris 1762* §. *Verum.*

14. Alimenta hinc proiectis praestita non censentur donata, stante protestatione illa repetendi *in Urbinaten. seu Callien. die 4 Decembris 1762* §. *Quod potissimum.*

15. Si tamen ex instituto praestantur a Loco pio, repeti nequeunt, non obstante protestatione *in Urbinaten. seu Callien. die 4 Decembris 1762* §. *Verum.*

16. Qua de re Hospitale Expositorum unius Diaecesis non tenetur recipere Puellas expositas in Hospitali alterius Diaecesis nec reficere alimenta eisdem praestita, cum non satis probetur, dictas Puellas ab illa Diaecesi originem habere, eiusque Matrem easdem reapse ad dictum Hospitale detulisse *in Urbinaten. seu Callien. die 18 Decembris 1762.*

17. Enimvero in Brephotrophio Urbinatensi, ut in eius libro notabatur sub n. 792, die 4 ianuarii 1757 exposita fuit per Mulierem incognitam Puella nullum deferens signum collati Baptismi, quem ideo suscepit die sequenti in Ecclesia Cathedrali, et Victoria appellata est. Die autem 24 martii 1759, ut constabat ex eodem libro sub n. 855, alia exposita fuit Puella per Catharinam Ioannis Baptistae, in cuius domo, iuxta testimonium Parochi, ante lucem proiecta fuerat, et licet schedulam deferret, qua Euphemia vocabatur, cum enunciativa collati Baptismatis a Parocho, et in Ecclesia parochiali, reticitis tamen utriusque nomine et demonstrationibus; iterum nihilominus baptizata fuit in Ecclesia Cathedrali, retento nomine Euphemiae. Nunciatum inde fuit Rectoribus eiusdem Brephotrophii Urbinatensis, Puellam Victoriam, ut supra descriptam sub n. 792, filiam esse illegitimam cuiusdam Viduae de Monte Paganuccio Diaecesis Calliensis, editam die 27 decembris 1756 sub Parochia de Bellaguardia Forosemproniensis Diaecesis, et a propria Matre delatam fuisse ad Brephotrophium dicta die 4 ianuarii 1757. Et revera tres Testes ad perpetuam examinati superiori anno asseruerunt, Viduam illam oriundam esse de Villa Montis Paganucci Diaecesis Calliensis, ut etiam constabat ex fide Baptismatis, ibique semper domicilium habuisse et habere. Et Catharina Zocchi atque Camilla Casanchio duae ex dictis Testibus, incolae Parochiae de Bellaguardia Forosemproniensis Diaecesis, praesentes fuisse testabantur die 27 decembris 1756, dum eadem Vidua, quam Forosempronium euntem antecedenti die Catharina exceperat in propria domo, summo mane filiam peperit, quae delata a Catharina ad Ecclesiam Matricem eadem die fuit baptizata, imposito nomine Ioannae, ut etiam constabat ex libris parochialibus: addens eadem Catharina Zocchi, quod post reductam, nullo accepto Baptismi testimonio, ad suam domum Infantulam, monita a Parocho, iussu Vicarii Generalis Forosemproniensis, e domo eiecit Viduam illam, quae secum tulit genitam Puellam, pandito consilio eam deferendi ad Brephotrophium Urbini. Consonabantque huiusmodi depositioni de auditu ab ipsa Catharina Testes Camilla Casanchio et Bonaventura Venturini, qui primam notitiam dederat Rectoribus, quique

addidit, rem notoriam esse in Parochiis Montis Paganucci et de Bellaguardia, in primisque notam illarum Parochis. Alia itidem relatio pervenit ad eosdem Rectores, quod altera Puella Euphemia, ut supra descripta sub n. 855, filia erat cuiusdam Mulieris innuptae de eodem loco Montis Paganucci Calliensis Diaecesis, genita sub Parochia Sanguinetti eiusdem Diaecesis in domo, ubi Mulier praedicta famulatum praestabat, et baptizata in Ecclesia parochiali Montis Paganucci, accepto nomine Mariae Elisabeth Euphemiae, atque a Matre ipsa exposita die 22 martii 1759, non obstante praecepto illi facto a Curia Episcopali Calliensi de conservando foetu. Delator huius notitiae Dominicus Achillei de Bellaguardia, examinatus ad perpetuam superiori anno, deposuit ea scire, uti publica et notoria in loco, ac etiam de auditu a Parocho Bellaguardiae, qui et ipse eadem narraverat in epistola ad Rectores scripta anno 1759, reddens causam scientiae de auditu a Persona fide digna. Et istorum depositiones corroborabantur ex libro parochiali Montis Paganucci, in quo describebatur Baptisma tum dictae Mulieris natae ex Genitoribus eiusdem loci, tum eius filiae Mariae Elisabeth Euphemiae baptizatae die 26 februarii 1759, et ex fide huius Baptismi a Plebano baptizante exarata, in qua enunciabatur praeceptum, ut supra, de conservando foetu, eidem a Curia Episcopali Calliensi indictum.

18. Episcopum itaque Calliensem huius rei certiorem fecerunt Rectores, tum anno 1757, tum anno 1759, ut levarentur ab onere alendi has duas Puellas illius Diaecesis; et cum nihil profecerint officiis, ea praesertim ratione, quod Puellarum Matres discesserant ab illa Diaecesi, suas detulerunt querelas ad Sacram Congregationem postulantes, ut cogeretur Brephotrophium, quod Callii erat, has Puellas recipere, et alimenta illis praestita restituere Brephotrophio Urbinatensi, arbitrantes, ita pro pauperibus cuiusque Diaecesis constituta esse huiusmodi Hospitalia ut Exteros eiicere valeant, Diaecesanos autem etiam alibi expositos omnino recipere tenerentur. Quod potissimum erui contenderunt ex Rescriptis Sacrae Congregationis, quae ad preces Rectorum petentium, – iniungi Archiepiscopo, ut sub rigorosis censuris prohibeat, ne ad dictum Hospitale deferantur alii Pueri, quam de Civitate et Territorio –, die 10 decembris 1681 – mandavit iniungi Archiepiscopo, ut opportune provideat –, ut in lib. 32 Decretorum pag. 54; in cuius Rescripti sequelam Archiepiscopus die 15 februarii 1682 publicavit Edictum vetans sub poena censurarum latae sententiae, ne exponerentur in Brephotrophio Urbinatensi Proiecti, – che non siano di questa Diocesi –. Et similiter interdictum pro Calliensi Brephotrophio publicatum fuit ab illius Diaecesis Antistite anno 1756 vigore alterius Rescripti Sacrae Congregationis, exinde inferentes, quod Exterorum exceptio supponeret obligationem recipiendi Diaecesanos, iuxta proprium Hospitalis institutum, ad tradita per Amostaz de Caus. piis lib. 4 cap. 11. n. 32. Et ideo sustinuerunt, ab Hospitali Calliensi recipiendas esse has Puellas, quae Calliensium Matrum originem sequuntur, per Textum in L. 1 in fine, et L. *Eius qui* 9 ff. ad municip. et incol., et consequenter ab eodem Hospitali restituenda esse alimenta dictis Puellis praestita, quae non censentur donata, stante interpellatione incontinenti facta Episcopo Calliensi, ut notant Amostaz de Caus. piis lib. 4 Cap. 11 n. 65, et Surd. de aliment. tit. 6. quaest. 19 n. 6. Demum postularunt, ut praeciperetur nova censurarum publicatio contra deferentes ad Brephotrophium Urbinatense exteros Infantes. Verum Calliensis Brephotrophii Officiales primum negarunt, legitime probatam esse Puellarum originem ex illa Diaecesi; quia Testes, quoad primam, minime viderunt illam deferri ad Brephotrophium Urbini, et propterea haud probatum putarunt, Puellam expositam die 4 ianuarii 1757 eam esse, quam Mater Calliensis peperit in Diaecesi Forosemproniensi; et quoad secundam, solum de auditu incerto deposuerunt, quocirca concludenter non evincebant identitatem Puellae expositae die 24 martii 1759, cum illa in Monte Paganuccio baptizata die 26 februarii eiusdem anni. Rursus exceperunt, Expositos non tantum sequi originem Matris, quantum censeri Cives loci, in quo exponuntur, Faber in Cod. lib. 6 tit. 17 definit. 20, Amostaz de Caus. piis lib. 4 Cap. 11 n. 76, et Episcopus Zaul. ad statut. Favent. lib. 7

rubr. 22 n. 19; et ideo vel nullam actionem competere Hospitali Urbinatensi pro restitutione Puellarum et repetitione alimentorum, uti a Loco pio ex instituto intuitu pietatis praestitorum, Azor instit. moral. part. 2 lib. 2 cap. 26 quaest. 1, qui ait, hoc procedere, etiamsi intercesserit protestatio super alimentorum repetitione, Pirhing in ius can. lib. 5 tit. 11 de infant. et languid. exposit. n. 14, vel eam experiendam esse contra Puellarum Matrem, post concludenter probatam filiationem. Perpendendum tamen serio videbatur, an huiusmodi actionum exercitium, uti tendens ad inquirendas Mulieres lapsas, periculosi censeri deberet exempli, quia Matres suam verentes detegi turpitudinem, in malum possent trahi consilium adversus filios illegitime progenitos.

19. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Hospitale Expositorum Callii teneatur recipere duas Puellas, de quibus agitur, expositas in Hospitali Plani Mercatus Urbini, et respective teneatur reficere alimenta eisdem praestita in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative; et amplius, ad mentem – *in Urbinaten. seu Callien. die 18 Decembris 1762.*

20. Unde prohiberi debet transmissio Peregrinorum et Itinerantium convalescentium aliterque pedibus iter substinere non valentium, licet non infirmorum, ab Hospitali unius loci ad Hospitale alterius loci, nec non prohiberi debet huiusmodi transmissio ab Hospitali huius ac aliorum locorum ad Hospitale prafati loci, praeterquam quoad Hospitalia destinata tantum pro receptione Peregrinorum, qui in casu infirmitatis transmittuntur ad Hospitalia Infirmorum eiusdem Diaecesis *in Bononien. seu Imolen. Hospitalium die 24 Iulii 1762.*

21. Siquidem extabat in Civitate Imolensi Hospitale sub invocatione S. Mariae de Scaletta, quod erectum erat pro curandis Infirmis alendisque Infantibus expositis et Peregrinis triduo excipiendis. Cum tamen Convalescentes et Peregrinos virium languores pressos ac pedibus viam prosequi non valentes, deferri curaret rheda vel Iumento ad proximiorum locorum Hospitalia, quo quisque tenderet, usus hic commovit Hospitale Castri Sancti Petri Diaecesis Bononiensis, quod primum occurrebat e Civitate Imolae Bononiam versus. Quare anno 1753 datae fuerunt Literae ad Episcopum Imolensem iussu s. m. Benedicti XIV scriptae ab eiusdem Summi Pontificis Auditore, quibus praecipiebatur, – che assolutamente (verba sunt Literarum ad Episcopum) proibisca agli Officiali di codesto Spedale d'Imola di trasmettere a quello di S. Pietro Infermi e Convalescenti, e per altra qualunque causa inabili a proseguire a piedi il loro viaggio, facendoli sapere, che in avvenire, se mai contravenissero a quest'ordine supremo della Santità Sua, si costringeranno li medesimi Officiali ed amministratori a rifondere del proprio tutto ciò, che avrà speso l'Ospedale di S. Pietro per puro mantenimento di tali Infermi, o per provvederli delle ulteriori vetture –. Pontificiae legi paruerunt Officiales Imolenses: sed anno 1760 precibus oblatis Summo Pontifici postularunt illius abrogationem; et post auditum Emum Archiepiscopum Bononiensem auditosque Antistites Faventinum et Imolensem die 4 maii 1761 Rescriptum prodiit ex audientia Sanctissimi, ab eius R. P. Auditore editum, quo – Sanctissimus remisit preces ad Sacram Congregationem Concilii –. Citatis itaque finitimorum locorum Hospitalibus, disputarunt Officiales praedicti, abrogandum esse interdictum anni 1753; tum quia prohibebat Invalidorum vectionem rheda vel Iumentis, nullo iure vetitum; tum quia contrarium erat vetustae observantiae, utilitati Hospitalis, et commodo Pauperum. Nam ex libris Hospitalis Imolensis apparebant, iuxta exhibitam Notarii fidem, vectiones centies biscenties ac tercientes in singulis respective annis persolutae aere proprio eiusdem Hospitalis, ab anno 1691 usque ad diem interdicti, occasione delationis Peregrinorum aegrotantium a praefato Hospitali ad aliud S. Catharinae Castri S. Petri ac etiam ad Civitatem Bononiae: et idipsum referebant Testes, qui Hospitali inservierunt, ac testabatur Episcopus Imolensis in transmissa relatione; quem usum, contenderunt, vim legis obtinere, nec esse immutandum, non obstantibus assertis querimoniis et contrario instituto Hospitalis Castri S. Petri, de quibus non constabat. Praeterea disseruerunt, quod Hospitale Imolense, pluribus oneribus gravatum, solum viginti quatuor

lectos struere valebat; et ideo si lassos Peregrinos retinere cogeretur usque ad virium recreationem, decrementum ferre deberet Hospitalis patrimonium, vel deneganda essent loca pauperibus Infirmis supervenientibus, quorum alterum oeconomiae, alterum aequitati repugnabat. Quod si abrogare noluissent Emi Patres interdictum anni 1753, postularunt saltem Officiales Imolenses, ut illud extenderetur ad alia finitimorum locorum Hospitalia, ceu suadebat ratio servandae aequalitatis, et consuluerant Episcopus Faventinus et Imolensis. Nec, censuerunt, adhaerendum esse distinctioni propositae ab Emo Archiepiscopo Bononiae inter Hospitalia Infirmorum et alia, in quibus Peregrini excipiebantur, quia non de Infirmis, sed de Peregrinis agebatur, quorum languori etiam Hospitalia Peregrinorum consulere poterant.

22. Excipiebatur autem nomine Hospitalis S. Petri, abrogandam non esse Pontificiam legem anni 1753; quia consentanea erat Instituto Hospitalis Imolensis retinendi curandique Infirmos, quousque Medicorum iudicio constiterit, – che siano risanati affatto –, ut legebatur in exhibita Constitutionum particula, cum dicta verba etiam convalescentiam includere viderentur, iuxta monitum Rotae in Recent. decis. 431 n. 10 part. 4 tom. 2: et quia conveniebat cum Instituto etiam Hospitalis Castri S. Petri, quod nullos habens reditus, solos excipiebat Peregrinos in destinata domo, ne manerent sub caelo aperto, ut enunciebatur in Literis anni 1753, et in relatione Emi Archiepiscopi Bononiensis. Et contendebatur, nihil officere observantiam, cum non esset immemorabilis neque pacifica, ob assiduas querelas Hospitalis Castri S. Petri, quas recensebat Emus Archiepiscopus Bononiensis; praesertim quia non semper Invalidi transmissi fuerunt ad Hospitale eiusdem Castri S. Petri, plerumque fuerunt relicti in publicis viis, solo pietatis intuitu inde excepti ab Hospitali, ne illic perirent, ut quandoque accidit, et aliquando etiam remissi fuerunt ad Hospitale Imolense, ceu narrabant Testes. Asserta vero damna vel Hospitalis Imolensis, vel Infirmorum supervenientium, vera non esse disserebatur; quia decennii experientia, post vetitam anno 1753 traductionem Infirmorum et Convalescentium ad Hospitale Castri S. Petri, contrarium probavit. Ceterum nomine eiusdem Hospitalis Castri S. Petri ac Hospitalium S. Mariae Vitae et Mortis Bononiae non abnuebatur extentioni interdicti ad reliqua Hospitalia, ut aequalis esset omnium conditio; solumque adversabantur Hospitalia S. Spiritus et Sanctissimae Annunciatae Faventiae, in quibus soli Peregrini recipiebantur una nocte, cum aequum ipsis non videretur prohibere pauperum Peregrinorum traductionem ad loca vicina (post secutam eorum curationem in Nosocomiis Faventiae) quandoque in eorum virium subsidium indultam, ne interdictum videretur exercitium actuum charitatis.

23. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit prohibenda transmissio Peregrinorum et Itinerantium convalescentium aliterque pedibus iter substinere non valentium, licet non Infirmorum, ab Hospitali S. Mariae de Scaletta Imolae ad Hospitale Castri S. Petri? *Et quatenus affirmative.* II. An sit prohibenda huiusmodi transmissio ab ipso Hospitali Castri S. Petri nec non Faventiae et Bononiae ceterisque circumstantibus Hospitalibus ad dictum Hospitale Imolae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative, praeterquam quoad Hospitalia destinata tantum pro receptione Peregrinorum, qui in casu infirmitatis transmittantur ad Hospitalia Infirmorum eiusdem Diaecesis; et amplius – *in Bononien. seu Imolen. Hospitalium die 24 Iulii 1762.*

24. Non est autem prohibenda transmissio Infirmorum ab Hospitalibus plurium Locorum ad Hospitale alterius Loci, sed eadem transmissio prohibenda est iuxta modum exequendum iuxta mentem, cum extet unio Apostolica Auctoritate confirmata *in Viterbien. seu Montis Falisci Hospitalium die 25 Ianuarii die 26 Aprilis 1755 et in Viterbien. seu Montis Falisci Hospitalium super exequutione die 29 Maii 1756.*

25. Iamvero ex pluribus, quae Viterbii erant ad Corpora et Universitates diversarum Artium pertinentia, unum pro Civibus et Districtualibus erectum fuit Hospitale, quod in salubriorem et commodiorem locum inde translatum fuit. Infirmorum multitudo ab exteris et finitimis Locis ad novum hoc Hospitale transmittebatur, quod cum nimiis im-

pensis, quae ob aegrorum multitudinem necessariae erant, impar esset, interdictum fuit anno 1632, ne in eo exteri et ex vicinis locis Infirmi amplius reciperentur. Vim quidem, sed paucis annis, habuit hoc interdictum; nam iterum et praesertim a Civitate Montis Falisci Infirmi ad illud transmitti ceperunt. Necesse igitur fuit anno 1663 interdictum renovare, ne in Hospitale ii reciperentur, qui exteri essent, et praecipue, qui ab Hospitali Montis Falisci transmitterentur. Accessit felicitati Hospitalis Viterbiensis unio, quam cl. me. Card. Barbadicus Episcopus Montis Falisci anno 1690 fecit Hospitali eius Civitatis cum Collegio seu Seminario Puerorum, Apostolica inde Auctoritate confirmata. Huius enim unionis legibus cautum est, ut omnes, qui reciperentur – nell' Ospedale tanto paesani, quanto forastieri sì infermi, come feriti siano ben trattati e curati a tutte spese di detto Seminario, duranti le loro infermità –. Et cum Seminarii Administratores legi huic et conditioni parerent, minor erat numerus Infirmorum, qui ad Hospitale Viterbiense adveniebant, et minor erat impensa. At postremis temporibus iidem Administratores et Rectores, lege illa et conditione obliti, Hospitalis munera negligere ceperunt, Seminarii commodis intenti. Hinc pharmacopaeam, quae in Hospitali erat, clauserunt, minuerunt lectulos, Infirmosque iterum ad Hospitale Viterbiense transmiserunt. Querebantur Viterbiensis Hospitalis Rectores de hac transmissione, Infirmosque admittere repugnabant, ut cautum erat interdicto, sed frustra; nam Ductores Viatoresque Montis Falisci Infirmos non sine vitae discrimine in via ipsa et porta Civitatis Viterbii relinquebant, atque ita eiusdem Civitatis Hospitale cogebatur vellet nollet eos recipere, ne ipsa via divinis humanisque praesidiis destituti decederent. Hinc factum est, ut, cum eiusdem Hospitalis reditus impares essent impensis, contrahi debuerint anno 1752 census scutorum 1400, cuius fructus solvere non poterat Hospitale, nedum sortem redimere, ita ut, si res eodem statu durarent, metuendum esset, ne Hospitale claudi deberet. Ut huic malo occurreretur, obtulerunt Rectores et Administratores eiusdem Hospitalis Sacrae Congregationi preces, quibus postulabant, ut vetaretur Hospitali et Seminario Montis Falisci, ne Infirmos Viterbium transmitteret, utque iis iuberetur parere legi et conditioni unionis, Infirmosque omnes sive Cives, sive Districtuales, sive Exteros recipere, et praesertim eos, qui Romam venientes in itinere aegrotabantur, antequam Montem Faliscum pervenirent, eadem methodo, qua in Hospitale Viterbii recipiebantur ii, qui Roma venientes in morbum incidebant. Rogatus fuit Emus Episcopus Viterbiensis, ut, audito Administratore Ecclesiae Montis Falisci, animi sui sententiam explicaret, quod ipse praestitit epistola, qua, relatis utriusque Hospitalis rationibus, tandem secundum Hospitale Viterbiense respondit.

26. Rebus sic stantibus, propositis dubiis: – I. An sit prohibenda transmissio Infirmorum exterorum ab Hospitali Montis Falisci ad Hospitale Viterbiense in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit prohibenda transmissio Infirmorum ab Hospitalibus Terrae Marthae Bolsenae et Balneoregii ad Hospitale Montis Falisci in casu etc. –, Sacra Congregatio die 25 ianuarii 1755 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, proponatur citatis interesse habentibus –. Cum haec definitio non placuerit Rectoribus Seminarii Montis Falisci, audiri contra eam postularunt. Citati interim fuerunt interesse habentes, qui alios in ius vocarunt, ita ut aliud dubium debuerit adiungi. Propositis hinc dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu etc. *Et quatenus standum sit in decisis.* II. An sit prohibenda transmissio Infirmorum ab Hospitalibus Terrae Marthae Bolsenae et Balneoregii ad Hospitale Montis Falisci in casu etc. *Et quatenus affirmative quoad Hospitale Terrae Marthae.* III. An sit prohibenda transmissio Infirmorum ab Hospitalibus Valentani et Capitis Montis ad illud Terrae Marthae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis iuxta modum, exceptis iis, quorum fit mentio in Cap. XI unionis. Ad secundum et tertium, Negative – *in Viterbien. seu Montis Falisci Hospitalium die 26 Aprilis 1755.*

27. Modus hic novas inter Hospitalia Viterbii et Montis Falisci controversias excitavit, eorum Rectoribus alia atque alia ratione illum interpretantibus. Ut itaque controver-

siae tollerentur, certum fieret, qua ratione modus ille exequi deberet, ad EE. PP. redierunt. Proposito hinc dubio: – Quomodo sit exequendus modus adiectus resolutioni Sacrae Congregationis quoad Infirmos, de quibus loquitur caput XI unionis, sitque providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Modum esse exequendum iuxta mentem; et mens est, quod vetitis omnibus interrogationibus servetur cap. XI unionis quoad Incurabiles, et quoad discedere volentes, facta per Parochum et unum ex Deputatis attestatione cum iuramento de eorum libera voluntate, transmittantur cum schedula subscripta ab Episcopo vel Vicario Generali, et idem Episcopus invigilet, ne cura Infirmorum negligatur, nec commitantur fraudes, stricte onerata eiusdem Episcopi conscientia – *in Viterbien. seu Montis Falisci Hospitalium super exequutione die 29 Maii 1756.*

28. Verum antequam Sacra Congregatio resolveret, num in Hospitali recipi deberent pauperes tam infirmi, quam non infirmi loci designati a Testatore, qui Hospitale fundavit, nec non eisdem subministrari deberent alimenta medelae aliaque necessaria, mandavit, ut afferretur protocollum originale; his quippe in terminis propositis dubiis: – I. An pauperes tam infirmi, quam non infirmi Terrae Montis Bodii sint excipiendi in Hospitali ibidem erecto ad formam testamenti quondam Angeli Sammarani in casu etc. II. An sint subministranda alimenta et respective medelae aliaque necessaria in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et afferratur protocollum originale – *in Senogallien. die 13 Iulii 1765.*

29. Iure hinc ac merito Episcopus in sacra visitatione statuit, ut in Hospitali haberentur mansiones distinctae et separatae pro terriginis exteris et mulieribus una cum lectis sive cubilibus, quum id sit consentaneum honestati atque etiam voluntati Testatoris, qui illud fundavit; proposito enim dubio: – III. An retinendae sint mansiones distinctae et separatae pro terrigenis exteris et mulieribus una cum lectis sive cubilibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad tertium, Affirmative; et amplius – *in Senogallien. die 13 Iulii 1765.*

30. Quando itaque Hospitale non sit exemptum, haud licet Administratoribus sine consensu et approbatione Episcopi pias Mulieres introducere ad ministrandum et inserviendum; his quippe in terminis proposito dubio: – VII. An liceat Administratoribus Hospitalis sine consensu et approbatione Episcopi pias Mulieres introducere ad ministrandum et inserviendum dicto Hospitali in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad septimum, Negative; et amplius – *in Vasionen. Iurisdictionis die 11 Augusti 1753.*

31. Quum autem de facultate celebrandi dubitaretur in Hospitali Fratrum Congregationis S. Ioannis de Deo, Sacra Congregatio die 18 februarii 1628 declaravit, – prohibitionem hac de re editam ad Oratoria in Hospitalibus constituta non pertinere – *in Grossetana die 16 Maii 1778* §. *Neque.*

32. Idcirco Capellas in Nosocomiis erectas non comprehendi in Sacrosanctae Tridentinae Synodi Decreto Missas in privatis Oratoriis vetante, sed eas nomine Religiosae Domus venire, et Ecclesiarum privilegiis frui concludit Gattic. cap. 16 a n. 13, ac Fagnan. in lib. 5 Decret. n. 23 *in Grossetana die 16 Maii 1778* §. *Neque.*

33. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, posse in Hospitalibus ministrari Sacramenta pauperibus Infirmis, iisque decedentibus sepulturae tradi, iuxta Clement. *Quia contingit,* innovatam per S. Concilium Tridentinum in Cap. 8 sess. 25 de reformatione, dummodo Sacerdotes Sacramenta ministrantes sint approbati ab Episcopo *in Hydruntina lib. 3 Decretorum pag. 36 a tergo.*

34. Quapropter Capellani Hospitalis Maioricensis non possunt audire Confessiones neque intra neque extra Hospitale, neque verbum Dei praedicare in propria Ecclesia, nec in aliis Ecclesiis, absque approbatione et licentia Episcopi, non obstante allegata exemptione Hospitalis ab Ordinarii iurisdictione vigore Bullarum Callixti III et Pauli II *in Maioricen. Iurisdictionis die 20 Decembris 1692 lib. 42 Decretorum.*

35. Confessiones vero audientes vel praedicantes sive in Ecclesia Hospitalis, sive in aliis Ecclesiis absque Episcopi licentia, non possunt ab eodem censuris coerceri, sed tantum iuris remediis *in Maioricen. Iurisdictionis die 20 Decembris 1692 lib. 42 Decretorum.*

36. Hinc administrantes curam animarum debent prius examinari ab Episcopo, vel eius Vicario Generali *in Maioricen. Iurisdictionis die 20 Decembris 1892 lib. 42 Decretorum.*

37. Nam subiiciuntur Episcopo in concernentibus dictam curam animarum *in Maioricen. Iurisdictionis die 20 Decembris 1692 lib. 42 Decretorum.*

38. Approbati tamen ab Episcopo ad confessione audiendas non possunt suspendi, nisi supervenienti nova et rationabili causa *in Maioricen. Iurisdictionis die 20 Decembris 1692 lib. 42 Decretorum.*

39. Ampliat, Capellani Hospitalium nequeunt solemniter ducere funera ad publica caemeteria, etiamsi ex concordia ea ducere valeant intra Hospitalium continentia *in Bononien. Iuris ducendi funus die 24 Ianuarii 1857* (1).

40. Enimvero Sacra Congregatio declaravit, Capellanos Hospitalium S. Mariae Vitae et S. Mariae de morte Bononiae non posse associare cadavera decedentium in dictis Hospitalibus et tumulandorum, electa sepultura, in aliis Ecclesiis privative quoad Parochum domicilii dictorum defunctorum *in Bononien. Iurium Parochialium die 13 Februarii 1694 lib. 44 Decretorum.*

41. Attenta autem adprobatione et confirmatione fundationis Archihospitalis facta per Summum Pontificem, Sacra Congregatio declaravit, haud competere quidem R. P. Ministro Sanctissimae Trinitatis Ordinis S. Augustini, quem Fundatores cum aliis duobus Fratribus eiusdem Ordinis Capellae et Archihospitalis praeposuerunt, titulum ac denominationem Curati eiusdem Archihospitalis, sed ad ipsos spectare ius exercendi in caemeterio praefati Archihospitalis quascumque functiones pro exequiis et tumulationibus cadaverum decedentium extra dictum Archihospitale et sepulturam in eo eligentium, Familiares vero et Domestici degentes in eodem Archihospitali eidemque inservientes non posse adimplere praeceptum Paschale in Ecclesia Archihospitali, cum teneantur accedere ad Ecclesiam parochialem, intra cuius fines Archihospitale existit ac reperitur *in Avenionen. die 12 Septembris 1750.*

42. Siquidem Constitutione Summi Pontificis Innocentii VI data anno 1335 his verbis confirmata fuit fundatio Archihospitalis S. Marthae, quam fecerunt Bernardus Rasca et eius Uxor: – Ipsi proponunt in loco vocato ante S. Lazarum prope Civitatem Avenionensem unum Hospitale sub titulo S. Marthae Virginis pro recipiendis et alendis Pauperibus et Infirmis ad dictum Hospitale pro tempore confluentibus, et in dicto loco quamdam Capellam eidem Hospitali contiguam in honorem Sanctissimae Trinitatis construere et aedificare cum dotatione congrua, et quod eidem Capellae per tres Fratres Sanctissimae Trinitatis Ordinis S. Augustini Presbiteros perpetuis deserviatur temporibus, instituendos in praedicta Capella per Ministrum, quorum quidem trium Fratrum unus sit Prior seu Rector Capellae, et quod dicti Fratres habeant inibi caemeterium, ac eorum quilibet audiendi confessiones egenorum et pauperum et infirmorum, ac eorum in eodem Hospitali pro tempore degentium, ac ministrandi eis ecclesiastica Sacramenta, illosque, cum decedent, sepeliendi in dicto caemeterio, liberam facultatem –. Fundato erectoque Archihospitali Capella et Caemeterio, plures ortae sunt quaestiones et controversiae de tumulatione cadaverum et de implemento Paschalis praecepti inter Capitulum et Decanum Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Petri, intra cuius Parochiae fines Archihospitale situm erat, et Patres Trinitarios, quibus ab Innocentiana Constitutione data fuit cura Capellae et administratio Sacramentorum. Controversiae autem transactionibus sopitae fuerunt. Anno siquidem 1672 de funeribus et tumulationibus cadaverum conventum fuit, ut Rector et Patres Trinitarii partem emolumentorum et oblationum eidem Parochiali et Collegiatae Ecclesiae tradere tenerentur, quas habuissent ex sepultura eorum, qui Parochiani fuerant eiusdem Parochiae. Anno etiam 1683 alia transactione conventum fuit iterum, ut pars quarta parochiali Ecclesiae traderetur de funeribus Parochianorum, utque in elatione et tumulatione cadaverum et Patrum et Capituli simul esset praesentia. De Paschalis vero praecepti implemento edita fuere

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Cadavera*, §. II, n. 433 ad 440, Tom. IV.

Decreta, quibus cautum fuit, ut Officiales aliique Archihospitali servitium praestantes in Ecclesia Patrum Trinitariorum illud implerent. Exinde vero Capitulum Decanus Parochialis et Collegiatae Ecclesiae S. Petri omnia haec in controversiam revocarunt. Re igitur ad Archiepiscopalem Audientiam delata, Vicarius Generalis duo tulit Decreta, quorum primo voluit, Officiales aliosque Archihospitali servitium praestantes teneri Paschale praeceptum implere in Ecclesia parochiali; altero autem, quo voluit, ut corpus nobilis Mulieris defunctae, quae in Ecclesia Archihospitalis sepulturam elegerat, tumularetur a Capitulo. Appellarunt Patres Trinitarii ab his Decretis ad Sacram Congregationem.

43. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An R. P. Ministro Sanctissimae Trinitatis in Archihospitali S. Marthae Civitatis Avenionensis competat titulus et denominatio Curati eiusdem Archihospitalis? II. An ius exercendi in Caemeterio Archihospitalis quascumque functiones pro exequiis et tumulationibus cadaverum decedentium extra dictum Archihospitale et sepulturam in eo eligentium spectet ad Rm̃um Capitulum Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Petri, seu potius ad RR. PP. Ministrum et Religiosos Sanctissimae Trinitatis? III. An Familiares et Domestici degentes in eodem Archihospitali eidemque inservientes praeceptum Paschale adimplere teneantur in Ecclesia Archihospitali, seu potius teneantur accedere ad Ecclesiam Collegiatam et Parochialem S. Petri in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad tertium, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Avenionen. die 12 Septembris 1750.*

44. Hinc et Officiales Hospitalium ecclesiasticorum adprobari debent ab Episcopo, L. 42 §. 9 Cod. de Episcopis et Clericis, Pignatell. consult. 128 n. 3 et 4 tom. 9 *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773 §. Ad II.*

45. Nam Episcopus de iure communi fundat intentionem etiam super Hospitalium administratione et ordinatione nec non deputatione Rectoris *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851 §. Ampliatur.*

46. Quod tamen limitatur, si ex consuetudine legitime praescripta, vel privilegio Apostolico Inferiores Episcopo habeant administrationem et deputationem Officialium. Haec enim facultas non est sublata a Concilio, seu potius reservata etiam quoad laicos, Fagnan. in Cap. 4 religios. domib. n. 26 27 *in Spoletana Xenodochii die 25 Ianuarii 1851 §. Ampliatur.*

47. Quapropter quum Communitas haud probaverit, Hospitale, cuius administrationem gerebat, nec in institutione nec consuetudine nec privilegio exemptum esse a iurisdictione Archiepiscopi, Sacra Congregatio declaravit, Deputatos praefati Hospitalis ab ipsa electos indigere etiam confirmatione praedicti Archiepiscopi, eosque subesse ipsius iurisdictioni in omnibus negotiis, quae a Concilio Tridentino in Cap. 8 et 9 sess. 22 de reformatione pro non exemptis constituuntur *in Spoletana Xenodochii die 22 Februarii et die 26 Iulii 1851.*

48. Iamvero in Civitate Trebiae Spoletanae Archidiaecesis Hospitium Infirmorum existebat, cuius origo inter antiquitatis tenebras delitescebat. Illud tamen compertum habebatur, administrationem huius pii Loci olim penes Sodalitium Misericordiae fuisse. Anno 1848 statutis ab ipsa Communitate efformatis ad rectam Hospitii administrationem et ab Apostolica Spoletana Delegatione approbatis, ad tramites eorumdem die 7 maii 1850 moderna Municipalis Commissio ad stabilem nominationem plenis suffragiis devenit sex Deputatorum per biennium proxime futurum dictae administrationi praeficiendorum, quos inter primum tenebat locum Trebiensis Ecclesiae Archidiaconus, eamque Officialium electionem sua sanctione roboravit Pro-Praeses Provinciae. Anceps Moderator Municipii Trebiensis circa peractam Officialium nominationem, quum penes Pro-Praesidem quaereret, – se altre formalità dipendenti debba esso praticare con altra Autorità tanto nel caso, di che si tratta (nimirum relate ad electionem Officialium) quanto in qualunque altro riferibile al pio Stabilimento –, animadverteretque, – che senza una positiva dichiarazione a questo riguardo, non potrebbe egli

per la sua posizione introdurre di se stesso una doppia e limitata dipendenza, e nettampoco azzarderebbe di chiamare al vincolato esercizio le degne persone nominate, le quali non improbabilmente potrebbero ritenerlo in siffatto modo oneroso di troppo –; ipse Pro-Praeses, nihil, inconsulta S. Sede, ausus definitive respondere, censuit dubium eiusmodi EE. PP. sapientiae exolvendum subiicere. Haud abstinuit nihilominus suam aperire sententiam, quae in eo erat, ut pro independentia ab Auctoritate ecclesiastica responsum esset, – sia per la istituzione dell'Ospedale di Trevi, che è meramente laicale, sia per l'attuale sua dipendenza a titolo oneroso dal Municipio, sia infine per le disposizioni governative sul regime municipale –. Datae sunt Archiepiscopo Literae, ut referret, – utrum Hospitale ex fundatione sit mere laicale, et quae iura super eo exercuerint Archiepiscopi, transmissis documentis ad rem facientibus –. Archiepiscopus responsum dedit in haec verba: – Cum igitur post circiter tria secula sub Ordinariorum dependentia Hospitium Infirmorum (Trebiae) administratum fuit, nec sine licentia S. Sedis Archiepiscopus expoliari potuit tali administratione, attenta circulari Secretariae Status sub die 21 iulii 1819 art. 12, quae talia iura praeservabat iis, qui tunc in possessione manebant, videtur nunc non arbitratu suo Communitatem agere posse, sed cum debita recognitione, saltem in principalioribus negotiis erga Spoleti Ordinarium, instar Spoleti Hospitiorum administrationum, in quibus negotia per seculares Administratores congregatos semper coram Ordinario tractantur –. De fundatione ne verbum quidem addidit, nullumque documentum vel ex actis visitationum, vel ex gestis per antecessum super eiusdem Hospitii negotiis transmisit Archiepiscopus. Dubium tamen a Praeside Municipii Trebiensis admotum dilemmate confici posse videbatur. Aut enim Hospitale, de quo res erat, valebat ex institutione consuetudine et privilegio exemptionem ab Ordinarii iurisdictione iactare, et hoc in casu obtinebat iuris censura quoad limitatam Ordinarii potestatem circa Hospitalia exempta: aut nullum ex hisce requisitis exhibere valebat, tunc de ordinaria Archiepiscopi iurisdictione ad tramites iuris ambigendum non videbatur. Ex allegatis nihil deprehendere dabatur quoad Hospitalis fundationem. Nullum pariter de privilegio verbum occurrebat: id unum ex Episcopi responso colligebatur, nimirum per tria circiter secula sub Ordinariorum dependentia Hospitale illud administratum fuisse. Memorabat quidem Pro-Praeses Provinciae leges gubernativas super municipali regimine; at haud eas exhibuit.

49. Rebus sic stantibus, propositis dubiis: – I. An Deputati Hospitalis Trebiensis a Communitate electi indigeant etiam confirmatione Archiepiscopi in casu? II. An quomodo et pro quibus negotiis dicti Deputati subsint iurisdictioni eiusdem Archiepiscopi in casu? –, Sacra Congregatio die 22 februarii 1851 respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et scribatur Archiepiscopo, qui magis praecise referat, quae iura super Hospitali exercuerint Ordinarii etiam quoad approbationem Deputatorum, transmissis documentis ad rem facientibus –. Rei Municipalis Moderatores folium animadversionum transmiserunt, ubi asserebatur, ex copiosa actuum municipalium serie historicisque Civitatis notitiis evidenter erui, Hospitale Infirmorum communale fuisse etiam ante annum 1393, idemque iugiter sic permansisse etiam ab anno 1575 ad 1843, quo tempore publici Consiliarii de triennio in triennium simplicem concesserunt administrationem Sodalitati Misericordiae, ac eo vel magis in posterum illud in potestate Communitatis extitisse, cum ex instrumento diei 4 iulii 1844 per Consiliarios acceptato et ab Apostolica Delegatione nec non Auctoritate ecclesiastica adprobato ipsam simplicem administrationem ab ipsa Sodalitate recepisset. Idcirco arguit, Hospitale ex ipso sui ortu fuisse laicale, Communitatem directe vel indirecte eiusdem administrationem ac regimen habuisse, ac pecuniam, quoties reditus haud satis essent, de proprio impendisse; adeoque potestati laicae, non vero ecclesiasticae, semper subiecisse. Archiepiscopus, vero, postquam declaraverit, controversiam hanc circa administrationem et gubernium civilis Xenodochii absque ulla sua causa vel intentione a Commissione Municipali fuisse excitatam, haec habuit: – Nemo autem est, qui sciat, quae iura Ordinarius Spoletanus in hoc Xenodochio exercuerit, antequam

Sodalitii Misericordiae curae demandatum fuisset. Supponi vero posset, Ordinarios in hoc negotio nunquam se implicasse, eo vel magis quod nondum Tridentina Decreta edita erant. Hinc non parum miratus sum, Commissionem illius Municipii asserere ausam esse, non leve pondus considerari duplicem dependentiam, dum nunquam mihi in animo fuit in talibus rebus involvere, multoque minus contendere cum potestate civili. Nam notum est, me usque adhuc nullam cum aliqua Diaecesis Communitate controversiam inivisse; quin imo in testimonium ipsam Trebiae Communitatem referre possem, cum nullam coram Sacra Congregatione super negotiis Episcoporum et Regularium proposita repugnantiam ostendi, ut Xenodochium e Sodalitio Communitati eidem restitueretur. Ceterum quae iura Ordinarii Spoletani in Xenodochio etiam quoad Deputatorum electionem ante Concilium Tridentinum exercuerint, prorsus ignoratur. Sed post eiusdem sacrorum Canonum promulgationem, cum Hospitale semper sub cura pii Sodalitii Misericordiae fuerit, ideo semper ecclesiasticae potestati fuit subiectum –.

50. His utrinque perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative in omnibus ad formam Tridentini pro non exemptis cap. 8 et 9 sess. 22 de reformatione – *in Spoletana Xenodochii die 26 Iulii 1851.*

51. Hinc Sacra Congregatio declaravit, ordinationem Aeditui seu Rectoris aliorumque inservientium Hospitali S. Angeli in Platea seu Sede, ut vocant, Nidi Civitatis Neapolis pertinere ad Archiepiscopum, licet iidem allegassent omnimodam exemptionem ab Ordinarii iurisdictione *in Neapolitana die 21 Iulii 1742* (1).

52. Episcopus vero nequit praeponere Hospitali, qui non sunt a Fundatore designati; quandoquidem quum Angelus Sammaranus heredem ex substitutione fecerit Sodalitium Mortis cum onere erigendi Hospitale atque Ecclesiam, nec non tenendi in ea Presbiterum, dando ei condecentem seu solitam eleemosynam ad effectum, ut posset continue illam officiare, et quotidie in ea Missas celebrare pro anima ipsius Testatoris, ac demum habendi assidue in dicto Hospitali unum Custodem, sed Episcopus contra voluntatem Fundatoris et literam transactionis 1681 praeposuerit Patres Oratorii S. Philippi Nerii, proposito dubio: – IV. An Patres Oratorii S. Philippi Nerii degentes pro tempore in dicta Terra Montis Bodii sint praeponendi dicto Hospitali iuxta Decretum Rñi Episcopi in sacra visitatione interpositum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Negative; et ad Emum Praefectum ad mentem, et amplius – *in Senogallien. die 13 Iulii 1765.*

53. Nullum tamen dubium, quod Administratores Hospitalium nequeant ultra triennium suo fungi munere, nisi aliud in fundatione cautum reperiatur, Concil. Trid. sess. 22 Cap. 8 de reformatione *in Ariminen. Montis Pietatis super confirmatione Rectoris dii 9 Iulii 1768* §. *Quod pertinet.*

54. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Administratorem Hospitalis non esse ultra triennium permittendum *in Dubium ad Cap. 8 sess. 25 de reformatione Posit. 147.*

55. Rectores autem ecclesiastici Hospitalis Civitatis Vasionensis praecedentiam habent quoad ceteros eiusdem Hospitalis Rectores laicos; quandoquidem proposito dubio: – II. An Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Vasionenis duobus ex Rectoribus dicti venerabilis Hospitalis competat praecedentia

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus.* §. XIX, n. 153 et 154, Tom. IX.

Benedictus XIV in Constitutione, quae incipit: *Praeclarum* 1 octobris 1755 Bullar. eiusdem tom. 4 exemptionem praedicti Hospitalis declarans, in §. 6 haec statuit: – Praedictos duos Nobiles, ut supra electos, et in posterum eligendos, habere insuper ius et potestatem deputandi atque colligendi in Sacristam seu Rectorem Hospitalis et Ecclesiae unum Clericum seu Presbiterum ad nutum et voluntatem ipsorum quandocumque amovibilem, qui tamen tempore ipso deputationibus huiusmodi sit ac reperiatur ab Ordinario suo rite et canonice ordinatus, consuetisque Literis testimonialibus super vita et honestate ab ipso suo Ordinario debite ac de recenti munitus –. Et §. 7 et 8 dictis Nobilibus vindicatur pariter electio viginti quatuor Clericorum seu Presbiterorum eidem Hospitali inservientium, nec non sexdecim Ministrorum pro servitio Infirmorum.

respectu Rectorum laicorum tam in Congregationibus aliisque functionibus dicti Hospitalis, quam in subscriptione resolutionum et mandatorum administrationem bonorum respicientium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative – *in Vasionen. die 19 Iunii 1751.*

56. Verum singuli Rectores Hospitalis Civitatis Vasionensis nequeunt privative exercere munera dicti Hospitalis absque aliorum consensu; proposito enim dubio: – III. An singulis Rectoribus sive ecclesiasticis, sive laicis absque aliorum consensu liceat privative munera dicti Hospitalis exercere in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Negative – *in Vasionen. die 19 Iunii 1751.*

57. Qua de re quum Sodalitas ad tramite Chirographi Pontificii gubernaret nec non bona Hospitalis administraret, at suppresso exinde Hospitali, plura Congregatio secreta ad removenda mala, quae irrepserant in Hospitium, iure ac merito praestituerit, Congregatio generalis vero plures adversus ea iniuste ac illegitime deliberationes ediderit, Sacra Congregatio declaravit, confirmanda esse Decreta Congregationis secretae, et nedum deliberationes Congregationis generalis haud esse convalidandas, sed imo supplicandum esse Sanctissimo pro deputatione Visitatoris Apostolici *in Romana die 3 Iulii die 28 Augusti et die 17 Decembris 1852.*

58. Enimvero cum primum sedentibus Xisto IV et Iulio II Hospitale et Sodalitium S. Ioannis Baptistae Ianuensium prope Tyberis ripam erectum fuit, bonorum ac rerum omnium administratio apud ipsos Sodales erat, qui nullis scriptis legibus utebantur, sed in generalem conventum frequenter sese colligentes prudenti arbitrio maiora negocia expediebant, relicta cura leviorum Coetui, quem nuncupabant *piccola Congregazione.* Verum labentibus annis, cum multa quotidie inciderent, quae regulis indigebant, quibus apte componerentur, expedire omnino visum fuit certa statuta conficere, eaque scripto demandare; quod accidit anno 1576. Porro in illud primo incubuere statutorum conditores, ut, dispertitis muneribus, suos utraque cum generalis, tum minor seu secreta Congregatio praestitutos haberet fines; et licet administrationis summam generali tribuissent, omnium fere tamen Officialium, praesertim Prioris ac Vicarii, electionem minori Congregationi reservatam voluere. Huiusmodi vero praescriptorum ratio impar adhuc visa fuit ad tutelam bonorum et disciplinae Sodalitii. Quamobrem Summus Pontifex s. m. Benedictus XIII splendorem ac Dei servitium in Sodalitio augere summopere exoptans, chirographum die 8 martii 1727 subscripsit, quo Emo Viro Iosepho Renato Imperiali eiusdem Sodalitii Protectori pro tempore committebat procedere – alla riforma della Congregazione segreta tanto intorno ai soggetti, che in essa devono intervenire, quanto alla di lei facoltà e autorità nel modo sequente –. Modus vero, quo Congregatio secreta erat reformanda et constituenda, praeseferebat, quod in Congregationem vocandi in posterum forent – oltre la vostra persona (sunt verba Pontificis) come Protettore e capo della suddetta Compagnia le seguenti persone: i due Governatori della medesima Compagnia, il Priore Vicario Camerlengo Segretario e un solo Provveditore, nec non dodici persone con titolo di Deputati, che si dovranno eleggere nella forma infrascritta –. Quoad electionem Gubernatorum et Officialium iubebat Pontifex: – Avvicinandosi il tempo solito di eleggere i Governatori, cioè prima della festa del glorioso S. Giovanni Battista, la Congregazione generale dovrà ragunarsi e nominare due o prelati, se si dovrà mutare il prelato, o secolari, se toccherà al secolare, e questi due insieme col vecchio si proporranno nella Congregazione segreta, e quello s'intenda restare eletto e rispettivamente confermato per Governatore, che avrà la pluralità di voti nella suddetta Congregazione segreta, la quale però non possa far correre il bussolo, che per li soli tre suddetti soggetti come sopra. Così ancora l'elezione di tutti gli altri Ufficiali, che secondo lo statuto della Compagnia doveva farsi dalla Congregazione generale, quali sono il Segretario e il Camerlengo, mentre in tutti gli altri a tenore dello stesso statuto l'elezione appartiene alla Congregazione segreta, si avrà a regolare nel presente modo; cioè non volendo la Congregazione segreta confermare il Camerlengo o Segretario antecedenti o pure gli altri Ufficiali, il che possa

fare ogni e quante volte le parerà e piacerà, rispetto alla elezione del nuovo Camerlengo e Segretario prima della Congregazione segreta con la maggioranza dei voti si nomineranno due persone idonee..., e questi due insieme con un'altro, che sarà nominato dal Governatore Prelato, o in sua assenza dal Governatore secolare, si proporranno nella Congregazione generale, e chi di essi avrà la pluralità dei voti, quello sarà eletto – Huic demum Congregationi secretae plenissimam potestatem cuncta gerendi Pontifex tribuit. Nam prosequebatur chirographum: – Avrà la Congregazione segreta costituita come sopra l'amplia e libera facoltà di fare qualunque contratto e disposizione intorno all'azienda e governo di detta Congregazione senza renderne ragione ad altri, che a noi e nostri successori –. Ex antiqui statuti praescripto unus etiam eligi debebat Sacerdos, qui Capellani nomine Hospitali inserviret. Deinde testamentariis tabulis anno 1764 obsignatis sex Cardinalis Cosma Imperiali pro Sacerdotibus Ianuensibus Capellanias fundavit in Ecclesia eiusdem Confraternitatis. In praesens vero tres tantum extabant Capellani praefatae Ecclesiae servitio addicti, quorum unus Sacrarii custodiae praeerat. Hi nominabantur ab Emo Protectore, et contiguum Hospitium incolebant, cuius aedes, suppresso iam multis ab illinc annis Hospitali, extraneis quoque ad usum habitationis locari consueverunt.

59. Res ita se habebant, cum postremis temporibus nonnulli abusus in Hospitio irrepere ceperunt, et graves in publica rerum omnium subversione inter eiusdem inquilinos perturbationes oriri. Rebus inde plene restitutis, volvente scilicet anno 1850, accidit, ut unus ex Capellanis ecclesiasticae auctoritatis iussu, in eodem Hospitio per vim comprehensus ac in carcerem coniectus, tandem in exilium compelleretur. Quod sane factum maioribus ciendis turbis causam dedit, et gravissimae ex parte nonnullorum Confratrum ac potissimum Mandatarii Sodalitatis querelae excitatae sunt in Sacerdotem Iacobum Bruni alterum ex Capellanis, quem omnium perturbationum auctorem insimulabant. Ast obiectae imputationis falsitatem haud latere diu potuit Emum Protectorem, qui illico in accusatum inquirens ac de eius vita et moribus politicam et ecclesiasticam percontatus Auctoritates relationem Brunio valde propitiam ab iisdem accepit. Verum tot malorum causas penitus noscere, hisque cito occurrere exoptans, sollicitum se praebuit idem Emus secretam advocare Congregationem, quae in comitiis diei 19 augusti eiusdem anni tribus e gremio adlectis Confratribus commisit, ut, opportunis cognitionibus captis, referrent et quae magis expedire sibi viderentur remedia proponerent. Munere sibi demandato optime functi sunt secretae Deputati; et in Congregatione habita die 27 decembris praedicti anni huiusmodi reformationum capita ceterorum suffragiis proposuere; – 1. che si stabilisse una clausura nell'Ospizio, in forza di cui per regola non potessero dimorare e nè anche essere ammesse donne, sia di notte sia di giorno, eccetto che in una camera vicina alla porteria, che dovesse servire come di parlatorio per il caso, in cui gli abitanti l'Ospizio avessero a parlare con donne; 2. che si congedasse in esecuzione dell'articolo precedente la famiglia Pacini, in cui erano donne, che abitava nell'Ospizio senza alcun titolo; 3. che si dimettesse il Mandatario con una giubilazione; 4. che si attribuisse ad uno dei tre Cappellani l'incarico e la responsabilità di far eseguire le precedenti disposizioni e le altre, che in qualunque tempo fossero per emanare i Superiori, dichiarandolo perciò Cappellano Superiore, e assegnandogli per questo incarico e responsabilità uno speciale onorario; 5. che dovesse mettere in una camera attigua alla porteria un Portinaro sotto la dipendenza del Cappellano Superiore per l'istesso scopo di ottenere l'esecuzione delle nuove disposizioni –. Omnibus rite discussis ac mature perpensis, in Relatorum sententiam discessere Confratres. Et cum in iisdem comitiis de superiore eligendo actum esset, omnium aptissimus, qui huic muneri praeficeretur, visus fuit Sacerdos Ioannes Baptista Gallo. Hic porro ab Emo Protectore, Congregationis rogatu, de suo consensu sciscitatus, oblatum sibi munus acceptum ultro citroque habuit; eique, praeter Capellaniam, peculiare stipendium ad annuam nonaginta sex scutatorum summam statutum fuit. Ex sequuta hac nominatione laesum se existimans Sacerdos Lupi, Sacrarii Praefectus, acerbis-

sime conquestus est per supplicem libellum Summo Pontifici oblatum; quippe Superioris munus iure sibi competere contendebat. Nihilominus Decreta diei 27 decembris anno 1850 in posteriori Congregatione diei 24 martii 1851, frustra etiam reluctante ecclesiastico Gubernatore, firma rataque habita sunt. Atque ita res compositae videbantur. Sed quominus exequutioni ea, qua par erat celeritate, edita Decreta committerentur, impedimento fuere Confratres, qui in Oratorio convenire solebant ad preces ac officium recitandum et cetera pietatis et religionis exercitia de more explenda, qui Sodalitium constituebant. Hi nimirum in generalem conventum diei 4 maii 1851 sese recipientes, quae cuncta ab secreta Congregatione statuta fuerant, reprobare nulla ac irrita decernere non dubitarunt. Simulque rati, haud legitime cogi posse secretam, deficientibus utroque Gubernatore et Camerario, qui suo muneri nuncium iam miserant, potestatem sibi factam esse censuerunt, inauditis secretae Deputatis, Sodalitii negocia pro lubitu pertractandi. Hinc decrevere; 1. l'espulsione di D. Giacomo Bruni Cappellano; 2. che si destituisca il Segretario; 3. che si annullino le deliberazioni della Congregazione segreta dei 27 decembre 1850 e 24 marzo 1851; 4. che non si accettava la rinunzia dei Governatori; 5. che si destituiva il Vicario –. Huiusmodi Decreta Pontificiae sanctioni subiicienda curarunt Sodales, supplici oblato libello, quem Sacratissimus Princeps Sacrae Congregationi die 15 mensis eiusdem remisit. Quod ubi novit secreta Congregatio, denuo convocatis comitiis die 4 iunii, ab ulterioribus sese abstinens, nil reliqui ad compescendam Sodalium audaciam esse duxit, quam Visitatorem Apostolicum postulare; ac datis ob id precibus, illud etiam a Summo Pontifice efflagitavit, ut praefatum munus in praesentem Emum Protectorem conferretur. Huiusmodi etiam petitio ad Sacram Congregationem ablegata fuit. Ac tandem die 25 septembris 1851 ex Summi Pontificis mandato commissum est Emo Protectori, ut, auditis per secreta suffragia Officialibus ac Deputatis Congregationis secretae, eorumque consilio et opera adhibito, inquireret in omnia, ac referret super reformandis ac corrigendis tam quoad disciplinam, quam relate ad administrationem Loci pii, et proponeret remedia, quae pro meliori eiusdem Loci pii regimine magis in Domino expedire iudicasset, nihil interim innovato.

60. Mandatis huiusmodi illico satisfaciens Emus Protector per epistolam diei 29 decembris 1851 retulit, autumare Deputatos, – quod coercenda sit effraenata Confratrum libertas adsciscendi in Sodalitium homines vel ad turbas proclives, vel aliis vitiis notatos, qui deinde bene moratos Confratres incitant contra proceres sedentes in Congregatione secreta aut clamoribus et increpationibus avertunt ab iis, quae ab Ecclesiae Administratoribus iubentur. Et hoc Congregationis secretae desiderium iustum et excipiendum puto, quia ex hisce adamussim turbulentis Confratribus, utut paucis, evenerunt quae contra disciplinam facta ab Confratribus iam novit S. Congregatio. Quod si Congregationi secretae demandetur inquisitio super moribus Confratrum admittendorum, non oppido intrabunt in Sodalitium, qui praeiudicium pravis consiliis ceteris allaturi sint. In Congregatione secreta non adfuit Illmus ac Rmus Dominus Lucciardi Gubernator ecclesiasticus ad Senogalliensem Episcopalem Sedem evectus. Et defuit aeque Gubernator alius Princeps Carolus Doria, cui praeter consuetam schedulam a Secretaria Congregationis missam ego epistolium scripsi, ut adveniret. Ipse vero per literas respondit, sese iam nuncium muneri misisse, et curas eiusdem in posterum rursus respuere. Quod cum Congregationi secretae pandidissem, Deputati, ne Ecclesia damnum interim patiatur, et ut negocia expediri valeant, votum aliud emiserunt, quo ab Sanctissimo deprecantur subrogationem in officio Gubernatoris Illmi ac Rmi D. Ioannis Baptistae Arnaldi alter ex Deputatis. Quam petitionem pariter excipiendam esse existimarem –. Sed iam die 27 decembris anni eiusdem Confratres, generali coacta Congregatione, contra formam a statutis praescriptam, ad novam utriusque Gubernatoris ac ceterorum Officialium electionem devenerant. Qua de re ad maiora praecavenda mala, praesentis Causae definitionem, cuius cognitio a Summo Pontifice Sacrae Congregationi commissa est, Ecclesiae Ianuensium Administratores expediri cupientes, constituto die 5 apri-

lis anni 1852 legitimo Procuratore ad dubiorum concordationem et destinationem Congregationis adsertos Priores et Deputatos generalis Congregationis provocarunt. Hinc adstantibus adlectis ab utraque Parte Procuratoribus, dubiorum formulae fuerunt concinnatae. Adventante tamen die propositionis Causae, nullae ex parte Sodalitii et Sacerdotis Lupi deductiones fuerunt exhibitae; sed libellus pro Causae dilatione circumferebatur. Quae interim deducebantur ex parte Congregationis secretae suadere videbantur, eius Decreta dierum 27 decembris 1850 et 24 martii 1851 esse servanda et confirmanda. Ipsa enim Instituti indole ac natura perpensa, et amplissimis perspectis facultatibus, queis pro bono regimine et administratione Confraternitatis secreta Congregatio a Benedictino Chirographo donata est, ambigi profecto nequibat, quin ipsa potuerit intra suae iurisdictionis limites nonnullas condere leges ac Decreta statuere, quae ad disciplinam in Hospitio restituendam opportuna fore intellexit. Et omni commendatione digna apparebat prudens ac circumspecta agendi ratio, qua in hisce provisionibus decernendis usa est, quippe tribus deputatis probatissimis Viris, qui supra grassantium in pio Loco malorum causis inquirerent, non prius quidquam innovandum censuit, quam congrua remedia ex accurata rerum notitia quaerere ac differre quivisset. Legitima hinc ac iusta ostendebatur nominatio Sacerdotis Gallo, quin ullatenus obessent praetensa iura Sacerdotis Lupi. Idcirco quidquid praestituit die 4 maii 1851 Congregatio generalis nullum ac irritum praesefe-rebatur, cum nullam haberet potestatem contra id, quod Congregatio secreta constituerat. Necessaria propterea videbatur statutorum reformatio quoad particulam, quae respiciebat admissionem Confratrum, ne nova rursus dissidia ac mala ingruerent.

61. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quae Decreta Congregationis secretae dierum 27 decembris 1850 et 24 martii 1851 sint servanda, vel reformanda in casu? II. An deliberationes Confratrum diei 4 maii 1851 sint convalidandae in casu? III. An et quomodo sit locus reformationi statutorum in casu? –, Sacra Congregatio die 3 iulii 1852 respondit: – Dilata ad primam post proximam –. Qui itaque partes Congregationis generalis tuebatur, plura quidem in medium protulit; sed repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 28 augusti 1852 respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Negative. Ad tertium, supplicandum Sanctissimo pro deputatione Visitatoris Apostolici –. Novae audientiae beneficio adversus inimicas resolutiones a succumbentibus iam impetrato, adfuit exinde Sacerdos Lupi, qui per libellum ad acta exhibitum liti nuncium misit; eiusque exemplum sequi Congregationem generalem paratam mox renunciavit eiusdem Procurator. Ast cum nondum declarationis actum haudquaquam exhibuerit, repropositis dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? III. An sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, in decisis; et amplius – *in Romana die 17 Decembris 1852.*

62. Unde Administratores Nosocomii nequeunt super ipsius iuribus transactionem inire, sed iusta ac legitima extante causa, Sacra Congregatio declarat, supplicandum esse Summo Pontifici pro eiusdem approbatione *in Bononien. Transactionis die 30 Iulii 1831.*

63. Siquidem Administratores Nosocomii vitae et mortis, quod Bononiae extabat, anno 1805 duo Antonio Gotti vendidere praedia libellis Bononiensibus 12062 ea lege, ut, quinque millibus ex eis eodem anno persolutis, quod supererat pretii intra annum 1808 pendi deberet, remissis interim in singulos annos constitutis fructibus. Atque ut sarta tecta pii Loci iura haberentur, iidem Administratores praeter generalem hypothecam, qua universa emptoris bona devincienda curarunt, ac solidalem fideiussionem Caroli Zambonelli (qui tamen aere alieno obrutus iam obiit) specialem quoque hypothecam dominium ac regressum in praefata duo praedia ipsius Nosocomii favore reservarunt, donec pretium fructusque conventi ab emptore integre solverentur. At paullo post factum est, ut, aere alieno oneratus, Antonius Gotti extraiudicia-

liter creditores convocaverit, qui universi, praeter memorati Nosocomii Administratores, accedentes, tres e suo coetu homines statuerunt, a quibus patrimonii Gotti suscepta quidem administratio est, sed pretii et usurarum, quae eidem Nosocomio debebantur, solutio omnino neglecta. Ad annum usque 1816 perducta eo in statu res erat, cum demum ex Decreto Tribunalis, quod de primis instantiis tunc temporis Bononiae ius dicebat, die 6 maii eiusdem anni immissionem in duo praedia vendita Nosocomium obtinuit vi dominii ac regressus, in venditionis tabulis reservati. Aegre id tulere Gotti Creditores, dieque dicta coram eodem Tribunali Nosocomii Administratoribus, lis de nullitate immissionis contestata est, quae tamen sub Iudice fuit ad annum usque 1820, quo ea denuo excitata, sententia prodiit Nosocomii votis contraria, definiens nimirum, Creditores patrimonii Gotti esse redintegrandos in praediorum possessionem, Nosocomium vero compellendum ad perceptorum fructuum rationem omnino reddendam. Ab inimica sententia illico provocarunt pii Loci Administratores, et silentibus creditoribus Gotti, controversa praedia adhuc a Nosocomio anno 1830 possidebantur, quum ab iisdem Creditoribus oblata est Nosocomio quaedam transactio. Subscribere memoratae transactioni non dubitabant Administratores Nosocomii, quia praeter duo praedia, quae huic in ea concedebantur, vix aliquid in patrimonio Gotti superesse videretur, in quod ius suum exercere valeret Nosocomium; nam ex sententia graduatoria a Tribunali primae instantiae die 6 decembris 1820 edita Nosocomium inter creditores hypothecarios duodecimum obtinuerat locum. Quare preces Sacrae Congregationi ab iis delatae sunt, queis enixe postularunt, ut hanc conventionem dignam, quae Apostolico Beneplacito confirmaretur, vellent EE. PP. definire. Rmus Archiepiscopus de informatione et voto requisitus propitiam confirmandae transactionis suam protulit sententiam, et legitimam affirmavit adesse transigendi causam. Lis enim aderat, cuius progressio periculi erat plena, uti ex ipsa anni 1820 perspiciebatur sententia: namque dominii ac regressus in venditionis tabulis reservationem ob pretium non solutum in simplicem hypothecam, licet reliquorum Creditorum hypothecis omnino potiorem et privilegiatam, resolvi, neque eius vi posse unquam venditorem reintegrationem possessionis adipisci post plures disceptationes suo iudicio firmaverat Rota in Bononien. Pecuniaria 26 iulii 1826 §. ult. coram Tiberi, et in Pisauren. seu Senogallien. Manutentionis seu Reintegrationis 4 decembris 1826 §. 4 coram Emo Marco. Praeterea per hanc transactionem a litis expensis reficiendis Nosocomium liberabatur, quas, si causa caderet, refundere Creditoribus deberet. Nedum hinc utilitatem, sed et quamdam transigendi necessitatem demonstravit Promotor Fiscalis Curiae Archiepiscopalis Bononiensis. Contra vero advertebatur, quod Nosocomium amplam sui crediti partem, fructus scilicet in venditionis tabulis conventos patrimonio Gotto seu Creditoribus concederet, atque id unum assequeretur, quod ei nemo poterat auferre, duo praedia Antonio Gotti ea sub lege consultissime divendita, ne eorum dominium in emptorem censeretur translatum, donec ipse pretium solveret. Etenim a iure devium est, ut praedia, quorum pretium manebat insolutum, concursui subiicerent, quum super re distracta et cadente sub reservatione dominii nullus Creditor habere posset ius hypothecae in praeiudicium venditoris, donec integra solutio pretii desiderabatur, quemadmodum post Carleval. de iudic. tom. 2 disp. 8 sect. 6 n. 67, Card. De Luca de credit. disc. 6 n. 6, docet Rota in Bononien. Cauthelae Angeli 2 maii 1729 coram Calcagnino, et coram Olivatio decis. 190 n. 13. Idcirco Creditoribus tantum quaerebatur utilitas, quin iidem aliquid remitterent.

64. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit supplicandum Sanctissimo pro approbatione transactionis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus, iuxta votum Archiepiscopi – *in Bononien. Transactionis die 30 Iulii 1831.*

65. Nec itaque permittendum Administratoribus Hospitalis, ut concedant ius sepeliendi Capellas et alia similia, quae species alienationum sunt, absque licentia Episcopi; multoque minus commutent ultimas voluntates, cum hoc spectet privative quoad omnes ad Sedem Apostolicam *in Litteren. anno 1609 lib. 11 Decretorum pag. 72 a tergo.*

66. Possunt tamen Administratores praedicti absque scitu et licentia Episcopi conducere Presbiteros, ab Ordinario tamen approbatos, eosque amovere, ita et praeficere mulctando amissione tertiae partis stipendii eos, qui servitium iuxta legem Ecclesiae non praestiterint *in Litteren. anno 1609 lib. 11 Decretorum pag. 72 a tergo* (1).

67. Idcirco cum res sit de Hospitali proprium titulum et nomen Sancti habente, ipsius bona nec ultra triennium locari, nec absque Sacrae Congregationis licentia distrahi possunt; ex his enim qualitas ecclesiastica aperte evincitur, Ciarlin. Cap. 116 n. 25, Rota coram Bichio decis. 502 n. 2, quin momenti esse valeat, quod dosit Capella turris campanaria et sepulchrum, quia etiam sine his Hospitale potest esse ecclesiasticum, Ciarlin. loc. cit, n. 12, quin etiam obsit, quod administratio penes Communitatem resideat, quia illa nullo modo excludit Episcopi iurisdictionem et inspectionem, Concil. Trid. sess. 22 cap. 8 et 9 de reformatione *in Civitatis Castellanae Hospitalis die 13 Februarii 1773* §. *Iniuria.*

68. Namque bona Hospitalis nequeunt absque Apostolica auctoritate alienari; quandoquidem – contendens Universitas S. Gemini ex alieno aere, quo obruebatur, emergere, iam sub die 30 aprilis anni 1641 facultatem assecuta fuit ab Emo tum Camerario distrahendi nonnulla, ut inquit, eius bona in summa scutorum 1900, exindeque venditis quibusdam stabilibus, quamplures creditos dimisit. Verumenimvero Episcopus Picarellius, in sacrorum Liminum visitatione, quam obivit de anno 1703, prae ceteris EE. PP. exposuit, sibi pro comperto esse, quod eiusdem facultatis clypeo Universitas praedicta plura stabilia alienasset, quae spectabant ad assertum Hospitale S. Catharinae in eodem Oppido erectum, quorum pretium in summa scutorum 1553 circiter erogasset in dissolutionem praecitati aeris alieni, Sacra haec Congregatio sub die 7 iunii praelibati anni opportune rescripsit: « Episcopus procedat de iure ad formam dispositionis sacrorum Canonum. Ceterum cum praelaudatus Episcopus, pluribus occupationibus tum implicitus, subindeque morte praeventus, nil aliud intentaverit, modernus Praesul negocium huiusmodi redintegrans, semel iterumque Magistratum et Homines S. Gemini paterne monuit, ut tandem propriis conscientiis consulendo, vel Hospitale pessumdatum indemne restituerent, vel saltem a SS. D. N. benignam condonationem implorarent, ipsis vero adhuc in sua mente perseverantibus, quod Hospitale huiusmodi, a Laicis regi solitum, laicale reputetur, quousque non comprobetur, Ordinariam auctoritatem in eius erectione intercessisse; proindeque bona alienata haud obnoxia fuerint sanctionibus Apostolicis de rebus Ecclesiae non alienandis, hinc Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis recursum ad eumdem Sanctissimum habuit, precibus ad Sacram Congregationem reiectis, tum pro eiusmodi assertae usurpationis elucidatione et consequutiva reintegratione Hospitalis, cum etiam pro declaratione poenarum, quibus irretitos asserit tam distractores, quam bonorum modernos occupatores –. Unde Sacra Congregatio nullam declaravit dictorum bonorum alienationem vigore facultatis concessae a R. C. A., adeoque eiusque auctores ac bonorum occupatores nedum consulere tenentur conscientiis suis, sed et reintegrare debent praefatum Hospitale in quieta et pacifica eorum possessione una cum fructibus vel saltem restituere pretium una cum fructibus recompensativis; atque mandavit, ut Episcopus eosdem ad id iuris remediis cogeret *in Narnien. Alienationis die 29 Aprilis 1713 lib. 63 Decretorum pag. 163* (2).

69. Hinc Hospitalia tenentur custodire omnes scripturas, librosve, eosque proprio indice in Archivio retinere *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782* §. *Ad IX.*

70. Quod si unquam reditus impares sint ad constituendum Archivium, adigantur tamen libros scripturasve in armario clausas deferre ad aliud Episcopale, prout disponitur in Concilio Romano tit. 12 Cap. 6 *in Ferrarien. Confraternitatis die 14 Septembris 1782* §. *Ad IX.*

(1) Verba harum resolutionum prostant in Verb. *Administrator*, §. IV, n. 119 et 182, Tom. I.

(2) Dubiorum formulam una cum respectiva resolutione habes in Verb. *Alienatio*, §. III, n. 544, Tom. I.

1. Hypotheca est accessio quaedam principalis obligationis, sine qua haud subsistit, Voet ad pandect. lib. 20 tit. 1 n. 18 *in Romana Deletionis Inscriptionis hypothecariae die 25 Septembris 1847* §. *Itaque.*

2. Quoties igitur obligatio cessaverit, et hypothecam cessare necessarium est; quippe obligatio est titulus, cui illa innititur, quo deficiente, et ipsa inscriptio corruat oportet, ad tradita per Rotam in Romana Deletionis hypothecae 20 ianuarii 1834 §. 6 coram Bofondi, et in Camerinen. 16 martii 1830 §. 2 et 3 coram Spada *in Romana Deletionis Inscriptionis hypothecariae die 25 Septembris 1847* §. *Itaque.*

3. Unde captam hypothecam nullius esse roboris absque relativa obligatione scitum in iure est, ad Textum in L. *Si is, qui pro emptore* ff. de usucapione, Rot. in Romana Deletionis hypothecae 3 iunii 1828 §. 2 coram Isoard, et in Romana Deletionis hypothecae 9 decembris 1822 §. Si coram Pianetti *in Pisauren. Expensarum et Nominationis di 1 Septembris 1832* §. *Nicolaum.*

4. Idcirco nil de delenda hypothecaria inscriptione decerni potest, nisi prius respectiva obligatio extinguatur; siquidem quemadmodum contractu labente, quaevis etiam hypotheca ex ea assumpta corruit, Rot. in Perusina Liberationis a molestiis 11 maii 1829 §. 7 coram Bofondi; ita eiusdem deletio minime decerni potest, nisi creditum, ex quo provenerit, extinctum sit, Rot. in Bononien. Pecuniaria super primo dubio 15 ianuarii 1836 §. 17 coram Retz *in Romana Exequutionis Obligationis et Deletionis Hypothecae die 9 Iulii 1842* §. *Hisce.*

5. Qua de re hypothecaria inscriptio delenda est ad tramites etiam vigentis Codicis Iudiciarii in part. 1 tit. 7 §. 231, in quo statuitur, iubendam esse inscriptionis deletionem, – quando costa, che il diritto d' ipoteca per qualunque causa legitima è estinto o cessato – *in Romana Exequutionis Obligationis et Deletionis Hypothecae die 9 Iulii 1842* §. *Habent.*

6. Quando itaque non est locus exequutioni obligationis, ne dubium quidem, quin et sit locus deletioni hypothecae, quae pro illius securitate capta tuit *in Romana Exequutionis Obligationis die 27 Maii 1809 et in Romana Exequutionis Obligationis et Deletionis Hypothecae die 9 Iulii 1842.*

7. Siquidem quum hoc ineunte seculo utriusque Siciliae Rex, Gallicis depulsis exercitibus, Urbem Pontificio nomine occuparet, ad summam rei familiaris angustiam sublevandam, qua Nosocomia premebantur, decreverat, ut iis bona omnia Sodalitiorum tribuerentur, quae Reipublicae tempore suppressa fuerant. Quamquam qui tunc Delegati Apostolici munere fungebatur, Isaurensis Episcopus de Petro, postea S. Romanae Ecclesiae Presbiter Cardinalis, suum ad id praestitisset assensum sub ea praesertim conditione, – che la presente concessione sia unicamente temporanea, e debba durare soltanto a beneplacito della Sede Apostolica –; attamen ipsemet mox consuluit utilius futurum, si ex Sodalitiorum bonis certa pecuniae quantitas Nosocomiis penderetur quotannis, potius quam eadem Sodalitia bonorum possessione privarentur. Ita sane factum est: hinc inter praefatum Nosocomium Sanctissimi Salvatoris et Sodalitium Beatae Virginis Carmelitidis inita conventio, ut hoc illi argenteos nummos sexaginta quotannis persolveret, quam conventionem Sacra Congregatio confirmavit Rescripto diei 27 septembris 1800 clausula, – donec a Sanctitate Sua aliter provideatur –. At vero Sodalitio depactam solutionem detrectante, cum Nosocomium ad sequestra processisset, transactione negocium absolutum est, quam curavit Cardinalis Pignatellius Archihospitalis visitator scripta Apocha 5 iulii anno 1801, in qua annua praestatio ad scuta 42 cohibita fuit, atque multa sancita pacta, quae inter, ut transactio rescinderetur, et Archihospitali ius esset ad bonorum possessionem ingredi, si Sodalitium per tres menses moram solutioni fecisset, atque ipsummet Sodalitium impleret onera legatorum dotium et – dei debiti, che potesse aver contratti –. Conventam hanc pensionem per aliquot annos Sodalitium exolvit: nec mota querela est, donec retardata iterum solutione usque ad scutatos nummos 216 53 Nosocomii Curatores Sodalitii proventus sequestro obstrinxerunt sub an-

num 1808. Unde tunc ad Summum Pontificem provocarunt Sodales, ac gravem esse susceptam obligationem contenderunt, cui reditus essent impares. Bino hinc Decreto ab Auditore Sanctissimi remissa ad Sacram Congregationem controversia, tum super obligationis exequutione, cum super revocatione, praefati Sodales negarunt, exequendam esse obligationem, ex falsa causa et errore susceptam, ut habetur ex Textu in L. *Cum falsa* Cod. de iur. et fact. ignorantia, L. *Per errorem* de iurisdictione. Annuam enim praestationem scutorum 42 ob id fuisse conventam sustinuerunt, quia ex initis ratiociniis apparebat, annuos reditus Archiconfraternitatis consistere in annuis scutis 251 47 1/2, onera in annuis scutis 182 75; sed erratum fuisse in hac calculatione ostendere studuit Archiconfraternitas; nam diminuebat reditus ob diminutas pensiones domorum ad annua scuta 235 37 1/2, augebat vero expensas et onera ad annua scuta 261 04 1/2; hinc fiebat, ut Archiconfraternitati deficerent annua scuta 25 67. Idcirco aut defraudandi erant Creditores ipsius Archiconfraternitatis et negligenda Ecclesiae manutentio, aut reducenda annua praestatio Archihospitali ex conventione rependenda. Contra Archihospitale contendit, causam finalem suscipiendae obligationis fuisse, ut Archiconfraternitas retineret bona, quae applicata erant Archihospitali; idque deducere curavit tum ex litera, tum ex spiritu ipsius apochae. Demonstravit exinde, quod nullus error tum irrepserit in calculatione redituum. Nam in novo calculo reditus diminuebatur in annuis scutis 16 10, ita ut, licet haec diminutio vera esset, attamen ex scutis annuis 68, quae in primo calculo libera supererant Archiconfraternitati, tantum reliquum erat, unde conventa summa Archihospitali rependi poterat. Neque probanda erat maior quantitas onerum, quae in novo calculo adnotabatur. Nam si Sodalibus placuit augere expensas pro manutentione Ecclesiae et stipendia accrescere, non idcirco ex hoc irrita fieri potuit suscepta obligatio. Qua de re si rependere nequibat Archiconfraternitas conventam praestationem, redderet bona, super quibus potiora habebat iura Archihospitale, quam ceteri posteriores creditores. Dum igitur Archihospitale servanda esse sequestra defendebat, contra Archiconfraternitas removenda esse propugnabat, ne inexactae manerent pensiones, quae a miserabilibus personis solvebantur, quae fiebant solvendo impares; ita tamen exigendos esse reditus per Sodalitii Exactorem, ut, impletis oneribus, quod supererat Archihospitali traderetur.

8. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus exequutioni obligationis in casu? II. An et quomodo sit locus remotioni sequestrorum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et ad D. Secretarium ad mentem. Mens est, ut Secretarius, auditis Partibus, liquidet expensas necessarias ad manutentionem Ecclesiae et implementum legatorum aliorumque onerum Sodalitio inhaerentium de tempore initae concordiae cum Xenodochio, qua liquidatione sequuta, Causa reproponatur; interim vero Secretarius, facto verbo cum Sanctissimo, procedat ad remotionem sequestrorum ad effectum deponendi reditus percipiendos et erogandi cum ordinibus eiusdem Secretarii in expensas vere necessarias –, quamque resolutionem Sanctissimus mox approbavit *in Romana Exequutionis obligationis die 27 Maii 1809*.

9. Post haec omnis siluit controversia. At cum anno 1841 Sodalitas, opportunis impetratis facultatibus, dimidiam apothecam alienasset, quam in claustro Hebraeorum possidebat, generalis hypothecae vinculo subiectam reperiit, quam pro annua praestatione scutatorum 42 Nosocomium iam ab anno 1810 inscribi curaverat, quaeque quolibet decennio renovata est ex officio. Quare cum illius deletionem emptori promittere coacta fuerit, supplex Sacrae Congregationi adfuit, ut eam demandaret; recinuitque veterem querimoniam, quod Exactor Archiconfraternitatis, licet omnem adhibuisset diligentiam ac oeconomiam, nunquam in adeo longa annorum fuga aliquid minimi habere valuit, quod solutis oneribus superesset. Emus Archihospitalis Praeses retulit, Sodalitatem obligationem annuae praestationis nunquam exolvisse; atque asseruit, alias Sodalitates, in eadem versantes conditione, fuisse absolutas ab huiusmodi praestationibus; adeoque deletio hypothecae ab condonatione in parte vel in totum praedictae praestationis pendebat. In eamdem animi

sententiam descendit Emus Sodalitatis Protector, qui paucis quoad superiorem Sacrae Congregationis resolutionem se expedivit subdens: – Nè monsignor Primicerio, nè la Congregazione secreta sentita in proposito hanno saputo che dire –. Qua de re iterum opportune requisitus, Literas a Primicerio sibi redditas transmisit, quibus hic testatus est, quod a tempore resolutionis Sacrae Congregationis eousque perquisitis Archiconfraternitatis libris – da questi n'è sempre risultato sbilancio –. Ex iisdem insuper Literis erruebatur, hypothecam super omnibus Sodalitii bonis inscriptam esse pro scutatis 966, idest – per scudi 840 capitale formato da venti annualità di scudi 42, e per scudi 126 per tre anni di prestazione –: integrum autem tabernae valorem in censualibus tabulis adnotatum esse in scutis 312 50; eius dimidium, quod ad Sodalitatem pertinebat, pro scutatis 225 divenditum fuisse. Compertum hinc erat, nil de delenda hypothecaria inscriptione decerni posse,nisi altera definiretur Causa,qua quaesitum fuerat, an locus esse deberet exequutioni, pro cuius securitate ea capta fuit. Eaedem igitur rationes, quae superioribus comitiis expositae fuerunt, in medium adhuc proferebantur ex parte Archihospitalis, cuius immo Emus Praeses haud refragabatur, quominus Sodalitium a praestatione liberaretur. Non ita sane ipsummet Sodalitium, quod insuper adiungebat, Urbis Nosocomia posteriori tempore, tum a Gallico Gubernio in secunda ecclesiasticae ditionis occupatione, tum a Gubernio Pontificio plurimis bonis dotata fuisse, uti omnibus notum erat, quibus satis abunde reparata erant omnia damna, quae antea ipsa perpessa fuerant. Hinc arguit, causam defecisse, ob quam temporanea fundorum ad Sodalitates pertinentium applicatio decreta fuit, vel in huius locum suffecta annua praestatio. Idcirco exempla exhibuit de indulta aliis Sodalitiis liberatione, cum praesertim a prima Causae propositione eius oeconomica administratio minime melior effecta esset, sed adhuc angustiis premeretur, adeo ut ad dimidiae apothecae alienationem devenire in praesens necesse habuerit.

10. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus exequutioni obligationis in casu? II. An et quomodo sit locus deletioni hypothecae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative in omnibus – *in Romana Exequutionis Obligationis et Deletionis Hypothecae die 9 Iulii 1842.*

11. Quapropter obligatione personali seu principali submota, extinguitur hypotheca, quin etiam locus sit accessionibus, ut ad rem Donnellius ad L. 2 Cod. de luit. pignoris: – Sed ne quis scrupulus nobis extet, doceo sine exceptione verum esse, personali actione submota, pignus semper extingui nec perdurare, at quoquo modo actio personalis submota sit, pignus tollitur..., hinc dictum est, pignus esse accessionem principalis obligationis; porro certi iuris est, cum principalis causa non consistit, nec accessionibus locum esse, quam definitionem etiam ad pignus pertinere scimus, L. *In omnibus* ff. de solut. *in Romana Deletionis Inscriptionis hypothecariae die 25 Septembris 1847* §. *Atqui.*

12. Hinc effectus praecipuus novationis seu delegationis est, ut actionem praecedentem prorsus perimat, fidem perhibente Imperatore Iustiniano in Inst. tit. quib. mod. tollit. oblig. §. Praeterea: – Novatione tollitur obligatio, veluti si quod tibi Seius debebat a Titio stipulatus sis; nam interventu novae Personae, nova nascitur obligatio, et prima tollitur translata in posteriorem –. Cui consonat Perez in Cod. tit. de novat. et deleg. n. 13: – Ceterum delegationis effectus plane idem est, qui novationis; est enim obligatio pro iusta praestatione et solutionis vicem obtinet, quae obligatio semel extincta non reviviscet. Nec amplius potest dirigi actio adversus delegatum novatione facta –. Ast ubi liberatio contigit et accessiones corruere, regula iuris est tralatitia. Nam in omnibus speciebus liberationum etiam accessiones liberantur, puta adpromissiones hypothecae pignora –, ut ait Ulpianus in L. 33 de solut. et liberat. *in Romana Deletionis Inscriptionis hypothecariae die 25 Septembris 1847* §. *Ideo.*

13. Novum tamen in iure non est, hypothecam perstare, etiamsi personalis actio submota per accidens videatur, quod patenter docet L. 2 Cod. de luit. pignor. Ibi – in-

telligere debes vincula pignoris durare, personali actione submota –, Voet ad pandect. lib. 20 tit. 1 §. 19 *in Romana Deletionis Inscriptionis hypothecariae die 25 Septembris 1847* §. *Quin.*

14. Locus autem est deletioni inscriptionis hypothecariae, quam primus Emphyteuta pro canonis solutione ac pro aliorum onerum implemento praestitit, quando is alteri et hic aliis pariter dominium utile vendiderit cum omnibus et singulis pactis et conditionibus in primo investiturae instrumento stipulatis, nec non Directarius laudum sponte protulerit, etiamsi ne verbum quidem occurrerit unquam de huiusmodi onere hypothecae, sed haec praestanda est ab ultimis Emphyteutis *in Romana Deletionis Inscriptionis hypothecariae die 25 Septembris 1847.*

15. Enimvero vineam extra Portam Exquilinam in perpetuam emphyteusim, auctorante Sacra Congregatione, Rescriptis dierum 22 martii et 21 iunii 1830 concessit Antonio Galli Patriarchalis Liberianae Basilicae Capitulum, solemnibus exaratis tabulis die 9 decembris eiusdem anni, annuo depacto canone scutatorum 120 et obulorum 30. Et quemadmodum in beneplacito Sacrae Congregationis cautum fuerat de inscriptione vel cautione idonea ab Emphyteuta praestanda, ita praeter cetera pacta et conditiones in huiusmodi contractibus apponi solitas, in hanc potissimum Partes consensere, scilicet – che il medesimo signor Antonio Galli per sicurezza del puntuale pagamento di detto annuo canone, e per l'adempimento dei pesi nel presente istromento convenuti, e così per la complessiva somma di scudi seicento obbliga e specialmente ipoteca a favore di detto Rmõ Capitulo un fabbricato ad uso di concia posta in Roma nel Rione Regola etc. –: qua super re reapse inscriptio, in Urbis officio favore Capituli rite peracta atque legitimo tempore renovata, adhuc vigebat. Biennio post utile eiusdem vineae dominium cum suis meliorationibus Comitissae Zamboni-Sassolini vendidit Gallius, pacto adiecto, quod – resterà ad intero carico di essa Signora Zamboni o persona da nominarsi (nempe Comitissa) il riportare il consenso del Rmõ Capitolo di S. Maria Maggiore padrone diretto, e ciò senza alcuna responsabilità e cura di esso signor Galli venditore –. Nec eo devenerunt contrahentes, nisi post panditum in parte narrativa primae investiturae instrumentum, ad quod sese referre omnino voluere. Nihilominus in statuendis oneribus nihil de hypotheca dictum fuit. Venditionem laudavit Capitulum die 28 augusti 1833, absque restrictione ulla, et in proprium Emphyteutam recognovit dictam Comitissam Zamboni, quae praeter Canonis solutionem promisit etiam – di osservare ed adempire tutti e singoli patti capitoli e condizioni caducità ed altro contenuto ed espresso nel citato istromento di prima investitura –. Ast utile dominium sibi acquisitum Comitissa ad fratres quoque Mencacci, Iosephum scilicet Franciscum et Aloisium, transtulit, qui pariter sub die 5 iulii 1839 consensum et laudum a Capitulo obtinuerunt, iisdem pene conceptum verbis in praecedenti recognitione adhibitis. Factum hinc est, ut anno 1840 Antonius Galli putans, se omni lege solutum erga Capitulum, tum quia alios illud agnoverat Emphyteutas, tum etiam quia satis indemnitati Domini directi prospectum fuerat ingentibus meliorationibus in vinea peractis, e re sua duxerit preces Sacrae Congregationi porrigere, ut praefatae inscriptionis hypothecariae deletionem demandaret. Ast Capitulum haud annuere petitioni, nisi moderni Emphyteutae aliud praedium aeque liberum eiusdem pretii hypothecae subiecissent, retulit Emus Archipresbiter, ad quem de more preces ablegatae fuerant.

16. Itaque qui Galli partes tueri suscepit, contendit, hypothecam cessasse, ex quo procul dubio cessaverint obligationes; idque arguit ex instrumento alienationis fundi emphyteutici una cum omnibus obligationibus favore Comitissae Zamboni celebrato, nec non agnitione a Capitulo facta in novi Emphyteutae. Erat quippe agnitio huiusmodi obligationis prioris de uno in alterum translatio, ob quam cessante ipso iure obligatione primi Emphyteutae, nonnisi per summam iniuriam exigeretur continuatio illius hypothecae, quae unice pro perempta obligatione constituta fuerat. Ideo autem extinctam prorsus dixit obligationem principalem a Gallio assumptam, quia veram ac perfectam novationem per delegationem in themate intercessisse sustinuit, cuius sane ex iure effectus praecipuus est,

ut actionem praecedentem prorsus perimat cum omnibus accessionibus. Porro venditionem utilis dominii ac novi Emphyteutae recognitionem per Capitulum factam nihil aliud portendere in facto autumavit, quam veram debitoris delegationem. Unde ex hisce obtinentibus iuris principiis satis sartum tectumque Capituli ius arguit, eo quia alium, ad quem se verteret loco primi Emphyteutae, obligatum habebat, qui omnes in se suscepit obligationes ex primordia investitura promanantes. Secus enim illud sequeretur absurdi, ut Gallius pro alienis obligationibus perpetuus fideiussor sua hypotheca accedere deberet, licet nunquam id facere somniaverit. Ceterum quatenus etiam ex gestis consequeretur, Capitulum a iure hypothecae excidisse, iniuria prorsus ipsum de Gallio quereretur, qui in ea conditione legitime constitutus reperiebatur, qua nec poterat nec debebat amplius principalem implere obligationem, sed sibi unice potius imputare deberet, si in deteriorem decidit conditionem, quia non vi, uti falso asseri aiebat ex adverso, sed libere venditioni utilis dominii ipsum assentitum erat, cum per ipsum stetisse censendum esset, quominus hypothecae indemnitati haud prospectum fuerit. Comitissa Zamboni autem haec habebat: aut hypotheca per delegationem extincta erat, et hoc in casu iniuria ipsa iudicio pulsabatur a Capitulo, quod actione carebat; aut adhuc illa existebat, et tunc onus eam praestandi, vel ad primum Emphytheutam, vel ad ultimum investitum, scilicet ad fratres Mencacci pertinere oportebat. Nec enim in praesens ullo unquam in casu se aliqua obligatione devinci autumavit, quippe ius idem utile a Gallio acceptum, iisdemque prorsus ac ab eo accepit verbis, ad dictos fratres, eodem assentiente Capitulo, transtulit. Ast fratres Mencacci contenderunt, ad hypothecae praestationem nullatenus teneri, ex eo quod de hoc nullam in se obligationem receperint; immo ne verbum quidem occurrerit in actu venditionis, eoque minus cum Capitulo laudum proferente. Deficiente hinc pacto, nequaquam ad hypothecae praestationem compelli poterant. Adverterunt denique, se in iudicium neque a Gallio neque a Comitissa neque a Capitulo vocatos fuisse, nec quidquam contra ipsos in petitione ab actore Gallio obmota requiri; proinde intempestivam dixerunt quamlibet iuris discussionem, vel quidquid contra ipsos decerneretur, ubi Gallii petitio pro hypothecae deletione admitteretur.

17. Capitulum Liberianum vero advertit, rem esse de emphyteusi ecclesiastica, quae ex instituto et praxi tunc tantum admittitur, quum dominus directus per hypothecam vel idoneam cautionem satis tutus quoad obligationes ab Emphyteuta adimplendas remanet: Ecclesia enim in contractibus negotiisque agendis iure Minorum regitur; eius proinde indemnitati modis omnibus consulendum est. Porro laudum, quod ipsi Capitulares tamquam directarii praestitere in duplici transitu fundi emphyteutici, tanti esse nequibat, ut absque expressa renunciatione ius reale per hypothecam acquisitum abdicatum fuisse suaderet; siquidem expresse valedicere iuri suo opus fuisset, quod tamen nequivisset absque S. Sedis auctoritate. Vel insuper si Gallium intererat, ut una cum emphyteusi obligationibus hypotheca etiam desineret, debuisset ipse huiusmodi onus novis acquirentibus denunciare, eosdemque et in hac alia obligatione subrogatos habere; tunc enim et Emphyteutae et directarium Capitulum sibi prospexissent. Silente autem Gallio, et ipsum Capitulum silere decebat, quippe firma illius hypotheca remanente, nihil ipsi quaerendum amplius erat. Quin obesset doctrina de novationibus ex adverso adducta: transitus enim fundi emphyteutici de uno ad alium nullam in iure inducere novationem, neque a directario praestitum consensum delegationem autumavit operari. Dixit enim, emphyteusim non innovari, nisi per devolutionem; et laudum directi domini antiquas potius confirmare obligationes, quam quod eas perimeret. Licet itaque persona mutaretur, primaeva tamen obligatio suis stare poterat viribus; nec novum in iure esse, hypothecam praestari, etiamsi personalis actio submota per accidens videatur. Argumento autem ex meliorationibus desumpto, perinde ac si vicem cautionis supplere satis eae possent, et desierit ideo causa finalis, ob quam hypotheca depacta fuit, ita Emus Archipresbiter reponebat: - Non constat, meliorationes eius generis esse, quae perpetuae sint ac permanentes, eas vero,

quae agri colendi causa fiunt, quisque intelligit, non ad perpetuam utilitatem futuras, sed tractu temporis perituras esse. Assentiendum igitur pro meo iudicio non est petitioni Antonii Galli, qui deletionem postulat hypothecae, ut liberam sibi habeat officinam coriariam, possitque de ipsa libere disponere. Deficeret enim Capitulo securitas, quam pepigit in tabulis emphyteuticis, tum pro canonis solutione, tum etiam pro aliorum onerum implemento –. Quod si nihilominus Gallii preces excipi deberent, institit hoc in casu Capitulum, ut moderni Emphyteutae alium exhibere cogerentur fundum, cuius libertas et pretium eamdem ipsi praeberent cautionem. Id enim iuri consonum erat, cum tralatitium sit, Successorem tam directi, quam utilis dominii primaevae concessionis legibus obstringi, Rot. in Romana devolutionis 18 aprilis 1834 §. 2 coram Muzzarelli. Conventioni pariter consentaneum erat, quia in instrumento recognitionis in dominum Emphyteutae amplissimis verbis sese devinxerant – di osservare ed adempire tutti e singoli patti capitoli e condizioni caducità ed altro contenuto ed espresso nel citato istromento di prima investitura –: quae verba utpote generalissima onus etiam hypothecae complectebantur, quippe ea nullam patiebantur limitationem, sed includebant quaecumque pacta ac conventiones, prout dictiones – tutti e singoli – secumferre docuit Rota in decis. 811 n. 8 coram Dunozetto, et in Recent. decis. 145 n. 11, decis. 157 n. 7 part. 8; et magis praecise quod dicta verba comprehendant ex mente contrahentium omnia absque ulla limitatione et habeant vim specialis et individuae concessionis, tenet Surd. cons. 412 n. 27 lib. 3, et cons. 567 n. 5 lib. 4, Constantin. vot. decis. 71 n. 5, Rot. in Recent. decis. 390 n. 5 ad 8 part. 9.

18. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus deletioni inscriptionis hypothecariae favore Antonii Galli in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et a quo praestanda sit nova hypotheca in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative ab ultimis Emphyteusis – *in Romana Deletionis Inscriptionis hypothecariae die 25 Septembris 1847.*

19. Hinc ut extraneus subintret in locum dimissi creditoris tria probanda sunt; primum, quod pecunias debitori tradiderit pro creditoribus anterioribus dimittendis; secundum, quod pactum fuerit de subingrediendo in hypothecas et privilegia dimissi creditoris; tertium demum, quod pecunia revera fuerit erogata in causam expressam, fueritque anterioribus creditoribus soluta. Quibus tantum copulative concurrentibus requisitis, mutuantem pecunias subingredi in locum anteriorum creditorum firmat literalis Glossa in L. *Aristo* verb. Pignus ff. quae res pignor. vel hypoth. oblig. poss., docetque universa Doctorum schola, de qua Olea de cess. iur. tit. 4 quaest. 1 n. 17 *in Nullius Leprignani Legatorum die 16 Iunii 1781* §. *Quaeritur.*

20. Quibus itaque probatis requisitis, regulare est, eum, qui pecuniam revera solvit, subingressum esse in iura et hypothecas creditorum per eumdem dimissorum, ex firmatis per Olea de cess. iur. tit. 4 quaest. 1 n. 17, et Rot. coram Tanara decis. 119 n. 10 *in Nullius Leprignani Legatorum die 16 Iunii 1781* §. *Quibus.*

21. Siquidem in L. 3 Cod. de his, qui in prior. credit. loc. succed. haec habentur: – Si potiores creditores pecunia tua dimissi sunt, quibus obligata fuit possessio, quam emisse te dicis, ita ut pretium pervenerit ad eosdem potiores creditores, in eorum ius successisti, et contra eos, qui inferiores illis fuerunt, iusta defensione te tueri potes –, Rot. in Recent. decis. 155 n. 3 part. 7, coram Molin. decis. 1155 n. 6, et coram Falconerio tit. de reb. cred. decis. 16 n. 16 *in Nullius Leprignani Legatorum die 16 Iunii 1781* §. *Quibus.*

22. Itaque generalis omnium bonorum hypotheca, in prima testamenti parte descripta, coercita censeri debet ad subsequentem demandati capitalis speciem, Ias. in L. 3 §. Incertam ff. de acquir. possess. n. 2 et 3, Rota in Bononien. Transactionis seu Obligationis super fructibus 20 ianuarii 1755 §. 9 coram Molino, eaque propterea bona libere in heredes multoque magis in creditores transiisse videntur *in Ianuen. Capellaniae die 16 Iulii 1791* §. *Ex.*

23. Quum autem demonstrativa videri possit subsequens capitalis designatio, ac sup-

pleri idcirco ex reliquis bonis debeant imminuti illius fructus, per Text. in L. *Quidam* ff. de legat. 2, et L. *Non aliter* §. 1 ff. de legat. 3, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. ult. §. 32; atque hinc etiam sequitur, extinctam per eam non esse absque taxativis verbis generalem hypothecam ex theorica Bartholi in L. *Quaesitum* §. fin. ff. de fund. instruct., de qua Rota in Recent. decis. 367 n. 4 part. 9 tom. 2, ac veluti omnibus infixam Fundatoris bonis, in heredes quoque cum illis transire, Cenc. de censib. quaest. 98 n. 4, Rot. coram Molin. decis. 487 n. 26 *in Ianuen. Capellaniae die 16 Iulii 1791* §. *Initium.*

24. Qua de re quum generali affecta sint hypotheca bona omnia hereditaria quousque non fiat illorum separatio, quae ad conficiendum investimentum a Fundatrice demandatum vendi debent, consolidata videtur hypotheca in triente eius heredum, et cum eo ad illos transit, Cenc. de cens. quaest. 98 n. 14, Rot. coram Molin. decis. 487 n. 26 *in Ianuen. Capellaniarum die 16 Martii 1793* §. *Prae.*

25. Quin imo ratione hypothecae suppleri debet, quod deficit ad iustam Missarum eleemosynam, neque per traditionem certi capitalis quis hac solutus censetur obligatione, secundum Pasqualig de Sacrif. Miss. tom. 2 quaest. 1026 a n. 3 *in Pisauren. Reductionis Missarum die 15 Iulii 1797* §. *Si res.*

26. Idcirco quoadusque bona existunt hypothecata permanent ad oneris implementum, ad firmata per Rotam coram Falconerio de reb. cred. decis. 7 n. 2 *in Burgen. Reductionis die 1 Martii 1777* §. *Attamen.*

27. Hinc legata annua et perpetua onera censentur realia indicta bonis eorumque fructibus, ex L. 1 Cod. com. de legatis, Bart. in L. *Cuius prope* ff. de ann. legat., Rot. coram Falconerio de legat. decis. 1 n. 8 et 9, et de reb. cred. decis. 7 n. 2 *in Nullius Leprignani Legatorum die 7 Aprilis 1781* §. *Perpendendum.*

28. Quamobrem Causam piam, tamquam legatariam, gaudere actione hypothecaria legati adversus heredes atque etiam tertios possessores, tradit Gomez var. resol. §. 1 n. 7 tom. 12, et Mantica de tacit. lib. 11 tit. 17 a n. 5 *in Nullius Leprignani Legatorum die 7 Aprilis 1781* §. *Perpendendum.*

Item *in Tarentina Reductionis Missarum die 30 Iulii 1831* §. *Verum; in Anagnina Redintegrationis die 28 Ianuarii 1832* §. *Capellania.*

29. Quum autem hereditas anteriore affecta sit hypotheca hereditarii crediti dotalis, ea incipit ab anno, quo stipulatum fuit dotale instrumentum, ut communiter tradunt Doctores in L. *Assiduis* 12 Cod. qui potior. in pignor. habeant, Card. De Luca de dot. disc. 166 n. 21, Polit. eod. tract. dissert. 1 n. 14 *in Asculana Capellaniarum die 27 Februarii 1790* §. *Ne quid.*

30. Verum ex Motu-Proprio Pii VII diei 6 iulii 1816 art. 26 cap. 2 nullam vim habent hypothecae legales et tacitae etiam Locorum piorum adversus creditores inscriptos et tertios possessores; nec aliter dicendum de hypothecis specialiter privilegiatis, etiamsi a lege descendant: – Le ipoteche tacite e legali di qualunque specie esse siano, comprese anche quelle delle donne per le costituzioni delle loro doti, dei Minori e dei Pupilli sopra i beni dei Tutori e Curatori degli stabilimenti pubblici, e dei Luoghi pii, non sono valevoli in concorso dei creditori ipotecarii iscritti e contra i terzi possessori –. Et art. 31: – Niun privilegio speciale derivante da qualsivoglia legge, comprensivamente a qualunque ipoteca indotta dalle leggi medesime avrà mai alcun effetto sugl'immobili contemplati nel sistema ipotecario in concorso de' creditori ipotecarii iscritti e contro i terzi possessori – *in Urbinaten. Reductionis Missarum die 22 Ianuarii 1820* §. *Sed.*

31. Ex novissimo itaque Edicto iussu Sanctissimi edito demandata est inscriptio fundorum Locis piis obnoxiorum pro eorum securitate *in Ravennaten. Capellaniae die 15 Aprilis 1820* §. *Quatenus.*

32. Hinc ex Lege Edictali, quam exinde tulit Pius VIII die 8 ianuarii 1830 art. 1 – non si può permettere per le iscrizioni ipotecarie de' pii Legati e delle Cause pie, che sia violata la fede pubblica, e che si ledano i diritti dei terzi o siano acquirenti o siano creditori iscritti –: quo vero ad alios possessores nullius momenti inscriptio videtur, utcumque emptionum tabulae non fuerint inscriptae. Nam citata Lex Edictalis ita demum fecit Causis piis inscribendi pote-

statem, ut inscriptio percelleret eos tantummodo fundos, qui manerent adhuc penes obligatum; scilicet, ut in eod. art. 1 citatae Legis, - si accorda, che senza pregiudizio delle altre ipoteche anteriormente iscritte si possa iscrivere una ipoteca generale sopra i fondi esistenti presso la persona obbligata all'adempimento – *in Camerinen. Transactionis die 2 Martii 1833* §. *Quo.*

33. Explorati hinc iuris esse videtur, ut inscriptiones hypothecariae suo stent robore in eos tantum, quorum nomina in ipso inscriptionis actu allegata reperiuntur: quoniam ex parte alicuius possessio bonorum anterior est anno 1809, quo anno hypothecarium regimen invectum, negandum esse videtur, obesse posse ob transcriptionis defectum inscriptionem susceptam, elapso iam tempore per Gallicas leges praescripto, ad tradita per S. Rotam iu Veliterna Executionis 27 februarii 1818 §. 8 coram Zinanni *in Anagnina Redintegrationis die 28 Ianuarii 1832* §. *Quod.*

34. Adnotandum tamen est, ipsum S. Rotae tribunal contrariae postea adhaesisse sententiae in Bononien. seu Ferrarien. Pecuniaria 5 iulii 1824 a §. 3 coram Corsi, in Anconitana Hypothecae super secundo dubio 12 decembris 1825 a §. 3 coram Marco, et in eadem super tertio dubio 13 ianuarii 1826 a §. 7 coram eodem, ubi haec leguntur: – Quod spectat ad Cinellios fratres, hi quidem post temporis lapsum a lege praefixi inscripserunt; at non inde consequitur, inscriptionem nullitate laborare: ut enim fuse disseruimus in saepius memorata Anconitana super secundo dubio, potioritatis tantum amissione mulctavit lex Creditores serius, quam par erat inscribentes in concursu Creditorum aliorum. Quo vero ad tertios possessores, apertissimis verbis (lex) sancitum voluit sub art. 2, quocumque tempore contra eos inscribi posse super bonis ab iis acquisitis ante mensem iulium anni 1809, vel etiam postea, quoties ii transcriptionem apud hypothecarum Conservatorem non perfecerint, aliasque neglexerint cautelas sub art. 31 praescriptas ad fundorum, ut aiunt, purgationem – *in Anagnina Redintegrationis die 28 Ianuarii 1832* §. *Quod.*

35. Unde inscriptio intra tempus a lege definitum facta, pro creditis hypothecario systemate anterioribus, non a prioritate inscriptionis, sed ab anterioritate tituli vim exerebat, quippe quae omnes vincit Creditores; et quoad fructus praeteritos, una cum capite inscribi poterant etiam fructus decursi et non soluti duorum annorum, praeter eos anni currentis, qui eamdem cum capite prioritatem adipiscitur, et quoad fructus antiquiores distinctae accipi debebant inscriptiones, ex §. 45 leg. hypoth. s. m. Pii VII anni 1816: – Il creditore iscritto per un capitale fruttifero ha diritto di fare aggiungere nell'iscrizione gli interessi arretrati di due anni oltre quelli dell'anno corrente, i quali acquisteranno l'istessa anteriorità d'ipoteca col capitale. Per gli arretrati più antichi potrà prendere iscrizioni separate – *in Recanaten. Refectionis damnorum et transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Ad alterum.*

36. At census inscriptio, nec lege scripta, nec consuetudine, nec legis interpretatione praecipiebatur. Non lege scripta: quoscumque enim placeat vel Gallicos vel Pontificios hac super re codices evolvere, qui ante annum 1821 exarati sunt, nunquam sane de censu nec verbum reperitur nec vola. Porro quoad leges Gallicas advertendum, apud Gallos census contractum, qui ex Constitutione Pii V promanat, ignotum fuisse; adeoque census inscriptionem praecipere non potuisse, quod nitide demonstrat S. Rota in Romana Solutionis et Subhastationis quoad census scutorum 15900 et 5021 diei 15 aprilis coram Pianetti §. 6 7 et 8. Quoad Pontificias vero leges in Motu-Proprio Pii VII anno 1816 legitur art. 9: – Il credito non desume il suo grado e la sua anteriorità, se non se dall'epoca della sua iscrizione –. In illo autem Leonis XII anni 1828 art. 8: – Non desume il suo grado e le sue anteriorità, se non che dalla data dell'iscrizione, che deve prendersi per ogni credito non esclusi i censi –, quae postrema verba inutiliter Pontifex addidisset, ubi et suus Antecessor idipsum disposuisset *in Recanaten. Refectionis damnorum et transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Enimvero* §. *Porro.*

37. Eam insuper census inscribendi obligationem neque consuetudo inducere potuit, cum deficeret tunc temporis lapsus: neque

demum interpretatio et usus. Dixit enim S. Rota post promulgationem legum tam Gallicanam, quam Pontificiam in Urbevetana Census 5 aprilis 1824 coram Patrizi §. 7: – Quamobrem nemo non videt dominii ius Marabottiniae competens Nosocomio et translativa cessione fuisse pro census forte quaesitum, quod quidem potius et alio quocumque iure; neque ad illud sartum tectum servandum opus est, ut codicibus hypothecariis inscribatur. In hos enim iam referri debent, quae ex hypotheca proficiscuntur, non autem iura dominii, siquidem rei suae pignus consistere nequit, ita ut absonum foret inscriptionem super re propria a quopiam exarari –. Idem et in Perusina seu Cortonen. Graduationis 11 decembris 1820 coram Isoard, et Sutrina Graduationis 6 iulii 1821 coram De Cursiis. Neque enim huiusmodi privilegia amiserant census post hypothecarium invectum systema, uti tradunt decisiones eiusdem S. Tribunalis in Romana Census 10 iunii 1831 n. 4 coram Bofondi: – Neque ex novis ita de hypothecis inscribendis mutata isthaec iurisprudentia videtur. Eadem enim iura, quibus antiquitus Censuarii creditores potiebantur, integra intactaque manere ambiguum non est –. Et in confirmatoria diei 18 iunii 1832 coram Spada §. 5 *in Recanaten. Refectionis damnorum et transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Eam.*

38. Advertendum tamen est, praefatam decisionem S. Auditorii coram praefato Patrizi infirmatam fuisse in decis. 11 24 ianuarii 1825 coram eodem; atque in §. Verum aperte traditur: – Ideoque necesse erat, inscriptionem hypothecae mature fieri pro Nosocomio ad illius ius sartum tectumque tuendum super fundo censui subiecto –. Et in Romana Associationis 6 martii 1826 coram Martinez del Campo n. 2 et 3 rationes etiam in contrarium afferuntur: – Ac minus laudati Patres probarunt contractum census veram esse emptionem venditionem, quae fundi dominium transferre in emptorem dominumque inscriptione nulla ad suam servandam proprietatem indigere. Huiusmodi sermocinatio momentum nullum habebat. Etenim quidquid olim fuerit, mos temporibus nostris invaluit, ut etiam pro censibus eorumque fructibus debeat inscribi, ne aliter actiones amittantur ex gestis contractibus profluentes, apposite S. Tribunal in Romana Salviani 17 iunii 1816 §. 6 coram Serlupi, in Romana Graduationis 7 maii 1717 §. 5 coram Odescalchi. Quod probe ipsi Pediconii agnoscentes anno 1810 duorum censuum credita inscribere non omiserunt – *in Recanaten. Refectionis damnorum et transactionis die 29 Iulii 1837* §. *Hoc.*

39. Eam tamen vim habet beneficium inventarii, quod solutiones factae primo venientibus cum ignorantia potiorum liberant heredem ab actione personali, sed non adimunt creditoribus vel legatariis potioribus hypothecam super bonis defuncti possessis etiam ab herede, qui retentionem non habet pro solutione facta posterioribus vel minus privilegiatis, ut distinguendo firmat post alios Rota in decis. 11 a n. 12 tit. de invent. coram Falconerio *in Ravennaten. Cessationis Legati die 15 Decembris 1795* §. *Auditus.*

40. Inscriptio autem hypothecaria non suppeditabat probationem dominii, sed simplicis crediti; imo ex ea omne excluditur dominium cum in re aliena, non propria, hypotheca consistat, Rot. in Romana seu Maceraten. Praelationis 5 Maii 1820 §. 10 coram Marco, in Romana seu Viterbien. Exfractationis 27 Ianuarii 1823 §. ult. coram Spada, et in Maceraten. Pecuniaria 23 Novembris 1826 §. 12 coram Bofondi *in Anagnina Redintegrationis die 28 Ianuarii 1832* §. *At.*

41. Idcirco censualis inscriptio contra tertium nihil ponit in esse *in Ianuen. Iurispatronatus die 26 Ianuarii 1839* §. *Nec obest.*

42. Unde ex descriptione fundorum in Catastro Piano, nec rerum dominium nec possessionem probari, confirmat S. Rota in decis. 36 §. 7 coram Molines, et in decis. 278 §. 18 coram Olivatio *in Anagnina Redintegrationis die 28 Ianuarii 1832* §. *Quapropter.*

43. Dominii autem ac regressus in venditionis tabulis reservationem, ob pretium non solutum, in simplicem hypothecam, licet reliquorum creditorum hypothecis omnino potiorem et privilegiatam, resolvi, neque eius vi posse unquam venditorem reintegra-

tionem possessionis adipisci, post plures disceptationes suo iudicio firmavit Rota in Bononien. Pecuniaria 26 iulii 1826 §. ult. coram Tiberi, et in Pisauren. seu Senogallien. Manutentionis seu Reintegrationis 4 decembris 1826 §. 4 coram Marco *in Bononien. Transactionis die 30 Iulii 1831* §. *Compertum.*

44. Ceterum a iure devium est, ut praedia, quorum pretium mansit insolutum, concursui subiiciantur, quum super re distracta et cadente sub reservatione dominii nullus creditor habere queat ius hypothecae in praeiudicium venditoris, donec integra solutio pretii desideratur, quemadmodum post Carleval. de iudic. tom. 2 disp. 8 sect. 6 n. 67, Card. De Luca de credit. disc. 6 docet Rota in Bononien. cauthelae Angeli 2 maii 1729 §. 3 coram Calcagnino, et coram Olivatio decis. 190 n. 13 *in Bononien. Transactionis die 30 Iulii 1831* §. *Quamlibet* (1).

IANUA

1. Generice constitutum est, ut nemo possit habere portam, per quam transitus sit in Ecclesiam, ut pluries declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium et signanter in Casertana 8 iunii 1646, in Alexandrina 14 novembris 1659 *in Forolivien. die 24 Iulii 1824* §. *Illud.*

2. Unde notissimi iuris est, neminem posse communicationis ianuam aperire, qua transitus in Ecclesiam vel Oratorium publicum habeatur, nisi munitus fuerit Indulto Apostolico, prout declaravit S. Congregatio in Placentina 14 novembris 1626 lib. 13 Decretorum pag. 17 *in Ugentina die 12 Ianuarii 1760* §. *Comperiit.*

Item *in Bononien. Oratorii die 29 Maii 1852* §. *Pauca.*

3. Nec facile Summus Pontifex concedit huiusmodi privilegium; quandoquidem licet Summus Pontifex nobili Viro indulsisset facultatem retinendi apertas interiores Oratorii ianuas, eo tamen e vivis elato atque Palatio ab alio Viro, qui nobilitate quidem carebat, sed divitiis potiebatur, huic nihilominus non esse concedenda censuit Sacra Congregatio huiusmodi privilegia *in Bononien. die 15 Ianuarii 1785* (2).

4. Idcirco si Decretum erectionis Oratorii, quod extinctum fuit, non est servandum, sed novum erectionis Decretum subinde emanatum, multo minus cubiculum eidem contiguum illegitime apertum ac inde clausum, unde porta quadam laterali in illud descendi potest, in usum praedicti Oratorii restituendum est *in Bononien. Oratorii die 29 Maii 1852.*

5. Siquidem suppressa iam Paraecia S. Georgii in Civitate Bononiensi, quum anno 1782 ob nimiam undequaque extensionem subsidiali quadam Ecclesia indigere videretur, tunc temporis Rector Franciscus Christophori suismet potissimum facultatibus domunculam in remotiori Parochiae parte adquisivit, eamque in Sacellum erigi curavit. Precibus desuper porrectis, ut Oratorium sub invocatione Beatae Mariae Virginis de Gratia nec non S. Emidii in cultum publicum destinaretur, ad effectum ibi audiendi diebus festis Missam nec non pro Infirmis administrandi Sacramenta atque docendi Pueros doctrinam christianam, Cardinalis eius temporis Archipraesul Giovanetti iisdem in terminis benigne annuit die 8 februarii 1782. Ad superos evocato deinceps Francisco, nepos et heres Philippus Christophori anno 1806 sua proprietatis iura in dictum Sacellum Sodalibus Sanctissimi Sacramenti eiusdem Parochiae pretio cessit. At superveniente Regimine Italico, quum in eodem Oratorio Sacra iamdudum cessassent, ipsumque in dies magis collaberetur, nec non S. Georgii Parochia canonice suppressa maneret, Officiales memoratae Sodalitatis, praevio Decreto Ordinarii de reducendo Sacello in usum profanum, illud fratribus Iosepho et Dominico Stanzani adiacentis domunculae proprietariis vendiderunt. Hi vero longe abfuere, ut illud ad profana deputarent, sed damnis, qua par erat, refectis, anno 1825 ab Emo

(1) Reliqua habes in Verb. *Actio*, §. II, Tom. I.

(2) Species et resolutio Causae huius habes in Verb. *Fenestra seu Odeum*, n. 73.

Archiepiscopo facultatem obtinuere, Oratorium pro divino cultu iterum aperiendi, salvis tamen iuribus parochialibus, et obligatione prius emissa, - Sacellum praedictum sacrasque supellectiles, quibus pro sacro faciendo erit ab ipsis decenter instruendum, perpetuo conservandi et pro opportunitate reficiendi, unamque saltem Missam celebrare faciendi diebus festis Titularium, in quorum honorem Sacellum est nuncupatum, ac ceteris omnibus servatis, quae in Synodalibus Constitutionibus lib. 1 cap. 7 praescripta sunt –. Fratres autem Stanzani deinde in favorem cuiusdam Luigione della Riccia, qui sui commodi ergo diebus festis Missam in Sacello celebrandam perrexit, cubiculum huic contiguum in propria domuncula aperuerunt, ubi dictus Luigione ex interna domo ingressus Sacrum per fenestram audire, nec non ipsi porta quadam laterali in Sacellum descendere poterant, manente interim ostio principali, quod viam publicam prospiciebat. Illo tamen defuncto anno 1830, statim aditus privatus ab ipsis clausus est, quin ullae propterea querelae ad annum usque 1844 excitate fuerint. Verum exinde Parochiani SS. Philippi et Iacobi, in quorum territorio in praesens extabat, modo ad Emum Ordinarium preces pro canonica Oratorii visitatione, aliisque modo ad Congregationem R. Fabricae libellos de non adimpletis Missis in festo Titularium detulerunt. Voti partim compotes, partim reiecti, anno tandem 1850 penes Sacram Congregationem adstiterunt, ut defineretur, num in vim pristinam redire deberet Decretum fundationis Emi Archiepiscopi Giovannetti in primis quoad Sacrum quolibet die festivo peragendum, et subsidium Parochiae in divinis praestandum, et an restituendum foret cubiculum ad usum dicti Oratorii, cum Sacrarium in fundatione constructum esset nimis angustum. Emus Archiepiscopus votum transmisit, quo negativa omnino sententia Oratoribus pandebatur, quippe qui citra omnem proprii Parochi consensum, nullo iure nulloque religionis zelo suffulti, discordiae tantum et rixis studerent. Perperam enim iidem contendebant, ius postliminii sibi competere, ut post novam Sacelli aperitionem anno 1825 omnia in statum pristinum redire deberent, cum Sacelli reaperitio ab Ordinario concessa statum pristinum legitime extinctum minime reduxisse videretur, sed nova omnino licentia novique pene iuris esset. Et quoad cubiculum, patula erat iuris dispositio, qua prohibetur aperitio ianuae, per quam transitus habeatur in Ecclesiam, nisi id S. Sedes indulgeat.

6. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo Decretum erectionis Oratorii anni 1822 sit servandum in casu? II. An et quomodo ad usum dicti Oratorii restituendum sit cubiculum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative in omnibus – *in Bononien. Oratorii die 29 Maii 1852.*

7. Qua de re quum Oratorium Sodalitii Sanctissimi Sacramenti erecti in Ecclesia Cathedrali cohaerens Capellae eiusdem tituli publicum fuerit declaratum et non privatum, Sacra Congregatio resolvit, haud esse claudendam ianuam eiusdem exteriorem versus viam, nec aperiendam construendamque ianuam interiorem, quae ad praefatam Capellam duceret; his quippe in terminis proposito dubio: – IV. An Oratorium cohaerens Capellae Sanctissimi Sacramenti sit publicum, vel privatum, ita ut sit claudenda ianua exterior versus viam et aperienda seu construenda ianua interior, quae ducat ad dictam Capellam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quartum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Sarnen. Confraternitatis die 11 Iunii 1712 lib. 62 Decretorum.*

8. Quum itaque in Atrio domus existeret Oratorium ianuam habens prope viam publicam et campanile cum campanula, nec non aliam ianuam particularem, per quam ex Porticu domus accessus patebat ad Oratorium, sed exinde aliud constructum fuerit Oratorium undique Atrio circumclusum, atque Episcopus in actu visitationis, gravem ob id in Populo inveniens ignorantiam, prohibuerit, ne diebus festis ante celebrationem Missae in dicto Oratorio pulsaretur illius campanula sub poena excommunicationis, Sacra Congregatio nedum resolvit, substinenda esse Decreta ab Episcopo lata, nec non licere Patronis retinere dictam campanulam iuxta formam praescriptam et praescribendam ab Episcopo, verum etiam mandavit, ut removerentur ianuae Atrii *in Barchino-*

nen. Capellae die 28 Ianuarii die 28 Iulii et die 30 Septembris 1730.

9. Enimvero in Atrio delitiosae Domus seu Turris Familiae de Fontaner constructum reperiebatur quoddam Sacellum seu Oratorium dicatum Immaculatae Conceptioni Beatae Mariae Virginis,ianuam habens prope viam publicam et Campanile campanulam,ibique Sacrum Missae Sacrificium celebrari, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum decenter asservari, et Christifidelium venerationi exponi consuevit. Ultra dictam publicam ianuam aliam quoque particularem habebat, per quam ex Portico domus accessus patebat ad Capellam. Anno 1712 Ignatius Fontaner dictae domus possessor, praevia licentia Ordinarii, illud in ampliorem formam redigi curavit: sed cum sepulchrum quoque pro se suisque descendentibus construi exoptaret, Parochus Ecclesiae S. Ginesii, intra cuius limites situm erat praedictum Oratorium, et per iter unius horae valde asperum ab ea distans, acrem controversiam promovit, non licuisse scilicet dicto Ignatio sine sui consensu Oratorium ampliare et reaedificare, ibique Sanctissimum recondere ac exponere minusque sepulchrum construere; post passam vero ab eo contrariam sententiam res composita fuit de anno 1713 amicabili concordia, in qua, reservatis Parocho iurisdictione aliisque iuribus parochialibus, confirmata fuit ampliatio Oratorii Sacrificii Missae aliorumque divinorum officiorum celebratio, ac etiam Sanctissimi Sacramenti asservatio et expositio, nec non retentio campanae illiusque usus, prout in Ecclesiis, et concessa insuper fuit facultas inibi construendi sepulchrum gentilitium, ac etiam fundandi Beneficia vel ecclesiastica Officia, prout eodem anno praedictus Ignatius auctoritate Vicarii Generalis fundavit simplex Officium ecclesiasticum ad nutum amovibile, cum onere sex Missarum in hebdomada. Et concordia ista probata fuit nedum ab eodem Vicario Barchinonensi et Rmo tunc Hispaniarum Nuntio in actu stipulationis, sed etiam a Sacra Congregatione sub die 6 septembris 1726, expedito desuper Brevi Apostolico. Anno 1728 modernus Episcopus Barchinonensis in actu visitationis duo condidit Decreta: primum, quo mandavit, ne diebus festis ante celebrationem Missae in dicto Oratorio pulsaretur illius campanula, reiiciens etiam in suspensivo appellationem ab hoc Decreto interpositam; et alterum, quo sub supposito, quod controventum fuerit praedicto suo mandato, inhibuit omnibus Presbiteris tam Secularibus, quam Regularibus, ne sub poena excommunicationis Sacrum celebrare auderent in dicto Oratorio. Adversus huiusmodi Decreta recursum habuit ad Sacram Congregationem Ioannes Antonius Fontaner actualis Patronus, ac institit pro eorumdem nullitate et iniustitia ex pluribus fundamentis in scriptura adductis.

10. Audito autem Episcopo, hic retulit, praedictam ruralem Turrim fuisse antiquitus parvam domum, cui adhaerebat ruralis Capella sub invocatione S. Mariae Magdalenae, quae de anno 1677 fuit benedicta, ibique Ordinarius Barchinonensis facultatem concessit celebrandi Sacrum, nec aliud privilegium aut praerogativa fuit attributa; sed praedictam Turrim postmodum de anno 1697 dirutam fuisse per Exercitum Regis Galliarum obsidentem Civitatem Barchinonensem. Subdidit, quod anno 1700 praefatus Ignatius Fontaner integer ac dives mercator, non tamen nobilis, dictam domum emit, eodemque anno Capellam restauravit sub invocatione Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, quae noviter fuit benedicta ac indulta dumtaxat licentia inibi celebrandi sine alia praerogativa, et in hoc statu permansit usque ad annum 1712 interea et circa annum 1708 idem Ignatius praefatam domum in ampliorem sublimiorem formam reducere incepit cum delitiosa villa ac pergrandi Atrio, Capellam quoque includente; et occasione, qua subinde ob aeris salubritatem ibi per aliquod tempus moram traxit Serenissimus Imperator cum Serenissima Imperatrice, praedicta Capella per accidens evasit Regia, ac in ea asservatum et expositum fuit Sanctissimum Sacramentum, variaeque ecclesiasticae functiones celebratae. Cumque ad istum effectum illa exigua videretur, aliam novam et amplam Capellam intus Atrium Turris extruxit. Ex hoc desumens Relator, quod, licet antiqua Capella foret publica, uti publicam habens ianuam ad agros, ista tamen noviter constructa, uti undique Atrio circumclusa,

privatum tantum Oratorium censenda erat; nec ex actis Cancellariae constare dixit, eam fuisse noviter benedictam et visitatam, minusque de ulla Beneficii fundatione. Addidit etiam, in instrumento concordiae, prout ibi iacebat, nullum adesse verbum, per quod concessa diceretur campanae elevatio. Conclusit demum, ipsum in postrema visitatione vicinarum Parochiarum facta de anno 1728 invenisse gravem ignorantiam in Populo etiam circa prima erudimenta fidei: cumque istius originem non aliunde oriri agnoverit, quam ex eo, quod per celebrationem Missae diebus festis in saepedicto Oratorio et per pulsationem campanae, Parochiani, ut citius se expedirent a praecepto audiendi Sacrum, illuc accedebant, atque ita a propriis Ecclesiis, in quibus doctrina christiana explanabatur, distrahebantur; hinc necessarium putavit, ut hoc malum everteret, praefatum Decretum edere, ne ante celebrationem Missae dictis diebus pulsaretur campana Oratorii, cum praesertim brevior existeret distantia Oratorii a Parochiali, quam enarrabatur in precibus, nec via aspera esset.

11. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Decreta lata ab Episcopo substineantur in casu etc. II. An quomodo et ad quem effectum liceat Oratoribus de Fontaner retinere campanam in Capella, de qua agitur? –, Sacra Congregatio die 28 ianuarii 1730 respondit: - Dilata, et proponatur in prima etiam unica –. Repropositis hinc praedictis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 28 iulii 1730 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, licere iuxta formam praescriptam et praescribendam ab Episcopo –. Concessa nova audientia praedictis de Fontaner, repropositis dubiis sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio respondit: - In decisis; et removeantur ianuae Atrii; et amplius – *in Barchinonen. Capellae die 30 Septembris 1730.*

12. Quapropter quum Episcopus supposuisset Interdicto Oratorium publicum situm intra Cortile Palatii cuiusdam Magnatis, existimans, quod esset comprehensum sub prohibitione Concilii, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, ad quam habitus fuit recursus, proponente cl. me. Card. Ferrario, in Ostunen. sub die 20 martii 1698 ita respondit: – Praevia remotione valvarum impedientium ingressum in Cortile, vel aperto ostio Oratorii in viam publicam, et clauso omnino aditu ab Ecclesia ad Palatium, et interdicto incongruo usu cubiculi superioris, Episcopus procedat ad executionem Brevis, remoto Interdicto –, uti habetur apud Monacell. tom. 1 tit. 5 form. 2 n. 7 *in Barchinonen. Capellae die 28 Ianuarii 1730* §. *Similis.*

13. Si vero peculiares extent circumstantiae, quibus Baro loci huiusmodi ius habeat, etiamsi Capella, qualitatem publici Oratorii praeseferens, intra atrium Palatii Baronalis extet, non propterea aperiendum est ostium eius in via publica, neque sunt removendae valvae impedientes ingressum in Atrium, nec non huiusmodi in casu licet Baroni per Palatium descendere in Ecclesiam *in Compsana Capellae die 8 Augusti 1705 lib. 55 Decretorum.*

14. Siquidem – Capellam seu Oratorium Sancto Ioanni Baptistae dicatum intra claustrum Atrii Palatii Baronalis existens Archiepiscopus superiori anno interdixerat, ac demoliri iusserat, eo quod privatum ac sine Apostolica facultate erectum crederetur, inflictis quoque ecclesiasticis censuris adversus eos, qui ibi celebrare praesumpsissent. Cum vero Sacra Congregatio super Interdicti et demandatae demolitionis censurarumque huiusmodi subsistentia, nec non super praetensae irregularitatis incursu consulta, propositis in id quatuor dubiis sub die 31 maii 1704 negative quoad omnia responderit, supposita in praedicta Capella qualitate publici Oratorii, quam Sacra Congregatio tunc agnovisse et probasse dicitur, idem Archiepiscopus non convenire nec licere putans, quod Atrium Palatii Baronalis pro libito claudi possit, quodque per Palatium ad Ecclesiam communicetur accessus, pro debito sui muneris infrascripta dubia promovet, quae, Partibus informantibus, ad EE. VV. decidenda erunt: – I. An aperiendum sit ostium Capellae in via publica, vel potius removendae sint valvae impedientes ingressum in Atrium? II. An liceat Baroni per Palatium ad Ecclesiam descendere in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative.

Ad secundum, Affirmative in casu, de quo agitur – *in Compsana Capellae die 8 Augusti 1705 lib. 55 Decretorum.*

15. Quapropter quum Oratorium sit publicum ibique ianua haberetur pro adeundo cubiculo, ubi sacra supellex asservabatur, eaque post lapsum octoginta fere annorum fundationi coaeva videretur, Sacra Congregatio declaravit, claudendam non esse huiusmodi ianuam *in Patavina Oratorii die 14 Augusti 1824* (1).

16. Vulgatissima hinc sunt Rescripta, quibus e contiguis laicorum aedibus prohibetur non solum transitus, verum etiam prospectus in Ecclesiam, eorumque plura referuntur a Pignatellio in consult. 129 a n. 3 tom. 4, et a Monacellio form. for. eccles. form. 8 tit. 5 a n. 14 et tit. 6 form. 8 n. 17 tom. 1, ubi indicantur casus, iuxta quorum circumstantias, potest aliquando ab illorum dispositione recedi *in Eugubina die 2 Iunii 1736* §. *Vulgatissima.*

17. Idcirco ubi urgentes absint circumstantiae, quae concessionem huiusmodi privilegii haud suadeant, id nullatenus indulgetur, sed imo removendum esse mandatur; quandoquidem Sacra Congregatio, licet ad praecidendas lites transactionem approbaverit, non propterea approbare censuit ius emptori Coenobii traditum aperiendi ianuam ex interiore domo et accedendi ad Ecclesiam, imo iam apertam claudendam esse mandavit *in Forolivien. die 24 Iulii 1824* (2).

18. Unde licet ex transactione, neque tamen ab Ordinario neque a Sede Apostolica approbata, e contiguis laicorum aedibus haberetur transitus in Ecclesiam, Sacra Congregatio resolvit, Decretum Episcopi in visitatione factum, quo mandavit, ut ianua clauderetur, esse exequendum *in Eugubina die 2 Iunii et die 4 Augusti 1736.*

19. Iamvero contendentibus fratribus de Tundis, quemdam vicum in suum Palatium et Ecclesiam Societatis Lanariorum Civitatis Eugubinae existentem ad se pertinere, sibique propterea ius esse liberi per eum transitus, et e contra id impugnante memorata Lanariorum Societate, initae fuerunt sub annos 1698 et 1703 inter eos concordiae. Postremo anno 1723 cum Priores dictae Societatis necessarium agnoverint in quadam enunciata vici parte cubiculum construere, ut a novo Sacrario posset commodius haberi aditus ad Ecclesiam, elevatus fuit murus divisorius inter dictam Ecclesiam et domum fratrum de Tundis, relictaque communi consensu in eo ianua, fratres de Tundis, ne amitterent possessionem ingressus, quem semper habuerant, clavem habuerunt ianuae, quam etiam in praesens retinebant, iuxta nonnullorum testimonium, quod nomine eorumdem fratrum de Tundis allatum fuit. Verum quia Episcopus in sacra visitatione anno 1735 peracta praefatam Ecclesiam perlustrans Decreto praecepit, ut dicta ianua anno 1723 extructa claudi deberet, alias Ecclesia ipsa Interdicto subiiceretur, memorati fratres de Tundis ab eiusmodi Decreto appellationem interposuerunt ad Tribunal A. C.; sed ab eo Emus Pro-Auditor Sanctissimi avocavit, eiusque cognitionem Sacrae Congregationi delegavit. Unde fratres de Tundis possessionem, in qua reperiebantur, liberi aditus per controversam ianuam, tueri potissimum conati sunt iure sibi derivato ex enunciatis transactionibus, quas, sicuti autumarunt, notabile compendium attulisse Societati Lanariorum, nullam proinde litem adversus ipsos in praesens promoventi, ita servandas esse dixerunt etiam quoad commoditatem praedicti transitus sibi reservatam, secus enim oporteret transactiones rescindere, indeque veteres excitarentur controversiae non sine gravi eiusdem quoque Societatis pernicie. At Decretum suum propugnans Episcopus contendit, situm, in quo constructum fuit cubiculum cum praedicta ianua tam in prima transactione anni 1698, quam in altera anni 1703, absolute et sine ulla dominii reservatione donatum fuisse Societati, nec unquam fuisse partem enunciati vici, proindeque nullam super eo imponi potuisse servitutem favore fratrum de Tundis; praeterea neque transactiones praefatas, neque Ordinarii Rescripta in earum approbationem edita de clavi controversae ianuae meminisse, adeoque illius retentionem fratri-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Fenestra seu Odeum*, n. 61 ad 67.
(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Fenestra seu Odeum*, n. 47 ad 50.

bus de Tundis permissam anno 1723 a Prioribus Societatis, utpote usurpativam iuris Ecclesiae, non impetrato Apostolico Beneplacito, substineri nequire, praesertim vero cum in ecclesiasticae immunitatis detrimentum vergere posset, privatum aditum e domo laicorum haberi ad Ecclesiam.

20. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Decretum factum in visitatione super clausura ianuae, de qua agitur, sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 2 iunii 1736 responsum dedit: – Affirmative –. Cum fratres de Tundis huic Rescripto minime acquiescerent, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Eugubina die 4 Augusti 1736.*

21. Quin imo iniungitur Episcopo, ut cryptas et aditus subterraneos a domibus privatorum ad Ecclesiam et loca immunia claudere faciat, S. Congregatio Immunitatis in Aquilana 9 martii 1632 *in Forolivien. die 24 Iulii 1824* §. *Illud.*

22. Si enim in limine fundationis non fuerit concessa huiusmodi servitus, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium nedum illam imponi Ecclesiae prohibuit, sed et e medio tollendam mandavit, etiamsi extaret longa consuetudo et essent Patroni, qui ea gauderent; quandoquidem in Faventina 16 februarii 1619 haec statuit: – Si devono murare le porte, per le quali dalle case contigue si può entrare in Chiesa, non ostante i Padroni siano soliti per lungo tempo tenere aperte –, Ferrar. in Verb. Ecclesia art. 5 n. 4 *in Forolivien. die 24 Iulii 1824* §. *Illud.*

Item *in Patavina Oratorii die 14 Augusti 1824* §. *Praetermittendum; in Bononien. Oratorii die 29 Maii 1852* §. *Pauca.*

23. Quapropter licet res esset de loci Barone, qui in eo iurisdictionem criminalem tantum exercebat, quique per longum temporis lapsum ianuam cum scala pro descensu ad Ecclesiam a superioribus Palatii mansionibus habebat, nihilominus Sacra Congregatio declaravit, exequendum esse Edictum ac Decretum editum ab Episcopo in sacra visitatione, quo mandaverat, ut praefata ianua clauderetur *in Ugentina die 9 Februarii et die 10 Maii 1760* (1).

24. Hinc Sacra Congregatio mandavit, communicationem domus Archipresbiteralis cum choro Ecclesiae Collegiatae S. Petri Montis Martiani claudi debere, iuxta praeceptum Episcopi; quandoquidem proposito dubio: – II. An communicatio domus Archipresbiteralis cum choro, ubi in hyeme officiant Canonici, claudi debeat, reservata Archipresbitero altera, quam habet communicationem cum Ecclesia in latere opposito in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative iuxta Decretum Episcopi anni 1781; et amplius – *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

25. Idcirco iure ac merito Episcopus in sacra visitatione mandavit, ut intra mensem laicis, nec Indultum a S. Sede nec ullum ius habentibus, clauderetur ianua, quae in Sacrarium emittebat *in Nullius Foripompilii die 18 Februarii 1758* (2).

IESUITAE

1. Patres Societatis Iesu tenentur observare Decreta Sacri Concilii Tridentini *in Cathacen. mense Aprilis 1587 lib. 4 Decretorum pag. 242.*

2. Unde Sacra Congregatio declaravit, Iesuitas seu Patres Societatis Iesu non posse uti privilegio se promovere faciendi extra tempora, cum fuerit eis sublatum a Decretis Concilii Tridentini in Cap. 8 18 11 12 13 14 sess. 23 de reformatione *in Dubium ad instantiam Cardinalis Portugalliae ad Cap. 8 sess. 23 de reformatione Posit. 59.*

3. Iesuitas tamen in Diaecesi Mechliniensi commorantes posse ordinari respondit Sacra Congregatio ab alieno Episcopo in eadem Diaecesi, etiamsi Archiepiscopus Mechlinien-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Fenestra seu Odeum,* n. 58 et 59.

(2) Speciem et résolutionem Causae huius habes in Verb. *Fenestra seu Odeum,* n. 11.

sis ordinationem habeat *in Mechlinien. Ordinationis die 8 Maii 1683 lib. 33 Decretorum pag. 130.*

4. Nec ullum itaque ius Patres Societatis Iesu habent docendi doctrinam christianam in Ecclesiis parochialibus aliisque, invitis Rectoribus, licet sint praeferendi *in Mechlinien. Doctrinae Christianae die 8 Martii 1681 lib. 31 Decretorum pag. 357* (1).

5. Qua de re multo minus virtute suorum privilegiorum possunt Patres Societatis Iesu absolvere a casibus Episcopo reservatis *in Perusina lib. 2 Decretorum pag. 16 a tergo.*

6. Immo neque iidem possunt secularium personarum confessiones audire, nisi sint ad hoc ab Episcopo approbati *in Neapolitana anno 1619 lib. 12 Decretorum pag. 16.*

7. Curam hinc animarum habentes non possunt confessiones audire, neque munia parochialia obire, absque praevia Episcopi approbatione, et secus facientes possunt etiam censuris coerceri *in Paraguerien. Iurisdictionis die 13 Maii 1660 lib. 22 Decretorum pag. 64.*

8. Itaque Patres Societatis Iesu induere quidem possunt in mortis articulo constitutos eorum habitu Religioso ad effectum illos tumulandi in ipsorum Ecclesia, sine tamen praeiudicio iurium parochialium, ita ut Parochis Ecclesiarum occasione funeris debeantur emolumenta dari solita pro funeribus, quae explentur in Ecclesiis aliorum Regularium *in Calaguritana Funeris die 18 Iunii 1701 die 27 Maii die 18 Novembris 1702 et die 1 Decembris 1703 lib. 51 52 et 53 Decretorum.*

9. Siquidem – cum vigore licentiae obtentae usque de anno 1695 a Patre Praeposito Generali Societatis Iesu Augustinus de Ybayzabal Clericus Beneficiatus in una ex parochialibus Ecclesiis Villae de Bilbao, habitu eiusdem Societatis in mortis articulo indutus, ac post obitum uti Religiosus ab iisdem Patribus in ipsorum Ecclesia sepultus fuerit, Parochi Ecclesiarum parochialium una cum Clero dictae Villae habuerunt recursum ad hanc Sacram Congregationem, instantes pro emolumentis funerariis sepulturae dicti Augustini, et supplicarunt, quod in futurum dicti Patres non possent amplius uti huiusmodi facultate induendi eorum habitu Religioso constitutos in mortis articulo, in ipsorum praeiudicium, ex eo quod maior et principalis pars congruae Beneficiorum constituta sit in his funerariis emolumentis, dum annuales reditus bonorum, ob eorum sterilitatem, in modica quantitate consistunt; datisque Literis pro informatione ad Episcopum Calaguritanum super huiusmodi precibus, iste refert, vera esse omnia in ipsis exposita, et vere tenues esse reditus, qui ex Beneficiorum praediis, attenta eorum sterilitate, percipiuntur, totamque ipsorum congruam consistere in manualibus Missarum stipendiis funerariis aliisque minutis distributionibus, quibus si a Regularibus defraudentur necesse erit, Clerum vel in totum extingui, vel magna ex parte diminui, et propterea existimat, dictorum Parochorum instantiae omnino esse annuendum. Quapropter renovatis modo precibus per Parochos supradictos, et viceversa praetendentibus praedictis Patribus superius narrata non omnimode veritate niti, Episcopumque in sua relatione longe superiora veritati exaggerasse, Partibus utrinque monitis et informantibus, EE. VV. non gravabuntur decernere: – I. An et quae emolumenta funeralia debeantur Parochis Ecclesiarum parochialium Villae de Bilbao occasione funeris Augustini de Ybayzabal sequuti in Ecclesia Patrum Societatis Iesu in casu etc. II. An supradicti Patres Societatis possint induere constitutos in mortis articulo eorum habitu Religioso, ad effectum illos tumulandi in ipsorum Ecclesia, et percipiendi emolumenta funeraria privative quoad dictos Parochos Villae de Bilbao? –, Sacra Congregatio die 18 iunii 1701 respondit: – Ad primum, deberi quartam. Ad secundum, Affirmative, sed sine praeiudicio iurium parochialium –.

10. Non acquiescentes supradicti Patres Societatis Iesu huiusmodi resolutioni, sub duplici fundamento instant pro recessu a decisis. Primo scilicet, quia Parochi dictarum Ecclesiarum tenebantur gratis sepelire praefatum Augustinum, uti Beneficiatum in una ex eorum Ecclesiis, et proinde cum ipsius funus

(1) Resolutionem hanc habes in Verb. *Doctrina Christiana*, n. 41 et 42, Tom. VIII.

sequutum fuerit in Ecclesia dictorum Patrum, iidem Parochi nullam praetendere valeant quartam seu alia emolumenta funeraria; secundo vero, quia Patres eiusdem Societatis vigore Constitutionis Beati Pii V utpote veri Religiosi Mendicantes gaudent exemptione a solutione quartae funeralis, quoties defuncti sibi in vita elegerint sepulturam in Ecclesiis eorumdem. Quamobrem, Partibus utrinque monitis et informantibus, EE. VV. erit respondere: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 maii 1702 respondit: – Ad primum, servetur consuetudo. Ad secundum, in decisis –. Praetendentibus autem modo dictis Patribus, huiusmodi consuetudinem intelligi debere, iuxta solitum illius loci; et e contra asserentibus praefatis Parochis, illam regulandam esse ad normam aliarum solutionum factarum ab iisdem Patribus occasione similium funerum, et non iuxta consuetudinem aliorum Regularium, cum quibus adest specialis transactio, in qua tamen non sunt comprehensi ipsi Patres Iesuitae, tertia vice reproponitur praedictum dubium, super quo ex iuribus hinc inde circumferentibus ab EE. VV. declaratio expectatur: – An et quae emolumenta funeralia debeantur Parochis Ecclesiarum parochialium Villae de Bilbao occasione funeris Augustini de Ybayzabal expleti in Ecclesia Patrum Societatis Iesu in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 novembris 1702 responsum tulit: – Deberi emolumenta dari solita pro funeribus, quae explentur in Ecclesiis aliorum Regularium –. Huiusmodi postremae resolutioni circa emolumentorum quantitatem non acquiescentibus Parochis supradictis, redit pro quarta vice Causa ad examen sub consueto dubio: – An et quomodo quoad primum dubium sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In ultimo loco decisis; et amplius – *in Calaguritana Funerum die 1 Decembris 1703 lib. 53 Decretorum.*

11. Non solum vero Patres Societatis Iesu non comprehenduntur in Cap. 16 sess. 25 de Regularibus quoad emittendam professionem, sed etiam quoad obligationes et renunciationes, adeo ut haec ab eorum Novitiis quando et quomodocumque ac sine cuiusque licentia facta nullitati dicti Decreti nullatenus subiaceant *in Nullius Iesuitarum seu Neapolitana die 19 Decembris 1620 lib. 12 Decretorum pag. 57 et 75.*

12. Neque iidem comprehenduntur in Decretis de apostatis et eiectis sive Constitutione S. M. Urbani VIII quoad modum eiiciendi in ea praescriptum *in Societatis Iesu anno 1624 lib. 12 Decretorum pag. 129.*

13. Amplia, neque eiecti post tria vota simplicia comprehenduntur in dicta Constitutione de apostatis et eiectis *in Limana Eiectionis die 11 Februarii 1662 lib. 23 Decretorum pag. 59.*

14. Hinc Societas Iesu absolvenda est a subministratione congruae ei, qui primum ante susceptionem primae tonsurae iuxta morem loci habuit a respectivo genitore titulum Patrimonii Sacri, deinde ad habitum Regularem in Societate Iesu admissus, nondum expleto Novitiatus biennio ac tribus votis simplicibus emissis cum licentia sui Superioris sacros suscepit Ordines, et mox petens atque volens e dicta Societate dimissus fuit, quin obsit, quod ab Ordinum exercitio suspensus maneat ex tituli defectu ac paupertate laboret, ex eo quod ante ordinationem ipse semper asseruit, se habere Patrimonium et se fuisse prima tonsura initiatum ad praedictum titulum, quem in praesens habere non potest *in Neapolitana Congruae die 8 Augusti 1705 die 8 Maii 1706 lib. 55 et 56 Decretorum die 2 Augusti 1721 et die 28 Februarii 1722.*

15. Enimvero – Ioannes Nicolaus de Laurentiis Clericus Secularis, qui praevia constitutione Patrimonii sacri a Francisco patre usque de anno 1672 per instrumentum publicum sibi assignati primam tonsuram et minores Ordines assequutus fuerat, de anno postea 1693 ad habitum Regularem in Societate Iesu admitti obtinuit; ibique nondum expleto Novitiatus biennio ac tribus simplicibus votis paupertatis castitatis et obedientiae nondum emissis, cum Literis sui Superioris Ordinarii in Capella S. Xaverii intus Ecclesiam Collegii ab Episcopo Aquilano de licentia Cardinalis Cantelmi olim Archiepiscopi Pontificalia ibidem exercente ad sacros Ordines promotus est. Emissis autem duos post menses eisdem votis, postremo

de anno 1696 e dicta Societate volens ac petens dimissus fuit. Ab Ordinum itaque exercitio, ob deficientiam iusti tituli, post huiusmodi dimissionem suspensus pro obtinenda a Patribus eiusdem Societatis congruae alimentariae assignatione Sacram hanc Congregationem adivit, quae sub die 26 ianuarii 1697 mandavit, ut Causa in folio describeretur, et sub die 9 februarii sequentis ad dirimendam contentionem super infrascriptorum dubiorum propositione promotam respondit: « Disputentur utraque dubia, subministratis interim scutis duodecim in causam declarandam »; a quo tamen Rescripto quoad subministrationem praedictam sub die 2 martii immediate sequentis recessit rescribendo: « Recedendum a decisis quoad subministrationem, et ad mentem », quae fuit, ut aliquod subsidium dicto Ioanni Nicolao aliunde procuraretur. Cum vero idem Ioannes Nicolaus supplici libello iterum Sanctissimo Domino Nostro porrecto Rescriptum obtinuerit, ut iure suo uteretur; idcirco monitis praedictis Patribus Societatis Iesu, qui instrumentum constitutionis dicti Patrimonii recenter repertum produxerunt, ad infrascripta dubia nunc ab EE. VV. responderi postulat: – I. An Ioanni Nicolao de Laurentiis uti Sacerdoti ordinato ad titulum Religiosae paupertatis in Societate Iesu et deinde ab ea dimisso debeatur congrua portio seu substentatio saltem annuorum quadraginta aureorum ab eadem Religione? II. An lite pendente sint ei subministranda alimenta et sumptus litis? III. An potius idem Nicolaus teneatur ad Religionem redire in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 augusti 1705 respondit: – Ad primum, absolvendam esse Societatem a praetensa subministratione congruae in casu, de quo agitur. Ad secundum et tertium, provisum in primo; et amplius –. Et licet dictus Nicolaus in Congregatione habita die 23 mensis ianuarii 1706 pro nova audientia supplicasset, eam tamen obtinere non potuit, cum responsum fuerit: – Nihil de nova audientia –, uti habetur in parvo regesto dicti anni sub dicta die.

16. Orator exclusus a petita congruae assignatione, quique interea a celebratione Missae erat suspensus ex defectu tituli seu Patrimonii, suas exhibuit preces pro facultate Missam celebrandi; cumque die 6 februarii dicti anni 1706 dictum fuerit, quod audiretur Emus Card. Vicarius, editum fuit a cl. me. Card. de Carpineo Urbis Vicario suum suffragium, in quo sic conclusit: – Crederem, Societatem debere Oratorem providere de congrua substentatione, donec constet, fuisse ad titulum Patrimonii promotum, vel donec fuerit recuperata domus a Patre assignata, ad quem effectum esset iniungendum, ut Nicolaus omnia et singula iura sua cedat Societati. Quod si ab EE. PP. aliud decernendum esse videatur, Nicolaus deberet suspensus remanere, quia non habenti titulum suspensa est facultas celebrandi –. At relato in Sacra Congregatione praedicti Card. Carpinei suffragio, eadem die 8 maii 1706 uti habetur lib. 56 Decretorum pag. 168 sic respondit: – Sacra Congregatio, audita relatione Emi D. Cardinalis Carpinei Sanctissimi Domini Nostri in Urbe Vicarii, quoad petitam facultatem celebrandi instantiam remisit arbitrio Eminentiae Suae, ut desuper pro sua prudentia gerat statuat atque decernat, quod sibi magis in Domino videbitur expedire. In reliquis vero eadem Sacra Congregatio instantiam reiecit –. Ab anno 1706 usque ad annum 1720 nullum de hac Causa motum amplius fuit verbum in Sacra Congregatione; sed cum praedicto anno 1720 Nicolaus s. m. Clementem Papam XI per supplicem libellum exorasset, ut, vel Patribus Societatis demandaret congruae subministrationem, vel sineret Causam in Sacra Congregatione reassumi, preces fuerunt a Sanctitate Sua ad Sacram Congregationem remissae, et inter Summaria precum, quae ab Emo Praefecto expediebantur cum Secretario, responsum fuit die 13 iulii 1720 ad mentem, quae fuit, ut Secretarius ageret cum Patribus Societatis, ut titulo eleemosynae aliquid Oratori subministrarent. Cum promptissimam eorum voluntatem Secretarius invenerit quoad omne genus eleemosynarum, sed omnino alienam deprehenderit in casu, de quo agebatur, tum propter absolutionem, ab Sacra Congregatione, servatis servandis, a quacumque congruae subministratione reportatam, tum ratione exempli, quod in perniciem cederet totius Religionis, re ad Nicolaum delata, novus ab ipso recursus habitus est ad Summum Pontificem,

ut eius auctoritate Societas adigeretur ad congruam subministrandam; remissisque etiam hisce precibus ad Sacram Congregationem, nec in Summariis, quae expediebantur inter Praefectum et Secretarium, sed in plena Congregatione, proposita fuit inter supplices libellos, qui in ea leguntur, instantia, et die 2 augusti 1721 responsum fuit: - Lectum -. Nicolao autem nullatenus ex tot negativis responsis defatigato, et quotidianis accessibus instante, tam apud Emum Praefectum, quam ad Secretarium, ut iterum audiretur et sua Causa in folio proponeretur, re communicata cum Procuratore Patrum Societatis, die 13 septembris 1721 dictum fuit, quod audiretur.

17. Fundamenta Nicolai haec erant; primum, quod ipse ante expletum biennium a die ingressus in Religionem, et sic ante emissionem trium votorum simplicium fuit ad sacros Ordines promotus, absque eo quod Societatem iuvare posset Constitutio Gregorii XIII, quia S. Pius V in Const. 75 Bullar. tom. 2 voluit, quod dispositio Sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 2 de reformatione loquens de Clericis Secularibus extenderetur ad Clericos Religiosos non professos, et licet memoratus Papa Gregorius exemptos ab hac Piana Constitutione declaraverit Patres Societatis, declaratio tamen loquitur de illis, qui in Societate promoventur ad Ordines sacros, sed post biennium et post emissionem trium votorum simplicium, licet ante professionem, Garz. de Benef. part. 2 cap. 5 n. 13 et 29, Fornar. in tract. de ordin. cap. 8 n. 9. Secundum, quod iuxta demandata a Patre Generali, et a Societate nullatenus controversa, in tantum fuit Nicolao concessa facultas ascendendi ad Ordines sacros ante biennium et ante emissionem votorum simplicium, in quantum suppositum fuit, quod haberet Patrimonium, ad cuius titulum, ante ingressum in Societatem, fuisset prima tonsura initiatus, iuxta morem Civitatis Neapolitanae. Cum ergo nec Patrimonium adesset, nec in ordinatione ad primam tonsuram extra Societatem, nec in susceptione sacrorum Ordinum in Societate, ulla unquam facta fuerit mentio Patrimonii, clara dicebatur negligentia Patrum, quam idcirco luere debebant, congruam assignando Nicolao a sua Societate dimisso. Tertium, quod Patres Societatis ad effectum obtinendi, quod sui ante solemnem professionem initiari possent Ordinibus sacris, adversus citatam Bullam S. Pii V, se promptos et paratos obtulerunt ad assignandum cuilibet Ordinato in sacris et deinde ante professionem dimisso congruam sufficientem, ne cum dedecore characteris mendicare cogeretur; cumque oblatio haec fuerit ab Sacra Congregatione acceptata, et summa fuerit statuta in ducatis 40, ut colligi dicebat ex libris Sacrae Congregationis, quos oculis sapientissimorum Patrum Secretarius subiecit, de suo bono iure Nicolaus asserebat non esse dubitandum. Societas e contra sustinuit, se ad nihilum teneri; primo, quia Nicolaus fuit dimissus, ipso petente, ut ex dimissione desumebatur, et quatenus dimissio ex causa secuta fuisset, semper eo fortius crescebat assumptum exclusivum cuiuscumque assignationis. Secundo, quia quando agebatur de ordinatione Nicolai ante expletum biennium et emissionem trium votorum simplicium, semper ipse asseruit, se habere Patrimonium, et se fuisse prima tonsura initiatum ad titulum praedictum. Cumque dependenter ab hoc supposito, Pater Generalis dederit licentiam, ut ille sacros Ordines assumeret, et iuxta morem Civitatis Neapolitanae abstinendi a collatione tonsurae, nisi tonsurandus haberet Patrimonium in summa ducatorum 36 annuorum, Nicolaus tunc haberet domum sibi a Patre in seculo donatam, quoad usumfructum, ut ad Sacerdotium ascenderet, inferebatur ex hoc, Societatem non teneri ad ullam subministrationem, licet hic et nunc Nicolaus paupertate laboraret, et domum a Patre assignatam non haberet, exemplo Episcopi, qui ignorans qualitatem Beneficii, et reputans, illud esse tutum et sufficiens, ad eius titulum aliquem ordinavit, non tenetur aliquid ex iustitia contribuere pro substentatione Ordinati, si dictum Beneficium fuerit ab alio subsequenter evictum. Tertio, quia non subsistere dicebatur in facto, quod ad effectum obtinendi exemptionem a Bulla Piana Patres unquam obtulerint assignationem congruae favore eorum, qui dimitterentur, sed semper dixerunt, non esse timendum de eorum mendicitate, cum electi, ut plurimum, aut fortunae aut naturae bonis taliter essent praediti, ut vitam suam ho-

neste essent traducturi, ita ut quidquid adnotatum reperiebatur in Regestis Sacrae Congregationis referri dicendum esset, non ad resolutionem, sed ad privatam Secretarii adnotationem. Multoque magis, cum alii adfuerint eiecti, qui potissimum ex capite eorum, quae in Regestis adnotata dicebantur, insteterunt in Sacra Congregatione pro congrua obtinenda; cumque semper fuerint reiecti, nec aliquid consequi potuerint, uti signanter colligebatur ex his, quae contigerunt in famigerata Causa Georgii Vaccarini, de qua apud Pignatellium consult. 92 ad calcem tom. 10, signum evidentissimum hoc erat, nec oblationem Societatis habere subsistentiam, nec ullum adesse Decretum, quo Societas adigeretur ad congruam dimissis assignandam.

18. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 2 augusti 1721 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Neapolitana Congruae die 28 Februarii 1722.*

19. Praeterea Patres Societatis Iesu non tenentur ad publicas processiones accedere, etiamsi sint Clerici Regulares, et hoc ex privilegio s. m. Gregorii XIII *in Perusina lib. 2 Decretorum pag. 18 a tergo.*

20. Et quoad privilegia Societatis Iesu exemptiva a solutione decimarum videri potest S. Rota in Recent. decis. 276 n. 3 part. 11; et quoad punctum pertinentem ad eamdem Societatem, quod nimirum nec Religiosi in particulari nec Collegia seu Domus recipiant eleemosynas pro Missis, videri potest Suarez de Relig. tom. 4 lib. 4 cap. 7 a n. 8 *in Neapolitana die 8 Iunii 1726* §. *Quoad.*

21. Tenentur tamen ad solutionem decimarum praedialium pro bonis, de quibus, antequam ad eorum manus illa pervenirent, Laici decimas solvebant *in Poloniae die 17 Iunii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 485 et 488.*

22. Hinc Domus professa Iesuitarum est capax hereditatis, ad effectum tamen vendendi, non retinendi *in Neapolitana Hereditatis die 12 Iunii 1677 lib. 29 Decretorum pag. 446 a tergo.*

23. Quum itaque ex statuto Canonicus primo anno nullos percipiat fructus, sed post obitum integri anni proventus ad eiusdem spectent, si praefatus Canonicus in articulo mortis religiosam professionem emiserit, praedicti proventus Societati Iesu uti heredi, non vero Capitulo debentur *in Canarien. Fructuum die 12 Septembris 1739* (1).

24. Comprehenduntur tamen Iesuitae in Decreto de rebus Regularium non alienandis *in Romana die 31 Iulii 1627 lib. 13 Decretorum pag. 305.*

25. Iesuitis Belgii autem concessa fuit facultas a S. Congregatione alienandi bona Collegiorum pro solvendo aere alieno ad evitandum periculum, ne ab haereticis invaderentur *in Belgii die 2 et 16 Decembris 1645 lib. 17 Decretorum pag. 531 et 540.*

26. Quin imo attentis redituum tenuitate et Patronorum consensu, Sacra Congregatio pluries permisit unionem Ecclesiarum parochialium Collegio Societatis Iesu *in Colonien. die 20 Septembris 1727 et in Legionen. et Astoricen. die 11 Aprilis 1739* (2).

27. Quod si absit necessitas, Sacra Congregatio id concedere renuit *in Aurien. Unionis die 26 Februarii 1707 lib. 57 Decretorum* (3).

IMMUNITAS ECCLESIASTICA

1. Clericus confugiens ad Ecclesiam vel Locum immunem gaudet immunitate loci *in Brundusina die 4 Februarii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 38.*

2. Hinc et Laicus confugiens, sive pro causa criminali, sive pro civili, ad Ecclesiam vel Locum immunem, ibique commorans tamquam in propria domo, gaudet immunitate loci, iuxta declarationes super controversiis iurisdictionalibus *in Neapoli-*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonici*, §. III, n. 187 et 188, Tom. IV.

(2) Species et resolutiones harum Causarum prostant in Verb. *Ecclesia parochialis*, §. VIII, n. 191 ad 195, Tom. IX.

(3) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Ecclesia parochialis*, §. VIII, n. 196, Tom. IX.

tana die 22 Iulii 1634 lib. 15 Decretorum pag. 80.

Item *in Turritana die 3 Februarii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 263.*

3. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, delinquentes ad domum Iudicis ad universitatem Causarum appellationum in Regno Sardiniae a Papa deputati confugientes, non posse impune extrahi ab aliis Iudicibus sive Ordinariis sive Delegatis, sive per Curiam secularem, sive per Curiam ecclesiasticam *in Turritana Iurisdictionis die 2 Aprilis 1672 lib. 27 Decretorum.*

4. Unde ad id, quod ad Canonum intemerata praecepta servanda Episcopus retulit de eo, qui ad Ecclesiam confugerat, exindeque ut diutius servaretur ad carceres Ecclesiae nomine retinendus delatus fuerat, et nihilominus ad triremes fuit condemnatus, censuit Sacra Congregatio, Episcopum debere, facto processu, etiam per censuras procedere, ut immunitas ecclesiastica sarta tectaque servetur. In altero etiam casu, quo seculare Tribunal fugitivum ad Ecclesiam immunitate gaudere declaravit, debere etiam Episcopum processum conficere et ecclesiastica immunitate gaudere declarare. Id tam in praemissis, quam in ceteris casibus, si obveniant, esse observandum *in Nicien. Visitationis sacrorum Liminum die 6 Augusti 1677.*

5. Sacra autem Congregatio mandavit, recurrendum esse ad Sacram Congregationem Immunitatis pro licentia, quando a seculari Iudice requiruntur depositiones eorum, qui degent in Xenodochiis *in Nicien. Visitationis sacrorum Liminum die 6 Augusti 1677.*

6. Hinc nec dubium, quin etiam immunitate ecclesiastica gaudeat Ecclesia olim Cathedralis, sed in praesens sita et clausa in Principis Palatio absque ostio publico; quandoquidem Sacra Congregatio respondit, immunitate ecclesiastica gaudere Ecclesiam olim Cathedralem, in qua adhuc ex Indulto Apostolico multae Missae quotidie celebrantur, licet sitam et clausam in Castro et Palatio Principis, nec habentem ostium publicum, sed tantum ex dicto Principis Palatio *in S. Angeli Bisacciarum die 2 Iunii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 508.*

7. Quum autem Episcopus suspensum a divinis declaraverit Sacerdotem, ex eo quod in festivitate Paschatis Resurrectionis contra praescriptum Constitutionum Synodalium Missam celebraverit in Ecclesia seu Oratorio, quod privatum, non publicum renunciabat, ob idque praedictam Ecclesiam seu Oratorium ecclesiastico supposuerit Interdicto, Sacra Congregatio declaravit, Ecclesiam esse publicam, licet haberet aditum immediatum in plateam muro circumdatum, facta tamen per possessorem Ecclesiae in publico instrumento declaratione, se nullum ius habere in Atrio sito ante Ecclesiam, nec non quod claves Ecclesiae et areae praedictae retinerentur a Cappellano, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro declaratione, quod area non gauderet immunitate, nec non constare de nullitate et iniustitia Interdicti et respective suspensionis a divinis *in Savonen. die 28 Iulii et die 9 Septembris 1724.*

8. Siquidem in Constitutionibus Synodalibus Diaecesis Savonensis editis anno 1627 haec habebantur: – In Oratoriis autem, in quibus concessa fuerit licentia generaliter celebrandi Missam, nunquam intelligatur concessa in diebus solemnibus, scilicet Nativitatis Epiphaniae Paschatis Resurrectionis Ascensionis Pentecostes Corporis Christi Assumptionis Beatae Mariae Virginis omnium Sanctorum et Patroni Ecclesiae parochialis, in cuius districtu dicta Oratoria sunt –. Consimilia habebantur in Constitutionibus Synodalibus anni 1667, in quibus haec alia verba addebantur: – Sicuti nec etiam in triduo Passionis Domini Nostri, quod si in aliquo ex his diebus quis ausus fuerit celebrare, Oratorium quidem ipso facto ecclesiastico subiaceat Interdicto, Sacerdos vero, qui celebraverit, suspensionis poenam ipso facto incurrat –. Sed obtentu, quod Sacerdos Petrus Pratus Capellanus Ecclesiae S. Mariae de Areneto, qui anno 1723 abstinuerat a celebranda Missa in praedicta feria quinta Maioris Hebdomadae, Missam in eadem Ecclesia celebraverit, nulla obtenta licentia, in proxima festivitate Paschatis Resurrectionis, Episcopus Savonensis eum declaravit suspensum a divinis, et Ecclesiam S. Mariae de Areneto ecclesiastico supposuit Interdicto, et quia tutus ad praedictam Ecclesiam non dabatur accessus, ut in eius portis affigi posset Interdictum, idem Episcopus demandavit

Parochis loci Varazzae, ut illud inter Missarum solemnia publicarent, et in portis suarum Ecclesiarum affigerent. Appellatio fuit a Sacerdote nec non a Senatore Ambrosio Imperiali, ad quem dicta Ecclesia pertinebat, interposita ad Tribunal A. C., Causaque subinde remissa ab Auditore Sanctissimi ad Sacram Congregationem, datae fuerunt iuxta morem Literae ad Episcopum, ut informaret. Episcopus retulit, se ad suspensionem et Interdictum devenisse in executionem Constitutionum Synodalium, et praecipue cum dubitari non posset, quod Ecclesia S. Mariae de Areneto non esset sub illis comprehensa, licet enim antiquioribus temporibus iuxta communiorem opinionem fuerit Ecclesia Monialium, Monialibus tamen seculo decimo quarto ad alium locum translatis, transiit ad laicos, et in praesens pertinebat ad Senatorem Imperialem concludendo, quod quidquid esset de statu antiquo, in statu certe praesenti reputari non poterat Ecclesia, sed Oratorium, cum antiqua ianua, per quam patebat aditus in viam publicam, in praesens esset clausa, cum ulterius versus medium eadem Ecclesia esset quodam muro divisa, et demum in latere ipsius Ecclesiae aperta in praesens esset quaedam porta, per quam patebat aditus non in viam publicam, sed in atrium seu *cortile* palatii Senatoris Imperialis, quod erat muris circumdatum, ita ut ingressus a via publica ad Ecclesiam non daretur, nisi mediante ostio praedicti Atrii sive Cortilis. Scribentes itaque pro Promotore fiscali contenderunt, nullum momentum esse constituendum vel in administratione Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, vel in asservatione Olei Infirmorum in memorata Ecclesia sive Oratorio, aut demum in praeterita observantia, iuxta quam Missae in eadem celebratae dicebantur etiam festis solemnibus, tum quia Sacramentorum administratio facta erat de licentia Parochi, tum quia memorata observantia nec poterat esse declarativa nec praescriptiva: non declarativa, quia nimis clara erat litera Constitutionum Synodalium; non praescriptiva, tum quia non erat formiter probata, tum quia aderant intermediae conquestiones Episcoporum, ac demum concludebatur, quod sive Aedes sacra S. Mariae de Areneto esset Ecclesia publica, sive Oratorium privatum, nunquam in ea poterat celebrari Missa diebus Paschalibus, eo quod dicta Aedes pertinebat ad Senatorem Imperialem, et Constitutiones Synodales prohibebant celebrationem – in Oratoriis secularium quocumque nomine appellatis –.

9. Scribens e contra pro Senatore et pro Sacerdote Capellano plura congessit ad suadendam nullitatem suspensionis et Interdicti; et in eo, quod attinebat ad qualitatem, an Aedes sacra S. Mariae de Areneto esset Ecclesia publica vel Oratorium privatum, a qua circumstantia pendebat etiam iustitia suspensionis et Interdicti, pluribus suadere conatus est, dictam Aedem sacram esse publicam Ecclesiam, ita ut exempta dici deberet a dispositione Constitutionum Synodalium, quae erant coarctatae ad privata Oratoria, nec praetendi poterat, quod extenderetur ad Ecclesias publicas, in quibus Missae diebus etiam solemnioribus iure suo celebrantur. Nam primo, attento statu antiquo, si Aedes sacra erat Ecclesia Monialium, eadem utique esse non poterat Oratorium privatum, sed publica Ecclesia; secundo eadem Aedes sacra fuerat per unctionem Chrismatis in muris consecrata; tertio adhuc in praesens prope eam aderat campanile cum campana fusa usque de anno 1011; quarto in ea existebant quatuor Altaria; quinto de assensu Parochi S. Ambrosii Terrae Varaginis in eadem conservari assuevit Oleum Sanctum; sexto Capellanus in ipsa vices Parochi quodammodo gerebat, administrando Sacramentum Poenitentiae et Sacramentum Eucharistiae; septimo in ea publicae festivitates celebrabantur, accedentibus praecipue habitatoribus Areneti et aliorum locorum et Villarum adiacentium, nec non Confraternitatibus ad colendam antiquam Crucifixi Imaginem in uno ex Altaribus ipsius collocatam; octavo anno 1722 Missa, vidente Parocho Varaginis et non contradicente, celebrata fuit in ea a Capellano nocte Nativitatis Domini, et Missae pariter in praeteritum fuerunt celebratae diebus solemnioribus etiam post editas Constitutiones Synodales; ultimo demum s. m. Clemens XI per suas Literas Apostolicas in forma Brevis die 21 februarii 1705 Senatori Imperiali indulsit, ut

quaedam Missa quotidiana, quae Romae celebrari debebat pro defunctis in Altari privilegiato, celebrari posset in Aede S. Mariae de Areneto, quam vocavit Ecclesiam, superaddita expressione commoditatis Christifidelium, ad eamdem Ecclesiam devotionis gratia confluentium. Ad partes posito, quod Ecclesia versus medium esset quodam muro divisa et quod clausa fuerit antiqua ianua, per quam patebat aditus ad viam publicam, et aperta in praesens reperiretur quaedam ianua Ecclesiae, quae tendebat ad atrium Palatii Senatoris, quod Atrium erat muris circumdatum, loquendo quippe de muro, dicebatur, illum elevatum fuisse non ad tollendam communicationem Ecclesiae cum via publica, sed ad sustinendum tolum, cuius imminebat ruina; et sermonem habendo de reliquis, subdebatur, antiquam Ecclesiae ianuam, quae in praesens clausa erat, nunquam habuisse immediatum aditum ad viam publicam, sed ad Atrium sive plateam antiqui Monasterii, quae erat muris circumdata, ita ut tota differentia, intercedens inter statum antiquum et statum praesentem, non esset in hoc reponenda, quod antiqua Ecclesia haberet aditum immediatum ad viam publicam, nisi per Atrium sive plateam Ecclesiae contiguam, sed in hoc alio, quod iuxta statum antiquum patebat a via publica ad Ecclesiam aditus per duplicem plateam et per duplicem Ecclesiae portam, quando in praesens a via publica patebat accessus ad Ecclesiam per unam tantum plateam et unam tantum Ecclesiae portam. Addiderunt scribentes pro Senatore, praesentem Ecclesiae ianuam non distare ab antiqua, nisi per viginti passus, et accedentes ad Ecclesiam posse in eam ingredi, absque eo quod palatium Senatoris ingrederetur, nec locum situm ad Ecclesiam et muris circumdatum appellari posse cortile palatii, sed potius denominandum Ecclesiae plateam, nec muri circumdarium operari posse, quod Ecclesia habens aditum immediatum in dictam plateam muro circumdatam desineret esse publicam, et transiret in naturam Oratorii privati, cum etiam in Urbe haberentur publicae Ecclesiae SS. Dominici et Xisti S. Cosmatis S. Alexii S. Laurentii in Perpenna, quorum portae non habent ingressum per viam publicam, nisi per locum muris circumdatum.

10. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Aedes sacra S. Mariae de Areneto sit Ecclesia publica, vel Oratorium privatum in casu etc. II. An constet de nullitate et iniustitia Interdicti et respective suspensionis a divinis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 iulii 1724 respondit: – Dilata, et fiat planta iudicialis, et addatur dubium iuxta mentem –. Impetrata autem nova audientia a succumbentibus, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Praevio recessu a decisis, Ecclesiam esse publicam, facta tamen per Senatorum Imperialem in publico instrumento declaratione, se nullum ius habere in area sita ante Ecclesiam, nec non quod claves tam Ecclesiae, quam areae praedictae retineantur a Capellano, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro declaratione, quod area non gaudeat immunitate. Et quoad secundum, Affirmative; et amplius – *in Savonen. die 9 Septembris 1724.*

11. Quin imo proposito dubio: – V. An alienatio seu donatio in Clericum Secularem seu Regularem vel Locum pium censeatur facta in potentiorem, ita ut bona alienata vel donata gaudeant ecclesiastica immunitate? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, alienationem seu donationem huiusmodi non censeri factam in potentiorem, et bona alienata seu donata gaudere immunitate ecclesiastica, iuxta tamen decisionem in Brundusina Gabellae coram Poenia et in Alben. coram Merlino (1) *in Vercellen. die 21 Martii 1643.*

(1) Decisio in *Brundusina Gabellae* coram Poenia lata fuit die 13 februarii 1604 in ordine decis. 1079, ubi S. Rota censuit, sententiam Curiae Brundusinae non esse confirmandam, quia in iudicio pronunciaverat, – quod Clerici per decennium praeteritum tribus tertiis solvere in rebus emptis et donatis tenerentur, et in futurum quoad possiderent, excepto ad titulum Ordinis sacri, non tamen in fraudem, et pro debitis contractis bona empta et donata et patrimonialia transivisse cum oneribus suis, et Clericos teneri contribuere, non tamen si donatores et venditores fuissent solvendo; rursus eosdem Clericos teneri pro bona tenentibus contribuere, donec pervenirent ad Ordines sacros de bonis donatis ad titulum Ordinis –. Voluit enim Rota mature considerare et intelligere naturam bonorum, super quibus imponuntur dicta onera, et similiter na-

12. Bona vero in fraudem Loco pio donata non sunt immunia ab oneribus etiam extraordinariis; siquidem proposito dubio: – VI. An donatio, quam facit Laicus Loco pio, ut effugiat solutionem onerum, et sibi servet ad vitam pensionem fere aequivalentem fructibus subsistat, ita ut bona ab oneribus extraordinariis sint immunia? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, praevia declaratione Episcopi super fraude donationis, huiusmodi bona donata non esse immunia ab oneribus etiam extraordinariis – *in Vercellen. die 21 Martii 1643.*

13. Alias quippe Sacra Congregatio censuit, iniungendum Legato atque Rectori Avenionensi, ut assistere ac praesto esse velint Episcopis, dum pro repetione bonorum suae Ecclesiae procedunt contra Locumtenentem Capitaneum, a praedecessore Episcopo, ob violationem iurisdictionis et immunitatis ecclesiasticae excommunicatum, atque de hoc etiam cum Card. Legato agendum esse *in Vasionen. Visitationis sacrorum Liminum die 25 Augusti 1637.*

14. Ceterum contra Officiales Principum secularium immunitatem ecclesiasticam laedentes, Episcopus iure sibi competenti uti debet ac prudenti zelo iuris remediis, servatis servandis, immunitatem ecclesiasticam tueri *in Civitatis Castellanae die 26 Augusti 1628.*

15. Quum autem pro conservatione immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae valde conculcatae petierit declarari Episcopus, non posse directe neque indirecte Ecclesiasticos impedire, quominus vendant et extrahant, non autem ex Statu Ecclesiae neque mari frumenta aliosque suos proventus, neque posse Exactores Camerales executiones reales et personales facere in Ecclesiasticos absque Episcopi facultate et licentia, cumque postulaverit etiam Episcopus, ut a temporali Superiorum seu Gubernatorum Satellitum Capitaneo daretur una vice pro cunctis licentia, ut requisitus de brachio seculari suum praeberet officium absque alia licentiae petitione et sine causae significatione ab Ordinario facienda, Sacra Congregatio rem remisit ad Sacram Congregationem super controversiis iurisdictionalibus *in Maceraten. Visitationis sacrorum Liminum die 26 Aprilis 1664.*

INDULGENTIA PLENARIA ET PARTIALIS

1. Praelati Inferiores non habent facultatem concedendi Indulgentias, quum ius concedendi Indulgentias expresse ipsis fuerit ademptum in Cap. *Accedentibus* de excess. praelatorum *in Aquilana Iurisdictionis die 18 Iulii 1761* §. *Immo.*

2. Ea tamen facultas ex praesumpta delegatione Papae acquiri posse videtur per quadragenariam consuetudinem, ut tenent Fragos. de potestat. Roman. Pontif. quoad Indulg. lib. 2 part. 2 disp. 4 §. 1 sub n. 11, Rodrig. in Sum. lib. 7 de Indulg. Cap. 31 §. 4

turam onerum fiscalium; cum ergo impositiones censuum, de quibus agebatur, non essent onera certa et ordinaria nec talia, quae vere et proprie dicerentur realia Clerici et Ecclesiae, ad quos ista bona pervenerunt, non tenentur ad eorum solutionem. Nec aliter iudicium fuit de solutionibus fiscalibus. Idcirco iure ac merito S. Rota sententiam Curiae Brundusinae revocavit.

Altera decisio *in Alben. Gabellae seu Onerum* coram Merlino emanata fuit die 28 iunii 1630 in ordine 902, relata in fine tom. II inter decisiones omissas, ac etiam impressa inter Recentiores part. 4 decis. 339. In hac magistrali decisione definitur, bona ecclesiastica et ecclesiasticorum libera esse immunia a collectis tributis et oneribus impositis per Communitates et Principes laicos; atque demonstratur, immunitatem ecclesiasticam non a iure positivo, ut quidam minus vere putarunt, sed a iure ipso divino originem suam agnoscere, nec non traditur docta distinctio ac deciditur, quando Ecclesia teneatur et quando secus ad solutionem tributorum de bonis, in quibus imposita erant tributa laicalia, antequam ad eam transirent. Hinc factum est, ut Rota exinde hanc decisionem pluries sequuta fuerit, et signanter in Barchinonen. Exemptionis 20 iunii 1656 coram Coccino decis. 2196 tom. 5. Qua de re Card. De Luca in lib. 2 de regalibus disc. 50 n. 1 sermonem habens de praedictis decisionibus in Brundusina et Alben. ac de distinctione in Romana Curia et Congregatione immunitatis receptissima inquit: – Ut praedictae decisiones in materia sunt magistrales, quod scilicet in Ecclesiasticos transeunt solum onera vere realia perpetua invariabilia et fixa, quae principaliter solvuntur propter ipsas res, non propter personas, secus autem mixta, imposita personis propter res, quod desumitur, ubi sunt temporalia sua variabilia –.

lit. P *in Aquilana Iurisdictionis die 18 Iulii 1761* §. *Immo.*

3. Idcirco multo fortius acquiri posse videtur ex quadragenaria praescriptione facultas easdem Indulgentias a Papa concessas publicandi, quae certe minor est ipsa concessione, et quam acquiri posse ex consuetudine in terminis Superiorum Regularium firmat Clericat. de Sacrament. poenit. decis. 20 n. 21 tom. 3 *in Aquilana Iurisdictionis die 18 Iulii 1761* §. *Immo.*

4. Verum huiusmodi praescriptionem omnino improbant Card. Petra ad Constit. 4 Calixti III sect. 2 n. 96 et 98 tom. 5, Nicol. in prax. lib. 1 tit. 31 de offic. Ordin. n. 13, et lib. 5 tit. 38 de poenit. et remiss. n. 5 *in Aquilana Iurisdictionis die 18 Iulii 1761* §. *Verum.*

5. Indulgentiarum autem concessio, pertinens ad potestatem iurisdictionis, potest cuicumque a Papa delegari, D. Thom. in 4 distinct. 20 quaest. 1 art. 4 ad 7, Fagnan. in Cap. *Accedentibus* de excess. Praelat. n. 11, et Navarr. de Iubil. et Indulg. notab. 31 n. 8 tom. 3 *in Aquilana Iurisdictionis die 18 Iulii 1761* §. *Defendit.*

6. Status tamen gratiae est necessarius pro acquisitione Indulgentiarum, sed status per confessionem non est necessarius, nisi in Bulla exprimatur, Reginald. in prax. fori poenit. lib. 7 quaest. 2 a n. 171, Bonacin. oper. moral. tom. 1 disp. 6 quaest. 1 punct. 5 proposit. 2 a n. 24 *in Albinganen. Concursus die 28 Augusti 1723* §. *Ultimum.*

7. Hinc post institutum a S. Francisco suum Ordinem Regularem cum plures Personae desiderarent ei nomen dare, idque esset impossibile vel saltem admodum difficile, ex quo nec domum aptam, nec Ecclesiam habebat, fuerunt a dicto Sancto exhibitae preces Abbati Benedictino Montis Subasii, qui eidem concessit parvam Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Angelorum de Portiuncula appellatam, uti habetur in celebri opere, cui titulus Speculum vitae S. Francisci Cap. 55. Acquisita a S. Francisco praedicta Ecclesia, idem Sanctus humillime a Deo postulavit plenariam Indulgentiam pro illis, qui suorum peccatorum ex corde poenitentes, praevia confessione sacramentali, eam visitassent, et a Deo fuerunt sui Servi preces exauditae, ita tamen, ut Indulgentiam postularet ab Honorio III Summo Pontifice, qui anno 1223 perpetuam concessit Indulgentiam illis, qui post confessionem sacramentalem parvam eam Ecclesiam visitassent a Vesperis primi diei mensis augusti usque ad Vesperas diei sequentis, uti legitur in secundis lectionibus Breviarii Franciscani pro die 2 augusti; atque latissime comprobatur ex testimonio Petri Calfani, qui Sanctum Franciscum praedicantem audivit et dictam Indulgentiam publicantem, et duorum aliorum Religiosorum, Benedicti videlicet et Rainerii de Aretio, qui retulerunt, anno 1277 se rem totam intellexisse a Patre Matthaeo de Marignano socio S. Francisci, quae omnia continentur in antiquo monumento Bibliothecae Colbertinae edito a Stephano Balutio in miscell. lib. 4 pag. 491, et concordant Sancti Bernardinus Senensis serm. 9 de cultu Sanctissimae Trinitatis in Dominica Quadragesima art. 3 cap. 2, et Antonius 3 part. hist. tit. 24 cap. 7 §. 4, cum aliis probatis historicis, quos plena manu De Lambertinis Secretarius S. Congregationis postea Benedictus XIV cumulavit in discursu ab ipso impresso primum Romae et deinde Fulginei et postmodum Venetiis anno 1720 *in Ordinis S. Francisci die 20 Novembris 1723* §. *Post* §. *Acquisita* §. *Atque.*

8. Tractu temporis pia quaedam invaluit opinio, quod praedicta Indulgentia non esset restricta ad unam diem naturalem cuiuscumque anni, a vesperis videlicet Kalendarum augusti ad vesperas sequentis diei: ex authentico quippe testimonio Massei Bardi Episcopi Closini desumebatur, Summum Pontificem Paulum III anno 1544, dum in Civitate Perusina commorabatur, declarasse, quod Christifideles Capellam Portiunculae ingredientes qualibet die Indulgentiam consequerentur, uti consequebantur Kalendis augusti, quemadmodum plene habetur in opere Octavii Episcopi Assisiensis, cui titulus *Lumi serafici di Porziuncula,* quocirca apposita fuit super Capella sequens inscriptio: – Augusti hic veniam dat tibi quaeque dies –. At instituta formali disputatione in Congregatione Sanctissimae Inquisitionis, an saepe memorata Indulgentia esset revera restricta ad diem supra relatam, vel esset potius quotidiana, die 3 octobris anno 1691 sic respon-

sum fuit: – Facta relatione per Oratorem Magistrum Bernardinum Ordinis Praedicatorum de iuribus hinc inde deductis a Patribus Ordinis Minorum Conventualium et Minorum de Observantia respective super praetensa Indulgentia perpetua et quotidiana tamquam concessa a Paulo III Ecclesiae S. Mariae Angelorum Fratrum Ordinis Minorum de Observantia, Emi Domini, praedictis iuribus visis et auditis, dixerunt, ex hactenus deductis non constare de dicta Indulgentia perpetua, et proinde abradendam seu removendam esse inscriptionem super ianua Capellae Ecclesiae S. Mariae Angelorum Assisii, scilicet: « Augusti hic veniam dat tibi quaeque dies: » –; et in huius Decreti executionem abrasa fuit praedicta inscriptio, uti plene refertur ex authenticis documentis in opere edito a Pompeio Binio anno 1721, cui titulus: *La verità scoperta* tit. 6 §. 9. Et licet anno 1695 s. m. Innocentius Papa XII plenariam et quotidianam concesserit Indulgentiam omnibus Christifidelibus, qui poenitentes et confessi et sacra Communione refecti visitassent Ecclesiam S. Mariae Angelorum et Ecclesiam S. Francisci sitam in Civitate Assisiensi, uti habetur in eius Constitutione 49, et in sequenti Constitutione 50 in suo parvo Bullario, haec nihilominus Indulgentia quotidiana plenaria in pluribus differt ab Indulgentia Portiunculae, uti late ostenditur in citato discursu §. 2 praedicti De Lambertinis, et prosequitur Pompeius Binius citato tit. 6 §. 11 *in Ordinis S. Francisci die 20 Novembris 1723* §. *Tractu.*

9. Indulgentia Portiunculae fuit a Summis Pontificibus extensa ad omnes Ecclesias Fratrum et Monialium Ordinis S. Francisci, iuxta Apostolicas Constitutiones relatas apud Lantuscam in Theatro Regularium verbo Indulgentia, et apud Wadingum in annal. ad annum 1223 n. 3; cumque pius mos inoleverit pluries ingrediendi et visitandi tam Capellam Portiunculae sitam in Ecclesia S. Mariae Angelorum, quam reliquas Ecclesias Ordinis Fratrum S. Francisci Vesperis Kalendarum augusti usque ad Vesperas sequentis diei, sub obtentu dictam Indulgentiam lucrifaciendi quolibet ex dictis ingressibus, idque Episcopo Labacensi difficile visum fuerit, ex quo Indulgentia concessa illis, qui aliquam Ecclesiam certis diebus visitant vel aliud pium opus peragunt, non acquiritur nisi semel dumtaxat in die, querela Episcopi delata ad Sacram Congregationem, – pergunt Fratres Ordinis S. Francisci Reformatorum Provinciae Carniolae Populo persuadere Indulgentiam pro die 2 augusti de Portiuncula nuncupatam eorum Ecclesiam visitantibus concessam toties, quoties eadem die lucrifieri posse –, Sacra Congregatio die 17 iulii 1700 post auditas informationes Procuratoris Generalis et Ministri Provincialis censuit, – servandum esse solitum – *in Ordinis S. Francisci die 20 Novembris 1723* §. *Indulgentia.*

10. Unde quum non obstante huiusmodi Decreto Sacrae Congregationis adhuc essent, qui asserebant, Indulgentiam non acquiri, nisi semel dumtaxat in die, Sacra Congregatio iterum mandavit, ut servaretur solitum *in Ordinis S. Francisci die 4 Decembris 1723.*

11. Siquidem nonnulli Parochi tam publice, quam privatim asserebant, saepe memoratam Portiunculae Indulgentiam acquiri quidem a visitantibus Ecclesias Ordinis S. Francisci a Vesperis Kalendarum augusti ad Vesperas diei sequentis, sed semel tantum in dicta die, ita ut toties repetitus eadem die accessus ad memoratas Ecclesias et ingredientibus et visitantibus non prodesset, ut pluries in eadem die Indulgentiam lucrarentur, et Sacrae Congregationis responsum, quo dictum fuit, – servandum esse solitum –, sic interpretabantur, ut relationem haberet non ad acquisitionem Indulgentiae pro quolibet ingressu in Ecclesiam, sed ad consuetudinem, iuxta quam non acquirebatur, nisi semel dumtaxat in die Indulgentia concessa visitantibus certis diebus determinatam Ecclesiam, vel aliud opus pium peragentibus; haec autem interpretatio nimis absona videbatur Ordini Sancti Francisci, tum quia Decretum de lucrifacienda semel dumtaxat in die Indulgentia, concessa visitantibus Ecclesiam certis diebus, editum fuit die 7 martii 1678, et eo minime obstante Sacra Congregatio noluit deferre querimoniis Episcopi Labacensis, qui Patres Reformatos accusaverat, quod falso persuaderent, Indulgentiam Portiunculae posse lucrifieri a Christifidelibus toties, quoties die 2 augusti ipsorum Ecclesiam visitassent, uti colligitur ex

Decreto supra memorato edito die 17 iulii 1700, tum quia cum Indulgentia Portiunculae prosit etiam animabus defunctorum, iuxta Literas Apostolicas s. m. Innocentii XI impressas apud Mattheuccium in Official. Curiae Cap. 26 n. 7, nihil prohibet, quin eadem Indulgentia pluries eadem die applicetur modo pro una, modo pro alia anima in Purgatorio existente. Instante itaque Procuratore Generali Ordinis S. Francisci Minorum Observantium, ut aliquando dissentionibus finis imponeretur, proposito dubio: – An Decretum huius Sacrae Congregationis editum die 17 iulii 1700, quo dictum fuit, servandum esse solitum, ita sit intelligendum, ut Indulgentia Portiunculae acquiri possit a Christifidelibus a vesperis Kalendarum augusti ad vesperas diei sequentis non semel, licet pluries debitis intercedentibus requisitis Ecclesias Ordinum S. Francisci pluries visitaverint, sed toties, quoties easdem Ecclesias dicta die debitis intercedentibus requisitis visitaverint? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Servetur solitum – *in Ordinis S. Francisci die 4 Decembris 1723.*

12. Quin imo Indulgentiae concessae Tertio Ordini Seculari S. Francisci a Summis Pontificibus non comprehenduntur in prohibitione seu revocatione contenta in Constitutiones.m. Pauli V, cuius initium: – *Romanus Pontifex,* in ordin. 21 edita de anno 1606, nec aliter anno 1686 Sacra Congregatio Indulgentiarum delacravit quoad Tertium Ordinem Secularem S. Francisci de Paula *in Dubium Indulgentiarum die 24 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.*

13. Iamvero – stante Constitutione s. m. Pauli V incipien. *Romanus Pontifex*, edita de anno 1606 (1) inter suas in ordine 21, qua revocantur omnes Indulgentiae quibuscumque Ordinibus et Institutis Regularibus etiam Mendicantibus concessae, universi Patres Tertii Ordinis Secularis S. Francisci vulgo nuncupati de Poenitentia Hispaniarum et Indiarum, per supplicem libellum a Sanctissimo Domino Nostro remissum, instant declarari, an dicta Constitutio comprehendat quoque et intelligenda sit de Indulgentiis eidem Tertio Ordini Seculari concessis, super quo, exquisito voto Emi Gabrielli, Eminentia Sua, re perpensa, illud doctissime aperiendo, censet, dictam Constitutionem, utpote loquentem de Religionibus Monasticis, et quae claustralem observantiam per trium solemnium votorum emissionem profitentur, ut ait, clare deprehendi ex §§. 4 5 6 18 et 19 eiusdem, non esse applicabilem huic Tertio Ordini, qui est mere secularis, nec dictam solemnitatem votorum admittit, et hoc ipsum comprobatum remanere ex quadam resolutione Sacrae Congregationis Indulgentiarum, quae in simili casu, ad instantiam cuiusdam Religiosi, proposito dubio pro Tertio Ordine S. Francisci de Paula, an in dicta generali revocatione Indulgentiarum comprehendantur personae, quae substantialia vota Religionis non emittunt intra vel extra claustra degentes, anno 1686 respondit, non comprehendi, quae declaratio subinde in forma specifica confirmata fuit a s. m. Innocentio XI. His igitur stantibus, EE. VV. sapientissime definient: – An dicta Constitutio revocatoria Indulgentiarum s. m. Pauli V comprehendat quoque et intelligenda sit de Indulgentiis dicto Tertio Ordini Seculari concessis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative quoad Indulgentias directe concessas eidem Tertio Ordini – *in Dubium Indulgentiarum die 24 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.*

14. Quum autem exinde dubitaretur, an Indulgentiae concessae prius Regularibus Claustralibus utriusque sexus S. Francisci, postea per Summos Pontifices, non vero per Reli-

(1) Sane die 23 maii 1606, ut in Bullar. Rom. tom. 5 part. 5 pag. 207, dum nova fit Indulgentiarum concessio, §. 19 aliae revocantur hisce verbis: – Ceterum omnes et singulas Indulgentias quibuscumque Ordinibus et Institutis Regularibus et quibuslibet Personis Regularibus tam vigore privilegiorum, quam vivae vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Apostolicam Sedem hactenus concessas confirmatas approbatas et innovatas auctoritate et tenore praedictis perpetuo revocamus cassamus annullamus et abrogamus, et ad praesentium nostrarum Literarum praescriptum reducimus et moderamns –.

Hanc Constitutionem declaravit altera Benedicti XIV 15 martii 1751, cuius initium *Ad Romanum,* Bullar. eiusdem tom. 3, qui Indulgentias novas pro Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis Secularis S. Francisci Assisiensis concessit, ac alias concessas abrogavit, quum agitarentur animi Tertiariorum S. Francisci super Indulgentiis, dum praedictum Breve Pauli V Indulgentias Ordinum non dari, nisi iis, qui substantialia vota emiserint.

giosos Observantes, specialibus Constitutionibus ipsi Tertio Ordini per communicationem elargitae, dici possent directe concessae, Sacra Congregatio mandavit, ut exhiberentur Constitutiones originales *in Hispaniarum et Indiarum die 6 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum.*

15. Siquidem – dubitantibus tamen adhuc Fratribus praedictis, an Indulgentiae a principio Fratribus Regularibus sive Monialibus S. Francisci concessae, et per Summos postea Pontifices (non vero per Religiosos Observantes) specialibus Constitutionibus ipsi Tertio Ordini communicatae, dici possint directe concessae nec ne, iterum fuit exquisitum votum praedicti Emi Domini Cardinalis Gabrielli, qui, ex rationibus in eodem voto deductis, negative respondendum esse censet, quatenus tamen in eisdem Constitutionibus Apostolicis non adsint clausulae, quibus nedum per viam communicationis, sed etiam per modum directae ac principalis concessionis dictas Indulgentias eidem Tertio Ordini concedi exprimatur. Nunc igitur reliquum est, ut EE. VV. definiant: – An illae Indulgentiae concessae prius Regularibus Claustralibus utriusque sexus S. Francisci, postea vero per Summos Pontifices (non autem per Religiosos Observantes) specialibus Constitutionibus, ipsi Tertio Ordini per communicationem elargitae, dici possint directe concessae? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Exhibeantur Constitutiones originales – *in Hispaniarum et Indiarum die 6 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum.*

16. Alias amplia, etiam morientibus, qui sacrum divi Francisci habitum peterent, et cum eo post obitum sepelirentur, Indulgentias decreverunt Clemens IV Nicolaus III Urbanus V Alexander VI Leo X, teste Ferrar. in Biblioth. verb. Indulgentia art. 5 a n. 38, Xistus IV vero nedum piam hanc commendavit morientium voluntatem, sed eis quoque religiosum habitum exhiberi debere praecepit, et sub clausula – sublata – ac – Decreto irritanti – quamlibet abrogavit legem factam vel faciendam per Ordinarios locorum contra disposita in Bulla, ut in eius Constitutione 7 Kal. augusti 1479, quae in novissimo Bullario Mainardi tom. 3 part. 3 in ordine est 22 §. 9 *in Reatina die 5 Aprilis 1788* §. *Quid.*

17. Hinc Summi Pontifices passim Indulgentias concesserunt, quoties aliquo in loco miracula fierent, ac eo Populi multitudo confluerent; quandoquidem notum est, in Ecclesia Domus S. Crucis Ordinis Fratrum Praedicatorum de Observantia nuncupatorum Iavarinensis Diaecesis in Regno Hungariae conservari Hostiam sanguine conspersam, cum in dies evidentissima miracula fierent, propter quae Populi multitudo eo confluebat, Summus Pontifex Alexander VI in Constitutione 97 in Bullar. Fratrum Dominicanorum tom. 4 Indulgentiam largitus fuit. Praeterea in Ecclesia S. Mariae in Vado in Monasterio Canonicorum Congregationis Renanae Sanctissimi Salvatoris anno 1351 contigisse dicitur, ut Parocho Missam celebrante, subitaque detentatione perturbato atque haesitante, quonam pacto fieri posset vera Christi caro, dum secundum ritum Hostia elevaretur, quotquot aderant, Infantulum aspexisse, atque etiam in Missae progressu, fracta Hostia, tantum sanguinem emanasse, ut Capellae caelum totum sanguineis stellis fuerit conspersum; huius autem prodigii gratia Ecclesia fuit donis et oblationibus et spiritualibus Indulgentiis locupletata, tum a Gerardo et Ioanne Archiepiscopis Ravennae, tum a Summis Pontificibus Eugenio III Eugenio IV Paulo III Paulo IV S. Pio V Gregorio XIII. Clemens autem Papa VIII, Ferraria in suam ditionem vindicata, Sacratissimum Sanguinem saepe adoravit, Missamque in Ecclesia praefata celebravit *in Granaten. die 6 Maii 1775* §. *Certum.*

18. Unde Summus Pontifex ex sententia Sacrae Congregationis facultatem dedit D. Secretario eiusdem concedendi indultum Canonicis aliisque Beneficiatis residentiae adstrictis ad hoc, ut possent Romam accedere ad lucrandas indulgentias anni Sancti cum perceptione fructuum et distributionum quotidianorum *Pro anno Iubilaei 1675 lib. 28 Decretorum pag. 316.*

19. Qua de re Summi Pontifices etiam Confraternitates Doctrinae christianae pluribus cumularunt Indulgentiis, quas videre est recensitas a Monacellio in form. leg. part. 4 in supplem. ad tom. 2 a pag. 41 *in Ferrarien. Doctrinae christianae die 21 Iulii 1742* §. *Onus.*

20. Quum itaque in eodem loco alia fuerit erecta Confraternitas Sanctissimi Rosarii contra Constitutionem Clementis VIII, ex eo

quod altera praeexisteret, ob idque Rector Ecclesiae petierit revalidationem, Sacra Congregatio, attentis peculiaribus circumstantiis, resolvit, esse locum gratiae revalidationi praedictae Confraternitatis, et quoad Indulgentias agendum esse cum Sanctissimo *in Ulyssiponen. Occidentalis Confraternitatis die 7 Decembris 1720.*

21. Enimvero Ecclesia Patrum Dominicanorum Civitatis Ulyssiponensis Occidentalis licet ab antiquo tempore erecta reperiretur Confraternitas Sanctissimi Rosarii, circa annum nihilominus 1715 erecta fuit in Ecclesia S. Mariae Conceptionis, sita in via nova nuncupata *Dos ferros* eiusdem Civitatis Ulyssiponensis Occidentalis,alia Confraternitas Sanctissimi Rosarii, obtenta facultate a Patre Antonio Chlochae Ordinis magistro. Cumque Rector Ecclesiae Beatae Mariae Conceptionis de erectionis validitate dubitaverit, et Summo Pontifici supplicaverit pro revalidatione, quatenus praedictam Confraternitatem revalidare dignaretur, eique Indulgentiarum fruitionem de speciali gratia imperitiri dignaretur, instantiae examen fuit ad S. Congregationem remissum. Contendit itaque Confraternitas erecta in Ecclesia parochiali Sanctissimae Conceptionis, esse debere locum revalidationi; primo, quia agebatur de Confraternitate iam erecta, magna cum pompa et magna cum solemnitate, ita ut non sine scandalo proferri posset Decretum de eius abolitione; secundo, quia si quid obstare poterat revalidationi nihil aliud erat, quam Constitutio Clementis VIII 115 §. 2 Bullar. tom. 3, in qua demandatur, quod una tantum Confraternitas seu Congregatio eiusdem Instituti in unaquaque Civitate erigatur. Constitutionem hanc autem asserebatur non obstare, cum in eadem civitate Ulyssiponensi plures adessent Confraternitates eiusdem Instituti, et cum Civitas esset amplissima et magno Populi numero refecta, quibus concurrentibus circumstantiis, non obstante Bulla Clementina, dicebatur, esse posse in una eademque Civitate duas eiusdem Instituti Confraternitates, iuxta tradita per Card. De Luca de praeem. disc. 10 n. 2. Tertio, quia gratia revalidationis in consimilibus terminis iam admissa fuerat ab Sacra Congregatione in Valentina Societatis Rosarii 2 augusti 1687, ceu videre erat apud Monacell. in form. tom. 4 pag. 5 n. 2. Excepit e contra Confraternitas Sanctissimi Rosarii erecta in Ecclesia Patrum Dominicanorum, non esse locum revalidationi etiam per viam gratiae, cum haec revalidatio sibi esset praeiudicialis, et suum ius esset undequaque clarum, in cuius sequelam quando in una Civitate erecta est unius Instituti Confraternitas, alia eiusdem Instituti erigi non potest, uti late ad ornatum dictae Constitutionis firmant Capyc. Lat. decis. 169 a n. 43, Lezana in consil. impress. tom. 2 oper. moral. verb. Confraternitas a n. 28, Morant. resp. 3 per totum tom. 1; et cohaerenter ad haec in quadam Causa Neapolitana die 17 iulii 1683 Sacra Congregatio declaravit, posteriorem Confraternitatem Sanctissimi Rosarii erectam in Ecclesia Minorum Conventualium non substineri, cum in eodem loco alia Confraternitas eiusdem Instituti praeexisteret in Ecclesia parochiali. Nec obesse poterat praetensum scandalum, ex eo quod illud non existebat, vel contemnendum, cum clara esset dispositio Constitutionis Clementinae, quae neque distinguebat inter magnas et parvas Civitates, absque eo quod quidquam faceret consuetudo Civitatis Ulyssiponensis, cum non constaret, an memoratae Confraternitates haberent veram naturam et indolem Confraternitatum, et an fuerint erectae ante vel post dictam Constitutionem; et Causa, in qua scripsit Card. De Luca, extra rem erat, cum sacrorum Rituum Congregatio nihil aliud respondisset, nisi quod Confraternitas Sanctissimi Rosarii non erat erigenda Auctoritate ordinaria, sed auctoritate Patris Generalis Praedicatorum. Resolutio autem in Causa Valentina Societatis Sanctissimi Rosarii 2 augusti 1687, in qua Sacra Congregatio censuit, posteriorem Confraternitatem esse tolerandam, et quoad Indulgentias agendum esse cum Sanctissimo, non erat applicabilis; primo, quia agebatur de duabus Confraternitatibus erectis in binis Ecclesiis Patrum Dominicanorum, quae distabant inter se bis mille ter centum et quatuor passibus, uti colligebatur ex folio Sacrae Congregationis, quando in themate non agebatur de binis Confraternitatibus erectis in binis Ecclesiis Patrum Dominicanorum, et una Ecclesia distabat ab alia passibus mille

octo centum sexaginta et uno; secundo, quia in Causa Valentina secunda Confraternitas ab antiquiori tempore fuerat erecta, scilicet anno 1619, quando Confraternitas, de qua agebatur, fuit erecta anno 1715, et instantia pro abolitione in Causa Valentina fuerat proposita anno 1697, et oppositio contra revalidationem Confraternitatis, de qua res erat, fuit proposita anno 1719; et tertio tandem, quia in Causa Valentina Procurator Generalis Ordinis preces obtulit pro revalidatione secundae Confraternitatis, quae circumstantia in casu non occurrebat.

22. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus gratiae super revalidatione Confraternitatis Sanctissimi Rosarii in Ecclesia parochiali S. Mariae Conceptionis una cum concessione Indulgentiarum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Pro gratia revalidationis iuxta modum, et quoad Indulgentias agendum esse cum Sanctissimo – *in Ulyssiponen. Occidentalis Confraternitatis die 7 Decembris 1720.*

23. Breve autem Indulgentiae Altari privilegiato concessum et expeditum ea cum conditione, quod in Ecclesia quinque Missae celebrentur, non est exequendum, si de facto quolibet die dictae quinque Missae non celebrentur, etiamsi facto calculo omnium Missarum, quae in toto anno decursu in illa Ecclesia celebrantur, plusquam quinque possint qualibet die assignari *in Placentina seu Dubium Indulgentiarum die 6 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

24. Siquidem – supplicante Iosepho Maria Chiesa Archipresbitero parochialis Ecclesiae S. Ioannis Baptistae loci Vigulzoni, Sanctissimus Dominus Noster per suas Literas in forma Brevis in die Commemorationis omnium defunctorum et qualibet feria sexta eiusdem hebdomadae Indulgentiam Plenariam ad septennium valituram pro defunctis elargiri dignatus est, quoties aliquis eiusdem Ecclesiae sacerdos ad certum ibi designatum Altare, certis pariter in dicto Brevi praescriptis diebus, Missam defunctorum celebrat, sub expressa tamen conditione, quod « in ipsa Ecclesia quinque Missae quotidie celebrentur ». Cum vero conditio praedicta singulis diebus adimpleri non valeat, nam aliquoties contingit, ut ex decem Sacerdotibus, qui in dicta Parochia existere dicuntur, occasione incidentium in anno functionum, ad alias vicinas Ecclesias nonnulli accedant, et tunc in dicta Ecclesia parochiali duae solum vel tres et aliquando, licet rarissime, nullae Missae celebrentur, ipsius Archipresbiteri conscientiam quoad numerum dictarum quinque Missarum in vim praeemissae conditionis quotidie celebrandarum onerandam censuit. Ille igitur Sacrae Congregationi exponens, quod ducto calculo Missarum, quae in dicta Ecclesia annuatim celebrantur, earum numerus in dies singulos distributus statutum in dicto Brevi quinquenarium numerum dietim excedit, declarari petit, an per huiusmodi annualem celebrationem conditioni praefatae satisfieri possit, et, audito Episcopo, qui exposita confirmat, ab EE. VV. modo definiendum erit: – An sit locus executioni Brevis et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative in casu, de quo agitur – *in Placentina seu Dubium Indulgentiarum die 6 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

25. Unde Indulgentia Altaris privilegiati cum certo numero Missarum in Ecclesia Regularium remanet suspensa tempore Quadragesimae et Adventus, si, Religiosis ex causa praedicationis absentibus, haud numerus Missarum praescriptus compleatur, non remanet vero suspensa, si Religiosi occasione festivitatum vel funerum aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi mittantur, dummodo raro contingat; idque, quod dictum est de Ecclesiis Regularibus, pariter statuendum, deficiente praefixo numero Missarum, ob absentiam ab Ecclesiis Secularibus Canonicorum per aliquot dies et menses, nequaquam hinc praefata Indulgentia remanet suspensa, deficiente praefixo numero Missarum, ob infirmitatem Sacerdotum tam Secularium, quam Regularium *in Dubia Indulgentiarum die 30 Iulii 1701 lib. 51 Decretorum.*

26. Iamvero – cum in concessione Indulgentiarum Summus Pontifex soleat praefigere certum numerum Missarum celebrandarum qualibet die in Altari privilegiato, pro parte nonnullorum Religiosorum porrectus fuit Sanctissimo supplex libellus pro resolutione infrascriptorum dubiorum, quo ad Sacram Congregationem remisso, sub die 23 aprilis pro-

mixe praeterito rescriptum fuit: « Exhibeatur formula Indulgentiarum, et ponatur in folio: » In executionem huius Rescripti exhibetur formula Indulgentiarum, quae est tenoris sequentis: « Clemens Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae, Domini nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae ex Purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur, Ecclesiam Metropolitanam Mediolanensem, in qua nullum aliud Altare privilegiatum reperitur concessum, et in ea situm Altare S. Caroli hoc speciali dono illustrare, dummodo in dicta Ecclesia quinquaginta Missae quotidie celebrentur, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis secularis vel cuiusvis Ordinis Regularis Missam defunctorum pro anima cuiuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. In contrarium non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Datum etc.

Ad futuram etc. Omnium saluti etc. Volentes igitur Ecclesiam Conventus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Civitatis Tusculanae, in qua nullum aliud Altare privilegiatum etc., illustrare, dummodo in dicta Ecclesia quatuordecim Missae quotidie celebrentur, auctoritate etc. confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis secularis vel cuiusvis Ordinis Regularis Missam defunctorum in die Commemorationis dufunctorum et singulis diebus infra illius octavam ac secunda et sexta feriis cuiuslibet hebdomadae pro anima cuiuscumque Christi fidelis etc. », ut supra.

27. His igitur praehabitis, EE. VV. non dedignabuntur sapientissime de more respondere: – I. An absentibus Religiosis ex causa praedicationis tempore Quadragesimae et Adventus, vel quando occasione festivitatum vel funerum aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentiae concessae cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Missarum non fuerit adimpletus sint suspensae, vel potius remaneant in suo robore? II. An idem sit statuendum, deficiente praefixo numero Missarum, ob infirmitatem Sacerdotum tam Regularium, quam Secularium? III. An pariter idem sit statuendum, deficiente dicto numero Missarum, ob absentiam ab Ecclesiis Secularibus Canonicorum et Sacerdotum per aliquot dies et menses? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, quoad primam partem pro tempore Adventus et Quadragesimae remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat. Ad secundum, non remanere suspensas. Ad tertium, satis provisum in primo – *in Dubia Indulgentiarum die 30 Iulii 1701 lib. 51 Decretorum.*

28. Itaque controversia inter Doctores agitata, an ad consequendam Indulgentiam a Summo Pontifice Altaribus privilegiatis concessam, necesse sit in eis Missam defunctorum celebrare, an vero sufficiat aliam Missam dicere, quae pro offerente eleemosynam celebretur, et in qua pluribus rationibus affirmative respondet Fagnanus in Cap. *Quidem* de celebrat. Miss. a n. 13, ubi late ostendit, sufficere quamcumque aliam Missam, et in qua pro necessitate Missae de requiem late pugnat Amostaz de Caus. piis lib. 2 Cap. 5 a n. 45, cessat in casu, in quo Summus Pontifex, qui Altare privilegiatum concessit, sermonem fecit de Missis de requiem, – ut quandocumque Sacerdos aliquis Missam defunctorum pro anima cuiuscumque fidelis, Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur –; concurrente enim expressa voluntate Papae de celebrandis Missis de requiem, cessat controversia circa punctum, an sufficiat, aliam

Missam dicere, vel necesse sit Missam defunctorum celebrare pro lucrifacienda Indulgentia a Summo Pontifice Altaribus privilegiatis concessa, ut bene ponderant Diana oper. moral. part. 9 tract. 2 res. 8, Pasqualig. de sacrif. nov. leg. quaest. 731, Tamburrin. in method. celebr. Miss. lib. 2 cap. 7 §. 7, Bordon. de legat. cap. 7 a n. 48, Amostaz de Caus. piis tom. 1 lib. 1 cap. 5 a n. 7 *in Romana die 9 Februarii 1726* §. *Controversia.*

29. Quia vero non omnibus diebus Missae defunctorum seu de requiem celebrari possunt, nec enim celebrantur, quando occurrit festum duplex, iuxta rubricas generales ad titulum de Missis defunctorum, et iuxta resolutiones Sacrae Congregationis Rituum die 5 augusti 1662, quae pro Basilica Vaticana fuit confirmata per Literas Apostolicas in forma Brevis, editas ab Alexandro VII die 22 ianuarii 1677, ita ut in eadem Basilica non amplius celebrentur Missae de requiem in festis duplicibus, ut fuerat praescriptum a Sixto V in sua Bulla edita anno 1589: hinc ad avertenda praeiudicia suffragiorum applicandorum pro animabus Purgatorii, Alexander Papa VII in suo speciali Brevi, quod incipit: *Credita nobis,* decrevit, quod si ex Benefactorum institutione Missae pro defunctis celebrandae incidant in festum duplex, tunc ne dilatio animabus suffragia expectando detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicatur de festo currenti cum applicatione Sacrificii, et quod hoc ipsum servetur quoad Missas in Altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas. Clemens Papa IX in suo Brevi, quod incipit: *Cum felicis recordationis,* extendit hanc Alexandri VII dispositionem ad Altaria privilegiata, licet non in perpetuum, sed ad septennium, et non in omnibus, sed in aliquibus tantum hebdomadae diebus. Innocentius tandem Papa XI in suo Brevi, quod incipit: *Alias postquam,* declaravit, Brevia praedictorum Pontificum sibi debere locum vindicare pro omnibus diebus, quibus iuxta rubricas Missae defunctorum celebrari non possunt, et sic diebus Dominicis et infra octavam Paschatis Resurrectionis Pentecostes et Corporis Christi aliisque anni diebus, quibus licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missae defunctorum iuxta ritum Ecclesiae celebrari non possunt, et horum omnium Brevium fit mentio in Decreto impresso in celebri Missali typis edito Sacrae Congregationis de Propaganda fide, quae pariter Decreta sunt impressa in Bullar. s. m. Clementis XI pag. 570 n. 20 *in Romana die 9 Februarii 1726* §. *Quia* §. *Hinc* §. *Alexander* §. *Clemens* §. *Innocentius.*

30. Qua de re quum Summus Pontifex Altare privilegiatum concedens sermonem fecerit de Missis de requiem ad effectum consequendi Indulgentiam, Sacra Congregatio censuit, haud esse concedendam ratione solemnitatis facultatem satisfaciendi Missis de requiem cum celebratione Missarum votivarum *in Romana die 9 Februarii 1726.*

31. Siquidem in Ecclesia Beatissimae Virginis, quae in Urbe dicitur Montium, et quae administrabatur a Patribus, qui pii Operarii appellabantur, extabat Altare Sanctissimi Praesepe, quod ex Indulto Pontificio erat omni die privilegiatum, cum Paulus V id indulgens edixerit, ut, quandocumque Sacerdos aliquis Missam defunctorum pro anima in Purgatorio existenti ibi celebraret, Indulgentiam consequeretur. Affixa erant huic Altari nonnulla onera Missarum quotidianarum, et plures aliae eleemosynae in dies subministrabantur a fidelibus, ut in praedicto Altari Missae celebrarentur. Quolibet die sabbati canebatur in praedicta Ecclesia Missa solemnis cum musica et Populi concursu et frequentia Sacramentorum. Item per novem ferias quartas ante festum S. Ioseph exponebatur in praedicta Capella Reliquia praedicti Sancti, et Altare ornabatur, et aderat pariter concursus Populi una cum frequentia Sacramentorum. Cum indecens quodammodo videretur ratione solemnitatis, ut Missae de requiem celebrarentur in praedicta Ecclesia memoratis Sabbati diebus et memoratis feriis quartis, quamvis essent feriales aut semiduplices, supplicatum fuit Summo Pontifici pro facultate satisfaciendi Missis de requiem cum celebratione Missarum votivarum Beatissimae Virginis supradictis Sabbati diebus et cum celebratione Missarum votivarum de Sancto Ioseph memoratis feriis quartis. Praesens itaque casus respiciebat dies, quibus Missae defunctorum iuxta rubricas celebrari poterant, ita ut sola

indago versari deberet in hoc, an ratione solemnitatis indulgeri posset petitioni, ex gratia, et ut magis satisfieret devotioni Populi, cuius orationibus et Sacramentorum frequentia poterant animae in Purgatorio existentes suffragium consequi; perceptio enim Eucharistiae, iuxta communem Theologorum sententiam, prodest animabus Purgatorii, cum S. Communio rite et recte peracta sit opus bonum omnium bonorum operum praestantissimum, et fideles in praesenti vita degentes possint pro defunctis per bona opera eis applicata satisfacere, uti late ostendit Card. Capisuccus controv. 4 de communione pro mortuis, ubi refellit Theophilum Maynardum contrarium asserentem in quodam opusculo edito Lugduni anno 1637, quod die 11 martii 1647 fuit condemnatum a Sacra Congregatione Indicis. Proposito autem dubio: – An et quomodo petitis sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Romana die 9 Februarii 1726.*

32. Hinc Indulgentiae recognoscendae sunt ab Episcopo, adhibitis duobus de Capitulo; quandoquidem Clemens VIII in sua Constitutione *Quaecumque* 115 sancivit, ut Aggregantes ea sola tribuant privivilegia, quae sibi directe, non autem per communicationem vel ad instar concessa sunt, et Confraternitates aggregatae consequantur – privilegia Indulgentias facultates aliasque spirituales gratias et indulta huiusmodi, praevia tamen recognitione Ordinarii loci, qui,adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiae Capitulo, illa iuxta Sacri Concilii Tridentini Decretum publicanda decernat –; et consonat resolutio Sacrae Congregationis in Potentina Aggregationis 29 maii 1683 lib. 33 Decretorum pag. 148, quam referunt Monacell. in form. legal. tom. 2 tit. 13 form. 1 n. 49, et Benedict. XIV Inst. eccles. 105 n. 89 *in Mutinen. Aggregationis die 20 Novembris 1762* §. *Episcopus.*

33. Unde ne dubium quidem, quod per aggregationem Archiconfraternitati Stigmatum Urbis Indulgentiae communicantur, iuxta praefatam Constitutionem Clementis VIII, alteramque Pauli V incipien. *Quae salubriter,* de quibus Ferrar. in Biblioth. verb. Confraternitas art. 1 n. 41, Monacell. tom. 2 tit. 13 form. 1 n. 78 *in Reatina die 5 Aprilis 1783* §. *Latam.*

34. Quum vero ob assertam aggregationem Confraternitatis Sacrosanctae Basilicae Lateranensi praedicta Confraternitas privilegia eiusdem praetenderet, Sacra Congregatio declaravit, permittendam non esse scalam sanctam, nec ideo Indulgentias adesse pro eam ascendentibus, atque mandavit, ut removeretur lapis cum inscriptione – Visitantibus quotidie poenae indulgentur, sicut in Lateranensi Ecclesia –, positus supra praedictam scalam nuncupatam sanctam et constructam a Confraternitate in solo Lateranensi *in Neapolitana Indulgentiarum die 19 Iunii 1717 lib. 67 Decretorum.*

35. Enimvero – Confraternitas SS. Matthaei et Francisci de Assisio Neapoli erecta ab anno 1610 aggregari obtinuit Sacrosanctae Lateranensi Basilicae, cuius Capitulum « Ecclesiae et Oratorio dictae Confraternitatis indulgentias facultates aliasque spirituales gratias indulta et privilegia Ecclesiae Lateranensis communicavit », praescripta tamen lege instandi pro renovatione quolibet quindennio, quam anno 1715 Capitulum ad aliud quindennium prorogavit. Huic concessioni et Indulgentiarum participationi Confratres inhaerentes curarunt anno elapso transmittere pridie diei veneris mensis martii per Urbem Neapolis Mandatarium Populum tintinnabulo convocantem et clamantem elata voce. « Chi visita la Congregazione dei SS. Francesco e Matteo domani venerdì di marzo guadagna Indulgenza plenaria, e si fa la scala santa »: Cives autem confluentes et scalam dictae Confraternitatis pie ac devote flexis genibus ascendentes, in summitate graduum unus ex Confratribus excipiens eorum nomina in codicem referebat, et eleemosynas ac pias oblationes colligebat. Praeterea Oratorii ianuae lapidem ita scriptum infixerunt: « Visitantibus quotidie poenae indulgentur, sicut in Lateranensi Ecclesia ». Instantibus Parocho contiguae Ecclesiae et consimilis Tituli SS. Matthaei et Francisci et Promotore fiscali S. Visitationis, Curia Archiepiscopalis die 10 martii Officialibus dictae Confraternitatis inhibuit sub poena Interdicti Congregationis, ne ascensum dictae scalae sanctae permitterent, et sub eadem poena monuit, ut in biduo praecise et peremptorie Tribunal Visitationis de assertis Indulgentiis

edocerent. Confratres vero statim A. C. monitorium super observantia et exequutione praetensae aggregationis praesentarunt, et die 12 sequenti dicti mensis in usu scalae sanctae continuarunt. Quare Curia Archiepiscopalis cedulones comminatum Interdictum decernentes affixit. Scalae Sanctae usum ipsummet Capitulum Lateranense per suas Literas dictis Confratribus datas improbavit. Aggregationem invalidam etiam Instantes praetendunt, eo quia privilegium aggregandi Ecclesias iam erectas a Calixto III concessum Basilicae Lateranensi et aliud fundandi et erigendi Ecclesias in solo Lateranensi a Bonifacio IX elargitum et a Pio IV in eius Constitutione in ordine 57 revocata, non integre Sixtus V in sua Constitutione 19 restituerit, ut Rota in decis. 228 n. 5 coram Emerix observat. Data autem valida aggregatione Indulgentiae communicatae, recognoscendae et approbandae erant ab Ordinario, iuxta formam Bullae Clementis VIII 115, cuius dispositionem servandam esse a Capitulo Lateranensi Paulus V in eius Constitutione 68 declaravit.

36. Hinc attento Decreto Auditoris Sanctissimi remittentis huic Sacrae Congregationi controversiarum decisionem, monito Procuratore Confratrum, summa EE. VV. sapientia dispiciet: – I. An sit permittenda scala, ut nuncupant, sancta in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An pro omnibus illam ascendentibus et descendentibus adsit Indulgentia in casu etc. III. An lapis cum inscriptione « Visitantibus quotidie poenae indulgentur, ut in Lateranensi Ecclesia » sit amovendus in casu etc. IV. An Interdictum sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, Affirmative; et amplius. Ad quartum, audiantur – *in Neapolitana Indulgentiarum die 19 Iunii 1717 lib. 67 Decretorum* (1).

37. Compertum hinc est, publicationem Indulgentiarum faciendam esse per Ordinarium, iuxta censuram Concilii Tridentini in Cap. 9 sess. 21 de reformatione (2) *in Aquilana Iurisdictionis die 18 Iulii 1751* §. *Redit.*

38. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Indulgentiarum publicationem pertinere ad Ordinarium *in Virdunen. anno 1585 lib. 4 Decretorum pag. 77.*

Item *in Ianuen. mense Iunii 1605 lib. 10 Decretorum pag. 113.*

39. Unde Praelati tertiae speciei, qui in suo territorio sunt veri Ordinarii, ius habere videntur publicandi Indulgentias, licet vetita sit Praelatis primae et secundae speciei, ut ex mente Tridentini sess. 21 Cap. 9 de reformatione explicat Card. Petra ad Const. 4

(1) Benedictus XIV Indulgentias exinde Basilicae Lateranensis confirmavit Constitutione, quae incipit: – *Assiduae* 6 maii 1751 §. 3 Bullar. eiusdem tom. 3; nec non illas, quae Ecclesiis ipsius filialibus seu ipsi aggregatis hactenus communicatae fuerunt, in §. 8 suspendit; et interim a praedicto Pontifice eisdem aliae Indulgentiae et gratiae spirituales in §. 10 11 12 15 Ecclesiis Altaribus Capellis Oratoriis Societatibus Locisque piis dictae Basilicae membris hactenus erectis seu eidem subiectis et incorporatis concessae fuerunt, scilicet: Indulgentia plenaria visitantibus in diebus festis Ascensionis Domini Nativitatis S. Ioannis Baptistae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et S. Ioannis Evangelistae et dedicationis eiusdem Lateranensis Basilicae; Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in diebus festis Sanctorum Apostolorum Andreae Iacobi Thomae Philippi et Iacobi Bartholomaei Matthaei Simonis et Iudae ac Matthiae; Indulgentiae quatuor annorum totidem quadragenarum a Dominica prima Adventus usque ad festum Nativitatis Domini, et feria quarta cinerum usque ad festum Resurrectionis Dominicae singulis diebus; in reliquis diebus singulis anni centum dies: Indulgentiae denique stationales in diebus stationum eiusdem Ecclesiae Lateranensis in Missali Romano descriptis, videlicet Dominica prima quadragesimae Dominica Palmarum feria quinta in Coena Domini Sabbato sancto Sabbato in albis feria tertia Rogationum et sabbato in vigilia Pentecostes. Denique in §. 16 praemissae novis aliis Ecclesiis aggregandis communicari permittuntur.

(2) Decretum hoc cum altero in Cap. 2 sess. 5 de reformatione ampliavit S. Pius V in Const. *Etsi Dominici* 8 februarii 1567 Bullar. Roman. tom. 4 part. 2 pag. 348, et Const. *Et quam plenum* 2 ianuarii 1570 Bullar. Roman. tom. 4 part. 3 pag 91, cum prohibuerit, ne quocumque praetextu publicarentur Indulgentiae ob quaestum, seu praedicaretur, ut ad eas acquirendas solvenda esset aliqua eleemosyna alicui Personae vel Loco, sub poena in Episcopos etiam Cardinales, secus facientes sive attentantes, suspensionis ab ingressu Ecclesiae et perceptionis fructuum suarum Ecclesiarum, donec, praevia satisfactione, a Sede Apostolica haec suspensio relaxaretur, et in his inferiores excommunicationis Papae reservatae.

Calixti III sect. 2 n. 96 ad 98 tom. 5 *in Aquilana Iurisdictionis die 21 Iunii 1760* §. *Data.*

40. Idcirco Praelati inferiores secundae speciei nequeunt publicare Indulgentias in loco exempto suae iurisdictioni subiecto, sed publicandae sunt ab Episcopo *in Aquilana Iurisdictionis die 18 Iulii 1761* §. *Species.*

41. Quum igitur non satis constaret de territorio omnino separato Abbatiae S. Ioannis de Luculo, Sacra Congregatio declaravit, ad Episcopum spectare publicationem Iubilaei et Indulgentiarum, licet in medium proferretur praescriptio *in Aquilana Iurisdictionis die 21 Iunii 1760 et die 18 Iulii 1761* (1).

42. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, publicationem Indulgentiarum ad solos Episcopos, adhibitis duobus de Capitulis, pertinere, non obstante ordinaria forsan iurisdictione eorumdem Capitulorum, aut quibuscumque illorum privilegiis ante Sacrum Concilium Tridentinum obtentis *in Suessionen. 16 Septembris 1662.*

43. Idcirco non possunt Parochi et Vicarii Ecclesiarum Abbatiae S. Mariae de Rambona et Sanctorum Laurentii in Doliolo et Eustachii Ordini S. Benedicti annexarum, et per Summos Pontifices ac signanter Urbanum VIII a iurisdictione Ordinarii exemptarum plenoque iure Abbati subiectarum, irrequisito Episcopo, Indulgentias et Iubilaea publicare *in S. Severini Iurisdictionis die 31 Maii 1699 lib. 19 Litt. VV. Sacrorum Liminum pag. 250 et die 4 Februarii 1702 lib. 52 Decretorum.*

44. Nec igitur Regulares possunt in suis Ecclesiis exemptis publicare indulgentias lucrandas a Fidelibus easdem Ecclesias visitantibus, prout S. Congregatio definivit in Marsicana lib. 1 Decretorum pag. 93, et in Neritonen. ad 11 dubium lib. 1 Decretorum pag. 143 *in Aquilana Iurisdictionis die 18 Iulii 1761* §. *Verum.*

45. Unde Sacra Congregatio declaravit, Regulares non posse publicare Indulgentias, aut prae foribus suarum Ecclesiarum affigere, nisi postquam fuerint ab Episcopo publicatae *in Ianuen. mense Iunii 1605 lib. 10 Decretorum pag. 113.*

Item *in Civitatis Plebis die 10 Novembris 1640 lib. 16 Decretorum.*

46. Qua de re Sacra Congregatio respondit, haud licere Fratribus Ordinis Praedicatorum in eorum Ecclesiis Indulgentias Societati Sanctissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis concessas instar stationum Urbis publicare, sed per Ordinarium loci, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus Populo evulgandas esse ex Decreto Concilii sess. 21 cap. 9 de reformatione mandavit *in Neritonen. anno 1574.*

47. Praelati tamen Regulares publicare possunt indulgentias pro suis subditis, in quibus habent iurisdictionem ordinariam, ut plene tradit Pasqualig. de Iubil. quaest. 54 n. 3 ad 7 *in Aquilana Iurisdictionis die 18 Iulii 1761* §. *Redit.*

48. Hinc Magnus Magister Hierosolymitanus et Conventus in eorum Ecclesiis dumtaxat absque Episcopi licentia Indulgentias publicare quidem possunt sibi et eorum Hospitali concessas, sed nequaquam alias concessas visitantibus Ecclesias Militum; quandoquidem – Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, audito Episcopo ac Procuratoribus S. Ioannis Hierosolymitani, de utriusque Partium consensu probavit annuitque, ut Magnus Magister et Conventus in eorum Ecclesiis dumtaxat possint, absque Episcopi licentia, sub sigillo tamen Prioris, publicare Indulgentias tantum sibi et eorum Hospitali concessas; alias vero Indulgentias, etiam visitantibus Ecclesias Militum, non possint, sed ab Episcopo extra Militum Ecclesias publicari debeant – *in Melevitana die 23 Augusti 1619 lib. 12 Decretorum pag. 19.*

49. Publicantes autem Indulgentias falsas puniendi sunt in S. Officio. Ita ex motu Sanctissimi statutum fuit *in Mileten. die 16 Martii 1630 lib. 14 Decretorum pag. 36.*

(1) Resolutio Causae huius prostat in Verb. *Episcopus*, §. VI, n. 177, Tom. IX.

1. Laedere non solet Summus Pontifex, nisi ex publica causa, ius tertii, Amostaz de Caus. piis lib. 1 Cap. 14 n. 8, Pignatell. Consult. Can. 149 n. ad 5 tom. 4 *in Romana seu Savonen. Subsidii Dotalis die 26 Aprilis 1788* §. *Maxime.*

2. Quin imo non tenet Indultum, deficiente conditione, sub qua fuit concessum, ad Textum in Cap. *Pastoralis* 19 de privilegiis, Cap. *Ad aures* de rescriptis, Pirhing. in ius can. lib. 5 tit. 30 n. 167 *in Romana Capellaniae die 30 Maii 1807* §. *In secundo dubio.*

3. Quod si Indultum Apostolicum concessum fuit ex designata causa, permanente causa, illud manere debet, quum, permanente causa, durare debet id, quod ex illa causa concessum est, Rot. in Recent. decis. 34 n. 3 part. 19, decis 101 n. 6 coram Molines *in Fanen. Prorogationis Indulti die 17 Septembris 1814* §. *Cum.*

4. Contra si concessum fuerit Indultum Apostolicum deputandi Regulares in Vicarios ad nutum amovibiles, ob inopiam Sacerdotum Secularium, qua sublata, cessare quoque debet privilegium deputandi Regulares, ut notat Card. Petra ad Constit. 1 Anastasii IV sect. 1 n. 29 tom. 2 *in Spiren. Parochialis die 18 Iulii 1761* §. *Exclusa.*

5. Indultum autem huiusmodi si fuerit concessum ante Concilium Tridentinum nullius roboris praesefertur, cum sublatum sit per dictum Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 7 de reformatione, praecipiens deputationem perpetuorum Vicariorum, non obstante quocumque privilegio, et Constitutio 47 S. Pii V, qua, moderato Concilii rigore, tribuitur Mendicantibus facultas deputandi suos Religiosos in Vicarios amovibiles, revocata in hac parte expresse fuit in Constitutione *In tanta* §. 3 et 6 Gregorii XIII *in Spiren. Parochialis die 18 Iulii 1761* §. *Exclusa.*

6. Cessante hinc causa, ob quam fuit Indultum concessum, locus est eiusdem revocationi, quin constet de praetensis attentatis contra formam praefati Indulti *in Ostunen. Indulti die 26 Aprilis 1698 lib. 48 Decretorum.*

7. Siquidem – ob recursum ad hanc Sacram Congregationem interpositum ab Archipresbitero et Clero Oppidi S. Viti adversus plura Decreta Synodalia Episcopi, praefatus Archipresbiter, timens exinde odium futurasque vexationes eiusdem Episcopi, obtinuit a Sacra Congregatione die 26 novembris 1695 Decretum, quod Episcopus procedere non deberet contra eum ad actus irretractabiles, eadem Sacra Congregatione inconsulta. Verum expleto dictorum Decretorum Synodalium examine per declarationes Sacrae Congregationis editas die 6 praeteriti mensis iulii, quibus utraque pars obsequenter acquievit, supplex modo petit Episcopus revocationem praefati Decreti favore Archipresbiteri, sed praetendente e converso Archipresbitero, plures adhuc inter ipsum et Episcopum lites pendere, et diversimode fuisse ab Episcopo attentatum in spretum Indulti seu Decreti Sacrae Congregationis, proponitur hodie ab EE. VV. resolvendum, utraque Parte monita et informante: – I. An sit locus revocationi Indulti seu Decreti editi ad favorem Archipresbiteri die 26 novembris 1695? II. An constet de attentatis per Curiam Episcopalem commissis contra formam dicti Decreti? *Et quatenus affirmative.* III. An et quomodo Archipresbiteri Indemnitati sit providendum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, esse locum revocationi. Ad secundum, Negative. Ad tertium, satis provisum in primo; et moneatur acriter Procurator Archipresbiteri – *in Ostunen. Indulti die 26 Aprilis 1698 lib. 48 Decretorum.*

8. Prorogatur vero indultum, cum eaedem subsunt necessitatis causae, praesertim si necessitatis causae adauctae sint *in Leodien Prorogationis Indulti die 18 Maii 1796* §. *Renovat.*

Item *in Perusina Prorogationis Indulti die 26 Iulii 1851* §. *Haud.*

9. Notum namque est, benignius agi, ubi de prorogatione ob easdem causas et fortius graviores causas decernenda disputatur, ex quibus iam antea obsecundari precibus visum fuerat, Corrad. in prax. disp. lib. 9 n. 28 *in Fabrianen. Missae Conventualis die 2 Martii 1833* §. *Haec.*

Item *in Perusina Prorogationis Indulti die 26 Iulii 1851* §. *Haud.*

10. Idque praesertim locum habet, si ex Episcopi testimonio perhibentis aliter suppleri non posse, nisi per Indultorum prorogationem, cuius iudicio standum esse, cum testatur de mediorum deficientia, atque eius plurimum auctoritati tribuendum *in Lisbonen. die 22 Augusti 1760* §. *Alia.*

Item *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 31 Iulii 1852* §. *Post haec.*

11. Nec prorogatio Indulti a iure exorbitat, quando agitur de favore Ecclesiarum *in Leodien. Prorogationis Indulti die 18 Maii 1776* §. *Addunt.*

Item *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 31 Iulii 1852* §. *Post haec.*

12. Immo pluries, eadem extante causa, prorogatur Indultum pro fabrica Ecclesiae Cathedralis applicandi fructus omnes Beneficiorum Civitatis et Diaecesis Salamantinae vacantium ad alios viginti annos, quin etiam obstet clausula – absque spe ulterioris prorogationis – in praecedenti Indulto apposita *in Salamantina Indulti die 1 Aprilis 1702 lib. 52 Decretorum.*

13. Enimvero – diruta, ob temporis vetustatem, antiqua Ecclesia Cathedrali Salamantina usque de anno 1513, Capitulum et Canonici construere ceperunt ingens et augustissimum aedificium novae Ecclesiae, quod tamen ob tenuitatem redituum fabricae et eleemosynarum fidelium adhuc perfici non valuit. Quapropter s. m. Alexander VII ad preces eiusdem Capituli per suum Breve expeditum sub die 8 iunii 1660 applicavit ad annos viginti fabricae eiusdem Ecclesiae fructus omnium et quorumcumque Beneficiorum totius Civitatis et Diaecesis pro tempore eorum vacationis, ad successorem in eisdem Beneficiis spectantes, deductis tamen oneribus illis infixis. Exinde vero s. m. Innocentius XI de anno 1683, praecedente voto huius Sacrae Congregationis edito sub die 19 decembris antecedentis anni 1682, idem Indultum ad alios annos viginti prorogavit, cum clausula tamen « absque spe ulterioris prorogationis »; sed cum adhuc praedictum aedificium in maiori parte sit imperfectus, nec adsit alius modus pro ipsius absolutione, attenta maxima paupertate redituum fabricae, ut exposuit Sanctissimo Episcopus in relatione status eiusdem Ecclesiae, facta de anno 1699, idem Capitulum novas preces eidem Sanctissimo porrexit, ut dignaretur praedictum Indultum ad alios annos viginti prorogare; quibus ad hanc Sacram Congregationem, et ab ista ad Nuncium Apostolicum pro informatione remisissis, iste, exposita confirmans, refert, a tempore concessionis Indulti usque ad annum 1700 contributiones fabricae obventas ascendisse ad scuta 20900, et hanc summam conflatam fuisse ex quatuor diversis partitis, quarum prima est scutorum 8789, quae promanavit ex fructibus Praebendarum vacantium eiusdem Cathedralis, sponte applicatis fabricae a Canonicis, inter quos ex concessionibus Apostolicis erant dividendi. Secunda est scutorum 3137, quae provenit ex restitutione facta iisdem Canonicis per Regios Gabellarios ex titulo, ut aiunt, refectionis. Tertia est scutorum 3763, quae conflata fuit ex piorum eleemosynis. Et quarta denique est scutorum 5225, quae processit ex fructibus Beneficiorum totius Diaecesis, expensas vero dicto tempore factas ascendisse ad scuta 21190.

14. Ulterius asserit ex fide iurata Peritorum, ad perfectionem fabricae adhuc requiri summam scutorum 85. m., et nisi opus quanto citius perducatur ad perfectionem, periculum esse, ne in totum collabatur, ad quod ostendendum transmittit plantam ipsius aedificii, a tribus Peritis medio iuramento efformatam et tribus coloribus distinctam, ut cerni possit pars, quae de tempore concessionis ultimi Indulti extabat aedificata; altera, quae usque ad praesens constructa fuit, et ea, quae nunc aedificanda superest. Et demum censet, petitam prorogationem concedi posse ad aliud tempus benevisum, non obstante clausula prohibitiva, cum huiusmodi concessio nemini afferat praeiudicium, nisi providendis de Beneficiis, qui possunt esse contenti de ipsorum assequutione. At quia sub die 14 ianuarii proxime praeteriti relata Causa per simplicem libellum reiecta fuit instantia, facto hodie melius dilucidato, ac renovatis precibus pro parte Capituli supradicti una cum Emo Salazzara dictae Ecclesiae Salamantinae iam Episcopo antecessore, qui, cognita eiusdem necessitate, pariter supplicavit Sanctissimo pro dictae gratiae con-

cessione, ab EE. VV. exquiritur: – An prorogatio Indulti, de quo agitur, sit concedenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro gratia ad alios annos viginti – *in Salamantina Prorogationis Indulti die 1 Aprilis 1702 lib. 52 Decretorum.*

15. Causa enim reaedificationis Ecclesiae Cathedralis, deficientibus reditibus, iusta censetur; adeoque Sacra Congregatio concessit Indultum ad decennium Reipublicae Ragusinae, ut introducere posset solutionem quartae piorum Legatorum pro subsidio fabricae Cathedralis ex terraemotu valde dirutae *in Ragusina die 11 Martii 1673 lib. 28 Decretorum pag. 42.*

16. Quod si redituum inopia non satis probetur, renuit Sacra Congregatio concedere Indultum applicationis fructus primi anni omnium Beneficiorum etiam Curatorum Diaecesis, ad effectum eos insumendi in refectione Sacrarii Cathedralis incendio consumpti, Turris campanariae dirutae et Fontis baptismalis *in Carthaginen. die 14 Martii et die 18 Iulii 1699 lib. 49 Decretorum* (1).

17. Licet vero Sacra Congregatio pluries negavit concedere Indultum applicandi scuta quindecim millia pro reaptatione Ecclesiae Parochialis de iurepatronatus regio ex fructibus Abbatiae, tandem illud, sollicitante Oratore catholici Regis, concessit *in Burgen. Indulti die 11 Februarii 1696 lib. 46 Decretorum.*

18. Legitimo tamen Contradictore submoto, ac inaudita Parte, nullius ponderis faciendam obtentam gratiam ac Literas Apostolicas cum aliis testatur Panormitanus in Cap. *De confirmatione* n. 12, Rot. in decis. 871 n. 21 coram Molines *in Signina Indulti die 30 Maii 1846* §. *Contendit.*

19. Quapropter non est exequendum, auditis Canonicorum rationibus, Indultum duorum mensium vacationum a Sacra Congregatione concessum Mansionariis Collegiatae curam animarum exercentibus, non auditis neque citatis ante Canonicis, licet consentiente Archipresbitero *in Senogallien. Vacationis die 29 Aprilis 1702.*

20. Enimvero – in erectione Collegiatae facta per s. m. Innocentius X in Ecclesia parochiali S. Petri Terrae Corinalti constituti fuerunt Archipresbiter et Archidiaconus sub titulo primae et secundae dignitatis respective, ac ulterius octo Canonici et quatuor Mansionarii, qui praecipue curam animarum exercere deberent; vigore autem Bullae dictae erectionis concedentis Episcopo facultatem approbandi quaecumque Statuta et Decreta illius Ecclesiae, tam circa vacationes et residentiam, quam circa onera functiones etc., nec non iam condita mutandi, quotiescumque illi expedire visum fuerit, de anno 1666 tunc temporis Episcopus ad instantiam Mansionariorum dictae Collegiatae, inhaerendo etiam Decretis Sacri Concilii Tridentini eisdem annuam vacationem duorum mensium causa recreationis concessit, qua, ut aiunt, imposterum semper gavisi fuerunt. Successive de anno 1694 appellantibus Canonicis dictae Collegiatae ad me tunc A. C. Locumtenentem a quadam sententia lata per Vicarium Senogalliensem favore dictorum Mansionariorum, in qua inter alia, ipsis concessa fuit manutentio in quasi possessione fruendi praedicta vacatione duorum mensium, per meam definitivam sententiam sub die 24 martii dicti anni 1694, revocando in hac parte supradictam latam a Vicario Senogalliensi, declaravi non competere dictis Mansionariis praefatam vacationem, sed teneri toto anno absque intermissione Ecclesiae inservire; quae quidem sententia, per me, ut supra, prolata, postmodum per instrumentum publicum sub die 11 septembris eiusdem anni a duobus ex dictis Mansionariis in omnibus et per omnia acceptata fuit.

21. Verum de anno 1697 adversus eamdem sententiam, habito recursu per dictos Mansionarios ad hanc S. Congregationem, auditaque favorabili relatione Episcopi, eidem demandatum fuit, ut praefigeret terminum Canonicis ad deducendum eorum iura; et deinde sub die 29 novembris 1698, attenta praedicta relatione nec non consensu Archipresbiteri ac quatuor Canonicorum, Sacra haec Congregatio petitae gratiae vacationis benigne annuit. Tandem de anno proxime elapso insteterunt dicti Mansionarii coram A. C. Petra pro executione huiusmodi Decreti, illam-

(1) Reliqua habes in Verb. *Ecclesia Cathedralis*, §. I, Tom. VIII.

que obtinuerunt, non obstante litis pendentia, et reassumptione Causae facta in hac Sacra Congregatione ad instantiam Canonicorum dictae Collegiatae, qui cum modo praetendant, praedictos Mansionarios huiusmodi gratiam vacationis ab hac Sacra Congregatione reportasse, nemine ipsorum citato nulloque termino praefixo; hinc EE. VV. humillime supplicant pro declaratione: – An gratia vacationis duorum mensium concessa Mansionariis Ecclesiae Collegiatae Corinalti ab hac Sacra Congregatione sub die 29 novembris 1698, seu etc. sit exequenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Senogallien. Vacationis die 29 Aprilis 1702 lib. 52 Decretorum.*

22. Indultum autem vacationum concessum a Sacra Congregatione Canonicis Cathedralis comprehendit etiam Canonicos a cognomine Fundatoris vocatos et speciales reditus habentes *in Collen. Vacationum die 29 Novembris 1692 lib. 42 Decretorum.*

23. Hinc Sacra Congregatio respondit, exequendum esse Indultum non residendi concessum cum solita clausula, amissa tertia parte distributionum, quae inservientibus accrescant, non obstante allegata ab Episcopo Bulla, qua praecipitur, tres ex quatuor partibus in distributiones convertendas *in Lauretana Distributionum die 28 Maii 1695 lib. 45 Decretorum.*

24. Quin imo Indultum concessum Canonico percipiendi in absentia distributiones quotidianas, amissa tertia parte, extenditur etiam ad participationem earum, quae Regaliae nuncupantur, dimissa pariter earum omnium tertia parte, non obstantibus sive Constitutionibus Capitularibus restringentibus dictas Regalias solis praesentibus, sive consuetudine, qua praetenditur, alios similia Indulta obtinuisse, nec de dictis Regaliis participasse *in Urbinaten. Regaliarum die 2 Decembris 1679 lib. 30 Decretorum pag. 505.*

25. Indultum autem s. m. Clementis VII concedens Nunciis Apostolicis Hispaniarum conferendi Beneficia non comprehendit vacantia per resignationem in manu Sanctissimi *in Giennen. anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 182.*

26. Amplia, neque comprehendit Beneficia excedentia ducata vigintiquinque annui reditus *in Tarraconen. mense Ianuarii 1599 lib. 6 Decretorum pag. 102.*

27. Necessarium tamen non est Decretum exequutoriale in Indulto, quod non in forma commissoria, sed in forma, quam dicunt, gratiosa concessum fuit; hoc enim in casu absolutae concessionis nihil aliud ad gratiae complementum requiri statuit Rota coram Seraphino decis. 338 n. 2, coram Olivatio decis. 700 n. 12 *in Beneventana die 7 Martii 1818* §. *Hic.*

28. Nec dubium, quin Indultum in controversiam revocari non possit, cum iam fuerit exequutum, Spada Cons. 52 n. 8 tom. 2, Rot. in Recent. decis. 14 n. 7 part. 16 *in Firmana die 18 Iulii 1772* §. *Observant.*

29. Nam contra Indultum Apostolicum, ob debitum S. Sedi obsequium et obedientiam, insurgere non licet, sub quovis etiam obreptionis et subreptionis praetextu, nisi obtenta prius de eo obloquendi facultate, ad Textum in Cap. *Si Capitulo,* et ibi Gloss. verb. exequatur de concess. praeben. in 6 *in Beneventana die 7 Martii 1818* §. *Hic tamen.*

30. Neminem autem latet, subreptionem procedere ex reticentia veri, obreptionem vero ex falsi expositione. Rescripta itaque quaecumque indulta gratiae subreptitie vel obreptitie extortae, utpote per dolum et fraudem obtentae, nullius sunt roboris, ut statuit Innocentius III in Cap. *Super literis* de rescriptis *in Perusina Concordiae die 20 Augusti 1774* §. *Notum.*

Item *in Romana Capellaniae die 17 Septembris 1774* §. *Ponderandum.*

31. Hinc si in precibus exposita fuerunt minus vera, et quae vera reticita fuerunt, sustineri non potest Indultum Pontificium *in Nullius Farfen. Seminarii die 9 Augusti 1777* §. *Nihilominus.*

32. Qua de re Indultum Apostolicum vitio inficitur subreptionis, quoties, ut ait Ferrarius in Bibliotioth. can. verb. Rescriptum, in ipso impetrando reticitur qualitas, quae erat exprimenda, aut iuris praecepto, aut ex stylo Curiae et consuetudinis Principis, aut ex arbitrio Iudicis, qui nempe si perspectam qualitatem habuisset gratiam denegasset, difficiliusve concessisset, Rot. in decis. 713 n. 13 coram Molines *in Signina Indulti die 30 Maii 1846* §. *Et.*

33. Hinc obreptitium est Indultum deputandi Regulares ad Parochias unitas ad nutum amovibiles, quando supponitur unio, sequuta Auctoritate Apostolica, quae revera non eruitur ex praecedentibus Literis Summi Pontificis; et ideo attendi non meretur, ut probat Rota in decis. 614 a n. 11 coram Ansaldo *in Spiren. Parochialis die 18 Iulii 1761* §. *Exclusa.*

34. Idcirco Indultum Apostolicum obreptitie extortum sub falsa narrativa haud est exequendum *in Augustana Parochialium die 10 Maii 1760* §. *Pro.*

35. Unde si fuerit reticitum, Testatorem expresse prohibuisse voluntatis suae commutationem, quo reticito, gratiam subreptitiam et nullam esse tradiderunt Pignatellius consult. can. 148 n. 13 tom. 4, Rota coram Kaunitz decis. 57 n. 1, et in Reatina Salviani 16 iunii 1704 §. Subreptio coram Omanna *in Asculana Commutationis voluntatis die 20 Ianuarii 1776* §. *Voluit.*

36. Indultum itaque applicationis legati obtentum a S. Congregatione et per Literas Apostolicas in forma Brevis confirmatum non esse exequendum respondit Sacra Congregatio, ex eo quod in supplicatione non fuit expressum, gratiam praecedenter fuisse ab eadem S. Congregatione negatam, re mature discussa *in Romana Dotium die 10 Decembris 1695 lib. 45 Decretorum.*

37. Quin imo nullum est Indultum obtentum in una Congregatione, pendente in alia recursu *in Maceraten. die 24 Ianuarii 1778* §. *Maceratense.*

Item *in Florentina seu Fesulana die 27 Martii 1819* §. *Plura.*

38. Compertum enim habetur generale Decretum a S. M. Innocentio XII die 4 Iulii 1692 editum, et a S. M. Clemente XIII iterum publicatum et confirmatum sub die 15 Aprilis 1768 prohibens, quominus de una ad aliam Congregationem recursus habeatur sub poena nullitatis *in Maceraten. die 24 Ianuarii 1778* §. *Maceratense.*

Item *in Florentina seu Fesulana die 27 Martii 1819* §. *Plura.*

39. Quin imo quum in sequelam resolutionis Sacrae Congregationis emanatum fuerit Indultum Pontificium, Sacra Congregatio exinde declarationem emisit pro reformatione praedicti Indulti, iuxta praefatam resolutionem Sacrae Congregationis *in Pampilonen. die 7 Aprilis die 2 Iunii et die 22 Septembris 1731.*

40. Siquidem Sacra Congregatio die 26 ianuarii 1704 (1) indulsit, ut Beneficia servitoria ac Parochiales existentes in Villa de Los filiis patrimonialibus et naturalibus eiusdem loci conferrentur, dummodo essent idonei ad easdem, iuxta formam concessionum locorum vicinorum. In sequelam huiusmodi resolutionis emanavit Indultum Pontificium, quod disposuit, ut – omnia et singula Beneficia ecclesiastica in primodicta Villa existentia et fundata ac liberae collationis tantum existentia, deinceps pro tempore quomodocumque et in quibuscumque mensibus vacantia semper et perpetuo filiis patrimonialibus et naturalibus primodictae Villae tantum conferri debeant –. Vacavit de anno 1721 dictum Beneficium seu Rectoria ruralis nuncupata S. Mariae de Zenito, et de ea provisus fuit a Sede Apostolica Hieronymus de Isso; a Nuncio vero, apud Regem Hispaniarum commorante, quidam Gaspar Espanol de Ninno, ambo patrimoniales eiusdem Villae, inter quos introducta Causa in Rotae Auditorio, prodiit resolutio pro executione Literarum Apostolicarum favore dicti Hieronymi. Pendente tamen eadem lite in gradu appellationis, obiit dictus Hieronymus, et Franciscus Azpilequeda subrogationem gratiosam obtinuit in iuribus defuncti. In hoc rerum statu nomine Cleri eiusdem Villae supplicatum fuit Sacrae Congregationi, ut declararet, dictam Rectoriam esse comprehensam in supradicto Indulto; et audita relatione Episcopi favorabili eidem instantiae, sub die 28 septembris 1726 rescriptum fuit: – Praefatam Rectoriam ruralem S. Mariae de Zenito in dicto patrimonialitatis Indulto esse comprehensam –. Haec resolutio, utpote emanata non citato dicto Francisco, nec ulla habita de eo mentione, non valuit impedire, quin idem, licet non patrimonialis, executionem suarum Literarum in Sacra Rota obtineret, eo praecipue sub fundamento, quod provisus a Nuncio Apostolico non esset le-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius prostant in Verb. *Beneficium*, §. IV, n. 27 et 28, Tom. III.

gitimus contradictor. Obtinuit tandem provisionem Apostolicam Franciscus Adot filius naturalis dictae Villae; et super dictae provisionis executione pendebat iudicium in Rotae Auditorio. Sed quia principalis inspectio in hac Causa consistebat in declaratione, an dictum Beneficium sub Indulto patrimonialitatis comprehenderetur, prout alias decisum fuerat, Dataria remisit Causam ad S. Congregationem.

41. Proposito interim dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 28 septembris 1726 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 7 aprilis 1731 responsum tulit: – In decisis, et ad mentem –, quae erat, ut praefatus Azpiliqueda commendaretur Datariae Apostolicae. Officiis hisce interpositis nomine Sacrae Congregationis, destinatum fuit memorato Francisco Azpiliqueda simplex Beneficium Hispalen. Quamobrem instante Francisco Adot, repropósito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 28 septembris 1726 et 7 aprilis 1731? –, Sacra Congregatio die 2 iunii 1731 responsum dedit: – Dilata, et proponatur in secunda Congregatione mensis augusti –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius; et quoad futuras vacationes pro reformatione Indulti, iuxta resolutionem Sacrae Congregationis editam 26 ianuarii 1704 – *in Pampilonen. die 22 Septembris 1731.*

42. Favore autem eius, qui inhabilis sit nominatus ad Beneficium, sufficit Indultum Apostolicum, si efflagitetur intra quadrimestre, licet intra illud non obtineatur, Fargna de iurepatronat. part. 6 can. 9 Cas. 1 n. 45, Corrad. prax. Benef. lib. 4 cap. 6 n. 4, et Piton. discept. eccles. 13 n. 43 *in Sutrina Dispensationis die 10 Ianuarii 1846* §. *Diluit.*

43. Idque eo vel magis procedit, si per se non stetit, immo ex ipsius contradictoris oppositione factum est, ut illud nondum assequutus sit *in Sutrina Dispensationis die 10 Ianuarii 1846* §. *Diluit.*

44. Nec etiam sibi obesse debet, ad Textum in L. *Quibus diebus* ff. de cond. et demonstrat., et Piton. discept. eccles. 13, expressa conditio, – Si Papa dispenset –, cum ea nullo modo necessaria videretur, ubi nominationes ipsae exhibentur veluti fundamentum gratiae obtinendae, si praesertim hae fere omnes a feminis expletae, quae absque subtili aliqua indagine et effectu assequendo dumtaxat sollicitae censendae sunt, quia in nominatione eius, qui certo inhabilis est, videtur clausula illa subintelligenda, nisi absurdum fingi velit *in Sutrina Dispensationis die 10 Ianuarii 1846* §. *Diluit.*

45. Quod si nominantes de inhabilitate certiores facti, ac de expetita dispensatione adhuc in sua voluntate persistant, hoc consensu vel peractam praesentationem confirmare, vel saltem novam explere dicendi sunt, ad tradita per Rotam in antiq. decis. 16 n. 3, Lott. de re Benef. lib. 2 quaest. 6 n. 20, Piton. de controv. patron. alleg. 2 n. 16 *in Sutrina Dispensationis die 10 Ianuarii 1846* §. *Diluit.*

46. Hinc Sacra Congregatio respondit, Indultum absentiae a residentia initium et vires sumere debere a die praesentationis Indulti legitime in partibus factae *in Vallisoletana Indulti die 6 Iunii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 286.*

Item *in Ripana die 20 Iunii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 310.*

47. Indultum tamen vacationis debere attendi a die concessionis, non obstantibus assertis consuetudinibus a Capitulo adductis in contrarium *in Firmana Indulti die 7 Maii 1707 lib. 57 Decretorum* (1).

48. Itaque Sacra Congregatio respondit, Indultum non residendi concessum Beneficiato ratione servitii in Palatio Apostolico in munere Stutiferi non expirasse per mortem Pontificis, perseverante Beneficiato in eodem officio *in Romana Indulti die 14 Iulii 1677.*

49. Expirasse vero praedictum Indultum, mutato officio, respondit Sacra Congregatio *in Romana Indulti die 29 Novembris 1681 lib. 32 Decretorum pag. 43 a tergo.*

50. Unde Indultum a Sede Apostolica tributum, censetur per non usum sublatum, Cap. *Cum accessissent* de constitutionibus, Cap. *Si terra* de privilegiis, Suarez de legib. lib. 8 cap. 34 n. 24 *in Tyburtina Parochialis die 16 Iunii 1792* §. *Ex.*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Dispensatio*, §. III, n. 33, Tom. VII.

51. Qua de re Indultum Apostolicum redditum fuit inexequibile per primaevum non usum quadraginta, immo fere septuaginta annorum, quot deinceps effluxerunt, ad tradita per Rotam in Valentina Vicariae 12 februarii 1734 §. 23 coram Card. Crescentio *in Spiren. Parochialis die 18 Iulii 1761* §. *Exclusa.*

52. Indultum autem ex Pontificia facultate *vivae vocis oraculo* tributum non attenditur *in Anglonen. et Tursien. Iurium et Servitii Chori die 31 Iulii 1852* §. *Nunc.*

53. Nam per Constitutionem Clementis XII incipien. *Romanus Pontifex* diei 2 Februarii 1753 omnia privilegia et facultates vivae vocis oraculo concessae fuerunt revocatae *in Anglonen. et Tursien. Iurium et Servitii Chori die 31 Iulii 1852* §. *Nunc.*

54. Verum huiusmodi facultates revocationi subiacere compertum est, quae non sunt authenticae, idest scriptura non probantur, secus vero, quae scripto traditae sunt, Ferrar. in biblioth. verb. oracula vivae vocis *in Anglonen. et Tursien. Iurium et Servitii Chori die 31 Iulii 1852* §. *Gradum.*

55. Testimonium enim fide dignum sufficit pro illorum conservatione *in Anglonen. et Tursien. Iurium et Servitii Chori die 31 Iulii 1852* §. *Gradum.*

56. Eoque magis si agatur de concessione facta post tempora et revocatorias Gregorii XV et Urbani VIII, prout docet Ferrarius loc. cit. n. 19, nihil obstante posteriori Constitutione Clementis XII incipien. *Romanus Pontifex,* qua dumtaxat facultates sunt revocatae, quas inter, si ea, de qua quaeritur, haud connumeratur *in Anglonen. et Tursien. Iurium et Servitii Chori die 31 Iulii 1852* §. *Gradum.*

INDULTUM IUBILATIONIS

1. Veteranis olim militibus, post vicena stipendia emeritis, vacatio concedebatur: optimo sane consilio, ut homines ad militiam libenter venirent, et quia post viginti annos, qui bene meruerat miles, iam debilis fractusque, non ad vim et robur copiarum, sed ad munerum inutiliter augendum videbatur idoneus. Neque solum honestam missionem a militia concedebant consultissime, sed quamcumque muneris sive publici, sive civilis vacationem, uti habetur in L. 9 Cod. quan. prov. non, et L. 6 de vacat. et excus. munerum: – Veterani, qui in legione vel vexillatione militantes, post vicesima stipendia honestam vel causariam missionem consecuti sunt, onerum et munerum personalium vacationem concessimus –. Imo et praedia quandoque attribuebant pro praemio et praesertim fundos limitrophos, ut imperii limina diligentius per eos colonos custodirentur; ac non solum ipsos, verum etiam filios permultis privilegiis honoribus et poenarum immunitatibus donarunt. Integer titulus est in libris digest. de privilegiis veteranorum, et Cod. lib. 12 de veteranis, in quo pulcherrima quaedam facti species habetur in L. 1 *in Civitatis Castellanae die 20 Septembris 1766* §. *Nullum* §. *Neque* §. *Imo.*

2. Ad exemplum illud, etiam publicis Professoribus honoraria missio cum vacatione laboris et privilegiis data est, ut in L. unic. de profess. qui in urbe Constantin.: – Grammaticos tam Graecos, quam Latinos Sophistas et Iurisperitos in hac regia urbe professionem suam exercentes et inter statutos connumeratos, si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstraverint, si docendi peritiam facundiam dicendi interpretandi sublimitatem copiamque disserendi se habere patefecerint, et coetu amplissimo iudicante digni fuerint existimati, cum ad viginti annos observatione iugi ac sedulo docendi labore pervenerint, placuit honorari, et iis, qui sunt ex vicaria dignitate connumerari –. Ad quam legem Gothofredus: – Secundo notatur, privilegium Professorum post viginti stipendia expleta. Ad similis temporis praescriptionem respexit Quintilianus inst. orat. in proeem. lib. 1, dum scribit: – Post impetratam studiis meis quietem, quae per viginti annos erudiendis Iuvenibus impenderam – *in Civitatis Castellanae die 20 Septembris 1766* §. *Ad.*

3. Hinc etiamsi non adsint statuta, praxis inolevit, ut ab Sacra Congregatione indulta iubilationis concedantur Canonicis et Beneficiatis, qui spatio quadraginta annorum suis Ecclesiis inservierunt, ne caelestis mi-

litiae Milites deterioris sint conditionis, quam Milites militiae secularis, quibus a iure civili vacatio a muneribus, dummodo veterani essent, liberaliter concessa est, iuxta Textum in L. *A muneribus* 6 ff. de vacat. et excusat. munerum, et in L. 1 Cod. de veteranis lib. 12 *in Dubia Iubilationum die 24 Septembris 1718* §. *Et.*

4. Idcirco quod non fuit a Canone inductum, fuit a consuetudine introductum, exemplo nedum ducto a Lege civili, sed etiam a Collegio Levitarum Legis Mosaicae, in quo illi, qui inservierant a 25 anno ad 50, a servitio, tamquam emeriti, eximebantur, uti legitur in Numer. cap. 8 *in Feltren. Iubilationis die 11 Ianuarii 1721* §. *Porro.*

Item *in Derthusen. Iubilationis die 14 Maii 1768* §. *Nullum; in Civitatis Plebis die 23 Novembris 1782* §. *Nullum.*

5. Nonnisi vero proximis temporibus hoc privilegium de perpetua vacatione muneris ecclesiastici, sensim introductum, iam prope quotidiano frequentissimo usu concessionum suas vires cepit adeo, ut iniuria videatur fieri, si denegetur *in Civitatis Castellanae die 20 Septembris 1766* §. *Nonnisi.*

Item *in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782* §. *Nullum.*

6. Nemini enim ignotum, quod a duobus tantummodo seculis hoc nomen auditur in Ecclesia, quae primum approbavit eorum Capitulorum statuta, quae hoc indultum pollicebantur, mox sivit quodammodo, ut indulgentia transiret in legem, sumpto exemplo ab honorifica misssione, quae Veteranis et a Levitis, qui post servitium viginti quinque annorum dimittebantur exempti, Bonacina de horis canonicis quaest. 5 part. 6 n. 15, Garz. de Benef. part. 3 cap. 2 §. 1 n. 344 *in Auximana Iubilationis die 19 Augusti 1786* §. *Revera.*

7. Suas tamen habuit et antiquior et recens disciplina rationes. Etenim ante invectum iubilationis usum satis consuli visum est diuturno servitio Canonici infirmi, aut eam aetatem attingentis, quae infirmitati aequiparatur, per indultum causa infirmitatis: satis etiam per facilem ea de causa Coadiutoris concessionem; satis demum per speciale aliquod indultum, quod Apostolica Sedes ratione benemeriti longissimique servitii concedebat, ut advertit Card. De Luca in disc. 15 n. 7 de Canonicis. Postquam vero aequius visum est, diuturnum servitium per se solum consideratum, a quibuscumque abstrahendo circumstantiis, praemio dignum esse, tunc haec ipsa retributio aptissima fuit disciplinae causa *in Auximana Iubilationis die 19 Augusti 1786* §. *Suas.*

8. Unde licet in iure canonico cautum non reperiatur, quod Canonicus sive Beneficiatus, qui Ecclesiae inservivit spatio quadraginta annorum, frui debeat exemptione a servitio, et, hoc minime obstante, sit admittendus ad participationem fructuum et distributionum, uti bene ponderat Navarr. cons. 12 lib. 3 de clericis non residentibus, ex quo fortasse infirmitas Canonicorum et Beneficiatorum aut gravis eorumdem aetas remedium habent coadiutoriae aut indulti vacandi a choro, durante infirmitate, quemadmodum prosequitur Card. De Luca de Canon. disc. 15 a n. 6: in Cathedralibus nihilominus et Collegiatis Ecclesis, in quibus adsunt statuta, vacationem a choro, quae iubilatio dicitur, concedentia Canonicis et Beneficiatis post servitium annorum quadraginta, iam resolutum est, eadem non esse improbanda, sed toleranda; et Sacrae Congregationis resolutio a Summo Pontifice Gregorio XIII confirmationem obtinuit, iuxta plene relata per Garziam de Beneficiis part. 3 cap. 2 §. 1 n. 344 *in Dubia Iubilationum die 24 Septembris 1718* §. *Licet.*

Item *in Feltren. Iubilationis die 11 Ianuarii 1721* §. *Nullus.*

9. Siquidem Concilium Tridentinum dixerat in sess. 24 cap. 12 de reformatione: – Non liceat vigore cuiuslibet Statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt –. Ob hanc sanctionem dubitabatur, an abrogatae forent omnino consuetudines peculiares Ecclesiarum, quae propriis Constitutionibus hanc iubilationem post quadraginta annos dabant. Negativam sententiam tenuit Ceval. collect. 15 ad 6 n. 8; affirmativam Navarr. cons. 12 de clericis non residentibus *in Civitatis Castellanae die 20 Septembris 1766* §. *Concilium* §. *Ab.*

Item *in Derthusen. Iubilationis die 14 Maii 1768* §. *Verum; in Pisauren. Iubilationis die 7 Iulii 1770* §. *Concilium; in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782* §. *Dubitatum.*

10. Omnis ab Compostella Galleciae in Hispaniis celebri Civitate, eius doctrinae novitas, tolerata primum, firmitatem postea, quam iam habet, obtinuit. Statutum erat in Ecclesia Compostellana cum immemorabilis temporis usu, ut Beneficiati, post quadraginta annos vacarent, sine ulla fructuum ac distributionum iactura. Prima post Concilium petiit declarari: – An, salva dicta Tridentina sanctione, praemissum statutum quoad concessionem emeritae requiei post quadragenarios labores inter Beneficiatos dictae Ecclesiae, in futurum, prout hactenus, servari queat? –, Gregorius XIII, – audita relatione Congregationis Concilii, dixit, tolerandum esse hoc statutum –, ut in lib. 2 Decretorum pag. 60 *in Civitatis Castellanae die 20 Septembris 1766* §. *Omnis.*

Item *in Derthusen. Iubilationis die 14 Maii 1768* §. *Hinc; in Pisauren. Iubilationis die 7 Iulii 1770* §. *Quare; in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782* §. *Dubitatum.*

11. Haec tolerantia, licet ex peculiaribus causis, nempe – ob non bonam aeris temperiem loci, rapidis ventorum flatibus fere continuo concussam, et frequentibus maritimis procellosis pluviis conturbatam, nec non prolixum diuturnum et nocturnum in dicta Ecclesia, in divinis assiduum obsequium, adeo ut fere nullus vel rarissimus quadragenarium ministerium ratione sui Beneficii in ea facere queat –, in causa fuit, quemadmodum saepissime venit, dum aliqua ab initio tolerantur, vel ex specialibus tantum rationibus conceduntur privilegia, ut universa deinde et promiscua harum concessionum alluvies in Ecclesia manavit, et quasi in ius processerit, ut post quadraginta annos omnimoda cessatio, cum integra fructuum perceptione,petatur et concedatur quotidie *in Civitatis Castellanae die 20 Septembris 1766* §. *Haec.*

Item *in Derthusen. Iubilationis die 14 Maii 1768* §. *Haec; in Pisauren. Iubilationis die 7 Iulii 1770* §. *Haec.*

12. Hinc ex benignitate Sacrae Congregationis sensim introductum est, ut Canonici et Beneficiati post laudabile et continuum quadraginta annorum servitium Ecclesiae praestitum, ab inserviendo in posterum eximantur, absque eo quod quidquam de fructibus et distributionibus amittant. Huius indulgentiae ratio ea potissimum fuit, ut spe immunitatis alacriores fierent Canonici et Beneficiati in praestando Ecclesiae servitio, quemadmodum advertit Fagnanus in Cap. *Licet* de praebendis n. 166 *in Spoletana Iubilationis die 18 Augusti 1770* §. *Nihil.*

13. Quapropter, non obstantibus Capituli exceptionibus ac Testibus ab eo adductis, dum satis superque constet de quadragenario servitio assidue et laudabiliter praestito, locus est indulto iubilationis *in Lauretana Iubilationis die 9 Iulii 1774 et die 2 Decembris 1775.*

14. Enimvero Nicolaus Bartolini Praepositus et Rector Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Stephani Oppidi Castri Fidardi Lauretanae Diaecesis, cum ob continuum et laudabile servitium ab ipso praestitum Ecclesiae suae spatio annorum quadraginta petierit a Sacra Congregatione Iubilationis indultum, in contradictorem invenit Capitulum dictae Collegiatae et Parochialis Ecclesiae praesidio depositionum plurium extraiudicialium Testium, quorum aliqui deponebant, Praepositum non solum in suo munere fuisse negligentem, sed etiam in servitio chori fraudolentum, et secularibus detentus curis, alii vero testabantur, eumdem Praepositum incubuisse fidelium excipiendis confessionibus tempore tantum divinorum Officiorum, deindeque recessisse, licet plures adessent, qui confiteri vellent, nec amplius ad Ecclesiam et ad confessionalem sedem rediisse, nisi quando sacrae functiones essent a Capitulo resumendae. Reliqui denique Testes asseruerunt, nullam quoad curam animarum diligentiam adhibuisse Praepositum, et in eum negligentiae gradum devenisse, ut nonnullos Parochianos sine Sacramentis, et quandoque etiam sine Sacerdote mori permiserit. Id autem evenisse conclusum voluit Capitulum, quia Praepositus negotia Secularium, et praesertim campestria gesserat, et huc illuc vel recreationis causa vacaverat, vel alia per-

agenda munia e loco discesserat. Praepositus vero contendit, quadragenarium servitium laudabiliter expletum satis probari ex iuratis depositionibus Sacristae Ecclesiae Notarii localis ac Cancellarii Episcopalis nec non ex pluribus elogiis, quae de bene peracto Rectoriae exercitio occasione sacrarum visitationum Episcopus fecerat. Praeter laudabile servitium accedere dixit etiam senectutem ac morbum, cum sexagesimum quartum aetatis annum iam ageret, assiduasque pateretur nervorum convulsiones, quarum causa pluries sensibus destituebatur, prout Medicus et Chirurgus testabantur. Nec sibi obesse putavit Canonicorum dissensum, quia ratio, cui illorum contradictio innitebatur, aperte repugnabat allatis Testium depositionibus et Episcopi relationi, quae plurimum attendi debebat. Ac praeterea observavit, Canonicum, cui cura animarum incumbit, haberi tamquam choro praesentem, dum sacramentales excipit confessiones. Episcopus, postquam retulit Capitularium dissensum, haec subdidit: – Fateor sane, Praepositum cumulate probare non solum quadragenarium servitium assidue et laudabiliter choro praestitum, verum etiam senilem aetatem malamque valetudinem, unde ex iugi Sacrae istius Congregationis praxi iubilationis indultum omnino mereatur –.

15. His interim perpensis, proposito dubio: – I. An sit concedenda iubilatio in casu etc. –, Sacra Congregatio die 9 iulii 1774 responsum tulit: – Ad primum, dilata; et scribatur Episcopo iuxta instructionem –. Scriptum hinc fuit Episcopo, ut super omnibus a Capitulo contra Praepositum deductis diligentius inquireret, illorumque aut cognovisset subsistentiam, aut fallaciam detegisset; et quoniam idem Episcopus in sua transmissa informatione dixerat, Praepositum cumulate probare quadragenarium servitium assidue et laudabiliter choro praestitum, ideoque referret, undenam huiusmodi probationem desumpsisset, et qua ratione id ei fuisset plenissime compertum, et si quae alia de Praepositi instantia, aut de Capituli contradictione animadversione digna putasset, haec una cum animi sui sententia exponere et distinctius referre non praetermitteret. His omnibus in utilitatem Propositi mirifice satisfecit Episcopus epistola sua Sacrae Congregationi transmissa, ubi praesertim contra Testes Canonicorumque machinationes idem Episcopus in haec verba prorupit: – Liceat mihi confidenter et ingenue asserere, graviter me fuisse commotum propter illaudabiles artes putidasque seductiones adhibitas ad subvertendum intellectum Testium maiori ex parte Ruricolarum aliorumque minus integrae famae expiscatorum ad parandam invidiam adversus Praepositum, qui in eius defensionibus noviter faciendis omnia, quae in eius perniciem et veritatis occultationem peracta sunt, in patulum proferet –. Reproposito igitur dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius – *in Lauretana Iubilationis die 2 Decembris 1775.*

16. Quum igitur sufficienter constet, continuo et laudabiliter fuisse praestitum servitium quadragenarium a Canonico acolytho ministrando in ordine sacerdotali, gaudere is merito debet obtento indulto iubilationis *in Novarien. Iubilationis die 13 Novembris 1694 lib. 44 Decretorum.*

17. Quin imo licet ob privata crimina laudabile non videretur Episcopo servitium Ecclesiae praestitum, sed accedente tandem eiusdem Episcopi voto ob Canonici senectutem et inopiam, nec non consensu duodecim Canonicorum, quatuor exceptis, qui eius servitium laudabile renunciarunt, Sacra Congregatio censuit, concedendum esse indultum iubilationis *in Anagnina Iubilationis die 9 Septembris 1797.*

18. Siquidem Sacerdos Paulus Leggi Anagninae Cathedralis Canonicus petiit anno 1792 indultum iubilationis, ob quadragenarium servitium chori. Non convenit in id Episcopus cum Capitulo. Is enim constare quidem retulit de materiali quadraginta annorum servitio, non item de laudabili, et a sua abstinuit sententia. Capitulum vero per resolutionem capitularem 17 martii 1792 concedendum censuit indultum ob quadragenarium servitium. Praescripserunt idcirco EE. PP. Oratori, ut de laudabili etiam doceret servitio; exhibuitque Orator sumptum librorum Capituli, ex quibus constabat, se ab anno 1752 ad annum 1792 integrum laudabili frequentia praestitisse servitium per duodecim cuiusque anni men-

ses, ita ut nec iuxta capitularos Constitutiones bimestri usus fuerit vacatione. Episcopus iterum auditus primum confirmavit votum, et multa Oratori obiiciens crimina, eum censuit indignum iubilatione. Ipsi adhaesit Capitulum; declaravitque, per secundam resolutionem 4 martii sequentis anni 1793 haud laudabile fuisse servitium Oratoris. Qua de re EE. PP. die 16 eiusdem mensis rescripserunt: – Lectum ad instantiam –. Biennio post haec Leggius siluit; ac variata deinde petitione, flagitavit infirmitatis causa indultum absessendi. Ad secundum tamen dubium in id propositum die 4 martii 1795, nempe: - An et quomodo sit concedendum indultum absentiae in casu etc. –, passus fuit Rescriptum: – Negative –. Spe deiectus abessendi, renovavit subinde instantiam iubilationis; constantique animo laudabile illius servitium negavit Episcopus, non ob graves defectus in choro, sed ob extranea crimina. Aliter vero in tertiis comitiis 14 ianuarii 1797 censuit Capitulum, quum quatuor exceptis duodecim Canonici pro laudabili servitio suffragium dedissent. Qua forsan capitulari resolutione motus Episcopus, altera senectutis et inopiae ratione, favit Oratori; ita novissimam concludens informationem: – Quamquam Leggius nunquam servivit laudabiliter, revera tamen servivit per annos quadraginta quatuor. Praeterea senex est, inopia premitur, atque ut parcat impensis et senili fruatur otio, vitam transigere cupit cum duobus filiis fratris, qui Romae commorantur. Ita forte, quod iure obtineri non potest, miserationis ratione obtinebitur –. Ceterum teste Notario, qui praestiti servitii annotationes extraxit, ex codicibus Capituli, ex iis constabat, paucis tantum diebus per annos quadraginta abfuisse Leggium a choro. At dubitari poterat de veritate extractionis factae ex libris. Ex epitome enim per Episcopum transmisso criminalium inquisitionum, quas Leggius intra quadragenarium illud tempus passus fuit, constabat, modo eum ad unam, modo ad alteram confugisse Ecclesiam, et saepe post diuturna vincula ad spiritualia damnatum fuisse exercitia. Dum haec profecto evenerunt, abesse debuit a choro, et tamen iuxta librorum sumptum, paucis tantum diebus exceptis, semper fuerat praesens. Quamquam ad rem conciliandam animadverti posset, habitum forsan fuisse Leggium, ob necessariam absentiam, pro praesente. Magis vero Episcopum offendebant Legii crimina, ne quadragenarium eius servitium, quod admittebat, diceret etiam laudabile. Sed ponderandum erat, num privata Canonici delicta influere valerent in publicum servitium chori. Rari profecto non sunt peccatores, qui tamen cum debita modestia et religione persolvunt divina officia in choro. Ut se de cetero ab appositis purgaret criminibus, opportunis iuribus Leggius probavit, pluries se pro capitularibus negotiis missum Romam in Synodalem Iudicem Pauperumque Advocatum a decessore Episcopo Antonini deputatum fuisse, et ab eo etiam Concionatoris munus obtinuisse.

19. His mature perpensis, proposito dubio: - An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative - *in Anagnina Iubilationis die 9 Septembris 1797.*

20. Qua de re quando ex hinc inde deductis satis constare quidem videtur de continuo et laudabili servitio Ecclesiae praestito, sed illud adhuc non esse complete quadragenarium, Sacra Congregatio concedit indultum iubilationis, addita clausula, expleto servitio currentis anni, ut plene fallentiae commissae compensentur, quin ullatenus obstent exceptiones de firma Canonici valetudine eiusque agendi ratione ceterisque huiusmodi *in Albinganen. Iubilationis die 27 Augusti 1859.*

21. Iamvero Sacerdos Philippus Lagorio die 27 iunii 1817 Canonicatum obtinuit in Collegiali Ecclesia Portus Mauritii. Cum hinc quadraginta et ultra annorum chorale servitium expleverit, in ea, qua versabatur, gravi sexaginta sex annorum aetate, rude donari ab Sacra Congregatione supplex postulavit. Canonici vero obstiterunt: ipsi enim dixerunt, ex librorum capitularium defectu ostendi non posse numerum fallentiarum; sed nullatenus constare de continuo quadragenario servitio, imo suasum esse iisdem, Lagorium plures annos sese exemisse a chorali servitio ultra tempus a Concilio Tridentino concessum. Contra servitium ab eo praestitum nullatenus laudabile dici posse pluribus ostenderunt. Primo, quia Lagorius nunquam psal-

lendo vocem suam protulit, adeo ut neque a proximioribus Canonicis audiri potuerit. Eamdem retulerunt socordiam exhibuisse quoad cantum, quatuor vel quinque annis postremis exceptis, quamvis canendi artem apprime calleret. Secundo, quia iugiter restitit Constitutionibus capitularibus ac mandatis Superiorum; atque ad rem retulerunt, ipsum protestatum fuisse contra remotionem a Capitulo decretam, auctorante Episcopo, cuiusdam Sacerdotis e gremio, ex eo quod suspensionem a divinis violare ausus fuerat, eamque protestationem inserere haud erubuisse penes acta laici Tribunalis. Tertio, quia nedum statutis capitularibus atque mandatis Superiorum parere renuit, sed ipsis etiam Ecclesiae legibus, et quod magis erat, Decretis Sedis Apostolicae per S. Poenitentiariae Tribunal editis. Quarto, quia tam in chorali officiatura, quam in Missa cum cantu rubricas sacrasque caeremonias parvipendit, eas proprio marte et ad commodum adimplens. Post haec observarunt, in vim legis notissimae diei 29 maii 1855 Capitulum propria bona amisisse. Evenire hinc facile posse, ut sensim morte Canonicorum adeo imminueretur psallentium numerus, ut nonnisi gravi superstitum incommodo chorale pensum expleri posset; iamque lamentabantur, amisisse Capitularem anno 1857, quin spes subrogationis affulgeret. Addiderunt, inter Capitulares recenseri Clericum Philippum Acquarone ineptum ad onera sibi incumbentia explenda, utpote qui sacris Ordinibus suscipiendis impar habebatur; recenseri pariter Canonicum Praepositum, qui amplae Paraeciae curis distentus choro frequenter abesse cogebatur, ita ut gravius aliis immineret onus psalmodiae. Adverterunt postremo, Lagorium, sex supra sexaginta annorum aetatem agentem, firma satis valetudine frui; nec proinde ullam subesse rationem, cur ab obligatione choralis interessentiae esset eximendus. Episcopus iis, quae Canonici exposuerunt, adhaesit; addens vero – reliquae exceptiones ac defectus, quos Canonici imputant Oratori relate ad chori servitium ab eo praestitum, utrum veri sint, ipsi tantum esse queunt testes et iudices, neque alia via mihi suppetit ad veritatem accuratius inquirendam... Verum ab annis quadraginta Oratorem Canonicatus possessionem adeptum esse, residentiam servasse, et choro per illud spatium plus minusve interfuisse, licet de sedulo servitio alicuius anni non satis constet fateri videntur ipsi Canonici –.

22. Haec tamen omnia pluribus refellere sategit Canonicus Lagorius. Ac primo usus est gravi Canonici Praepositi eiusdem Collegiatae testimonio, ex quo aperte evincebatur, ipsum per ultra quadraginta annos assidue canonicalibus ac parochialibus functionibus interfuisse, et nonnisi rarissime quotidianam officiaturam deseruisse; imo a nonnullis annis eum esse, qui chorale pondus sustineret, utpote prae aliis in Gregoriano cantu versatior, ita ut ad legile iugiter sese reciperet, dum plures alii in propria sede otiosi manebant. Ex eodem insuper testimonio habebatur, eumdem Lagorium etiam ante annum 1837 in Civitate ac alibi evangelicae praedicationi vacasse, et usque in praesens sacro eidem ministerio facilem sese praebere absque ulla retributionis spe. Ipsum etiam, auctorante Episcopo, sex ab illinc annis, quoties Parochum abesse contingeret, eius vices laudabiliter fungi. Eum tandem fuisse, qui primus anno 1855, absente Praeposito, animo vero sacerdotali tradere renuit gestoribus capsae ecclesiasticae libros ac titulos massae capitularis, ceu patebat etiam ex publicis ephemeridibus. Attulit praeterea testimonium Canonici eiusdem Collegiatae nec non Syndici ac Consulis Pontificii in ea degentis, qui omnes una cum Praeside et Secretario fabricae et organi pulsatore eadem propemodum repetebant, quae scripsit elogia Praepositus. Unde corruere in facto censuit praecipua Capituli obiecta. Attamen ut magis magisque suam vindicaret diligentiam moremque Capitulo gereret, authenticas viginti tres notulas protulit, in quibus propriae fallentiae obsignatae legebantur a Punctatore Capituli per annos triginta, ab anno scilicet 1820 usque ad mensem ianuarium currentis anni 1859. Ex iisdem demonstravit, fallentias annuales exiguas satis fuisse, et vix unquam decem libellas excessisse, ita ut, inito calculo, integra fallentiarum summa centum quadraginta quinque libellarum plus minusve solutionem secum tulerit. Quod si quandoque ultra tempus legitimae vacationis abfuerit, postremis plane duobus illis annis, quibus praeter quadraginta choro inservivit,

praeteritas omnes fallentias satis abundeque compensasse confidebat. Sed adductarum a Lagorio probationum vim extenuare studuerunt Canonici contendentes, Praepositi testimonium nihili esse faciendum, vel quia idem sentiebat ac Lagorius quoad neotericas illius Regni leges, vel quia eius testimonium quoad diligens chori servitium tamquam ex propria scientia editum retineri nequibat, cum nonnisi anno 1837 Praeposituram ipse obtinuerit, et ceteroquin animarum sollicitudine distentus non adeo diligens erat, ut valeret de alterius frequentia fidem praebere. De Syndici aliorumque laicorum depositionibus mirati sunt Canonici, neque enim satis intelligebant in rebus huiusmodi eorum competentiam; eo vel magis quod plene non constabat de eorum frequenti ad Ecclesiam accessu. Neque demum censuerunt diuturniori servitio compensatas dici posse fallentias; monuerunt siquidem, postremis illis temporibus nullatenus fuisse in melius mutatam a Lagorio eius agendi rationem.

23. Hisce utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum iubilationis indultum in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, expleto servitio currentis anni – *in Albinganen. Iubilationis die 27 Augusti 1859.*

24. Unde in Montisfalisci 31 ianuarii 1852 per Summaria precum Beneficiato Caietano Perla obiiciebat Capitulum plures fallentias, praesertim usque dum in Seminario commoratus fuerat. Quia tamen per ultra annum post quadragesimum servitium praestiterat, et ceteroquin desiderabantur fallentiarum regestra, praesertim de tempore Gallicae invasionis, aequitativum prodiit Rescriptum: – Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis post exactum integrum servitium currentis anni –. Nec secus in alia Montisfalisci 22 decembris 1855, et in Sutrina 22 septembris eiusdem anni inter supplices libellos relatae, in quibus, quamvis postulantes iubilationem aliquid in quadragenario servitio desiderandum relinquerent, eamque nihilominus benignitatem experti sunt, accepto Rescripto: – Pro gratia iubilationis post agnos – *in Albinganen. Iubilationis die 27 Augusti 1859* §. *In.*

25. Quin imo licet Canonicus, ad omnes tollendas ambiguitates super continuo et laudabili servitio spatio quadraginta annorum praestito, declaraverit, sibi satis esse, si concedendum iubilationis indultum post aliud tempus servitii effectum esset habiturum, nihilominus Sacra Congregatio, quum satis constaret de praedicto continuo et laudabili servitio spatio quadraginta annorum titulo etiam coadiutoris praestito, resolvit, absolute concedendum esse indultum iubilationis cum solitis clausulis, quin obesset, quod tempore iniustae suppressionis Capituli inservierit uti Canonicus honorarius, dum reapse verus ac legitimus erat Canonicus *in Ravennaten. Iubilationis die 21 Februarii 1824.*

26. Siquidem Dominicus Maioli die 8 martii 1783 per Literas Apostolicas Coadiutor datus fuit Canonico Valerio Rasponi, qui in Metropolitana Ecclesia Ravennatensi Canonicatum obtinuit, erectum sub titulo S. Marciani, cuius reditus ad annua scuta 500 circiter ascendebant. Novennio vix elapso, decessit Coadiutus, et Canonicatum anno 1792 Coadiutor est adeptus. At brevi contigit notissima publicarum privatarumque rerum perpetuo dolenda eversio, et anno 1798 omnia Ravennatensi Capitulo adempta fuere bona tam Mensae communis, quam Praebendae particularis, vixque concessa ad vitam fuere cuique Canonico annua scuta 114; vetitum autem eisdem fuit, ne vestibus canonicalibus, imo ne appellatione Canonicorum quoque uterentur. Ipsi autem, superpelliceo induti, horas canonicas in choro recitare non omiserunt, fallentiis a prima Dignitate ad earum memoriam servandam privatim adnotatis, atque ita ab eodem anno 1798 usque ad annum 1799 laudabiliter Ecclesiae inservierunt, nempe donec Ravennam tenentibus Austrorum copiis ampla Canonicis fuit tributa facultas utendi Canonicorum vestibus ac iuribus. Tunc autem reintegratum fuit chori servitium, et fallentiarum libri duo exarari ceperunt; et quamvis Ravennam idibus iulii 1800 rursus occupaverint Galli, de bonis Capituli unice solliciti, illa iterum abstulerunt, sed ea minime turbarunt, quae ad praefatum chori servitium et ad fallentias adnotandas pertinebant. Contigit deinde, ut anno 1805, qui summa rerum potiebantur, numerum unius et viginti Canonicorum Metropolitanae Ravennatensis Ec-

clesiae ad decem tantum reduxerint, quorum singuli annua scuta 257 assignarunt, ideoque ipsos *Canonici assignatarii,* pensionem autem *trattamento individuale* nuncuparunt. Ceteros Canonicos, quos inter Canonicum Maioli, qualibet praestatione destitutos, dixerunt *Canonici onorarii,* eisque nil aliud tribuerunt, quam – la ragione di succedere alle prime vacanze –. Verum, ut id assequerentur, opus erat, ut unusquisque successionem petens evinceret, se antiquiorem esse aliis Canonicis honorariis, simulque exhiberet – un certificato di avere lodevolmente servita la Chiesa, e che non risultasse alcun pregiudizio contrario alla di lui condotta –. Omnia haec implevit Canonicus honorarius Maioli, quum die 10 iulii 1807 obiit Canonicus assignatarius Ioseph Lovatelli; se enim antiquiorem esse Canonicum honorarium docuit, et Canonicum Aloisium Lovatelli deputatum Canonicum Iosephum Galletti Camerarium nec non Mansionarium Petrum a Turre Punctatorem Testes induxit asserentes, ipsum – da venticinque anni a questa parte, ora Canonico coadiutore, ed indi Canonico principale, avere sempre lodevolmente servito, come rilevasi dai libri d'appuntazione dell'accennato tempo, e segnatamente nei giorni di festa essere con assiduità intervenuto ai divini ufficii –. Igitur Defuncto Canonico assignatario Lovatelli successit Canonicus Maioli; cumque a die 8 martii 1783 iam anni quadraginta et ultra defluxissent, iubilationis indultum imploravit. Capitulum et Episcopus eum iubilatione dignum censuerunt; quamvis enim ab anno 1798 ad mensem septembris deficerent fallentiarum libri ad probandum continuum et laudabile servitium, id tamen aliunde satis probatum extabat. Quod si ab anno 1805 ad annum 1807 vacationes excessit *di punti* 860, sequentium autem annorum servitio has fallentias ita compensavit, ut – fatto il computo ha donato punti 3850 –. Denique ad omnes tollendas ambiguitates ac omnia eliminanda obstacula, declaravit Canonicus Maioli, sibi satis esse, si concedendum iubilationis indultum solummodo post diem 22 maii anni 1825 effectum esset habiturum.

27. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative cum solitis clausulis – *in Ravennaten. Iubilationis die 21 Februarii 1824.*

28. Nam ipsa praesumptio iuris, ubi adversum concludenter non demonstretur, stat pro diligentia Canonici, ut ait Sacer Ordo in Sutrina diei 21 februarii 1824 relata inter supplices libellos cura Emi Gamberini editos §. Archipresbiter; etenim negligentia, utpote culpa, non praesumitur, sed probanda est, ad legem 6 Cod. de dolo malo; adeoque, deficientibus fallentiarum libris, eo vel magis admittenda est probatio, exhibitis testimoniis de continuo et laudabili quadragenario servitio Ecclesiae praestito *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 17 Septembris 1842* §. *Primo.*

29. Idcirco iuxta constantem Sacrae Congregationis stylum, indulta iubilationis iis tantum conceduntur Canonicis, qui Ecclesiae suae continuum et laudabile servitium per quadraginta annos praestiterint, uti testatur Monacell. in form. leg. part. 1 tit. 2 form. 4 n. 13, Fargn. de iurepatronat. part. 5 can. 7 cas. 2 n. 4 *in Constantien. Iubilationis die 4 Maii 1837* §. *Porro.*

Item *in Piscien. Iubilationis die 12 Iunii 1819* §. *Verumtamen; in Albinganen. Iubilationis die 27 Augusti 1859* §. *Propius.*

30. Haudquaquam enim conceditur indultum iubilationis, si desit servitium quadraginta annorum spatio continuo et laudabiliter praestitum, licet gravis aetas ac morbus concurrant; quandoquidem quum eques Iosephus Maria Capponi Cappellanus Ecclesiae S. Mariae Montis Cassiani, in gravi septuaginta circiter annorum aetate constitutus ac hebete sibi iam reddita oculorum acie, postulaverit indultum iubilationis, commutato onere servitii chori in annuam celebrationem quinquaginta Missarum, praeterquamquod a tempore, quo ipse cepit Ecclesiae suae inservire, triginta septem dumtaxat anni eousque decurrerunt, accedebat notabilis circumstantia, quod nunquam voluerat Hebdomadarii munus obire, neque Missas, ut alii consuevere Capellani, per turnum canere, proposito dubio: – I. An sit locus indulto iubilationis a servitio chori et permutationis eiusdem cum onere Missarum favore equitis Iosephi Ma-

riae Capponi? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative in omnibus – *in Lauretana Indulti 10 Iunii 1741.*

31. Negatum hinc fuit indultum iubilationis Canonico, qui quadragenarium servitium complevisse putabat, sed nullatenus id probavit, computatis etiam septem annis, quibus ratione infirmitatis cum indultis S. Congregationis absens fuerat a choro, cum perceptione fructuum et distributionum, non secus ac si choro et divinis officiis personaliter interesset *in Romana Iubilationis die 6 Augusti 1712 lib. 62 Decretorum.*

32. Enimvero – ab anno usque 1669 Praebendam Canonicalem in Ecclesia SS. Celsi et Iuliani obtinuit Ioannes Petrus Strada, eique exactissimum impendisse servitium asserit ad annum usque 1702, quo exinde tempore, cum incisionem passus choro sistere nequiret, EE. PP. benignitate reportavit biennale indultum vocationis cum clausula: « et interim omnes fructus et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere, non secus ac si choro et divinis officiis personaliter interesset »; quod sane eadem perseverante, quin imo in dies exacerbante infirmitatis causa, quolibet biennio quinquies prorogari usque ad praesentem diem curavit. Ut igitur EE. VV. ab ipsius continuatis precibus se expediant, in praesentiarum iam dictus Orator iubilationis indultum demisse exposcit, autumans, quadragenarium curriculum iam absolvisse, computatis triginta tribus annis, quibus assiduum Ecclesiae servitium persolvit, cum aliis post reportatum supradictum indultum effluxis. Super quibus Oratoris precibus requisitus Emus Urbis Vicarius animadvertit, quadraginta plusquam annos exactos esse, quo Orator Canonicalem Praebendam obtinuit, ceterum de servitii assiduitate sibi nequaquam constare subdit, cum Eminentiae Suae exhibiti non fuerint chorales libri, ex quibus id erui potuerit, nullaque Canonicorum probatio accessit. Hinc Capitulo praememoratae Ecclesiae saepius lacessito, Orator ipse EE. VV. iustitiam simul ac aequanimitatem sub infrascripto dubio implorat: – An Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Romana Iubilationis die 6 Augusti 1712 lib. 62 Decretorum.*

33. Quando igitur non constat de laudabili servitio Ecclesiae praestito, haud locus est iubilationi, nec etiam locus est indulto abessendi a choro, nisi prius infirmitas probetur, ita ut Canonicus consulere debeat conscientiae suae, cum a choro abfuerit vi indulti, quod Sacra Congregatio non esse exequendum edixerat *in Vintimilien. Iubilationis die 26 Martii 1803 et die 2 Maii 1807.*

34. Siquidem ineunte anno 1761 Presbiter Orengo consequutus est Canonicatum in Cathedrali Albintimilii. Ratus anno 1801, se quadragenarium servitium explevisse, imploravit a Sacra Congregatione indultum iubilationis. At Canonici, habitis comitiis, acriter obstiterunt. Vicarius Capitularis retulit: – Interfuit quidem Orator per annos quadraginta continuos choro, utrum autem se laudabiliter gesserit, haud referre valeo –. Reiecta hinc fuit instantia per Rescriptum diei 12 septembris 1801: – Lectum –. Validius tum instetit Canonicus Orengo per novas preces, in quibus refutare sategit ea, quae a Capitulo opponebantur. Iterum rogatus est Vicarius Capitularis, qui referret – de continuo et laudabili servitio, perquisitis libris punctaturarum, et transmissa eorum summa –. Ex literis vero a Vicario Capitulari datis die 29 martii 1802 constitit, quod Canonicus Orengo munia Protectoris Seminarii et Oeconomi Mensae Episcopalis sedulo exercuit, et Pueros cathechesim domi docuerit, ut a defuncto Episcopo Claverini Beneficium simplex in compensationem meritorum consequutus fuerit. – Quo vero ad servitium chori attinet, perspectis tribus libellis punctaturarum, scilicet annorum 1793 1796 et 1798, quos tantum apud Canonicos invenire potui, ipsum Oratorem nulla malignitate gravatum inter negligentiores, quin imo ipsius defectus aliorum superare cognovi, et me praesente decem annorum spatio saepe saepius irreverentem perspexi –. Canonicus Orengo vero, ut probaret continuum et laudabile servitium, protulit testimonium Vicarii Capitularis, qui affirmabat – per annos circiter quadraginta huic Ecclesiae Cathedrali utile et laudabile servitium praestitisse doctrinam christianam quolibet tempore quadragesimali gratis Pueros edocendi domi suae –. Alios produxit Testes, qui praedicabant: – Si è sempre di-

portato da degno ecclesiastico nel lodevole quadragenario servizio prestato gratis a questa popolazione, insegnando annualmente in tempo di quaresima la dottrina cristiana –. Quod si aliquando in obeundo servitio chori negligentior fuit, id attribuit vel morbo, quo, teste Medico, afflictatus erat, vel rerum publicarum perturbationi, in quibus insons in exilium pulsus patria carere debuit, vel tandem muniis, quae exercuit, tum Protectoris Seminarii, tum Oeconomi Mensae Episcopalis. Advertebatur tamen, excusare se non posse a negligenti servitio, ex eo quod aliis erat muneribus distentus, vel ex infirmitate, vel exilio. Nam si haec impedire non poterant, quominus punctis fallentiarum notaretur, non videbantur idoneae causae, cur a se negligentiae notam abiiceret. Proposito hinc dubio: – An sit locus iubilationi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 martii 1803 responsum dedit: – Negative –.

35. Post haec Canonicus Orengo supplicavit pro indulto abessendi a choro causa infirmitatis; cumque de adversa valetudine docuisset per Medici depositionem, illud fuit concessum eadem die 26 martii et anno 1803 per Rescriptum: – Pro gratia iuxta petita, arbitrio et conscientiae Vicarii Capitularis ad annum, onerata si tamdiu –. At Vicarius Capitularis recusavit Decretum huiusmodi exequutioni committere tribus ex causis: prima scilicet fuit praeiudicium servitii choralis, cum ex undecim Canonicatibus alii vacui essent, alii vero Canonici infirmitatis causa abessent a choro, ita ut tres aut quatuor tantum divino servitio adessent. Altera causa stabat in valetudine Oratoris, quam negavit Vicarius Capitularis adeo esse adversam, ut servitium chori obire nequiret. Nam aiebat: – Septuagesimum aetatis annum excedit Orator, et incommoda sentit aetatis. Incommoda autem non sunt continua. Illius temperamentum forte est, robusta complexio, virilis vigor. Frequenter adit pedibus sua rura. Rura autem et possessiones non sunt proxima Civitati, sed dissita, viae montuosae, iter perincommodum. Murmurant nedum Populares, sed ipse Magistratus, cum vident Canonicum Oratorem, vel deambulantem, vel iter facientem horis divinae psalmodiae et alicui sacrae functioni statutis –. Tertia tandem causa erat, quod in illo Capitulo constitutae nondum erant distributiones quotidianae, sed a Canonicis punctaturae solvebantur. Capitulum autem semper a punctaturis exemit Canonicatum Olignani, quem ille possidebat, quoties ipse asseveravit, se ob infirmitatem choro interesse non posse. Proposito itaque in Congregatione diei 15 martii 1804 per Summaria precum instantia, qua Canonicus Olignani reclamabat a denegata a Vicario Capitulari exequutione indulti, rescriptum fuit: – Lectum –. Nihilominus praefatus Canonicus novo moderno Episcopo reticens forsan, S. Congregationem probasse denegatam exequutionem indulti, ac si res esset integra, postulavit die 20 iulii 1805 illius indulti exequutionem, atque expirato a mense iulio 1806 eiusdem indulti termino, postulavit exinde prorogationem, ex eo quod perseverabat infirmitatis causa. Preces remissae fuerunt Episcopo, ut, audito Capitulo, suam sententiam diceret. Episcopus, visa ac perpensa iurata Doctoris phisici fide, censuit, indulgendam ei esse propter infirmitatem ac aetatem septuaginta quinque annorum, in qua versabatur, prorogationem indulti abessendi a choro: censuitque inopportunum audire Capitulum, ne lites renovarentur. Episcopus vero affirmabat, Oratorem esse infirmum; sed hoc satis non erat, ut a choro abesse posset. Necesse erat enim probare, se ea infirmitate laborare, ut ei periculosum esset choro interesse.

36. His interim perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedenda prorogatio indulti diei 26 martii 1803 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo pro nova informatione et voto, audito Capitulo; et interim Orator consulat conscientiae suae quoad praeteritum – *in Vintimilien. die 2 Maii 1807.*

37. Unde nedum quando ex libris punctaturarum constet, deesse in Canonicum continuum laudabile servitium copulative cum lapsu quadraginta annorum, sed et quando habentur frequentes morbi podagrae aggressiones, nec non adesse videtur laudabile, non vero integrum servitium quadragenarium, nullatenus indulgetur dispensatio a servitio chori *in Setina Dispensationis a servitio chori die 22 Martii 1760.*

38. Iamvero ex tribus Dignitatibus Archipresbitero Archidiacono et Praeposito ac duodecim Canonicis constituebatur Capitulum Cathedralis Setinae, et inter hos Canonicus Stephanus Iucci Decanus ac Canonicus Ioseph Cerroni Poenitentiarius. Supplicavit Canonicus Cerroni pro dispensatione a servitio chori, sese offerens diebus festivis aliisque, quibus adesset Poenitentium concursus, excipere confessiones. Ast invenit contradictorem Canonicum Decanum, qui, numerans annos 43 servitii Ecclesiae, contendebat, sibi de iure deberi indultum iubilationis ad exclusionem dispensationis petitae a Canonico Poenitentiario, cum servitium eiusdem Ecclesiae non pateretur utriusque absentiam, ut referebat Episcopus; et ad hoc assequendum indultum allegabat, sibi non solum servitium quadragenarium assistere, sed etiam consensum Capituli eius precibus adhaerentis cum septem suffragiis, sex contrariis non obstantibus, quando ex opposito nonnisi quinque Canonico Cerroni favorabilia suffragia datum erat numerare, haud relevante, quod idem Cerronus prius ab undecim Canonicis consensum reportasset, cum attendi deberet consensus per suffragia secreta capitulariter praestitus, et non assensus mediante folii subscriptione ostiatim expiscatus. His tamen non obstantibus, cum ex libris punctaturarum constiterit, deesse in Canonico Decano continuum laudabile servitium copulative cum lapsu quadraginta annorum requisitum pro obtinendo indulto iubilationis, passus fuit idem Canonicus Decanus die 1 septembris 1759 postulati indulti denegationem. Feliciorem auspicans sortem ex adversarii repulsa Canonicus Cerroni contendit, sibi haud negari posse dispensationem, tum ex causa infirmitatis, ob frequentes morbi podagrae aggressiones per ea, quae firmat Antonell. de iur. cleric. lib. 2 part. 6 cap. ult. n. 125, tum ex ipsius laudabili servitio annorum 38 et mensium sex, non solum comprobato ex confessione fere omnium Canonicorum, sed etiam ex libris punctaturarum; reponebat nihilominus Canonicus Decanus, reiiciendam esse petitam dispensationem, tum ex defectu verificationis assidui laudabilis servitii, qui depromi nequibat ex attestatione Canonicorum et ex libris punctaturarum, non complectentibus integrum tempus servitii Canonici, tum ex indole morbi podagrae, non inferente perpetuum impedimentum servitio Ecclesiae. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit concedenda dispensatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Setina Dispensationis a servitio chori die 22 Martii 1760.*

39. Qua de re Canonicus, qui praestitit quidem spatio quadraginta annorum Ecclesiae suae servitium, sed ab ea quotannis plus minus abfuit ultra tempus a Statutis permissum, assequi non valet indultum iubilationis, licet ob huiusmodi incuriam pium ducentorum nummorum legatum per actum inter vivos praefatae Ecclesiae adscripserit, Canonici assensum praestent, atque Episcopus censeat, benigne concedi posse praedictum indultum *in Ripana Iubilationis die 8 Februarii 1783.*

40. Siquidem Capitulum Cathedralis Ecclesiae Ripanae, praeter Archipresbiterum et Archidiaconum, duodecim numerabat Canonicos, qui omnes infra annum gaudebant vacatione dierum dumtaxat quinquaginta. Inter huius Ecclesiae Canonicos die 25 octobris 1739 cooptatus fuit Sacerdos Nicolaus Sforza, qui, emenso quadraginta annorum servitio, iubilationis indultum efflagitavit. In capitularibus comitiis habitis die 16 iunii 1780, in quibus novem Canonici interfuerunt, Oratoris petitio per quinque suffragia favorabilia admissa fuit; restitit tamen alter Canonicus Dorothaeus Tommasi, et Sacrae Congregationi exposuit, iubilationem denegandam esse, cum non verificaretur in Canonico Sforza continuum et laudabile servitium. Relata inter Summaria precum Oratoris instantia, reiecta fuit in Congregatione diei 16 iunii 1781. Renovatis exinde precibus, petiit ab EE. PP. iubilationis indultum ob quadraginta et ultra annorum servitium iam praestitum, tum etiam propter eius ingravescentem aetatem et adversam, qua laborabat, valetudinem. Canonicus Sforza sustinuit, Ecclesiae inservisse annos duos supra quadraginta, et computatis tam diebus quinquaginta vacationum, quam aliis, quibus choro non interfuit, eius absentiam non excedere in unoquoque anno trimestre a Sacro Concilio Tridentino permissum, et trium Canonicorum depositione probare

nitebatur, quod Canonici integro die ab Ecclesia absentes novem punctis mulctarentur. Contra hanc Oratoris petitionem Canonicus Tommasi asseruit, ipsum assiduum Ecclesiae servitium non praestitisse,et dum choro interfuit, modestiam ecclesiastico viro dignam nequaquam servasse. Ex capitularibus libris, ubi Canonicorum fallentiae adnotabantur, quorum exemplar ab Episcopo transmissum fuerat, patebat, quod dictus Sforza ab anno 1740 ad annum usque 1780 praeter quinquaginta dierum vacationem ab Ecclesiae Statutis permissum, semper fere centum et ultra puncta, non raro etiam bis centena, quandoque tercenta et quingenta habuit, et in aliquibus annis excesserunt octingenta. Episcopus in literis diei 26 augusti anni 1780 testatus est, Oratoris petitionem per secreta suffragia a a Capitulo probatam esse, et Canonicum Dorothaeum Tommasi, – qui petitioni obstiterat, re maturius perpensa, suumque in Christo fratrem Canonicum Sforziam, omni deposita simultate, in gratiam amicitiamque suam suscipiens, suum illi assensum libentissime praebet, ut exoptatae iubilationis indultum consequatur. Idque recensitis ex causis et ego censeo benigne concedi posse –. Nam – aliquam in suo obeundo munere fatetur (Canonicus Sforza) incuriam, non eam tamen, ut magnam praeseferat culpam, si quadraginta annorum servitio computetur... Accedit, quod praefatus Canonicus Sforza pietate ductus, ac ut sui etiam animi tranquillitati ac securitati consuleret pium ducentorum nummorum legatum, liberali dispositione, quae dicitur inter vivos, cuius subsignatum chirographum iam Capitulo exhibuit, suae Ecclesiae adscripserit –. Ex alia relatione diei 13 decembris anni 1782 idem Episcopus, quae supra retulit, confirmavit, addens: – Accedunt habitualis mala Oratoris valetudo, lethalis praeterito anno ab eo passa infirmitas, senectus, quae et ipsa est morbus –. Et votum aperiens, conclusit: – Quibus perpensis rationum momentis, expetitum indultum censeo benigne concedi posse a summa benignitate EE. VV. –. Advertebatur vero, quod Concilium Tridentinum in sess. 24 cap. 12 de reformatione praeservaverit consuetudines et statuta, quae longius trium mensium servitium requirerent: hinc videndum erant, an Canonicus Sforza continuo et laudabiliter Ecclesiae suae servitium praestiterit, cum ultra quinquaginta dies abfuerit ab Ecclesia per tempus, quod trium mensium spatium attingit. Verum Canonici aegrotantes tempore quoque infirmitatis reiecti fuerunt a perceptione distributionum quotidianarum, si, quando incolumes erant, a choro abesse consueverint, ceu S. Congregatio pluries declaravit, ac signanter in Mantuana 6 februarii 1627 lib. 13 Decretorum pag. 197, in Ferrarien. die 12 septembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 522, in Reatina die 5 martii 1667 lib. 25 Decretorum pag. 345.

41. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16 iunii 1781 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Ripana Iubilationis die 8 Februarii 1783.*

42. Quin imo licet adesse videretur consuetudo, qua quisquis ex Capitularibus vix ad gradum Canonici antiquioris perveniret, illico iubilatus haberetur, nihilominus Sacra Congregatio resolvit, antiquiorem Canonicum gaudere non posse iubilationem vigore huiusmodi praetensae consuetudinis *in Barchinonen. Iubilationis die 19 Aprilis 1760.*

43. Enimvero vetustissima, immo etiam immemoriali consuetudine servatum dicebatur in Capitulo Cathedralis Ecclesiae Barchinonensis, ut qui ex viginti quatuor Canonicis, quibus Capitulum illud componebatur, ad Decanatus seu Canonici antiquioris gradum pervenisset, rude donatus seu, ut aiunt, iubilatus haberetur et lucrifaceret distributiones quotidianas, licet choro non interesset. Ad hunc gradum perventus Canonicus Ioseph Ribera, cum defuncto Episcopo Vicarius Capitularis renunciatus fuisset et huius Officii causa choro abfuisset, Capitulum distributiones quotidianas praestare renuit, contendens, aut servandum esse vetustissimum Ecclesiae statutum, quod in hanc rem servitium requirebat quinquaginta annorum, vel saltem aequiorem Sacrae Congregationis sententiam, quae vult quadraginta annorum servitium. Nam omnibus Canonicis indiscriminatim ac omnibus Beneficiatis in antiquo statuto Capitulari anni 1471 concedebatur iubilatio post quinquagenarium laudabile servitium, sub conditione

tamen, quod – sint praesentes in Civitate, et non absentes –. In alio autem statuto capitulari anni 1560 cautum erat, ut Canonici et Beneficiati, post expletum quadragenarium laudabile servitium, – assequantur dictum iubilaeum quantum ad matutinum tantum, et in reliquo non possint gaudere dicto iubilaeo, usque dum compleverint dictos quinquaginta annos –. Et denique in alia capitulari deliberatione anni 1569 rursus Canonici – decreverunt, quod de cetero Canonicus antiquior et Beneficiatus antiquior praesentis Ecclesiae, licet in ea per tempus quinquaginta annorum non servierint, sint iubilati, nec magis, nec minus, ac servierint in dicta Ecclesia quinquaginta annos –. Quamobrem ad easdem Constitutiones capitulares referendas esse sustinuit Capitulum iubilationes imposterum concessas Canonicis antiquioribus; idque probare autumavit, ex actu iubilationis datae antiquiori Canonico Ioanni Spunii anno 1571, cum expressa relatione ad easdem Constitutiones: – cum iuxta Constitutiones Capitulares praesentis Ecclesiae antiquior Canonicus seu antiquior Beneficiatus sint iubilandi –. Unde arguit, immemorabilem dici non posse consuetudinem, quam constabat habuisse initium a Decreto capitulari, et centenariam illius observantiam, quae ad certum titulum Constitutionum capitularium relata erat, inducere non posse praesumptionem Apostolici privilegii; quo seposito, nec immemorabilis, nec Constitutiones Capitulares suffragabantur ad acquirendam quoquo modo exemptionem a servitio Ecclesiae contra formam praescriptam a Sacro Concilio Tridentino in sess. 24 cap. 12 de reformatione, ut de simili statuto Ecclesiae Compostellanae ab immemorabili tempore observato definitum fuisse refert Fagnanus in Cap. *Licet* de praeben. a n. 34. Et eo minus censuit suffragari posse consuetudinem pro immunitate obtinenda a servitio Altaris ab Officiis oeconomicis; quia constabat, omnes Canonicos antiquiores, qui eousque fuerunt, et ipsum Ribera servitium Altari praestitisse in suis respectivis hebdomadis vel per se, vel per substitutum, et Officia oeconomica exercuisse, quoties a Capitulo electi fuerunt, ita ut, si de immunitate iudicandum esset ad tramites consuetudinis, ad illos solum actus extendi poterat, de quibus constabat, immunitatem assequutos fuisse praeteritos antiquiores. Canonicus Ribera vero consuetudinem probavit pluribus Testibus libris capitularibus et ipsius Capituli confessione, unde arguit, statuto non obstante, quod de ceteris Canonicis, non de eorum Decano accipiendum esset, iure hoc eum uti debere iustum esse, ita ut non solum distributiones quotidianas percipere posset, sed etiam immunis esset a servitio Altaris et ab Officiis oeconomicis Capituli, consequens hinc esset, compellendum esse Capitulum ad quotidianas distributiones, quas sibi retinuit, solvendas.

44. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Ioseph Ribera uti Canonicus antiquior gaudere possit iubilatione vigore praetensae consuetudinis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An iubilatio extendatur etiam ad exemptionem ab Officiis oeconomicis et a servitio Altaris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo – *in Barchinonen. Iubilationis die 19 Aprilis 1760.*

45. Nec itaque concedenda est iubilatio quoad horas diurnas et Missam Conventualem, quibus tantum, non vero matutino et primae, Canonicus continuo et laudabiliter interfuit, etiamsi Capitulum per secreta suffragia assensum praestet, Episcopus putet, benigne huiusmodi gratiam esse concedendam, ac testetur, invaluisse in Capitulis Cathedralis et Collegiatae opinionem, quod ad obtinendum pro dictis horis diurnis iubilationis indultum sit satis, si Canonicus per annos quadraginta ipsis continuo et laudabiliter interfuerit, licet defuerit nocturnis *in Placentina Iubilationis die 21 Iunii 1783.*

46. Siquidem Sacerdos Franciscus Zandemaria de mense aprilis 1741 Canonicatum obtinuit in Ecclesia Cathedrali Placentina. Emenso quadragenario servitio, iubilationis indultum efflagitavit. Cum autem ex praedefuncti Episcopi relatione compertum fuerit, ipsum continuo et laudabiliter choro interfuisse horis tantum diurnis et Missae Conventuali, raro tamen matutino et primae, quae summo mane decantari solebant, hinc illius petitio relata inter Summaria precum die 13 iulii 1782 reiecta fuit. Huic resolu-

tioni non acquiescens Orator, preces renovavit pro obtinenda iubilatione quoad horas diurnas, quibus interfuit laudabiliter; rogavitque, ut fas sibi foret iura sua deducere. Dixit itaque, plura conferre ad sibi indulgendam iubilationem quoad horas diurnas et Missam Conventualem, nempe Capituli consensum, aetatem ipsius, quae erat annorum supra septuaginta, et sufficientem, imo superabundantem Ministrorum numerum Ecclesiae inservientium, ita quidem, ut de sua absentia nullum divinus cultus detrimentum pateretur. Accedebat etiam, quod gratia iubilationis, coercita ad horas tantum diurnas et Missam Conventualem, conformis erat consuetudini tum Ecclesiae Cathedrali, tum Collegiatae S. Antonini, ubi aderant Canonici simili iubilationis indulto donati. Et ad id probandum duo protulit indulta, quorum alterum Galeatio Sanverino, Canonico Ecclesiae Cathedralis die 29 ianuarii 1735, ut in lib. 85 Decretorum, his verbis elargitum: – Sacra Congregatio, attenta relatione Episcopi, benigne commisit eidem, ut, constito sibi, quod Orator per quadraginta annos et ultra eidem Ecclesiae continuo et laudabiliter inservierit, pro suo arbitrio illi gratis indulgeat, ut dummodo non habeat Coadiutorem, quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset –. Alterum autem iubilationis indultum eadem Sacra Congregatio iisdem verbis die 7 septembris 1776 concesserat Ioanni Bonelli Canonico Basilicae S. Antonini. Defunctus Episcopus in sua relatione testatus est, Capitulum per secreta suffragia assensum, iuxta petita per Oratorem, praestitisse. Addidit, nullum ex libris punctaturarum extare monumentum, quo probaretur, ipsum habituali aegritudine praepeditum fuisse, ne matutino et primae interesset, imo ex praedictis libris oppositum educi. Retulit etiam, in Capitulis Cathedralis et Collegiatae opinionem invaluisse, – quod ad obtinendam pro horis diurnis iubilationis indultum sit satis, si Canonicus per annos quadraginta ipsis continuo et laudabiliter interfuerit, licet defuerit nocturnis –. Demum votum suum sic pandebat: – Quod spectat ad animi mei sententiam, quam iubeor aperire, id ipsum dico, quod alias scripsi hac super re, nimirum si sapientissimo EE. VV. iudicio gratiae per Oratorem petitae, obstare non videtur defectus residentiae et servitii quoad matutinum et primam, benigne concedendum puto iubilationis indultum quoad horas diurnas et Missam Conventualem, quibus reapse per quadraginta annos continuo interfuit.

47. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 13 iulii anni 1782 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Placentina Iubilationis die 21 Iunii 1783.*

48. Hinc Sacra Congregatio renuit approbare resolutionem capitularem, qua concedebatur iubilatio Dignitatibus et Canonicis post expletum servitium triginta quinque annorum, et Beneficiatis et Capellanis postquam ad annos quadraginta inservierint *in Segobricen. Iubilationis et Servitii chori die 15 Iunii 1816.*

49. Iamvero Collegium Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Segobricensis constabat quatuor Dignitatibus et decem Canonicis: praeterea in eadem Ecclesia triginta erant Beneficia et triginta tres Capellaniae ministeriales, et inter eas quatuor Subcantores et duo Psalmistae, quibus omnibus impositum erat ad chorum funera et cetera parochialia ministeria interesse: duo etiam erant Hebdomadarii optime dotati ad munus officii chori obeundum; tandem duo Vicarii, qui Paraeciae aderant et coadiuvabantur etiam ab Individuis ex quatuor familiis Regularium, quae erant intra moenia Civitatis. Praefatum Collegium Canonicorum anno 1802 decrevit, ut iubilatio Dignitatibus et Canonicis indulgeretur post expletum servitium triginta quinque annorum, Beneficiatis et Capellanis, postquam ad annos quadraginta inservierint. Hinc ab EE. PP. confirmationem postulavit. Rogatus Episcopus de singulis ad rem opportunis notitiis, re late exposita, conclusit: – Nihil praeiudicii aut detrimenti affici unquam posse iubilationis concessione et quarto vacationum mense sive ad Populi commodum et levamen, sive ad chori servitium dignum spectetur. His igitur omnibus expositis, iudico atque intelligo, hoc Dignitatum et Canonicorum huius Civitatis Segobricensis Collegium non

absque iustis causis exigere atque merere, ut iubilatio et quartus vacationum mensis illis dispensentur sub eisdem modis et terminis, quos in suis humillimis precibus expetunt etc., quibus nostras etiam enixe iungentes, ut vos illis benigne accedatis Emi Patres non frustra expectamus –. Quum autem nullum in iure scriptum privilegium habeatur, quo Canonicis, qui Ecclesiae inservierint, indultum iubilationis concedatur, sed toleranda consuetudine tantum id inoleverit, hinc praxis invaluit et scrupulosius retenta fuit a Sacra Congregatione, ut indulta huiusmodi generatim Capitularium corpori non concedantur, unde illis proprio marte liceat iubilatione frui post quadragenarium servitium; sed haec dumtaxat dari solet venia singulis recurrentibus in casibus particularibus, et quidem constito prius de continuo et laudabiliter expleto quadraginta annorum servitio ab iis, qui indulta huiusmodi implorant. Proposito igitur dubio: – I. An sit probanda resolutio capitularis Ecclesiae Segobricensis quoad indultam iubilationem omnibus Dignitatibus et Canonicis, qui ad annos triginta quinque, et Beneficiatis et Capellanis, qui ad annos quadraginta inservierint in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative in omnibus – *in Segobricen. Iubilationis et Servitii chori die 15 Iunii 1816.*

50. Amplia, licet adeo nimia Ecclesiae vastitas aeris rigiditas longa plurium horarum residentia in peragendis divinis officiis et in recitatione praesertim matutini nocturno tempore explenda concurrerent, ut vix ullus extitisse videretur, qui iubilationem assequi potuerit, nihilominus Sacra Congregatio approbare noluit statutum per Capitulum, auctorizante Episcopo, conditum, quo ad annos triginta reducebatur tempus pro consequenda iubilatione *in Segobien. Statutorum die 15 Decembris 1703 die 15 Novembris et die 20 Decembris 1704 lib. 53 et 54 Decretorum.*

51. Siquidem – immemorabilis invaluit, ut asseritur, consuetudo in Cathedrali Ecclesia Segobiensi dispensandi a residentia Canonicos ceterosque Praebendatos post quadraginta annorum servitium praestitum, elargiendo illis iubilationis indultum; et ulterius iuxta statuta a primaeva fundatione condita permittendi eisdem Canonicis ob animi solatium vacationes centum dierum extra Civitatem quolibet anno ac duorum dierum singulis mensibus intra Civitatem. Anno 1668 Capitulum dictae Cathedralis ad consulendum Canonicorum valetudini, attenta Ecclesiae nimia vastitate et aeris rigiditate, quae graviter capita Canonicorum choro assistentium offendit, deliberavit nova condere statuta, prout fecit, Episcopo auctorizante, quibus praecipue cautum fuit, quod praefato iubilationis indulto Canonici et Praebendati supradicti frui valerent post curriculum annorum triginta, et quod centum diebus concessis extra Urbem gaudere possent etiam in Urbe, et e contra duobus diebus pro quolibet mense assignatis intra Urbem frui etiam extra illam, permissa in utroque casu iubilationis scilicet et vacationum participatione fructuum et distributionum, exceptis iis, quae inter solos praesentes distribuuntur, quemadmodum observatur cum Praebendatis, qui ex iusta et rationabili causa de licentia Capituli non resident, ut ex copia statutorum per manus circumferenda. Huiusmodi statuta Apostolico munimine roborari exoptans Capitulum supradictum supplicem libellum ad hunc effectum porrexit Sanctissimo Domino Nostro, quo ad hanc Sacram Congregationem pro voto remisso, EE. VV. definient: – An statuta, de quibus agitur, sint confirmanda in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 decembris 1703 responsum dedit: – Negative quoad primam partem statuti, in qua petitur reductio temporis ad annos triginta pro consequenda iubilatione; Negative pariter quoad tertiam partem concernentem distributiones quotidianas; quo vero ad secundam partem respicientem tempus et locum vacationis, dilata –. Dignabuntur itaque EE. VV. quoad hanc secundam partem resolutionem capere seu doctissime definire: – An statuta, de quibus agitur, quoad secundam partem, respicientem tempus et locum vacationis, sint confirmanda in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 ianuarii 1704 respondit: – Scribatur stricte, an constet de statuto fundamentali –.

52. Rebus sic stantibus, exinde – repetendo nedum causas alias adductas nimiae vastitatis Ecclesiae rigiditatis aeris et laboriosae longaeque residentiae plurium anno-

rum in peragendis divinis Officiis et in recitatione praesertim matutini nocturno tempore explenda, propter quas in adversam valetudinem frequentissime Canonicis incidentibus, vix ullus extitisse dicitur, qui iubilationem post tam diuturni servitii spatium assequi potuerit, idem Capitulum, adducto exemplo similis gratiae per Gregorium XV de anno 1621 ex eisdem fere causis concessae Capitulo Burgensi, indulgentiam Sacrae Congregationis implorat, dum ab EE. VV. responderi humiliter supplicat: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 15 decembris 1703? –, Sacra Congregatio die 15 novembris 1704 responsum dedit: – In decisis –. Reproposito mox dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15 decembris 1703 et 15 novembris 1704? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Segobien. Statutorum die 20 Decembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

53. Qua de re non substinetur indultum iubilationis, si fuerit obtentum sub falsa narrativa servitii Ecclesiae laudabiliter praestiti spatio quadraginta annorum *in Maceraten. Iubilationis die 8 Martii 1698 lib. 48 Decretorum.*

54. Enimvero - sub narrativa servitii Ecclesiae laudabiliter praestiti spatio quadraginta annorum Ludovicus Carbonus Canonicus Ecclesiae Cathedralis obtinuit anno praeterito ab hac Sacra Congregatione indultum iubilationis, quod licet Vicarius Episcopi exequi pluries mandaverit, Canonici tamen praetendentes, illud fuisse nulliter et subreptitie obtentum, ob defectum in Oratore quadragenarii laudabilis servitii, acriter illius executioni se opposuerunt, interpositoque recursu ad EE. VV., responderi modo humiliter supplicant, utraque Parte informante: – An indultum iubilationis substineatur, vel potius sit revocandum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Indultum non substineri – *in Maceraten. Iubilationis die 8 Martii 1698 lib. 47 Decretorum.*

55. Quamvis enim materia iubilationis quodam respectu favorabilis dici possit, quia est praemium laboris, ac tendit in ipsius Ecclesiae utilitatem, alacriores siquidem magisque solertes ex hac immunitatis spe fiunt Praebendati in praestando servitio, sub alio tamen respectu est etiam odiosa, quia per eam Ecclesiae servitium imminuitur; unde factum est, ut continuo plenoque deficiente servitio non modo negaverit Sacra Congregatio indultum, sed concessum etiam illud revocaverit *in Placentina Iubilationis die 28 Iulii 1787* §. *Etsi.*

Item *in Albinganen. Iubilationis die 27 Augusti 1859* §. *Propius.*

56. Unde indultum iubilationis non sustinetur, ac ea propter revocari debet, quando constet, neque spatio quadraginta annorum revera continuum, neque laudabile fuisse servitium a Canonico Ecclesiae suae praestitum, cum ipse pluribus ab annis nocturnis horis nunquam, rarissime diurnis interfuerit, et per quatuor novissimos annos neque nocturnis, neque diurnis horis ad chorum unquam accesserit *in Constantien. Iubilationis die 4 Maii 1737.*

57. Siquidem Franciscus Leontius Cysat Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Leodegarii Lucernae fretus iubilationis indulto, quod in praemium continui et laudabilis servitii spatio quadraginta et ultra annorum Ecclesiae suae, uti exposuerat, a se praestiti sub diem 23 aprilis 1735 ab Sacra Congregatione impetravit consueta sub clausula, – ut, quamvis imposterum non inserviat, nihilominus omnes fructus et distributiones sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interesset –, non solum cepit contendere, neque per se ipsum, neque per alium Presbiterum, quem vocabant Sacellanum honoris, amplius teneri Missas solemnes vel privatas tam in Altari S. Crucis, quam in altero privilegiato celebrare, multoque minus alias quascumque functiones per turnum in sua hebdomada peragere, verum etiam praeter cetera emolumenta, ea quoque sibi deberi, quae vigiliae nuncupabantur, quaeque ex officio defunctorum, quod in choro singulis diebus ante Anniversariorum celebrationem recitabatur, percipi solebant. At renuens Capitulum, cuius assensus iuxta conditionem in praefato indulto apposito accedere debebat, illius votis acquiescere, sustinuit, indultum iubilationis esse revocandum, cum neque spatio quadraginta annorum revera continuum, neque laudabile fuerit servitium. Namque pluribus ipse

ab illinc annis nocturnis nunquam, rarissime vero diurnis interfuerat; et per quatuor novissimos annos neque nocturnis, neque diurnis horis ad chorum unquam accesserat, ac tempore, quo choro vacaverat, praeter alios excessus, cauponas cum Populi scandalo solebat frequentare, iuxta allatam nonnullorum Testium depositionem. Putavit autem, eidem Canonico suffragari non posse allegatam infirmitatem et linguae impedimentum, quo ipse asserebat, se iampridem fuisse detentum; primo, quia non docebat, eam toto tempore, quo a chori Ecclesiaeque servitio abfuit, perdurasse; secundo, quia asserta infirmitatis causa non fuit ab Ordinario approbata, neque ob illam constabat, ab S. Congregatione obtentum fuisse consuetum indultum itidem necessarium, ut in hunc finem ratio temporis, quo a chori Ecclesiaeque servitio Canonicus vacat, haberi posset. Quod si validum renunciari deberet praefatum indultum iubilationis, illud sub duplici conditione admittendum foret, quod scilicet Canonicus Cysat teneretur per se ipsum vel per Sacellanum honoris memoratas functiones per turnum explere, quodque ex controversis vigiliarum emolumentis quidquam nullatenus participaret. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineatur Indultum, de quo agitur, in casu etc. II. An et quas conditiones liceat imponere in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, provisum in primo – *in Constantien. Iubilationis die 4 Maii 1737.*

58. Idcirco licet gratia iubilationis iam sit concessa iuxta votum et relationem Archiepiscopi, non propterea sustinetur et est exequenda, cum Capitulum ostendat, haud concurrere integrum quadragenarium servitium, ex quo Iubilatus inservivit spatio sex annorum tamquam Clericus, duo uti Subdiaconus, et triginta sex dumtaxat in qualitate Sacerdotis, ac infirmitates non esse adeo graves, ut possint eum eximere ab Ecclesiae servitio *in Tranen. Iubilationis die 13 Ianuarii 1703 lib. 53 Decretorum.*

59. Enimvero – ob continuum ac laudabile servitium spatio quadraginta quatuor annorum praestitum per Sacerdotem Philippum Bonellum Archipresbiterum non curatum Ecclesiae S. Mariae Maioris Civitatis Baruli, prius tamen in qualitate Clerici deinde Subdiaconi et postremo Presbiteri, ac propter eius infirmitates, quarum causa impotens fere est ad personale servitium dictae Ecclesiae praestandum, iuxta relationem et votum Archiepiscopi, Sacra haec Congregatio die 18 februarii anni iam labentis benigne eidem indulsit gratiam iubilationis, in cuius executionem dictus Archiepiscopus die 3 aprilis per suum Decretum demandavit Punctatoribus, ut illum tamquam praesentem in omnibus functionibus reputarent. Huic Decreto quamvis ab initio Capitulum dictae Ecclesiae acquieverit, post paucos tamen dies illi parere reluctavit, qua de re habito recursu per supradictum Bonellum ad EE. VV., exquisitaque nova relatione Archiepiscopi, audito Capitulo, ipse praedicta omnia iterum confirmans, ait, Capitulum praetendere, quod Orator supradictus non expleverit integrum quadragenarium servitium, ex quo inservivit spatio sex annorum tamquam Clericus, duo uti Subdiaconus, et triginta sex dumtaxat in qualitate Sacerdotis; ulterius quod infirmitates illius non sint adeo graves, ut possint eum eximere ab Ecclesiae servitio, et demum quod dictum indultum iubilationis saltem suffragari non debeat Oratori quoad distributiones funeralium et anniversariorum, quae debentur dumtaxat interessentibus; quibus tamen non obstantibus, idem Archiepiscopus adhuc existimat Oratorem dignum gratia, iam ab EE. VV. reportata, nedum ob dictum servitium laudabiliter praestitum, verum etiam causa infirmitatum, quae iuxta relationes Physicorum sunt magni momenti, maximumque praeiudicium eius sanitati quotidie minitantes; quo vero ad emolumenta funerum et anniversariorum censet pariter, esse debita, tum vigore indulti iubilationis, tum etiam ex antiqua consuetudine in eadem Ecclesia vigente, quod scilicet illi, qui assiduis morbis sunt detenti, gaudeant huiusmodi emolumentis, ut fusius habetur in illius informatione per manus circumferenda. Quibus omnibus attentis, EE. VV. respondere non gravabuntur: – I. An gratia iubilationis iam concessa substineatur et sit exequenda? –, Sacra Congregatio responsum tulit:

– Negative – *in Tranen. Iubilationis die 13 Ianuarii 1703 lib. 53 Decretorum* (1).

60. Nam in praefata Tranen. Iubilationis agebatur de imputando tempore, quo Orator ad Altaris servitium fuerat adstrictus ex Ecclesiae Receptitiae statuto, antequam ad Canonicatum admitteretur, quod officium profecto a chori servitio valde distat *in Romana Iubilationis die 18 Decembris 1847* §. *Quod.*

61. Unde in una Ceriniolen. diei 18 augusti 1827 instabat pro iubilationis indulto Canonicus Nicolaus Maria Chiomenti; verum ex eo quod ante annum 1818 Ecclesia nec Collegiata esset, sed tantum Receptitia, ipse licet choro interfuisset et portionem fuisset assequutus, habuit responsum: – Lectum, et non esse locum instantiae –. Servitium enim, quod in Ecclesiis Receptitiis praestatur, toto caelo diversum habetur chorali officio *in Romana Iubilationis die 18 Decembris 1847* §. *In* §. *Quod.*

62. Namque praxis concedendi indulta iubilationis non absolute et simpliciter sibi vindicat locum, sed in hypothesi, in qua plane doceatur de servitio praestito spatio annorum quadraginta, et quidem cum qualitate continui et laudabilis, uti non solum colligitur ex formula indulti, sed etiam desumitur ex Rescriptis Sacrae Congregationis, in quibus vel denegata fuit iubilatio, non obstante servitio annorum quadraginta, ex quo ipsum non fuerat continuum et laudabile, vel iubilatio, quamvis concessa, fuit revocata, quia ostensum fuit, servitium annorum quadraginta non fuisse continuum et laudabile *in Dubia Iubilationum die 24 Septembris 1718* §. *Et.*

Item *in Civitatis Castellanae die 20 Septembris 1766* §. *Verum; in Derthusen. Iubilationis die 14 Maii 1768* §. *Verum; in Pisauren. Iubilationis die 7 Iulii 1770* §. *Verum.*

63. Quin imo constans est Sacrae Congregationis stylus non impertiendi iubilationis indultum, nisi iis Canonicis sive Beneficiatis, qui Ecclesiae suae integrum continuum et laudabile servitium per quadraginta et ultra annos praestiterint; nulla habita ratione provectae vel decrepitae aetatis aut habitualis, quo forte laborent, morbi, uti testantur Monacellius form. leg. part. 1 tit. 2 n. 13, Fargna de iurepatronat. part. 5 can. 7 cas. 2 a n. 4 *in Lauretana Indulti die 10 Iunii 1741* §. *Porro.*

Item *in Imolen. Iubilationis die 19 Maii 1832* §. *Verum.*

64. Infirmitas enim quantacumque sit non prodest ad obtinendum indultum iubilationis *in Praenestina Iubilationis die 17 Septembris 1808* §. *Cum.*

65. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, iubilationem non esse concedendam ex solo motivo senectutis et infirmitatum, deficiente servitio laudabili quadraginta annorum *in Romana Iubilationis die 10 Aprilis 1660 lib. 22 Decretorum pag. 87 a tergo.*

66. Quapropter iubilationis indultum non esse exequendum respondit Sacra Congregatio, stante oppositione Canonicorum, Iubilatum non complevisse quadragenarium servitium, illoque tamen aetate et infirmitate confecto praetendente, completum fuisse, computato triennio, quo cum indulto S. Congregationis abfuit causa studii, concessit indultum vacandi a servitio chori per biennium *in Nepesina Iubilationis die 28 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

67. Iamvero – Ioseph Carosellus Canonicus Cathedralis Ecclesiae Nepesinae obtinuit de mense augusti proxime praeteriti iubilationis indultum ab hac Sacra Congregatione illi Episcopo pro executione directum cum clausula consueta: « Constito sibi, quod Orator per quadraginta annos et ultra praefatae Ecclesiae continuo et laudabiliter inservierit, illi gratis indulgeat, ut, quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus et omnes distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset ». Executioni huiusmodi gratiae obstitit Capitulum Cathedralis praedictae sub eo motivo, quod Orator nondum compleverit actuale servitium quadragenarium. Atqui e contra, praetendente ipso Oratore, ad complementum dicti servitii quadragenarii fore computandum triennium, quod cum asserto indulto eiusdem Sacrae Congregationis causa studii in Urbe

(1) Reliqua habes in Verb. *Archipresbiter*, §. III, n. 46 et 47, Tom. II.

moratus fuit, recurrit ad eamdem pro declaratione. Episcopus de more informare requisitus retulit, Oratorem post adeptam possessionem sui Canonicatus sub die 13 februarii 1670 de licentia huius Sacrae Congregationis moram traxisse Romae per triennium causa studii, reversumque deinde ad residentiam laudabiliter et frequenter inserviisse choro spatio annorum triginta octo cum dimidio: unde existimat, non obstante defectu unius anni cum dimidio respectu actualis servitii, indulgendam fore gratiam Oratori aetate et infirmitate confecto, cum ceteroquin sexdecim alii Canonici supersint pro servitio Ecclesiae, uti latius ex relatione danda in Summario. Praefixit insuper informans terminum Capitulo ad deducenda sua iura in hac Sacra Congregatione, ab eoque transmissum fuit folium adversus Oratorem, in quo probare studet, Canonicum studiorum causa absentem haberi tamquam praesentem et residentem, non vero uti interessentem, qui solus dicitur, qui vere ac continuo Ecclesiae inservit, deducendo id ex stylo huius Sacrae Congregationis indulgendi huiusmodi Canonicis absentibus studiorum causa fructus Praebendae dumtaxat, non autem quotidianas distributiones, nisi duas tantum ex tribus partibus in casu, quo omnes reditus distributionibus constent; ex quo cum dictus Canonicus in supradicta absentia censeatur praesens fictione iuris et ex privilegio, nunquam vero inserviens, propterea gaudere non valeat indulto iubilationis, requirente verum et actuale servitium per interessentiam. Hinc rogat Orator EE. VV. pro resolutione dubii, ex deducendis sapienter resolvendi: – An iubilationis indultum ab Oratore obtentum sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et pro concessione indulti vacandi a servitio chori per biennium – *in Nepesina Iubilationis die 28 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

68. Imo licet Canonicus in gravi septuaginta annorum aetate versaretur nec non gravi laboraret infirmitate, nihilominus Sacra Congregatio indulsit quidem dispensationem ad annum a residentia, durante infirmitate et onerata conscientia Oratoris, sed haud censuit, concedendam esse iubilationem, dum is Ecclesiae deservierat solis triginta octo annis, neque assiduum et laudabile videbatur Episcopo servitium ab eo praestitum *in Hieracen. Dispensationis die 27 Martii 1762* (1).

69. Unde prae indulto iubilationis Sacra Congregatio censuit, concedendum esse indultum vacationis a servitio chori ad triennium Canonico agenti aetatis suae annum septuagesimum secundum, qui primum per duodecim annos servitium praestitit, quin esset in sacris constitutus, habito tamen indulto dilationis a Sacra Congregatione, ac dein, absentia intermissa, servitium reassumpsit et successive continuo per alios viginti octo annos explevit, comprehensis in hoc temporis decursu quibusdam indultis pro hyemali praesertim tempore obtentis, ad tres alios menses in anno pro ultimis quinque annis, ultra absentiam a Tridentino et Capitularibus Constitutionibus permissam *in Florentina Iubilationis die 10 Ianuarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

70. Siquidem – ad preces Rogerii Minerbetti Canonici Ecclesiae Metropolitanae supplicantis pro indulto iubilationis ob servitium quadragenarium in eadem Ecclesia ab eo praestitum, Archiepiscopus Florentinus informare requisitus haec retulit: « Oratorem fuisse usque de anno 1666 ab Apostolica Sede provisum de Canonicatu et Praebenda, quos obtinet in hac Ecclesia Metropolitana, et ex tunc dictae Ecclesiae et choro quadraginta annorum spatio laudabiliter inserviisse, hoc est primo loco per duodecim annos, dum in sacris adhuc constitutus non erat, a die videlicet 18 iunii eiusdem anni usque ad diem 18 iunii 1678, habito tamen semper illo interim ab ista Sacra Congregatione gratioso indulto dilationis per varias prorogationes extenso ad sacros Ordines suscipiendos. Deinde absentia intermissa, et non priusquam sub die 23 septembris 1682 actualiter in sacris constitutum, servitium praedictum reassumpsisse, et successive continuo per alios 28 annos quadragenarium numerum cum aliis primis duodecim superius dictis constituentes praestitisse, comprehensis in hoc tempo-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Dispensatio*, §. III, n. 54 et 55, Tom. VII.

ris decursu quibusdam absentiae indultis, pro hyemali praesertim tempore ab EE. VV. obtentis, servandae causa bonae valetudinis, et ad effugiendum aer ei noxium, ad tres alios menses in anno pro ultimis quinque annis, ultra ordinariam absentiam a Tridentino Concilio et Capitularibus Constitutionibus permissam. Orator modo agit aetatis suae annum septuagesimum secundum, Capitulum vero super hoc auditum in superius expositis plene concordat, et circa petitam iubilationem huiusmodi nil habet in contrarium. Unde ut meam insuper iuxta pariter EE. VV. mandata sententiam adiiciam, illam ei indulgeri posse censerem ». Sub die 15 praeterlapsi mensis, proposita hac Causa, iussum fuit, ut poneretur in folio, quemadmodum hodie in obsequium huius Rescripti proponitur EE. VV., ut, ex ab Oratore deducendis, dignentur declarare: – An iubilationis indultum sit concedendum Canonico Minerbetto in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Esse concedendum indultum vacationis a servitio chori ad triennium – *in Florentina Iubilationis die 10 Ianuarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

71. Quum autem Canonicus causa infirmitatis quadragenarium servitium interpolate praestiterit, ac tribus fere annis, ob causas sibi notas, ab Episcopo fuerit suspensus, Sacra Congregatio mandavit, ut audiretur Episcopus in Curia *in Aversana Iubilationis die 3 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum.*

72. Iamvero – ob praestitum personale servitium Cathedrali Ecclesiae Aversanae quadraginta annorum decursu, Canonicus Hieronymus de Auxilio, iam senio confectus ac assiduis praepeditus morbis, ut tandem emerita quiete perfrui valeret, supplex huic Sacrae Congregationi super benigna indulti iubilationis concessione, preces porrexit, quibus de more ad Ordinarium datis, ut super eisdem, audito Capitulo, informaret, retulit, dictum Oratorem interpolate ac parum laudabiliter suo muneri satisfecisse. At, eo non acquiescente, fuit successive Episcopo iniunctum, ut probationes hinc inde reciperet, easque ad hanc S. Congregationem transmitteret, in cuius Rescripti adimplementum, tribus examinatis Testibus cum interrogatoriis, pro parte Capituli exhibitis, eorumque depositionibus iterum remissis, colligitur, praefatum Canonicum quadragenarium servitium, licet causa infirmitatis, aliquando interpolate Ecclesiae praestitisse, affectionibus hypocondriacis, podagra aliisque languoribus assiduo detineri, tribus fere ab hinc annis fuisse ab eodem Episcopo ob sibi notas causas suspensum, verum postea remansisse absolutum, et tandem ob inservientium numerositatem, Ecclesiam nullam pati servitii diminutionem. Quibus ex facto praehabitis, EE. VV. erit decernere: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Audiatur Episcopus in Curia – *in Aversana Iubilationis die 3 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum.*

73. Quod si constet de quadragenario servitio continuo et laudabiliter Ecclesiae praestito, indultum iubilationis denegari praesertim non solet, ubi rationabilis accedat longaevae aetatis et adversae valetudinis causa, Card. De Luca de Can. disc. 15 n. 6 *in Spoletana Iubilationis die 18 Augusti 1770* §. *Ait.*

Item *in Imolen. Iubilationis die 19 Maii 1832* §. *Etsi.*

74. Indultum enim iubilationis non tantum fundatur in merito praestiti servitii, sed innititur etiam adversae valetudini Beneficiati, qui attenta aetate nequit servitium continuare, Pignatell. consult. 224 n. 19 tom. 4 *in Urbanien. Iubilationis die 25 Iunii 1836* §. *Hisce.*

75. Quapropter locus est iubilationi, si praeter servitium quadraginta annorum continuo et laudabiliter praestitum gravis etiam infirmitas concurrat, quin obstet, quod admodum leve sit chori Ecclesiaeque servitium, nec non alii Canonici indultum iubilationis immerito petant; quandoquidem quum Philippus Ragone Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Petri Montis Corvini, quae praeter quatuor Dignitates viginti Canonicis constabat, postulaverit indultum iubilationis, ac sex alii Canonici illud pariter efflagitaverint, sed Episcopus retulerit, praefatos sex Canonicos Indultum iubilationis petiisse, ne dictus Ragone simile indultum obtineret, quin iidem praefatum indultum mererentur, Canonicum Ragone vero nedum spatio quadraginta

annorum revera continuo et laudabiliter servitium praestitisse, sed et – cancro, quo tenetur, exosam habere faciem oculumque, ac prorsus inserviendi Ecclesiae inhabilem esse –, considerandum tamen proposuerit, – quod, cum servitium huius Collegiatae adimpleatur per quatuor hebdomadas, quisque Canonicus non prius quam pro quarta parte mensis atque anni tantum inservit, additisque aliis diebus primae vel secundae classis aliarumque functionum nunquam impletur pro medietate anni, ideoque decursus quadraginta duorum annorum vix computari poterit pro viginti –, proposito dubio: – II. An sit locus iubilationi et exemptioni a choro et ad quem effectum in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, deberi praedicto Canonico Ragone,attenta eius infirmitate, distributiones quotidianas et alia emolumenta, iis exceptis, quae iuxta Testatorum voluntatem debentur tantum actu interessentibus, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative ad effectum obtinendi indultum iuxta formam consuetam – *in Acernen. Distributionum quotidianarum et Iubilationis die 11 Aprilis 1739.*

76. Unde si Canonicus probat, se ob habituales morbos raro choro interfuisse, elapso quadraginta annorum spatio, ne dubium quidem, quod ei sit concedendum iubilationis indultum, quin ullatenus obstet iniusta Capituli contradictio *in Perusina Iubilationis die 13 Iunii 1795.*

77. Siquidem ex fundatione Capellaniae Donati addictus erat Capellanus Philippus Naldini ab anno 1754 chorali servitio Perusinae Cathedralis. Ob podagricum vero aliosque habituales morbos deserere cepit chorum ab anno 1758, ac raro ei eousque interfuit. Saepe hac de re punctaturis mulctatus, poenam sanatoriis aliisque modis evasit. Sacram Congregationem idcirco adierunt Canonici, editoque sub die 17 augusti 1793 Rescripto: – Utantur iure suo coram Episcopo ad formam sacrorum Canonum –, sequestrationem meditabantur fructuum Capellaniae. Huic etiam periculo Naldinius occurrit, petiitque ab EE. PP. iubilationis indultum; atque viriliter contradicente Capitulo, haec Perusinus habuit Episcopus: – Omnia, quae respiciunt instantiam pro iubilatione Sacerdotis et Capellani choralis huius meae Cathedralis Philippi Naldini,prostant in foliis humiliter adnexis. Ad ea per Capitulum exposita non est profectò, quod per me in contrarium adducantur. Orator ex adverso iura sua protueri contendit in folio insertis roborato documentis –. Posita habituali infirmitate Naldinii, res pro eius iubilatione dici potuisset explorata: sed quaestio erat facti. Talem Canonici non fuisse asserebant Oratoris morbum, ut sine gravi incommodo interesse non potuerit choro. Notorium enim dixerunt, quolibet eum anni tempore egredi consuevisse e domo ad celebrandum in alia Ecclesia Sacrum, aliaque per frequentiores Civitatis regiones agenda negotia, plura in Anconam Romam Hetruriam habuisse itinera, saepe ad voluptatis aedes pedibus ivisse, pedibusque Perusiam rediisse. Plures Naldinius opposuit iuratas Medicorum depositiones, qui eum ab anno 1758, sub quo fallentiarum epocam statuebant Capitulares, habituali morbo affectum fuisse affirmabant ad annum 1793. Qua sane de causa iubilationem obtinuit anno 1774 a Collegio Doctorum phisicae medicinae, et anno 1781 a Collegio Doctorum theologiae et philosophiae. Anno 1776 de consensu Capituli choralem ab Ordinario impetravit exemptionem,– durante mala valetudine –, et anno tandem 1782 indultum celebrandi in Oratorio privato, et una hora post meridiem, quoniam, ipso testante Vicario Generali, corporalibus ita vexabatur – indispositionibus et podagra praesertim, ut e domo exire nequeat –. Tunc vero cum Romam venisset, tres Medici nempe Saliceti Bonelli et Mora, de eo ita sub iuramento testati sunt – di aver rilevato ad evidenza fieri attacchi nervini nefritici e podagrosi con sputi di sangue lo hanno tormentato constantemente fin dalla sua gioventù –; atque idcirco praescribendum putarunt, – che debba prevalersi delle benigne concessioni accordategli di non intervenire al sagro impiego del coro, col far poi soggiorno in un clima il più confacente al suo cagionevole e sensibilissimo temperamento –. Eodemque tandem anno 1783 hac ipsa de causa facultatem vescendi cibis paschalibus in quadragesima aliisque diebus ab Ecclesia vetitis Naldinius impetravit a sacra Poenitentiaria, atque reductionem quinque Missarum ad duas

hebdomadales, ut in casu infirmitatis Fundator ipse promiserat.

78. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Perusina Iubilationis die 13 Iunii 1795.*

79. Nam licet ante indulti concessionem audiri soleat Capitulum, non inde eiusdem consensus adeo requiritur, ut, eo denegato, negata fuerit iubilatio. Vel enim Capituli dissensus rationabilis fuit iustisque conditionibus limitatus, et tunc vel negata fuit, vel iuxta Capituli conditiones concessa; vel iniuste consensus fuit negatus iniustisque conditionibus circumscriptus, et tunc, spreto Capituli dissensu vel reiectis conditionibus, fuit concessa *in Pisauren. Iubilationis die 7 Iulii 1770* §. *Licet.*

Item *in Spoletana et Reatina Iubilationis die 7 Augusti 1779* §. *Non; in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782* §. *Verum; in Brictinorien. Iubilationis die 12 Maii 1792* §. *Notat; in Nepesina die 7 Martii 1818* §. *Ne; in Albinganen. Iubilationis die 27 Augusti 1859* §. *Propius.*

80. Amplia, si conditiones requisitae plene ac concludenter iustificantur, nec etiam Episcopi dissensus ullo in pretio haberi solet *in Albinganen. Iubilationis die 27 Augusti 1859* §. *Propius.*

81. Contra si Capitulum et Episcopus iustis de causis assensum praestent, consensus Capituli proniorem reddit Sacram Congregationem ad concedendam iubilationis gratiam, ac enixa Episcopi vota plurimi Sacra Congregatio in gravioribus etiam negotiis facere consuevit *in Placentina Iubilationis die 28 Iulii 1787* §. *Iuxta.*

82. Idcirco si Capitulum assensum praestet cum aliqua rationabili conditione, haec haud reiicitur; Sacra enim Congregatio censuit, iubilationem concedendam esse Canonico Subdiacono, computato nedum servitio in munere Coadiutoris praestito, sed et tempore absentiae ratione habitualis infirmitatis cum debitis indultis vacandi a servitio chori pro horis matutini et primae, nulla tamen concessa exemptione a functionibus subdiaconalibus, quae per turnum ad eum spectarent, iuxta assensum a Capitulo reportatum *in Bergomen. Iubilationis die 8 Augusti 1716 lib. 66 Decretorum.*

83. Enimvero – relatis per Summarium precibus Martini Antonii Guerrini Canonici subdiaconalis Ecclesiae Cathedralis petentis indultum iubilationis, placuit EE. VV. demandare, ut Causa in folio describeretur. Hinc mandatis parendo iterum exponitur, praefatum Canonicum inchoasse servitium dictae Ecclesiae uti Coadiutorem Canonici Antonii eius Patrui die 4 novembris 1675, defuncto vero Coadiuto die 19 ianuarii 1684, uti principalis a dicta die continuavit integrum servitium usque ad mensem octobris 1705, a quo tempore ob habituales infirmitates ab Ordinario approbatas singulis annis ab hac Sacra Congregatione indultum obtinuit vacandi a servitio chori pro horis matutini et primae. Emus Episcopus in altera ex duabus relationibus transmissa, audito Capitulo, refert, Oratorem reportasse a Capitulo assensum ad obtinendam iubilationis gratiam, ea tamen conditione limitatum: « dummodo non intelligatur data exemptio per indultum a functionibus subdiaconalibus solemnibus, quae per turnum ad eum spectabant ». Censetque Oratorem petita gratia dignum, maxime quia non erit incommoda choro et Capitulo Ecclesiae, cum in ea « resideant tres Dignitates et quadraginta et unus Canonici etc., et in functionibus subdiaconalibus ministrent Canonici undecim ». Orator exemplum adducit consimilis gratiae concessae alteri Canonico Subdiaconali Bergomen. die 11 februarii 1696, pro qua habita fuit ratio servitii septem annorum praestiti uti Coadiutoris, et adsunt etiam alia duo similia exempla in Brixien. 27 martii 1683, ubi ponuntur in calculo anni duo coadiutoriae, et in Novarien. 4 augusti 1691, ubi anni quinque. Hinc supplicat ab EE. VV. decerni: – An indultum iubilationis sit concedendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad formam consensus – *in Bergomen. Iubilationis die 8 Augusti 1716 lib. 66 Decretorum.*

84. Indubium reapse erat, quod etiam Alexander Gallitiolus Canonicus Subdiaconus Cathedralis in aetate annorum sexaginta duo, variis pressus infirmitatibus, expleto quadra-

genario servitio, indultum iubilationis ita obtinuerat, ut oneribus subdiaconalibus per vices per se ipsum vel per alios supplere teneretur *in Bergomen. die 11 Februarii 1696 lib. 46 Decretorum.*

85. Conceditur itaque indultum iubilationis Canonico, dum per quadraginta annos punctaturae quoad nocturnum servitium ad trigesimum quartum ascendunt numerum in singulos annos, sed cum ante quadragenarium servitium per quinquennium tamquam Coadiutor in eadem Ecclesia laudabiliter absque fallentia deservierit, praedictae fallentiae compensari videntur ab huiusmodi quinquennali servitio *in Placentina Iubilationis die 18 Augusti 1787.*

86. Siquidem post exactum quadragenarium servitium chori iubilationis indultum postulavit comes Christophorus Nicelli Placentinae Cathedralis Canonicus annorum septuaginta. Continuum affirmavit Episcopus diurnum eius servitium, non ita tamen nocturnum. Ducto enim punctaturarum calculo, ad trigesimum quartum ascendebant numerum in singulos annos. His non obstantibus fallentiis, libenter petitae iubilationi assentiebatur Capitulum, ingenueque fatebatur Episcopus: – Gratiae largitionem admodum gratam et mihi futuram. Nam praeterquamquod ante annum 1746 huic Ecclesiae tamquam Coadiutor per quinquennium absque ulla fallentia laudabiliter deservivit diu noctuque, Vir est optimis moribus praeditus, veraque pietate religione atque integritate praefulgens –. Nocturnae siquidem eius fallentiae a quinquennali compensebantur servitio, quod diu noctuque ante annum 1746 tamquam Coadiutor praestitit. Non raro enim Sacra Congregatio iubilationis indultum per coniunctionem temporum concessit. Proposito hinc dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Placentina Iubilationis die 18 Augusti 1787.*

87. Hinc et Iulius Sala, qui de anno 1642 fuit constitutus Coadiutor Paridis Sala Canonici Cathedralis cum futura successione, quod munus exercuit usque ad annum 1644, quo decessit Coadiutus, expleto continuo et laudabiliter servitio quadragenario, petiit ac obtinuit indultum iubilationis *in Brixien. die 27 Martii 1683.*

88. Similiter Ioannes Franciscus Rosati antiquior Canonicus Cathedralis, qui Ecclesiae spatio quadraginta annorum, quinque scilicet uti Coadiutor, et triginta quinque uti simpliciter Canonicus continuo et laudabiliter inserviit, petiit ac obtinuit indultum iubilationis *in Novarien. die 4 Augusti 1691 lib. 41 Decretorum.*

89. Verum ei, qui primum in Ecclesia fuit Canonicus, dein Archidiaconus Coadiutore suffultus cum futura successione, qui uno tantum die interfuit divinis officiis in Archidiaconali subsellio, dum Coadiutus per se ipsum reliquo tempore assidue munus obivit, concedenda non est iubilatio; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An Iosepho de Miranda ad obtinendam iubilationem obstet, quod iam habet Coadiutorem cum futura successione? *Et quatenus negative.* II. An praedicto Iosepho competat iubilatio solum in Canonicatu, an vero etiam in Archidiaconatu? III. An obstet interruptio servitii per unum diem? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum et tertium, provisum in primo – *in Calaguritana Iubilationis die 2 Maii 1733* (1).

90. Nec Canonicus Coadiutor, vivente adhuc Coadiuto, indultum iubilationis consequi potest, unde nonnisi ob peculiares circumstantias ex gratia quandoque conceditur *in Romana Iubilationis die 30 Martii 1822* (2).

91. Quando autem nullum de continuo et laudabili servitio, spatio quadraginta et ultra annorum Ecclesiae peaestito, dubium movetur, exceptio per Capitulum opposita, quod scilicet nemo unquam indultum iubilationis postulaverit, et Canonicus facultatem habeat sibi eligendi Coadiutorem, si causa infirmitatis vel aetatis suae Ecclesiae nequeat amplius deservire, nullatenus impedit, quominus ipse et illud petat ac assequatur *in Avenionen. Iubilationis die 17 Martii 1781.*

92. Iamvero Sacerdos Benedictus Ioannes

(1) Species Causae huius prostat in Verb. *Canonicus*, §. 1, n. 123 et 124, Tom. V.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonicus*, §. 1, n. 129 et 130, Tom. V.

Franciscus Maliere Avenionensis, in aetate annorum septuaginta constitutus et Canonicus usque ab anno 1735 Metropolitanae Avenionensis Ecclesiae, post exactum quadragenarium tempus servitii praestiti dictae Metropolitanae Ecclesiae, postulavit iubilationis indultum. Archiepiscopus retulit, Canonicum Oratorem per integrum temporis spatium quadraginta quinque annorum, a quo Canonicatum obtinuit, continuum et laudabile servitium Ecclesiae praestitisse; Capitulum vero vanum putare, Canonicum habuisse recursum ad Sacram Congregationem pro habendo iubilationis indulto, quod nemo unquam ex Canonicis eousque postulavit, cum Orator uti posset facultate sibi eligendi Coadiutorem, si causa infirmitatis vel aetatis suae Ecclesiae nequiret amplius deservire. Verum exceptionibus Capituli non obstantibus, censuit idem Archiepiscopus, petitum iubilationis indultum esse Oratori concedendum. Nam eo ipso, quo praedecessores Canonici, quatenus muniti necessariis requisitis sese abstinuerunt a petendo iubilationis indulto, poterant pro eodem instare; proindeque illorum abstinentia traduci non poterat ad prohibendum Oratori, ne illud peteret et assequeretur, cum eius materia sit mere facultativa. Proposito igitur dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et amplius – *in Avenionen. Iubilationis die 17 Martii 1781.*

93. Idcirco non obstantibus Capituli exceptionibus, quod scilicet Canonicus aetate gravis et infirma affectus valetudine sibi adsciscere posset Coadiutorem, et in Collegiata chori servitium produceretur ad paucos dies et vix spatium quatuor mensium complecteretur, ac parvus esset Canonicorum numerus, atque simile indultum etiam alter Canonicus esset petiturus, nec non exemplum novum cum servitii Ecclesiae detrimento induceretur, Sacra Congregatio resolvit, indulgendum ei esse indultum iubilationis *in Pisauren. Iubilationis die 28 Iulii 1770.*

94. Siquidem Christophorus Mosca Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Oppidi de Genestreto Diaecesis Pisaurensis per sex supra annos quadraginta Ecclesiae suae laudabiliter et assidue inserviit, annis itaque gravis iubilationis petiit indultum. Nullum esse dixit dubium de continuo et laudabili servitio per longaevum decursum annorum 46 a se praestito, ac inanes esse Capituli exceptiones, cum iubilatio non intuitu et ex causa infirmitatis, sed tantum ob quadragenarium Ecclesiae servitium largiri; assiduitatem servitii non requiri materialiter, ut nempe quolibet die quis Ecclesiae inservierit, sed sat esse, ut inservierit iuxta stylum et consuetudinem Ecclesiae; septem Capitulares adhuc Ecclesiae servitio praesto esse, quorum numerus, inspecta loci et Ecclesiae qualitate, abunde sufficiens erat, vel saltem ius semper Episcopo esse Iubilatos ad servitium revocandi, si Ecclesiae servitium ac divinus cultus detrimentum pateretur. Addidit, sibi non nocere, si ante hoc tempus nemo ex Capitularibus indultum iubilationis petierit, quod recte petere potuisset, nec in sui damnum vertendum esse, si ceteri Capitulares ex propria culpa in cantu Gregoriano non essent versati. Contra Capitulum contendit, Canonicum Christophorum nullo corporis vitio, vel infirma valetudine laborare, recteque posse suae senectuti occurrere sibi adsciscendo Coadiutorem, quin Ecclesiam debito privaret servitio per iubilationem; nullam ideo aequitatem cogere, ut cum Ecclesiae detrimento ei esset indulgenda iubilatio. Advertit, iubilationem intuitu continui servitii indulgeri, ut tot annis defatigati allevientur; in Collegiata vero S. Michaelis Archangeli chori servitium produci ad paucos certos dies, et vix spatium complecti quatuor mensium; parvum etiam esse Canonicorum numerum, ita ut, dempto Priore curam animarum habente, congruus destitutus esset numerus pro divinis officiis obeundis, maxime quia si concedi, contingeret iubilationem Oratori, indultum simile esset etiam petiturus alter Canonicus Thomas Mosca, qui iam per annos 52 Ecclesiae inservivit. Ne itaque exemplum hoc inveheretur allegabile tam a Canonico Thoma, quam ab aliis in futurum in grave detrimentum servitii Ecclesiae, conclusit, iubilationem esse omnino denegandam. Episcopus autem confirmavit continuum et laudabile quadraginta sex annorum servitium praestitum a Canonico Christophoro, nec non eiusdem aetatem sexaginta

sex annorum, ac, reiectis Capituli exceptionibus, votum aperuit pro iubilationis concessione. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Pisauren. Iubilationis die 28 Iulii 1770.*

95. Unde concedenda est iubilatio Canonico, qui continuum quadragenarium servitium praestitit, in aetate octuaginta annorum versatur ac corporis aegritudinibus afficitur, quin ullatenus obstet, quod ipse petere valeat Coadiutorem, quod nullum extet exemplum iubilationis concessae Canonicis eiusdem Ecclesiae, quodque Capitulum duodecim tantum Canonicis constet *in Feltren. Iubilationis die 11 Ianuarii 1721.*

96. Enimvero post continuatum spatio quadraginta et octo annorum suae Cathedralis Ecclesiae servitium, Aloisius Zenus Canonicus Feltrensis supplicavit pro iubilationis indulto, et, ad exuberantiam, suam aetatem annos octuaginta excedentem suasque corporis aegritudines allegavit. Capitulum vero se opposuit, cuiusque fundamenta consistebant; primo in defectu aegritudinis Canonici Zeni; secundo in potestate, quam ipse habebat petendi Coadiutorem, qui suo nomine choro interesset; tertio in longaeva et immemorabili consuetudine, iuxta quam, pervolutis regestis, nullum fuit exemplum inventum iubilationis concessae Canonicis praedictae Ecclesiae; ultimo tandem in numero Canonicorum, erant enim duodecim, qui varias habebant incumbentias, in quorum sequelam, sicuti choro interesse non poterant, sic saepe fiebat, ut chorus Canonicis careret. Adversus haec Canonicus Zenus excepit, de suo continuato ultra quadraginta annos et laudabili servitio nullam moveri quaestionem, et sic se omnibus requisitis potiri pro obtinenda iubilatione; et in eo quod attinebat, vel ad defectum exempli, quod iubilatio fuerit concessa Canonicis praefatae Ecclesiae Cathedralis, vel ad numerum et occupationes aliorum Canonicorum, subdidit, bene potuisse Canonicos praedecessores abstinere a petenda iubilatione et simul se posse pro eodem instare,cum materia iubilationis sit facultativa; praeterquamquod, ut defectus exempli obstare posset, docendum esset, quod aliqui Canonici continuo et laudabiliter inserviissent per quadraginta annos Ecclesiae Cathedrali, pro iubilatione ulterius exorassent, et fuissent a Sacra Congregatione reiecti, concludendo, non parvum, sed sufficientem esse numerum duodecim Canonicorum, et eosdem bene muneribus vacare posse, et insimul choro interesse. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit concedenda iubilatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et amplius – *in Feltren. Iubilationis die 11 Ianuarii 1721.*

97. Indulgenda hinc etiam est iubilatio illis, qui in una et eadem Ecclesia per totum tempus inservierunt, partim tamquam Clerici Beneficiati, partim tamquam Beneficiati, et aliquando partim tamquam Beneficiati partim tamquam Canonici, vel partim tamquam coadiutores et partim tamquam principales et titulares, non vero illis, qui inservierunt spatio annorum quadraginta partim in una Ecclesia partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam Beneficiati in una et Canonici in alia; his enim in terminis proposito dubio: – II. An indulgenda sit iubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum quadraginta, sed partim in una Ecclesia, partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam Beneficiati in una et Canonici in alia, nec non illis, qui in una eademque Ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tamquam Clerici Beneficiati, partim tamquam Beneficiati, et aliquando partim tamquam Beneficiati, partim tamquam Canonici, vel partim tamquam coadiutores et partim tamquam principales et titulares? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Dubia Iubilationum die 17 Decembris 1718.*

98. Nam monstruosum est, quod aliquis exempli gratia iubilationem obtineret et eximeretur a servitio Ecclesiae, cui vel per modicum tempus, vel per tempus non quadragenarium inservivit, licet alteri Ecclesiae inserviverit, et uniendo tempora utriusque servitii spatium compleverit quadragenarium, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 13 cap. 9 n. 15 *in Verulana Iubilationis die 17 Septembris 1842* §. *Ad.*

99. Quidquid vero sit de huiusmodi veteribus resolutionibus circa servitium in eadem Ecclesia explendum ad effectum obtinendi iubilationem, invaluit subinde sententia seu melius eo excessit indulgentia Sacrae Congregationis, ut ad iubilationem obtinendam coniungeretur servitium in duplici diversa Ecclesia praestito, dummodo in eadem Diaecesi manerent, nec difforme esset servitium *in Recanaten. Iubilationis die 23 Novembris 1805* §. *His.*

Item *in Reatina Iubilationis die 26 Aprilis 1817* §. *Compertum; in Recanaten. Iubilationis die 29 Martii 1817* §. *Alterutrum; in Verulana Iubilationis die 17 Septembris 1842* §. *Aliquam.*

100. Qua de re Sacra Congregatio, nullatenus obstante Collegarum oppositione, ei concessit iubilationis indultum, qui probavit, se laudabiliter praestitisse servitium spatio quadraginta septem annorum, sed octo ex his in alia Ecclesia eiusdem Diaecesis *in Recanaten. Iubilationis die 23 Novembris 1805.*

101. Siquidem Presbiter Franciscus Xaverius Pagliarini a die 24 decembris 1758 cooptatus inter Altaristas participantes suburbanae Ecclesiae Sanctae Mariae Recineti in eo perstitit usque ad diem 19 aprilis 1767: a qua die translatus est inter Altaristas S. Flaviani Ecclesiae Cathedralis, et in eo servitio eousque perseverabat. Cum igitur ab anno 1799 indultum iubilationis ab Episcopo Isaurensi tum Delegato Apostolico postulasset, adversos expertus est ceteros Altaristas. Quare tum in servitio per aliud perrexit triennium, ac inde instantiam redintegravit pro obtinenda iubilatione. De sua sententia rogatus Episcopus respondit: - Certum est, iam inde ab eo tempore, quo Templi Principis servitium inivit Orator, iugem operam navasse ministerio eiusdem praeter aliquot menses, quibus abesse illinc coactus fuit, culpane sua nec ne nunc decernere mihi supervacaneum videtur. Compertum habemus interim, Pagliarinium servitio chori vacasse per quadraginta annos, ast non in eadem Ecclesia. Octo enim insumpsit in Ecclesia Sanctae Mariae, reliquos in Pontificali. Canonici Templi Principis, quorum sententia rogavi, responderunt, non constare sibi de servitio quadragenario Francisci Xaverii Pagliarini. Altaristae vero Templi Sanctae Mariae nihil responderunt prorsus –. Altaristae autem Cathedralis vadimonium obtulerunt Pagliarinio, sed nihil adhuc exhibuerunt. Nihilominus ex folio remisso constabat, tria per eos opponi, quominus Pagliarinius iubilationem consequeretur. Primum, quod quadragenarium servitium non praestiterit integrum in Cathedrali, sed per octo annos in Ecclesia Sanctae Mariae. Deinde, quod minus laudabile fuerit praestitum servitium. Tandem, quod inter Altaristas concedi non soleret iubilatio. His occurrit Pagliarinius aiens: Quidquid sit, num alias non concederetur indultum iubilationis, ubi servitium per quadraginta integros annos in eadem Ecclesia praestitum non fuerit; invaluit tamen sententia, ut ad iubilationem obtinendam coniugeretur servitium in duplici diversa Ecclesia praestitum, dummodo in eadem Diaecesi manerent, nec difforme esset servitium. Se vero laudabile servitium praestitisse probavit Pagliarinius testimonio Secretarii Altaristarum Ecclesiae Sanctae Mariae, qui, inspectis libris, affirmavit: – Ha servito il nostro coro con esattezza –. Episcopus vero asseverabat: - Iam inde ab eo tempore, quo Templi Principis servitium inivit, iugem operam navasse ministerio eiusdem –. Quod si aliquando abfuerat, id evenit non culpa sua, sed curis parochialibus distentus, vel calumnia adversariorum, qua impeditus fuit, ne servitio interesset. Ceterum ipse non quadraginta tantum, sed septem supra quadraginta annis inservivit, ut, si quas commiserit, fallentias compensaverit. Contrariam vero observantiam non probari dixit, nisi ex testimonio eorum, qui sibi erant adversarii. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Recanaten. Iubilationis die 23 Novembris 1805.*

102. Unde Canonicus, qui praestitit servitium in duplici diversa Ecclesia eiusdem Diaecesis spatio quadraginta annorum, consequi potest indultum iubilationis, etiamsi peritiam in cantu Gregoriano non possideat, sed absque Populi admiratione solemnium Missarum celebrationem aliaque in cantu mu-

nera sibi imposita per se ipsum implevit, ac etiamsi oneri Sacrorum in fundatione Canonicatus fere nunquam satisfecisse videatur *in Verulana Iubilationis die 17 Septembris 1842* (1).

103. Hinc extante continuo et laudabili servitio quadraginta annorum, concedenda est iubilatio, licet Canonicus spatio viginti et octo annorum, propter vocis dissonantiam, per alium onus canendi Missam conventualem impleverit *in Camerinen. die 1 Decembris 1725* (2).

104. At, qui servitium in una Diaecesi incipit et in altera absolvit, nequit indultum iubilationis assequi *in Reatina Iubilationis die 17 Maii 1817.*

105. Enimvero postquam per annos viginti quatuor continuum et laudabile servitium in Liberiana Basilica praestitit Beneficiatus Petrus Aloisius Trovarelli, anno 1800 translatus fuit ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Reatina, in qua per sexdecim annos pari diligentia et assiduitate choro interfuit. Postulavit hinc iubilationis indultum, cui assentiebantur Episcopus et Capitulum, quorum uterque de continuo et laudabili servitio Oratoris testatum faciebant. Videndum itaque erat, num indultum concedendum esset Canonico Trovarelli, qui Romae incepit servitium et in Reatina Diaecesi absolvit. Proposito vero dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Reatina Iubilationis die 17 Maii 1817.*

106. Quando tamen servitium praestitum sit in pluribus Ecclesiis eiusdem Diaecesis, concurrentibus necessariis requisitis ad assequendam iubilationis gratiam, eadem etiam Capellanis laicalibus Congregationem, non vero Collegium, constituentibus dubio procul indulgetur *in Auximana Iubilationis die 9 Septembris 1786.*

107. Siquidem erecta anno 1731 in Oppido Montis Philoptrani Auximanae Diaecesis decem Capellanorum Congregatio fuit a pio cive Alexandro Antonio Gentiloni et eius sorore, reservato suae familiae nominandi iure. Fundator laicales voluit huiusmodi Capellanias: onus Capellanis imposuit Ecclesiae inserviendi, praestandi choro servitium more Ecclesiarum Cathedralium ac Collegiatarum; decrevitque contra non interessentes punctaturas, Sacrario eiusdem Ecclesiae applicandas. Ex Capellanis in ipsa erectione a Fundatore nominatis unus supererat Hieronymus Gentiloni, qui preces Sacrae Congregationi porrexit, ut ob servitium laudabiliter Ecclesiae praestitum per annos quinquaginta indultum iubilationis mereretur. Requisito voto ac informatione ab Emo Episcopo, prodiit die 15 maii 1783 Rescriptum: – Pro gratia abitrio Emi Episcopi cum solitis clausulis –; sed paulo postea res sine exemplo visa est in Capellanis laicalibus, et in eo corpore, quod nec Cathedralis nec Collegiatae Ecclesiae nomine donari poterat. Hinc die 19 iulii eiusdem anni mandatum fuit, ut Causa normam futuris casibus datura in folio describeretur. Revera adhibitis quantiscumque diligentiis, inveniri datum non fuit exemplum concessae iubilationis aliis, quam addictis servitio chori in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, ex eo fortasse quod a duobus tantum seculis invecta esset iubilationis gratia. Quum autem adverteretur, quod ipsa per se servitii diuturnitas hoc beneficium promereretur, iam aliena videbatur animadversio ad locum, in quo servitium illud praestitum fuerit. Orator putavit, collegialem esse suae Congregationis qualitatem: sed aliunde hanc qualitatem excludebat laicalis dictarum Capellaniarum natura deficiens erectio carentia omnium ex iis, quae principaliora sunt Collegialitatis argumenta, ut commune sigillum communis arca ius convocandi Capitulum penes eum, qui gerat figura capitis, aliaque, de quibus late Card. Petra ad Const. 4 Innocentii IV sect. 2 a n. 15, et Rota in Placentina Collegialitatis 19 novembris 1703 coram Card. Scotto. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative cum solitis clausulis – *in Auximana Iubilationis die 9 Septembris 1786.*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Cantus Gregoriarus*, n. 62 et 63, Tom. V.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Cantus Gregorianus*, n. 58 ad 61, Tom. V.

108. Capellani vero, qui in Ecclesia parochiali ex lege Fundatoris sunt ad nutum amovibiles, ac servitium prout Canonici Cathedralis praestant, indultum iubilationis assequi nequeunt, etiamsi spatio quadraginta annorum continuo et laudabiliter servitium praestiterint, nec non ceteri Collegae et Ordinarius assensum praestent *in Camerinen. Iubilationis die 12 Martii 1796.*

109. Iamvero sub iurepatronatus Capituli Camerini erectae fuerunt anno 1752 iuxta dispositionem cl. me. Card. Angeli Giori duodecim ad nutum amovibiles Capellaniae in parochiali Ecclesia S. Mariae in via eiusdem Civitatis, impositumque Capellanis onus inserviendi Ecclesiae eodem modo, quo Canonici Cathedralis inserviunt, nec non applicandi omnes Missas iuxta mentem Fundatoris, annuo cuique assignato stipendio scutorum septuaginta quinque. Destituta erat Ecclesia S. Mariae titulo Collegiatae, omnibusque Canonicorum signis et privilegiis carebant Capellani, uno excepto, qui pronomen habebat Decani, et bimestrem exemptionem a servitio chori. Canonicorum tamen instar, indultum postulavit iubilationis Capellanus Carolus Puccisanti annorum 66, ob quadragenarium praestitum servitium adversamque valetudinem; eiusque petitioni favit Ordinarius, dummodo non opponeretur indultum dispositioni Fundatoris, et de laudabili doceretur servitio annorum quadraginta. Favit etiam aliorum Capellanorum Conventus, nec non idem Archiepiscopus Camerinensis. Advertebatur tamen, quod in themate ageretur de Capellano amovibili et ad nutum: quibus in terminis nullum occurrebat exemplum, quamvis plurimae in orbe catholico essent Ecclesiae receptitiae, et plures etiam in Urbe, in quibus Sacra faciebant Capellani ad nutum amovibiles, ac praesertim Ecclesiae S. Iacobi in foro agonali S. Antonini S. Iacobi in Augusta etc. Precarium sane esset indultum, dum ad nutum Capellanus removeri posset, et adversaretur etiam menti Fundatoris, qui ad perpetuum fortasse obtinendum illius servitium amovibilitatem ad nutum praescripserat. Proposito igitur dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Camerinen. Iubilationis die 12 Martii 1796.*

110. Nam hoc maxime constans fuisse videtur penes Sacram Congregationem, ut iubilatio nullatenus iis concederetur, qui, praeter quadragenarium continuum et laudabile chori servitium, Beneficio chorali in titulum perpetuum collato haud gauderent *in Romana Iubilationis die 18 Decembris 1847* §. *Verum.*

111. Hinc multo minus est locus iubilationi, quando Praebenda, quam possidet Capellanus, sit ad nutum amovibilis, cum praesertim non constare videatur de continuo et laudabili servitio Ecclesiae praestito *in Ripana Iubilationis die 22 Ianuarii 1820.*

112. Siquidem Amelius Natali Presbiter Ripanus, dum anno 1646 die 4 septembris duas Praebendas de iurepatronatus laicales instituit amovibiles ad nutum in Ecclesia Cathedrali, praecepit, ut, deficientibus masculis e genere suo, Capitulum eligere posset, quem vellet, adiecta tamen conditione, quod, si postea aliquis superveniret ex familia Natali idoneus et capax, illico removeri deberent provisi, eorumque locum occuparet coniunctus. Ob redituum diminutionem duae illae Praebendae ad unam tantummodo fuerunt reductae. Sacerdos Ioannes Teodori actualis utriusque Praebendae possessor post quadraginta expletos annos in servitio, et ob suae valetudinis infirmitatem postulavit indultum abessendi a choro. Episcopus censuit, locum esse non posse iubilationi, cum Praebenda esset per se amovibilis, ita ut per capitularem resolutionem ob iustas causas, accedente Ordinarii consensu, actualis provisus removeri posset, nec non Orator etiam in principio suae institutionis studiorum causa, ac inde bis per triennium ad sua peragenda negotia cum facultatibus se transtulisset, ac per alium muneri suo laudabiliter functus esset in festivo servitio, cui tantum tenebatur. Hinc ex exhibita ab Oratore attestatione non constabat de laudabili et assiduo eius servitio, sed tantum de externa modestia decentia et gravitate, qua quisque divinas laudes persolvere debet; imo Capitulum ipsum canonice congregatum putavit, dici non posse eumdem laudabile choro servitium praestitisse. Precarium insuper esset indultum, dum ad nutum Capellanus removeri posset, et adversaretur etiam menti

Fundatoris, qui ad perpetuum fortasse obtinendum illius servitium amovibilitatem ad nutum praescripsit. Sed e contra Orator dixit, mentem Institutoris circa amovibilitatem eam fuisse, quae etiam in perpetuis ecclesiasticis Beneficiis locum habere potest, nimirum ut legitima intercedente causa posset Capitulum cum Ordinarii approbatione removere Praebendatum, vel in casu, quo quis coniunctus idoneus existeret, ut is, amoto extraneo, praelationem obtineret. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedenda iubilatio in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Ripana Iubilationis die 22 Ianuarii 1820.*

113. Unde iu Senen. diei 7 iunii 1845 Orator Ioseph Galgani per annos quindecim tamquam Capellanus amovibilis, per annos vero viginti quinque qua Canonicus eiusdem Collegiatae Ecclesiae Patrignani choro inservierat; ideoque iubilationem petens responsum habuit: – Negative – *in Romana Iubilationis die 18 Decembris 1847* §. *Tandem.*

114. Qui igitur primum in una Ecclesia inserviit tamquam Capellanus ad nutum amovibiles, dein in altera tamquam Beneficiatus perpetuus, tempora coniungere nequit ad effectum obtinendi indultum iubilationis, etiamsi Capellania ad nutum amovibilis ex speciali gratia iure perpetuo retinuerit, attenta tamen senectute indulgetur gratia ad quinquennium *in Romana Iubilationis die 18 Decembris 1847.*

115. Enimvero Sacerdos Carolus Bonamici unum supra viginti annos Capellaniam *Fonseca* dictam titulo patrimonii possedit in Sacrosancta Liberiana Basilica cum onere ei adnexo choro inserviendi; mox quum inter Beneficiatos Lateranenses Archibasilicae cooptatus per annos duo supra viginti choro inservierit, postulavit, ut, coniunctis utrisque temporibus, quadragenarium chorale servitium conficeretur, ac ipsi iubilationis indultum S. Congregatio elargiretur. Emus Archipresbiter Liberianus, Canonicorum votum exhibens, haec tradidit: – Capellanias chorales in Sacrosancta Basilica Liberiana fundatas, quae de nomine institutoris Fonsecae nuncupantur, esse amovibiles ad nutum. Praedictum autem Sacerdotem (Bonamici) ex illis unam accepisse die 1 martii 1803 ac subinde die 18 septembris eiusdem anni ex peculiari gratia a Capitulo id fuisse assecutum, ut illam perpetuo iure retineret. Inspectis autem notis fructuum retentionum propter absentiam, ex earum numero erui, eumdem laudabili servitio choralibus officiis satisfecisse –. Emus Archipresbiter Lateranensis Basilicae per eum, qui Capituli Secretarii munere fungebatur, dixit, Oratorem spatio novem et decem annorum continuo et laudabiliter choro inserviisse. Ipse Orator protulit testimonium tabularii Praefecti Basilicae Liberianae, quo constabat, – plures viros ecclesiasticos, postquam choralibus officiis quadraginta annos laudabiliter satisfecerant, iubilationis indulto donatos fuisse, licet toto huiusmodi temporis spatio vel magna eius parte unam vel alteram ex memoratis Capellaniis obtinuissent –. Quaestio hinc enascebatur, utrum Orator rude esset donandus, licet per dimidium fere quadragenarii servitii spatium choro inservierit uti Capellanus ad nutum amovibilis. Verum ex constanti Sacrae Congregationis sententia quaestio dirempta videbatur, cum semper indultum iubilationis denegaverit, qui Beneficio chorali in titulum perpetuum collato haud gauderent. Aequitas tamen suadere videbatur, concedi posse Oratori indultum iubilationis ex eo praesertim, quod ex speciali gratia ab ipso anno possessionis Capellaniae a Capitulo permissum ei fuerat, ut illam perpetuo iure retineret. Idcirco haud amplius pertimescendum erat, ut is a suo munere alterius arbitrio dimoveri posset. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative quoad iubilationem; attenta vero senectute, pro gratia ad quinquennium – *in Romana Iubilationis die 18 Decembris 1847.*

116. Qua de re servitium, quod quis in Ecclesia praestitit tamquam Mansionarius ad nutum amovibilis, cumulare non potest cum eo, quod is postea praestitit tamquam Beneficiatus, sed attentis oculorum morbo gravi aetate et longo servitio locus est indulto abessendi a choro, durante infirma valetudine *in Urbinaten. Indulti die 18 Septembris 1802.*

117. Siquidem Capitulum Cathedralis Urbinatensis constabat ex Dignitatibus et Canonicis simulque ex septem Beneficiatis, qui ex fundatione s. m. Clementis XI corpus penitus separatum constituebant, et nihil commune, nisi chori servitium, cum Canonicis habebant. Servitio Capituli addicti erant Mansionarii stipendio conducti, qui, cum essent extra gremium Capituli, ad nutum e servitio dimitti, illudque pro arbitrio ipsi derelinquere poterant. Inter hos per annos viginti quinque Mansionariatus munus obivit Presbiter Antonius Ceccarelli, qui postea inter Beneficiatos cooptatus iugiter et sedulo per alios viginti quinque annos Ecclesiae inservivit. Cum morbo oculorum captus esset, obtinuit iam ex indulto Sacrae Congregationis commutationem horarum canonicarum in alias preces, atque indultum celebrandi Missam votivam Beatae Mariae Virginis etiam in festis duplicibus. Inde indultum iubilationis postulavit. Instantiae omnino assentiti sunt Beneficiati, Dignitates vero et Canonici repugnarunt. Nam Ceccarellius tamquam Beneficiatus servitium praestitit per annos viginti quinque tantum, nec ei prodesse poterat ad beneficium iubilationis consequendum, si in munere Mansionariatus per alios viginti quinque annos Ecclesiae servitio addictus fuerit. Etenim cum Mansionarii non essent de gremio Capituli, sed ad nutum amovibiles, profecto indultum consequi nullo modo poterant. Id quod consuetudine exceptum videbatur in Metropolitana Urbinatensi. Apparebat enim ex resolutionibus capitularibus, Capitulum perenniter obstitisse, ne servitium a Mansionariis praestitum cum servitio Beneficiatorum cumularetur. Unde Orator non expectasset usque ad quinquagesimum annum, nisi et ipse comperiisset incongruum servitium in Mansionariatu praestitum ad perficiendum iuge et laudabile servitium chorale, cuius intuitu iubilationis indultum concedi solet. Idcirco Orator, ob oculorum morbum gravem aetatem et longum servitium, indultum abessendi a choro, non vero indultum iubilationis exorare poterat. Ceccarellius contra post expletum quadragenarium servitium sibi indultum iubilationis vindicare studuit, quin dissensus Capituli obesset; Beneficiati enim corpus penitus distinctum a Canonicis efficiebant. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, sed concedendum indultum abessendi a choro, durante infirma valetudine – *in Urbinaten. Indulti die 18 Septembris 1802.*

118. Unde iure optimo argui potest, iubilationis indultum ex mera aequitate canonica invectum ac consuetudine dein roboratum, iis tantum esse concedendum, qui perpetuo Beneficii titulo potiuntur, nec ad alios protendi posse, quum iuri etiam id consonum sit, ut nempe quod favore certi personarum generis inductum est, non possit ad alios extendi *in Romana Iubilationis die 18 Decembris 1847* §. *Unde.*

119. Quum enim agitur de Capellano amovibili ad nutum, precarium esset indultum, dum ad nutum Capellanus removeri posset, et adversaretur etiam menti Fundatoris, qui ad perpetuum fortasse obtinendum illius servitium amovibilitatem ad nutum praescripsit *in Ripana Iubilationis die 22 Ianuarii 1820* §. *Animadvertendum.*

Item *in Romana Iubilationis die 18 Decembris 1847* §. *Maxima.*

120. Idcirco nihil obstat, quod indultum iubilationis, ex aequitate inductum, quod ipsi aequitati consonum forsan videri posset, ut, deficiente titulo perpetuo Canonicatus vel Beneficii, idem praemium denegandum sit ei, qui ceteroquin eumdem laborem sustinuit; et sic qui Capellaniam amovibilem obtinet, licet de momento in momentum privari ea possit, attamen nec ex mente Fundatoris, nec arbitrio Patroni praesumendum, ut, postquam vir ecclesiasticus illam per quadraginta annos possedit, postquam religiose piae Fundatoris voluntati satisfecit, et in demandato munere fungendo maximam vitae partem insumpsit, privetur tandem Capellania, duriusque milite tractetur aut servo *in Romana Iubilationis die 18 Decembris 1847* §. *Nihilominus.*

121. Quapropter tempus, quo quis inserviit tamquam Canonicus honorarius, iungere non potest servitio, quod laudabiliter praestitit uti vere Canonicus de gremio, etiamsi qui ad Canonicatum illum honorarium nominatus fuerit per Patronos ex lege fundationis

seu ex consuetudine cogatur Bullas expedire fidei professionem emittere, ideoque omnesque sumptus ut ceteri subire, nec non stallum in choro et gradum antianitatis habeat *in Piscien. Iubilationis die 3 Iulii 1819.*

122. Enimvero Canonicus Ludovicus Farini Pisciensis per octo annos servitium laudabiliter Cathedrali Ecclesiae praestitit in munere Canonici honorarii sub titulo S. Annae, dum adhuc studiis vacabat. Reliquo vero tempore usque ad annos quadraginta eidem Cathedrali Ecclesiae inserviit in altero Canonicatu de massa, unde sexagenarius pluribusque incommodis affectus Sacram adiit Congregationem anno 1816 ad obtinendum iubilationis indultum. Episcopus censuit, praefatum Canonicum consequi non posse indultum iubilationis, cum per octo annos studiis vacans inservierit tamquam Canonicus honorarius absque distributionum perceptione. Hinc die 17 februarii 1816 prodiit Rescriptum Sacrae Congregationis: – Recurrat expleto continuo et laudabili servitio quadragenario in Praebenda S. Donati –. Verum Orator, triennio elapso, rursus instetit apud Sacram Congregationem; ac, iteratis primum precibus pro indulto iubilationis, adiecit, quod si illud sibi non competeret, imploravit indultum abessendi a choro causa infirmitatis, iuxta Medicorum documenta. Episcopus super novis precibus rogatus manens in eodem voto non concedendi indultum iubilationis, circa incommoda Canonici Oratoris retulit, Capitulum pluries dixisse, quoties Canonicum choro interesse non potuisse, semper uti praesentem habuisse; atque ita conclusit: – In quanto a me trovando ragionevoli le determinazioni del mio Capitolo, convengo col medesimo –. Is enim per octo annos pro lubito aliquibus diebus festis inservierat. Videbatur proinde, nullum suffragium afferre posse huiusmodi tempus Canonico Oratori pro obtinenda iubilatione. Attamen ipse servitium Ecclesiae praestitit. Etenim Canonicus Prior Caietanus Perondi testatus est, praefatum Oratorem assidue omnibus diebus festis et anni solemnitatibus choro interfuisse, ac distributiones non percepisse, quia Fundator Canonicatus S. Annae nihil in massam contulerat. Notandum etiam erat, huiusmodi Canonicatum honorarium sub titulo S. Annae ita ex lege fundationis sive ex consuetudine in Capitulo Pisciensi esse constitutum, ut, qui ad illum per Patronos fuisset nominatus, cogeretur Bullas expedire, fidei professionem emittere, ac solemnem capere possessionem, ideoque omnes sumptus, ut ceteri alii Canonicici, subire. Habebat etiam huiusmodi Canonicus stallum in choro non minus, quam gradum antianitatis. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Piscien. Iubilationis die 3 Iulii 1819.*

123. Ipsa tamen per se servitii diuturnitas beneficium iubilationis promeretur, nulla facta animadversione ad locum, in quo servitium praestetur; quandoquidem sola valuit haec quadragenarii et honesti servitii circumstantia, ut quidam Benedictus Tarquini Verulanae Diaecesis, qui per annos quadraginta fuerat Camerarius Societatis Sanctissimae Passionis et Prior Hospitalis, iubilationem mereretur, auctorante Summo Pontifice per organum Sacrae Congregationis. Ad illius enim preces die 21 maii 1770 rescriptum fuit: – Sanctissimus, audita relatione Episcopi Verulani etc., benigne commisit eidem Episcopo, ut, veris existentibus narratis, supradictam iubilationem favore Oratoris, ut supra factam, pro suo arbitrio gratis approbet et confirmet –, ut in lib. 120 Decretorum pag. 51 et 52 *in Auximana Iubilationis die 19 Augusti 1786* §. *Si.*

124. Valuit hoc idem servitium per annos quadraginta impensum erga Seminarium Verulanum a Ioanne Scoccia, ut iubilationis ab Episcopo obtentae confirmationem ipse postularet a Summo Pontifice. Preces Summus Pontifex ad Sacram Congregationem ablegavit, quae, re per Summaria precum proposita, respondit: – Die 11 maii 1782. Sacra Congregatio, attenta relatione Episcopi Verulani, benigne commisit eidem, ut, veris existentibus narratis, supradictis Oratoris precibus pro suo arbitrio gratis indulgeat, iuxta petita –, ut in lib. 132 Decretorum pag. 379 *in Auximana Iubilationis die 19 Augusti 1786* §. *Valuit.*

125. Quod si nulla facta animadversione ad locum, in quo servitium praestatur, beneficium iubilationis indulgetur, id eo vel

magis locum haberi videtur, si servitium ex causa necessaria praestari nequeat: neminem enim latet, a voluntaria ad necessariam causam semper habitam fuisse rationem, ac tempus quidem absentiae ex voluntaria minime computari ad quadragenarios annos explendos, utique vero tempus non interessentiae ex causa necessaria *in Eugubina Iubilationis die 29 Aprilis 1837* §. *In.*

126. Idcirco quum eversis terraemotu domibus Ecclesiisque Civitatis Canonicus per aliquod temporis spatium servitium Ecclesiae praestare haud potuerit, ac dubitaretur, num huiusmodi tempus computandum esset in quadragenario servitio ad effectum exequendi indultum iubilationis iam obtentum, Sacra Congregatio affirmativum dedit responsum in casu, de quo agebatur, ex eo etiam quod tempus illud a longiori forsan servitio ultra quadragenarium compensaretur *in Meliten. Iubilationis die 18 Augusti 1804.*

127. Siquidem Presbiter Nicolaus Cotronea per annos quadraginta, ab anno scilicet 1763 ad annum 1803, servitium chori praestitit in Cathedrali Melitensi, primum tamquam Canonicus, deinde tamquam Thesaurarius, qui in eadem Collegiata quarta Dignitas erat. Ad ipsius preces ab Episcopo ad Sacram Congregationem remissas rescriptum fuit die 20 augusti 1802, pro gratia iubilationis in forma commissoria. Sed licet Capitulum iubilationi assensum praestiterit, attamen Episcopus Melitensis antequam exequutionem indulti decerneret, EE. PP. consultos voluit, num revera in casu constaret de continuo servitio, ex eo quod, ex terraemotu dirutis domibus omnibusque Ecclesiis, per biennium servitium praestare non valuit. Interruptum quidem fuit servitium, adeoque tempus hoc computari minime poterat; sed cum de casu insolito ageretur, aequitatis habenda videbatur ratio. Hinc totum illud tempus, in quo cessarunt Canonici a sacris functionibus ob eversionem Ecclesiae, sane detrahendum videbatur a quadragenario servitio, cum ex publica calamitate Canonicus Cotronea interruperit servitium. A tempore vero illo, quo Canonici ad servitium redierunt, incipiebat eius negligentia, cum, ut ceteri fecerunt, ipse redire posset. Is enim post biennium, quo ceteri redierunt, - avendo trovata una camera vi dimorò quasi continuamente all'infuori di qualche tempo interrotto, che per causa d'infermità e consiglio de' Medici ha dovuto respirare l'aere nativo specialmente in tempo d'inverno -. Observabatur vero, quod Orator unum annum supra quadragesimum servitium iam praestiterat; quare si tempus negligentiae post reintegratum chorale servitium longius erat anni spatio, quo Canonicus supra quadragesimum servitium obivit, hoc forsitan tempus ab eo erat compensandum. His igitur perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit exequendum indultum iubilationis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative in casu, de quo agitur - *in Meliten. Iubilationis die 18 Augusti 1804.*

128. Quod itaque de suberversa Ecclesia sancitum est, de suppressa etiam dici posse rationis paritas suadet *in Eugubina Iubilationis die 29 Aprilis 1837* §. *His.*

129. Quapropter qui etiam tamquam Coadiutor et sub specie Canonici honorarii ob iniustam Capituli suppressionem Ecclesiae continuo et laudabiliter servitium praestitit, indultum iubilationis, plaudentibus Capitulo et Episcopo, dubio procul consequitur *in Caesenaten. Iubilationis die 21 Iulii 1827.*

130. Iamvero Marcus Ioseph Mami iam inde ab die 20 ianuarii 1784 Caesenatensi Cathedrali Ecclesiae inservire cepit uti Coadiutor cum futura successione Canonici Antonii Fabri. Volvente anno 1798 ex Decreto Militaris Regiminis, quod Emiliae Provinciam invaderat, suppressionem subiit Caesenatense Capitulum, eaque perseverante, vitam cum morte commutavit Canonicus Fabri. Verum Coadiutor Mami nec ante nec post Coadiuti obitum a servitio chori sibi censuit abstinendum, licet nullo fruëretur emolumento. Tandem anno 1806 in antiquum statum restitui obtinuit Caesenatense Capitulum; sed cum ex undeviginti Canonicalibus Praebendis novem dumtaxat fuerint reintegratae priscis Titularibus, qui adhuc vitam agebant, conferendae, Sacerdos Mami titulo Canonici honorarii et officio magistri caeremoniarum donatus fuit, hoc honoris gradu divinis laudibus interesse perrexit Mamius, usque dum anno 1808 e vivis erepto Canonico Boni ad Canonicalem Praebendam, et anno 1820 ad Praeposituram

Dignitatem fuit evectus. Expleto subinde quadraginta annorum chorali servitio, et adversa valetudine ob ingravescentem eius aetatem laborans, exemptionem a choro efflagitavit. Quae Orator exposuit, veritati esse consona affirmarunt Canonici, qui amplam etiam perhibuerunt fidem de laudabili eius servitio. Canonicis concinuit Episcopus. His igitur perpensis, proposito dubio: – An constet de continuo et laudabili quadraginta annorum servitio, ita ut sit locus iubilationi in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative cum solitis clausulis – *in Caesenaten. Iubilationis die 21 Iulii 1827.*

131. Hinc nequiter occupatis Ecclesiae bonis ac iniuste Canonicis impeditis, quominus ei servitium praestent ad normam Constitutionum, huiusmodi tempus computandum est in quadragenario cursu, ac eapropter Canonicus iure petit ac obtinet indultum iubilationis *in Montis Alti Iubilationis die 12 Iulii 1817.*

132. Siquidem Prior Petrus Camillus De Carolis per quadraginta septem annos servitium praestitit in Ecclesia Collegiata Castineani, primum qua Canonicus per annos undeviginti ab ineunte mense iunii anni 1769 ad mensem iulii 1788, et inde ad Dignitatem Prioratus in eadem Collegiata evectus, a die 16 iulii 1788 per annos duodetriginta servitium iugiter prosequutus est. Toto hoc tempore semel iterumque abfuit: primum a mense novembris 1769 ad mensem maii 1775, ut studiis vacaret in Collegio Montis Alti Civitatis Bononiae, deinde a mense septembris anni 1791 usque ad mensem iunii 1794, quo tempore munus Vicarii Generalis in Diaecesi Ripana obivit. Sed in utraque hac absentia, quae simul unita annos sex et menses quatuor non excedebat, indultum consequutus est, et tertiam partem distributionum favore inservientium dimisit. Hinc nihil ex ea detractum putavit a quadragenario servitio, cuius intuitu iubilationis postulavit indultum. Capitulum petitae iubilationi repugnavit, ex eo quod libri punctaturarum aut deperditi aut informes essent; unde constare non poterat de continuo et laudabili servitio quadragenario. Vicarius Capitularis vero instantiae favit; nam dixit: – Aliae prostant exhibitae Canonicorum attestationes, (quas idem Vicarius remisit) quae de laudabili servitio quadraginta annorum, computato etiam absentiae tempore, de chori assiduitate, paucis dumtaxat amissis distributionibus, testimonium perhibent ingenue. Sciendum denique, quod tredecim sunt numero Canonici, omnesque Ecclesiae mancipati, ac proinde absentiae unius nullum fere affert chori detrimentum –. Quum in habitis comitiis capitularibus alter ex Canonicis protestatus fuerit de non completo quadragenario servitio, ex eo quod tempore praeteriti tumultus Collegiata suppressa fuerit; hinc iterum scriptum fuit Vicario Capitulari, ut – denuo referret de laudabili quadraginta annorum servitio, perquisitis punctaturarum libris per Canonicum subdelegandum, transmissa notula fallentiarum, et utrum occupatis Collegiatae bonis Orator pensionem perceperit, eaque durante occupatione, officiatura choralis praestita fuerit ab Oratore collegialiter ad formam Constitutionum Ecclesiae, sin minus quamdiu et qua de causa neglecta –. Remisit Vicarius Capitularis notulam fallentiarum, quas Canonicus subdelegatus ex libris punctaturarum Priorem de Carolis commisisse invenit, quaeque ut Vicarius idem affirmavit – in tam longo annorum spatio divisae ad rationem obulorum quinque pro quolibet die feriato, et obulorum septem cum dimidio pro festivo iuxta Ecclesiae suae Constitutiones, non perveniunt in totum ad unius mensis fallentias –. Quoad officiaturam tempore invasionis affirmavit Vicarius, quod occupatis Collegiatae bonis vetitum fuerit Capitulo, ne servitium chori obiret. Nihilominus prosequutus est: – Officiatura nunquam, quamquam sine canonicalibus insigniis, fuit derelicta in diebus solemnioribus et in omnibus aliis Ecclesiae festivitatibus, et in hac officiatura prae aliis omnibus refulsit pietas et assiduitas Oratoris, qui postquam omne suum adhibuit opus pro recuperatione Ecclesiae tamquam patronatae suorumque redituum, et reapse recuperavit, ob quam rationem nunquam recepit pensionem, omnes in ea exercuit ecclesiasticas functiones ad honorem Dei et ad Populi commoditatem, et sic duplex servitium praestiterit maiusque illius, quod antea praestare consueverat –. Controversia tamen esse poterat: num in quadragenario cursu computandum esset quinquennium illud,

quo Canonici impediti fuerunt, quominus servitium obirent ad normam Constitutionum. Quum autem, qui ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis vel pro suae Ecclesiae servitio vel cum indultis abessendi pro diebus et horis abfuerint, computare huiusmodi tempus possunt ad effectum consequendi iubilationem, nec non qui expulsi a Civitate propter seditiones absque sua culpa atque sponte profugi, ut se a persecutione subtrahant, pro praesentibus habendi sunt cum perceptione distributionum quotidianarum; hinc merito deduci posse videbatur, eum etiam, qui servitium per aliquod temporis spatium praestare non valet, huiusmodi tempus computare posse pro obtinendo iubilationis indulto.

133. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Priori De Carolis sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Montis Alti Iubilationis die 12 Iulii 1817.*

134. Quum igitur Canonicus peteret indultum iubilationis, sed Episcopus obiiceret, eum cum ceteris Canonicis ab anno 1810 ad totum fere 1814 ob Collegiatae Ecclesiae suppressionem a Regimine Italico nequiter expletam nullum praestitisse servitium, adeoque interruptum fuisse aut saltem nondum quadragenarium, eumdemque versari in quinto et sexagesimo aetatis anno, firmamque etiam habere corporis constitutionem, nec non quatuor tantum Canonicos in choro superesse, Sacra Congregatio respondit, concedendum esse indultum iubilationis, et Episcopum in casu necessitatis uti debere remediis a iure concessis *in Eugubina Iubilationis die 27 Maii 1837.*

135. Enimvero Epiphanius Mazzantinti Collegiatae Ecclesiae a S. Christina nuncupatae Eugubii Canonicus ab quinto idus maii anno 1786 Canonicatus possessionem adeptus quadragenarium explevisse laudabile servitium EE. VV. exposuit, ideoque suetum iubilationis indultum enixis precibus efflagitavit. Oratoris desiderio pleraque Canonicorum pars favit; adversatus est autem anxius Episcopus; qui enim fassus quidem est, quod Oratoris – diligentiae et accurationi egregium ceteri Canonici uno ore tribuunt testimonium –, sed advertebat, quod – in memorata Collegiata octo tantum recensentur Canonici, Mansionarii sex. Tres e Canonicis chori servitio inhabiles se reddidisse omnibus Eugubii liquide patet. Si istis addas et Mazzantintum iubilationis indulto, chori satisfactio in grave discrimen adducitur, cum revera fiat, ut ex aliis quatuor Canonicis unus et alter a re quapiam vel aliquando occupentur, vel morbo laborent. Addendum, quod Orator Mazzantintus die 8 ianuarii 1771 Eugubii ortus in quinto et sexagesimo aetatis suae modo versetur anno, firma corporis constitutione valeat, proximamque habeat ipsimet Ecclesiae propriam domum, et idcirco admodum facilis sit ei ad eamdem accessus. Animadvertendum, postremo anno 1810 ad totum fere 1814 Collegiatam praedictam suppressionis iniuriam a Regimine Italico pertulisse, neminemque Canonicorum, prout et Mazzantintum, tunc temporis famulatum ullum choro praestitisse, licet certam pensionem singuli qaotannis percipere nt –. Contra Mazzantintius animadvertit, unum obiici, servitium fuisse interruptum, aut saltem non quadragenarium; sed a voluntaria ad necessariam causam semper habitam fuisse rationem, ac tempus quidem absentiae ex voluntaria minime computari ad quadragenarios annos explendos, utique vero tempus non interessentiae ex causa necessaria. Quod enim de subversa Ecclesia sancitum erat in Meliten. Iubilationis 18 augusti 1804, de suppressa etiam dici posse rationis paritas suadebat. Minusque obesse poterat aetas nondum provecta firmaque eius corporis constitutio, cum iubilationis indultum non senectutis aut impotentiae vel incommodi intuitu elargiri consuetudine inductum esset. Nec detrimentum aliquod notatu dignum Ecclesiae cultui obventurum: nam dato etiam, ut asserebat Episcopus, tres e Canonicis inhabiles evasisse cuique chorali muneri absolvendo, quatuor semper ex octenario numero superessent Canonici, qui satis superque erant, ut decorum Ecclesiae servitium persolveretur. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus, et Episcopus in casu necessitatis utatur remediis a iure concessis – *in Eugubina Iubilationis die 27 Maii 1837.*

136. Qua de re cum Canonicus completo quadragesimo anno exercitii canonicalis, sed

per quinque annos tempore iniustae suppressionis Collegiatae, si non semper, plerumque tamen a choro abfuerat, iubilationis indultum petierit, Sacra Congregatio, attentis eius meritis diligentia infirma valetudine et gravissima aetate respondit, concedendum esse indultum iubilationis absque ulla conditione iuxta votum Episcopi in casu, de quo agebatur, facto verbo cum Sanctissimo, etiamsi Capitulum assensum praestitisset sub clausula, ut is choro interesse deberet diebus festis primae classis aliisque huiusmodi designatis *in Urbanien. Iubilationis die 16 iulii 1836.*

137. Siquidem Franciscus Maria Donati Canonicus Collegiatae Ecclesiae Oppidi Mercatelli, completo quadragenario servitio, ac aetatem agens septuaginta quinque annorum nec non viribus satis fractus, iubilationis indultum postulavit. Episcopus retulit, non esse – de tempore vacationis a choro impetrandae necessario ambigendum; nam nulla ratio apparet, cur subducendi sint anni quinque, in quibus Canonici choro diligenter interfuerint, et non ecclesiastica auctoritas, sed vis secularis dissolutum declaravit Capitulum. Constat etiam de praeterita Oratoris diligentia in Ecclesia et choro inserviendo, quam aliis meritis cumulavit, ut Canonici ipsi fatentur. Habita vero ratione etiam de aetate Oratoris et de fractis eius viribus, auctoritate EE. VV. RR. excitatus, ut meum aperiam sensum, arbitrarer Oratori indulgendum esse iuxta petita etiam quoad dies festos. Firmam enim fiduciam habeo, eum, a choro licet dispensatum, non abfuturum, nisi absoluta necessitate praepeditum –. Rite autem coactum Capitulum die 12 octobris 1835 petitae ab Oratore iubilationi suum assensum praestitit – colla clausula però, che esso Donati sia obbligato ad intervenire al coro in tutti i giorni festivi di prima classe ed in tutte quelle feste e Domeniche, nelle quali altro Canonico va a supplire pel Donati alla Chiesa di S. Cecilia –, cuius ipse Parochus erat. Hinc ut cognovit Sacra Congregatio, servitium Oratoris quadraginta annorum non esse, sed triginta quinque, Literas Episcopo dare curavit, – ut, audito Capitulo, referret de causa, ob quam tempore suppressionis Orator a choro abfuerit, et an ceteri, qui choro eo tempore interfuerunt, vetitum iuramentum praestiterint –. Episcopus retulit: – De Sacrae Congregationis epistola sub die 12 elapsi decembris 1835 mihi data Capitulares certiores feci, a quibus quoad primum mihi responsum est, se penitus non agnoscere causam, qua a choro, si non semper Orator, plerumque tamen tempore suppressionis abfuerit; suspicari tamen id factum esse, quia signis capitularibus uti non permittebatur, et quia licet per vim suppresso Capitulo, Orator censebat, choro interesse non teneri. Quoad alterum vero affirmabat, qualibet remota dubitatione, nullum omnino de gremio capitulari vetitum praestitisse iuramentum, de quo Canonici nec requisiti sunt quidem, cum inter terminos Regni Italici continerentur –. Videbatur itaque, non ex voluntate Orator recusasse chori servitium, sed ex temporum iniquitate, quae liberum et consuetum chori servitium non patiebatur, cum nec signis capitularibus uti permitteretur. Hisce addidit Orator, in pretium habendum esse servitium, quod ante Canonicatus possessionem Ecclesiae tamquam Mansionarius per quatuor annos exhibuerat. Cui accedebat diligentia, quam semper praestitit in inserviendo, quamque ipse cumulavit aliis meritis, ut fatebantur Canonici; quandoquidem – ha insegnato gratis o quasi gratis, come fa anche al presente con applauso de' Superiori la Teologia morale nel Seminario –. Plurimi deinde facienda erat et ad adversa valetudo, qua cum conflictabatur, – mentre ha una quasi continua e perenne flussione di occhi, che l'obliga buona parte dell'anno a non partire da casa –; et gravissima aetas annorum septuaginta quinque, – percui con difficoltà potrà specialmente al tempo d'inverno intervenire insieme con gli altri in tutti i giorni al coro –, quae quidem causae graves et iustae videbantur, ut iubilationem consequi valeret.

138. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratori sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in casu, de quo agitur, iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo – *in Urbanien. Iubilationis die 16 Iulii 1836.*

139. Unde si Testes omni fide digni deponant, Oratorem iam septuagesimum aetatis annum agentem adversaque valetudine maxi-

me pressum continuo et laudabiliter Ecclesiae inserviisse etiam tempore suppressionis Collegiatae, concedendum est indultum iubilationis, etiamsi praefatis Testibus prorsus refragetur ex aliorum Testium consilio Capitulum ac servitium praestetur per alternas hebdomadas, exceptis diebus festis de praecepto aliisque perpaucis infra annum *in Imolen. Iubilationis die 23 Iunii 1832.*

140. Iamvero Sacerdos Ioannes Sassoli ex Civitate Luci Imolensis Diaecesis iamdiu ab anno 1786 Mansionariam possidebat in eiusdem Civitatis Collegiata Ecclesia, quae Deo dicata erat in honorem SS. Petronii et Prosperi, dehinc vero a s. m. Leone XII in pristinum decus restituta et S. Francisci Assisinatis titulo nuncupata fuit. Itaque anno 1829 supplex ad S. Congregationem confugit, petiitque iubilationis indultum referens, se trium et quadraginta annorum chorale servitium explevisse, atque eiusmodi affectum esse adversae valetudinis incommodis, ut diutius in choro inservire non posset. Quum autem de laudabili et assiduo Oratoris servitio pro tempore suppressionis Collegiatae Ecclesiae dubitatum esset, Rescriptum prodiit die 27 iulii 1829: – Quoad iubilationem coadiuventur probationes super continuo et laudabili praestito servitio tempore suppressionis; attentis vero infirmitatibus, pro gratia ad annum arbitrio Emi Episcopi, onerata, si tamdiu etc. –. Hac unius anni exemptione elapsa, Mansionarius Sassoli medio fere mense novembris 1830 supplicem rursus libellum pro impetrando iubilationis indulto Sacrae Congregationi detulit, eumque tribus munivit testimoniis, nempe Iosephi Archidiaconi Pelloni Iacobi Canonici Garavini et Sacerdotis Sacristae Antonii Casagrandi, quorum quisque de assiduo et laudabili chori servitio etiam tempore suppressionis ab Oratore alacriter peracto sine ulla animi haesitatione profitebantur. Verumtamen novis hisce Oratoris precibus S. Congregatio die 20 eiusdem novembris 1830 ita rescripsit: – Constito ex iurata Medici fide de iisdem perseverantibus necessitatis causis, pro gratia ad alium annum a die expirati indulti et ad formam praecedentis, arbitrio Emi Episcopi, qui, audito Capitulo, referat super Testibus ab Oratore inducendis ad probandum laudabile servitium tempore suppressionis Collegiatae –. Vicarius Generalis Imolensis retulit, Capitulum in ea esse sententia, quod Orator per duodecim annos ante Collegiatae suppressionem continuum et laudabile servitium praestitisset, sed post Collegiatae suppressionem fere nunquam Ecclesiae inserviisset. Unde Testes per Capitulum inducti continuum et laudabile servitium pro tempore suppressionis excludebant. Contrarium vero deponebant Testes ab Oratore exhibitos; id enim amplissime praefatus Vicarius Generalis testatus est, aiens: – Et revera Testes ab Oratore inductos omnes fide dignos esse firmissime teneo; plerosque item, non tamen singulos, satis matura aetate pollere, ac Collegiatam praedictam sic antea frequentasse, ut illorum testimonium etiam pro tempore, de quo quaestio est, magni habendum esse inficiari non audeam –. Indubium etiam erat ex Literis praefati Vicarii Generalis, Oratorem per annos quatuor et quadraginta servitium chorale praestitisse, eumdemque, testante Physico Doctore, tot ac tantis valetudinis incommodis laborare, ut septuagesimum suae aetatis annum agens choro in posterum inservire diutius non posse censeretur. Illud etiam accedebat, quod ex illius iubilatione nihil sane damni obiiciebatur cultui divino obventurum; nec quidquam negotii facessere videbatur methodus per alternas hebdomadas, exceptis diebus festis de praecepto aliisque perpaucis infra annum, choro inserviendi per septem Mansionarios, quae quippe methodus, si passim pro impertienda iubilatione apud Sacram Congregationem non obest, nocere neque debebat Oratori Sassoli, ne in eadem causa diversum ferretur iudicium, L. *Non licet* de regulis iuris, L. *Non habet* ff. eodem titulo.

141. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An iubilationis indultum sit concedendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Imolen. Iubilationis die 23 Iunii 1832.*

142. Quum autem Canonicus Cathedralis Ecclesiae petierit indultum iubilationis, sed Capitulum obstaret, quia is Italicarum vicissitudinum tempore Bononiae per triennium moram traxerat, dum ceteri Canonici non obstante Italici regiminis prohibitione absque choralibus indumentis privatim choro inser-

viebant, et quia per triennium Oeconomi curati munere functus fuerat, Sacra Congregatio respondit, indultum iubilationis non esse concedendum, mandavit tamen, ut Orator recurreret, compensato tantum ex speciali gratia triennio, facto verbo cum Sanctissimo *in Treien. Iubilationis die 6 Iunii 1840.*

143. Siquidem Ioachim Tomassetti Ecclesiae Cathedralis Treiensis Canonicus quadragenarium iam explevisse laudabiliter servitium EE. PP. exposuit, ideoque suetum iubilationis indultum enixis precibus efflagitavit. Archiepiscopus Camerinensis Treiensis Ecclesiae Administrator retulit, Capitulum Oratoris desiderio adversari. Licet enim Canonici nonnulli, coactis ea de re comitiis, in propitiam abierint sententiam, pleraque tamen pars eidem obstitit, ex eo quod – Orator Italicarum vicissitudinum tempore Bononiam concesserit, ibique per tempus notabile (quod fuit triennium) moram traxerit, et inde Senegallias profectus fuerit; nec non ex eo quod per triennium Oeconomi munere functus fuerit in una Parochiarum eiusdem Diaecesis, unde toto hoc intervallo ipsius persona chorus extitit viduatus –. Archiepiscopus Administrator vero favit Oratori. Cum enim, Capitulo acriter obstante, illi mandatum fuerit, ut referret, an tempore Gallicae invasionis Capitulum Treiense pacifice sua munera explere potuerit, Capitulum retulisset, – che anche nel tempo dell'Italico regime i signori Canonici esercitarono liberamente l'officiatura..., sebbene privatamente etc. –, ita ipse suam aperuit sententiam: – Ex resolutione capitulari facile dignoscitur, adversarios Canonici Oratoris in contradictionis scopulos impegisse. Enimvero fatentur ii, Italicarum vicissitudinum tempestate nedum servitium chori praestari non debuisse, sed et campanae sonitum et insignia choralia ipsis interdicta fuisse. Quod si prohibitione non obstante in Ecclesia psallebant, id ob laicae potestatis conniventiam contigit, non autem quod aequa fuerit Canonicis facultas choro interveniendi. Nulla ergo Orator noxa videtur culpandus, si tunc temporis choro non interfuit. Quapropter, rebus ita se habentibus, ut Oratoris postulationi EE. VV. indulgerent summopere optarem –. Itaque Canonicus Tomassetti advertit, non triennio, sed biennio tantum, Gallica perdurante perturbatione, ab Ecclesia sua abfuisse Senegallias profectum; ad id autem coactum fuisse, nedum quia choro interessentia tunc temporis gravis detrimenti periculum afferre poterat, quoniam praestitutis illius regiminis ordinationibus adversabatur, sed etiam quia id exigebant – le imperiose circostanze domestiche –, scilicet, ut ipse idem explicabat – la sua lontananza benchè pensionata dal Governo francese con scudi 88 in tempo di soppressione fu cagionata dalla mancanza dei beni demaniati, con i quali per obligo di natura per legge divina ed umana somministrava a' suoi miserabilissimi cadenti Genitori ad una Zia paterna a un Zio pur paterno a due Sorelle nubili e forse pericolanti per la fame non che ad un fratello secolare il necessario ed indispensabile sostentamento per vivere –. Dicebatur autem, abfuisse Canonicus Tomassetti per triennium, auctorante Episcopo, qui per Vicarium Generalem Treiensem eum invitaverat, ut Oeconomi munere fungeretur – nella Villa del Passo di Treia –. Hoc vero munere addebatur adeo diligenter perfunctum fuisse, ut multo maioris utilitatis extiterit Diaecesi suae, quam si choralibus ministeriis animum applicuisset; praesertim per eleemosynas pauperculis illis hominibus ministratas, dum tenuissimo frueretur annuo stipendio scutorum quadraginta quinque. Postea vero semper sedulum incubuisse Officii sui muneribus, ac praeterea viginti quatuor annis fidelium confessiones excepisse, quamvis nulla ad id obligatione adstringeretur.

144. His mature perpensis, proposito dubio: – An concedendum sit Oratori indultum iubilationis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et recurrat compensato tantum ex speciali gratia triennio, facto verbo cum Sanctissimo – *in Treien. Iubilationis die 6 Iunii 1840.*

145. Alias vero qui haud voluntarie abfuit, sed per vim coactus est ab Ecclesia patriaque exulare, hoc tempus huiusmodi absentiae computare merito potest in quadragenario servitio *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 28 Iulii 1820* § *Tandem.*

146. Siquidem Sacra Congregatio in Fabrianen. proposita in Comitiis 17 iunii 1820 per Summaria precum tempus, quo chori Cano-

nicus servitium ob iniustam deportationem praestare non valuit, tamquam legitimae absentiae consideravit *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 15 Iulii 1820 §. Tandem.*

147. Quapropter Canonicus, qui iniuste deportatus abfuit a choro et residentia quatuor annis, quibus cum aliis triginta sex coniunctis, iure petiit ac obtinuit indultum iubilationis, etiamsi sex tantum superessent choro inservientes, quos inter tres octogenarii Canonici numerabantur, ac alii duo iubilationem iam petebant, salvo tamen iure Episcopi revocandi ad servitium in casibus urgentis necessitatis, quin alia Missarum onera adimplere teneretur, nisi lectarum Praebendae infixarum, concessa etiam gratia sanationis quoad punctaturas et participationem distributionum pro tempore, quo se Romam contulit tuendae valetudinis causa *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 15 Iunii 1820.*

148. Enimvero inter Collegiatae Ecclesiae Vallerani Canonicos, qui iubilationis indulto donari petierunt, numerabatur Canonicus Ioannes Baptista Ercoli, qui, omnium primus die videlicet 17 aprilis 1819 exponens tum praestitum laudabiliter et continuo suae Ecclesiae servitium quadraginta annorum ab ipsa erectione Collegiatae, tum adversam valetudinem, praefatum indultum exoravit. Quia tamen facto calculo nondum expletum erat servitium quadragenarium, rescriptum fuit: – Recurrat expleto quadraginta annorum servitio –. Ineunte anno 1820 preces easdem instauravit: sed Capitulum nedum paucitatem inservientium exposuit, sex tantum enim superessent choro inservientes, iubilato Canonico Ercoli, inter quos numerandi erant tres octogenarii Canonici, qui pariter erant iubilatione digni, sed ulterius exposuit, a quadragenario servitio Canonici Ercoli subducendos esse quatuor annos, quibus a Gallis deportatus abfuerat a choro et residentia; visus incommoda non impedire, quominus choro interesset. Accedebat florida aetas, non gravibus proinde incommodis subiecta; notabile chori detrimentum, cum sex tantum superessent Praebendati choro addicti, qui choro inservire tenebantur alternis vicibus ex Constitutionum capitularium sanctionibus, et quorum alii duo iam indultum iubilationis petebant, quo beneficio privari non poterant, si iubilatio Canonico Ercoli concederetur. Atque hoc in casu penitus evanesceret chorale servitium alternationis hebdomadibus adimplendum. Attamen Orator probavit ex fide Baptismatis sexagesimum tertium numerare a nativitate annum; ex fide autem tum medicae, tum chirurgicae artis Peritorum constabat, ipsum graviter laborare visus organo, adeo ut prope illum fistula esset efformata, ad quam curandam opus fuit, eum Romae manere, uti deponebat Chirurgus, qui eius curam suscepit. Quo vero ad divini cultus imminutionem, eam dimetiendam esse putavit a qualitate Ecclesiarum: nam etsi in Civitatis Castellanae 17 Aprilis 1766 iubilatio fuerit denegata Canonico Ecclesiae Cathedralis, quia per Capitulum opponebatur, per illius absentiam divinum cultum deficere, licet adessent Praepositus duodecim Canonici et duo Beneficiati, attamen in Ripana Iubilationis 29 novembris 1710 Sacra Congregatio iubilationem indulsit, quamvis Ecclesia Collegiata novem Canonicos comprehenso Praeposito numeraret, et exponeretur, quod desumptis Ministris Altari inservientibus atque altero Canonico organum pulsante nec non Praeposito, qui confessiones excipere tenebatur, tres tantum Canonici choro possent interesse. Nihil vero sibi obesse dixit instantiam duorum Canonicorum eiusdem Ecclesiae iubilationem petentium oblatam Sacrae Congregationi, postquam iam rescriptum fuerat Oratoris praesenti instantiae: – Ponatur in folio –; hinc si uni tantum concedi poterat iubilatio, ipse praeferendus erat, qui prius lapidem movit. Quoad autem iniustam deportationem patebat, Summum Pontificem voluisse, ut deportati omnibus privilegiis et reditibus fruerentur, unde tamquam choro praesentes haberi deberent. Postulavit etiam praefatus Canonicus Ercoli absolutionem a punctaturis et participationem distributionum a die 5 februarii, qua se Romam contulit tuendae valetudinis causa.

149. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit concedendum Indultum iubilationis Canonico Ioanni Baptistae Ercoli in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quae onera tum Missarum, tum Canonicatui adnexa debeat per se, vel per alium ad implere in casu? III. An sit concedenda gratia sanationis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad

primum, Affirmative, salvo iure Episcopi revocandi ad servitium in casibus urgentis necessitatis. Ad secundum, Affirmative quoad onera Missarum lectarum infixa Praebendae. Ad tertium, Affirmative, onerata – *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 15 iulii 1820*.

150. Quin imo et aliis duobus Canonicis eiusdem Ecclesiae Collegiatae concedendum esse censuit Sacra Congregatio indultum iubilationis cum onere dumtaxat Missarum lectarum infixo Praebendis, salvo pariter iure Episcopi revocandi ad servitium in casibus urgentis necessitatis, licet, si alter Canonicus idem peteret indultum, tres tantum Praebendati superessent choro addicti *in Civitatis Castellanae Iubilationum die 15 Iulii 1820*.

151. Siquidem Praeter Canonicum Ioannem Baptistam Ercoli, de quo actum est in superiori Causa, Sacerdotes Carolus Orlandi, et Paulus Pacelli eiusdem Collegiatae Ecclesiae Terrae ValleraniCanonici indulta iubilationum postularunt mense aprilis 1820 ob expletum quadragenarium servitium ac adversam, qua laborabant, valetudinem. Canonicus enim Pacelli erat quasi septuagenarius et auribus gravis, Canonicus vero Orlandi octogenarius et claudus. Episcopus remisit capitularem resolutionem ambobus Canonicis contrariam ob easdem causas, quibus Canonico Ioanni Baptistae Ercoli iubilationem a Sacra Congregatione denegandam esse censuit, quarum praecipua erat choralis servitii cultusque divini non leve, sed notabile detrimentum. Si enim post hos alius Canonicus eiusdem Ecclesiae Franciscus Ercoli, qui iam praestiterat quadragenarium servitium, idem efflagitaret indultum, tres dumtaxat Praebendati supererant chori servitio addicti; quod confirmavit Episcopus in sua informatione, in qua ita: – Utrique instantiae minime annuendum esse reliqui Canonici putant, ac ego quoque existimo; quoniam, aliis Canonicis deficientibus, chorale servitium valde imminueretur, et aliquando prorsus deficeret, quod non est permittendum –. Quatenus autem et hos voti compotes fieri censeret Sacra Congregatio, exoravit Capitulum, ut decerneretur, onera Missarum et alia Praebendis infixa per Iubilatos esse adimplenda. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Canonicis Orlandi et Pacelli sit concedendum iubilationis indultum in casu etc. *Et quatenus affirmative*. II. An et quae onera tum Missarum, tum Canonicatui adnexa debeant adimpleri a duobus Iubilatis vel per se, vel per alios in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, salvo iure Episcopi revocandi ad servitium in casibus urgentis necessitatis. Ad secundum, Affirmative quoad onera Missarum lectarum infixa Praebendis – *in Civitatis Castellanae Iubilationum die 15 Iulii 1820*.

152. Nec denegari solet Indultum iubilationis tam si continuum et laudabile constiterit annorum quadraginta servitium, quam si, ubi nonnullis annis vel mensibus fuisset interruptum ex causa praesertim non reprobanda, per longius servitium fuerit interruptio compensata *in Narnien. Iubilationis die 27 Iunii 1857* §. Post.

153. Qua de re in Hortana proposita per Summaria precum die 19 augusti 1786, in qua de Canonico res erat, qui per quadraginta quinque annos inservierat, sed tamen per insignia intervalla annos duos cum dimidio attingentia abfuerat, tum ut rei suae familiari, tum ut litibus, quibus in Curia vexabatur, attenderet, nihilominus Sacra Congregatio redemptam quodammodo arbitrata a longiori illo servitio rescribi mandavit: – Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia cum solitis clausulis – *in Montis Falisci Iubilationis die 2 Decembris 1786* §. *Considerare*.

154. Tempus propterea servitii ultra quadraginta annos praestiti computari debet in compensationem interrupti vel omissi servitii intra tempus quadragenarium *in Narnien. Iubilationis die 27 Iunii 1857*.

155. Siquidem ab anno 1812 die 12 maii Raphael Valori Canonicatus possessionem, praevia legitima collatione Ordinarii, nactus est in Collegiata Ecclesia S. Michaelis Archangeli Terrae vulgo *Stroncone* in Diaecesi Narniensi. Ineunte autem mense maio 1836 promotus est ad Canonicatum in ipsa Cathedrali Narniensi, quo fruebatur et in praesens. Cum itaque tres annos supra quadraginta servitium Canonicale praestitisset in praefatis duabus Ecclesiis eiusdem tamen Diaecesis, labente iunio 1855 suetum iubilationis Indultum ab Sacra Congregatione postulavit. Episcopus vero et Capitulum enixe obstiterunt:

hinc observavit in primis Capitulum, Canonicum Valori a mense augusti 1833 Stronconio discesisse, eoque amplius non fuisse reversum, quousque Canonicatum ea in Ecclesia retinuit, ad diem scilicet secundum mensis maii 1836, quando Canonicatum est assecutus in Cathedrali, ita ut duos per annos et novem circiter menses nullimode propriae Ecclesiae inservierit; ac inde duobus annis et tribus mensibus ab Ecclesiae servitio abfuisse, ut proprio Episcopo Narniensi Tamburini Secretarii munere perfungeretur. Postquam autem Valorius Canonicatum obtinuit in Cathedrali, plures per annos illius negligentiam, adiecta fallentiarum in singulos annos computatione, redarguit Capitulum. Ac in primis anno vel ipso 1836, quo sub die *2* maii Canonicatus obtinuit possessionem, maxima notatum negligentia reprehendit, et non levi proxime sequentibus annis; nimirum anno 1836 dies fallentiarum commissarum fuerunt 103, anno 1837 dies 66 $^1/_2$, anno 1838 dies 63, anno 1839 dies 103 $^1/_2$, anno 1840 dies 73 $^1/_2$, anno 1842 dies 66, anno 1844 dies 6, in totum dies 541 $^1/_2$; quod equidem spatium cum tempore absentiae a Collegiata coniunctum quatuor annos et duos menses circiter efformabat a requisito servitio detrahendos. Praeterea in synodali statuto cautum erat:– Licitum vero sit tantum abesse in anno ab Ecclesiae residentia per quadraginta quinque dies, in quibus unusquisque Canonicus per alium similem Praesbiterum choro inservire valeat, quo tempore elapso, nullus ipsorum faciat amplius fructus suos –. Unde Capitulum observavit, hanc invaluisse huiusmodi synodalis dispositionis in praxi interpretationem, quod scilicet Canonicus vel Beneficiatus, qui longius aberat tempore concesso, non amplius frueretur alternatim hebdomadali vacatione toto, quod supererat, eius anni spatio; quae poena vulgo *spuntatura* vocabatur. Idcirco totidem supputandos esse putavit dies ab utili tempore omnibus annis, quibus absentia Canonici Valori protracta dignoscebatur ultra quadraginta dies, quot respondebant diebus hebdomadarum vacantium, quibus ipse usus est privilegio vacandi post poenam incursam. Ex qua computatione, quam non exhibebat Capitulum, haud leviter augeri fallentiarum numerum animadvertit. Exposuit deinde Capitulum, ex novemdecim, quot in praesens constabat Cathedralis Ecclesia, Canonicis, alterum iam esse rude donatum, alium annis et morbis impotentem, Decanum quadragenarium servitium longe superasse, et in proximo iubilatione donandum, tres aut quatuor alios parum abesse, ut complerent quadragenarium servitium, binos Canonicatus vacare, quorum alter suspensus erat favore Sacrarii, alter Patroni pauperis administrationi concreditus. Ex quibus Capitulum hac etiam de causa Oratori adversabatur, ne brevis choralis officiatura sufficienti et congruo carere cogeretur inservientium numero.

156. Contra vero Canonicus Valori advertit, se non per quadraginta tantum annos inserviisse tamquam Canonicum, sed quinque supra quadraginta; adeoque fallentiae contra ipsum cumulatae satis et abunde per temporis excessum essent compensatae. Interpretatio namque synodali dispositioni tributa haud unquam in praxi deducta erat, saltem usque ad annum 1847, ceu ostendit non solum testimonio Canonici Poenitentiarii, sed etiam facti argumento, ex quo iis annis a Capitulo supra recensitis, quibus ipse ultra tempus a Synodo concessum abfuerat ex legitima causa, nunquam poenam expunctionis in facto passus est. Fidem namque perhibebant libri capitulares, in quibus nullae imputatae erant fallentiae Canonico Valori in hebdomada vacationis, qua libere sicut ceteri fruitus est, quod sane ex ipsis Capituli eruebatur exceptionibus. Singulas subinde exceptiones refutare sategit: et quoad absentiam ab exeunte augusti 1833 ad diem 2 maii 1836 probavit, annis praecedentibus ita diligenter inserviisse, ut nunquam trimestralibus usus fuerit vacationibus; quatuor menses Neapoli in munere Secretarii Nunciaturae Apostolicae consumpsisse, quosque iure merito sibi computandos esse contendit ob servitium praestitum Apostolicae Sedi: ubi tamen hoc titulo sibi prodesse non possent ex indulti carentia, bona etiam illius fide non suffragante, tres menses indubie prosequebatur auferri sibi non posse titulo trimestralium vacationum, discessorialibus enim Ordinarii sui Literis profectus est: et tres similiter menses sibi eodem titulo deberi pro insequenti

anno 1834, quo post brevem Romae moram Neapoli reversus ad suos migravit in Civitate Castellana, a cuius Episcopo Concionator quadragesimalis, proprio assentiente Narniensi Ordinario, insuper deputatus fuit. Paulo post eodem anno 1834 labente novus Episcopus Narniensis Tamburini ipsum Valorium adscivit in munere Secretarii usque ad totum annum 1836. Quod inde spectabat ad fallentias incursas ab anno 1837 et in posterum, ubi subducerentur unoquoque anno dies quadraginta quinque, quibus vacare et abesse a residentia licitum erat, minimum remanere fallentiarum numerum ostendit, quem abunde compensatum censuit quinquennali ac diligenti servitio supra annos quadraginta. Addidit praeterea, anno 1836, quo primum inter Canonicos Cathedralis est cooptatus, causam absentiae fuisse deputationem illius in oeconomum Curatum in Terra Stronconii ab Episcopo factam, cuius officio per dies novem supra sexaginta functus est. Anno autem 1837 missus fuit in eamdem Terram ad annunciandum verbum Dei per totam quadragesimam, unde cum rediret morbo correptus in Oppido *Colliscipoli* ibidem decumbere per dies duos supra viginti coactus est. Obiectum vero choralis servitii detrimentum sibi obesse nequire dixit, cum praeter Beneficiatos tresdecim superessent Canonici chori servitio addicti.

157. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis Canonico Raphaeli Valori in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Narnien. Iubilationis die 27 Iunii 1857.*

158. Quin imo superventa infirmitate, aliquod breve tempus permissum fuit, quod deficiebat pro supplendis fallentiis, prout in Albanen. relata per Summaria precum die 20 februarii 1808 *in Praenestina Iubilationis die 17 Septembri 1808* §. *Firma.*

159. Tempus vero, quo quis, praevia licentia Sacrae Congregationis abfuit causa studiorum, non calculatur in curriculo annorum quadraginta, quod consummare laudabiliter oportet, ut iubilationis indultum consequi possit *in Dubia Iubilationum die 24 Septembris 1718* §. *In terminis.*

Item *in Lauretana Iubilationis die 29 Novembris 1806* §. *Nihilominus; in Nullius Sublacen. Iubilationis die 18 Martii 1815* §. *Quamquam; in Treien. Iubilationis die 9 Maii 1840* §. *De absentia.*

160. Unde absentibus causa studiorum, licet indulto Apostolico suffultis, vel ratione munerum, non conceditur indultum iubilationis, nisi quadragenarium servitium, deducto tempore absentiae, compleverint *in Montis Alti Iubilationis die 14 Iunii 1817* §. *Servitium.*

Item *in Piscien. Iubilationis die 12 Iunii 1819* §. *Verumtamen.*

161. Idcirco tempus, quo quis abfuit causa studiorum, haud quidem computatur in curriculo quadraginta annorum ad effectum consequendi indultum iubilationis, adeoque illud nequaquam conceditur, sed si mala extet valetudo temporaneum conceditur indultum causa infirmitatis *in Lauretana Iubilationis die 20 Decembris 1806.*

162. Enimvero Presbiter Ioseph Sciava Canonicus Collegiatae Oppidi Castri Fidardi ab anno 1801 supplicavit S. Congregationi indultum iubilationis post expletum quadraginta annorum servitium. Rogata Episcopi et Capituli sententia, cum constitisset, ipsum Canonicum a choro per quadriennium abfuisse, quo tempore Recineti studiis vacavit, rescriptum fuit die 19 decembris 1801: – Excomputato tempore, quo Orator abfuit causa studiorum, recurrat –. Superlapso hinc quinquennio, reintegravit preces pro impetranda iubilatione. Capitulum habitis comitiis retulit, praefatum Canonicum omnibus Missarum oneribus per alios ac per seipsum satisfecisse, sed a die, qua primum petiit indultum iubilationis, choro causa infirmitatis interesse non potuisse. Nihilominus, collectis suffragiis, Capitulum instantiam probavit; et Episcopo interim defuncto, Vicarius Capitularis quoque instantiae suffragatus est. Advertebatur tamen, aperte obstare praxim Sacrae Congregationis, quae, nisi continuum et laudabile servitium praestitum sit, nunquam indulta huiusmodi iubilationum impertiri solet; quin tempus, quo quis abfuit causa studiorum, calculari possit in curriculo quadraginta annorum, quod consummare laudabiliter oportet, ut iubilationis indultum consequi valeat. Proposito hinc dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra

Congregatio responsum tulit: – Negative, et esse concedendum indultum causa infirmitatis ad quatuor annos, si tamdiu – *in Lauretana Iubilationis die 20 Decembris 1806.*

163. Qui proinde ab Ecclesia sua vacavit uti Commissarius Archiviorum et R. Fabricae S. Petri per annos triginta, eiusque fallentiae, utpote innumerae, percenseri nequeunt a Capitulo, haudquaquam indultum iubilationis assequi potest *in Signina Iubilationis die 16 Maii 1795.*

164. Siquidem Sacerdos Philippus Galeotti post quadragenariam possessionem Canonicatus Collegiatae S. Mariae Maioris Labicorum indultum ab EE. PP. postulavit iubilationis. Episcopus in prima informatione haec habuit: – Galeotti Oratoris instantiam quadragenariae siquidem possessioni, commendabili haud servitio innixam esse constat. Ipse enim in maiori annorum curriculo a chori ministerio abfuit, adeo ut eius fallentiae, utpote innumerae, percenseri a Capitulo ne quidem possint, quod eam ob causam uno ore penitus dissentit, et ego pariter. Improbum propterea est, ipsum ab Ecclesia sua quotannis dissitum, et in chori famulatu maxime oscitantem, eo iubilationis beneficio dein frui, quod solummodo Canonicis indulgetur, qui iugiter in servitio laudantur –. Hac Oratori ostensa informatione, frequenter a choro abfuisse exposuit, ob Commissariatum R. Fabricae S. Petri, allegavitque privilegium Pauli III, quod – Commissarii R. Fabricae non possunt compelli ad residendum, sed fructus Beneficiorum integre ac si personaliter residerent, percipere possunt, quotidianis distributionibus exceptis –, ut in Constitutione *Si cunctarum* anni 1535 apud Vespignanum de privilegis R. Fabricae. Testimonio insuper Medici Benignetti laborare dixit hernia, sibique propterea nocuum esse cantum chori. At iterum super novis precibus audito Capitulo, – omnes unanimi voce dixerunt, praedictum Canonicum Galeotti tali gratia dignum non esse, tum propter servitium ab eo non praestitum eidem nostrae Ecclesiae, a qua vacavit ipse non solum uti Commissarius Archiviorum et R. Fabricae S. Petri per annos triginta, tum etiam ob alias permultas fallentias diversis anni temporibus per notabilem in Urbe moram ob sui solatium; immo dum hic morabatur, vel se abstinebat quam saepe a servitio, vel dum serviebat, personalem tantummodo praesentiam praestabat–. Hinc contrarium omnes tulerunt votum. Episcopus autem utramque absentiae causam negligendam censuit; neque prodesse dixit Oratori superventam infirmitatem absque laudabili servitio; Constitutionem vero Pauli III unam respicere Canonicalium fructuum perceptionem tuta conscientia, non item laudabile servitium chori, quod iubilationis indultum mereretur. Nam ficta residentia, de qua loquebatur Paulina, praeter fructus, ad alios trahi non debere effectus videbatur. Proposito igitur dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Signina Iubilationis die 16 Maii 1795.*

165. Videtur autem praestitum continuum quadragenarium servitium, cum indulta ratione munerum concessa fuerint pro diebus et horis, haec enim nihil detrahunt de quadragenario servitio, ut iubilatio impetrari possit ab iis, qui indultis huiusmodi durante quadragenario servitio usi sunt *in Dubia Indultorum die 24 Septembris 1718* §. *In terminis.*

Item *in Placentina Iubilationis die 31 Ianuarii 1809* §. *Annos.*

166. Unde indulgenda est iubilatio Canonicis et Beneficiatis, qui spatio quadraginta annorum Ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis et indultis abfuerint ab Ecclesiis vel causa infirmitatis vel pro suae Ecclesiae servitio vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta absendi pro diebus et horis, non absentibus ex causa studiorum, neque habentibus indulta absendi absolute, durante officio; quandoquidem proposito dubio: – I. An indulgenda sit iubilatio Canonicis et Beneficiatis, qui spatio quadraginta annorum Ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis et indultis abfuerint ab Ecclesiis, vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel pro suae Ecclesiae servitio, vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta absendi pro diebus et horis, vel indulta simpliciter et absolute absendi ab Ecclesia, durante officio ipsis commisso? –,

Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis, vel pro suae Ecclesiae servitio, vel cum indultis absendi pro diebus et horis, Negative autem quoad absentes ex causa studiorum, et quoad habentes indulta absendi, durante Officio – *in Dubia Iubilationum die 17 Decembris 1718.*

167. Quum igitur Canonicus Ecclesiae inservierit per septem annos cum indulto pro diebus et horis non impeditis, et quadraginta annos continuo et laudabiliter horis diurnis, sed nocturnis horis fere nunquam interfuerunt, Sacra Congregatio, attentis muneribus, quibus ille functus est, gravi aetate et dignitate nec non amplissimo Episcopi et Capituli voto, censuit, ob speciales huiusmodi circumstantias concedendum esse indultum iubilationis, facto verbo cum Sanctissimo *in Placentina Iubilationis die 18 Martii 1809.*

168. Iamvero Carolus Scriban Rossi in Cathedrali Ecclesia servitium primum obivit per annos septem, qua Canonicus Theologus, et postea Praeposituram consequutus per alios quadraginta annos in eodem servitio perseveravit. Inde aetate gravis annorum septuaginta quinque iubilationem postulavit. Rogatus Episcopus de sua sententia, audito Capitulo, retulit: – Horis nocturnis fere nunquam Orator interfuit, diurnum vero servitium continuo et laudabiliter explevit, annis septem exceptis, quibus sub Apostolicae Sedis indulto ab horis diurnis ut plurimum vacavit ratione eius officii Vicarii Generalis defuncti Episcopi. In hoc diuturno temporis spatio plures partes laudabiliter sustinuit Orator, Theologi scilicet Iudicis et Examinatoris Synodalis Visitatoris apud Episcopos et Vicarii una et altera ex postremis Sedis Episcopalis vacationibus Capitularis. Haec omnia cum viri aetate et dignitate coniuncta specialem Oratori gratiam, ad id assentiente amplissime Placentinae Ecclesiae Capitulo, promeruisse videtur –. Orator itaque annos septem et quadraginta servitium praestitit; et quamquam per septem annos fere semper a choro abfuerit impeditus munere Vicarii Generalis, attamen indultum impetravit pro diebus et horis non impeditis, quemadmodum concedi solet iis, qui Vicarii Generalis Officium exercere debent. Qua ex re videbatur ab Oratore praestitum continuum quadragenarium servitium, cum indulta concessa ratione muneris pro diebus et horis nihil detrahant de quadragenario servitio, ut iubilatio impetrari possit ab iis, qui indultis huiusmodi durante quadragenario servitio usi sunt, quemadmodum definivit S. Congregatio in Indubia Iubilationum 17 decembris 1718 ad primum dubium. Laudabile vero servitium non videbatur, dum horis nocturnis fere nunquam interfuit, quod forsan interpretandum erat, nunquam interfuisse ad matutinum, quod tribus nocturnis constat. Haec autem omissio secumferebat in universo quadragenario servitio plurima fallentiarum puncta, quae laudabile servitium inficiebant. Contra vero observandum erat, Oratorem non inserviisse Ecclesiae per annos quadraginta tantum, sed per annos quadraginta septem, ut his septem annis ultra quadraginta plurimas et fortasse omnes fallentias suppleverit. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, attentis peculiaribus circumstantiis, facto verbo cum Sanctissimo – *in Placentina Iubilationis die 18 Martii 1809.*

169. Qua de re indulgetur gratia iubilationis ei, qui servitium quadragenarium laudabiliter praestitit in qualitate prius Clerici Beneficiati et postea Beneficiati ac toto biennio eiectus nunquam inservire valuit, sed eius loco inservivit intrusus, nec non indulto Pontificio munitus a servitio pro illis diebus et horis, quibus ratione officii, quo fungebatur, abfuit *in Romana Iubilationis die 12 Decembris 1699 lib. 49 Decretorum.*

170. Siquidem – instante Ioanne Vincentio Marchesio Basilicae Lateranensis Beneficiato pro indulto iubilationis ob servitium quadragenarium per eum, iuxta Emi Archipresbiteri et Capituli attestationem, laudabiliter praestitum, triplex excitata fuit difficultas; prima videlicet, an ad istum effectum coniungi possent servitia per eum praestita in qualitate prius Clerici Beneficiati et postea Beneficiati; secunda, an similiter imputandum esset tempus biennii, quo ipse a possessione eiectus inservire non valuit, sed eius loco inservivit intrusus; et tertia denique, an ei

ad effectum consequendae iubilationis aliquod obstaculum praeberet indultum s. m. Clementis IX, quo Orator eximebatur a servitio chori pro illis diebus et horis, quibus ratione officii scriptoratus Vaticanae Bibliothecae impeditus remansisset. Super quibus proposita Causa in Sacra Congregatione habita die 12 aprilis 1698, placuit EE. VV. resolutionem differre. Cum autem lapsis 42 annis a die captae possessionis eius Beneficiatus, et sic, expleto integro servitio quadragenario per se ipsum, speret Orator fieri voti compos, non dedignabuntur EE. VV. tam ex alias deductis, quam ex mox deducendis, Capitulo nullatenus contradicente, definire: – An petitum indultum iubilationis sit concedendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Pro gratia – *in Romana Iubilationis die 12 Decembris 1699 lib. 49 Decretorum.*

171. In computatione tamen temporis quadragenarii absentiae sine indulto vel cum indulto absque limitatione dierum et horarum praeter casum infirmitatis et absentiae pro suae Ecclesiae servitio nullam habendam esse rationem definitum quidem est in Dubia Iubilationum ad primum dubium 1718, sed ab hac censura subducendum est tempus vacationum, quibus uti licet ex Constitutionibus Ecclesiae; vacationes enim eiusmodi nunquam fuerunt a quadragenario servitio supputatae in concedenda iubilatione, ceu constat ex praxi quotidiana *in Narnien. Iubilationis die 27 Iunii 1857* §. *Hisce.*

172. Quum itaque ex cumulatis fallentiis tredecim mensium et decem dierum inveniretur defectus ad explendum quadragenarium servitium, cumque ex mandato Sacrae Congregationis eas Canonicus supplere deberet iuxta Ecclesiae consuetudinem, sed easdem suppleverit iis diebus, quibus erat a choro immunis, ita ut duo vel tres menses deficerent, quosque infirmitate superventa in supplementum fallentiarum superaddere nequiret, Sacra Congregatio attento etiam favorabili Episcopi voto resolvit, concedendum esse indultum iubilationis, quin ullatenus tempus adeo breve ad implendum continuum quadragenarium servitium obstaret *in Praenestina Iubilationis die 17 Decembris 1808.*

173. Iamvero a mense martio anni 1767 servitium choro praestitit in Cathedrali Praenestina Presbiter Gregorius Minucci primum tamquam Beneficiatus, deinde tamquam Canonicus. In hoc quadraginta annorum curriculo defecit aliquando a servitio chori, ita ut ex cumulatis fallentiis tredecim mensium et decem dierum inveniretur defectus ad explendum quadragenarium servitium, adeoque a Summo Pontifice deprecatus est, ut eidem remitterentur fallentiae huiusmodi, nec ei impedirent, quominus indultum iubilationis consequeretur. Capitulum quamquam instantiae faveret, attamen fatebatur, usu receptum esse etiam in Cathedrali Praenestina, ut compensarentur fallentiae, antequam quis indultum iubilationis consequeretur. Emus Episcopus dixit, – ex resolutione capitulari EE. VV. deprehendere facile poterunt, quid de continuo et laudabili servitio quadragenario ab Oratore praestito ferri iudicium possit –. Proposita autem instantia per Summaria precum in Congregatione diei 30 maii 1807 rescriptum fuit: – Suppletis fallentiis, recurrat –. Renovavit igitur preces, postquam per tredecim alios menses servitium praestitit: sed quoniam hoc tempore vacavit iis diebus, quibus erat a choro immunis, idcirco dubitavit Capitulum rite nec ne fallentias suppleverit. Nam in his tredecim mensibus, in quibus servitium obire perrexit, vacavit iis diebus, quibus Constitutiones Ecclesiae Canonicos per turnum inservientes vacare sinebant. Et quamquam pro servitio quadragenario perficiendo habeantur pro diebus continuis vacationes, quibus licet uti; attamen dispar videbatur ratio computandi tredecim menses, de quibus agebatur. Hos enim tredecim menses servire debebat Orator non ut quadragenarium servitium compleret, sed ut tredecim mensium suppleret fallentias in quadragenario servitio commissas. Quare servire debebat diebus continuis, aliter fieret, ut, si vacationibus uti potuerit, quae in his tredecim mensibus acciderunt, non iam tredecim, sed forsitan vix undecim mensibus servitium praestiterit, proptereaque fallentias non suppleverit. Quum autem infirmitas non prosit ad obtinendum indultum iubilationis, videndum in casu erat, utrum Canonico, qui per quadraginta et ultra annos iam inserviit, et si quid peccavit quoad continuum servi-

tium, iam in maxima supplevit parte, venia ei danda esset quoad duos vel tres menses, qui forsitan adhuc deerant, quosque infirmitate superventa adhuc in supplemento fallentiarum superaddere nequibat. – Ipse enim (teste Episcopo) nonnullis abhinc mensibus est animi moerore affectus, ut nonnulla ediderit proximae dementiae indicia, ac etiam modo exire sibi non licere dubitat, quia choro interesse iam tum abstinuit, paucis exceptis vicibus, ut meis exhortationibus obtemperaret. Ab eo disiecti animi die a Sacri celebratione omnino abstinuit. Cum itaque ille assiduo quodammodo morbo laborare dici possit, petitae gratiae impetratio animum suum fortasse exilarare posset –.

174. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit dandum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Praenestina Iubilationis die 17 Decembris 1808.*

175. Quin imo quum Canonicus ab Ecclesia et chori servitio abfuerit per plures annos cum discessu Episcopi, quin indultum obtinuisset a Sacra Congregatione, ita ut, si absentia distribueretur in annos quadraginta et unum cum dimidio, quibus inservierat, supputari posset in novem aut decem diebus in annos singulos, Sacra Congregatio, attentis circumstantiis, quae concurrebant, resolvit, concedendum esse indultum iubilationis ex gratia speciali, arbitrio Episcopi *in Montis Falisci Iubilationis die 2 Decembris 1786.*

176. Siquidem post servitium quadraginta unius et ultra annorum indultum iubilationis postulavit Sacerdos Simeon Perla Ecclesiae Cathedralis Montis Falisci Capellanus. Capitulum vero laudabilis et continui servitii testimonium dare recusavit, quia inspectis punctaturarum libris animadvertit, eum aliquo anno mulctatum fuisse punctaturis usque ad scuta quinque, alio usque ad scuta 6, alio in scutis 8, et alio demum in scutis 9; cumque integra unius diei punctatura obulos sex non praetergrederetur, arguit, non videri sibi, quod de continuo servitio per Oratorem praestito testari posset. Contra Orator Perla se uno anno abfuisse docuit, ut Causam cuiusdam Beneficii coram R. Fabrica tueretur; idque primum annuente Episcopo praestitisse, mox alias unius mensis inducias, concedente Sacra Congregatione. Aliis vero tribus annis Episcopum permisisse, ut Romae moraretur pro suis expediendis negotiis, ostendit per consuetas pagellas a Tribunali Emi Vicarii Sacerdotibus celebrare volentibus expediri solitas, in quibus eae dantur, – attentis commendatitiis Ordinarii tui –. Exhibuit etiam fides Sacerdotis Sacrario, alteriusque sacris caeremoniis Praefecti, qui Oratorem saepe pro aliis supplevisse testabantur; nec non testimonium quoque Parochorum Montis Falisci, qui in haec verba loquebantur: « Attestiamo come nelle passate influenze è stata così frequente sollecita e caritatevole l' assistenza di giorno e di notte prestata agli infermi da questo Signor D. Simone Perla, che per soccorrere ai medesimi ha dovuto anche tralasciare la di lui personale assistenza al choro ». Emus Episcopus a perferenda abstinuit sententia sua. Advertebatur tamen, uno ex quatuor annis, quibus Orator abfuerat, ulteriores inducias concedente sacra Congregatione sub consueta clausula – amissis –, eum habitum non fuisse pro praesente, adeoque hoc tempus a tempore quadragenarii servitii delendum esse, quod propterea continuum vocari non poterat. Idem multo securius ferendum erat iudicium de tribus aliis annis, quibus iniussu Sacrae Congregationis abfuit et cum solo Episcopi discessu, ut licentiam celebrandi obtinere posset. Nec reliqua pietatis opera, quae exercuisse Parochi testabantur, apta erant eum repraesentare tamquam interessentem in choro. Considerare autem alia ex parte oportebat, an quidpiam Oratori prodesset ampliatum ab eo servitium ad annos quadraginta et unum cum dimidio; et an permissa esset distributio omissi per Oratorem servitii dictis annis in integrum sui servitii tempus, quo posito, absentia a choro ad dies undecim in singulos annos rediret.

177. His utrinque perpensis, proposito dubio: « An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. », Sacra Congregatio respondit: « Affirmative ex gratia speciali, attentis circumstantiis, arbitrio Emi Episcopi » – *in Montis Falisci Iubilationis die 2 Decembris 1786.*

178. Unde licet Capitulum contenderet, Beneficium esse servitorium, deficere omnino alterius iubilationis exemplum, iubilationem obsistere fini et obiecto erectionis, et in cho-

ralis servitii perversionem et angustiam Canonicos et Ecclesiam adducere, Beneficiatum haud laudabiliter servitium praestitisse, eo quod quadraginta tribus annis per dies fere quatuor centum a servitio defecerat, ita ut eius negligentia in novem aut decem diebus in annos singulos supputaretur, eique propterea pluries fuisse denegatam iubilationis gratiam, nihilominus Sacra Congregatio, attentis Episcopi relatione ac Oratoris deductionibus, quibus satis apte huiusmodi obiectiones solvebantur, declaravit, concedendum esse indultum iubilationis arbitrio Episcopi et cum solitis clausulis *in Signina Iubilationis die 11 Martii 1786.*

179. Iamvero Sacerdos Bruno Vellucci, vir septuagenarius et ultra, cum praestiterit servitium annis tribus et quadraginta suae Cathedrali Ecclesiae, in qua Beneficium obtinebat, supplex exinde fuit pro gratia iubilationis. Dixit, se admodum esse valetudine fractum atque adeo, quod inter valetudinarios deberet equidem recenseri. Idcirco Medici a multis annis in Signina Civitate conducti fidem protulit, qui morbos plures, quibus affligebatur, exposuit ac opinatus est, ulteriori Cathedralis servitio non esse exponendum cum gravi salutis et vitae periculo, et praesertim hyemali tempore, quo in montana Civitate frigus et nives ventique aquilonares maxime dominabantur. Episcopus Signinus, quae Orator exposuit, confirmavit, suumque pro gratia suffragium adiunxit. Sed etiam de exceptionibus disseruit, quibus ad contradicendum suae Capitulum Cathedralis utebatur. In summa tres illae erant, nimirum deficere omnino alterius iubilationis ante hoc exemplum, Beneficium esse servitorium, denique iubilationis gratiam admodum obsistere fini et obiecto erectionis, et in plurimam choralis servitii perversionem et angustiam Capitulum et Ecclesiam adducere. At iis Velluccius respondit, non mirum esse, si aut exempla deessent, aut non invenirentur, quum antiquitus Beneficiati saepe saepius promoveri consuevissent ad Canonicalem dignitatem. Probavit inde, servitorium non esse Beneficium, quo fruebatur. Descendens ad tertium obiectum praemittere oportebat, Signinum Episcopum Iosephum Pamphili anno 1574, ut Canonicis consuleret, neque Beneficiatos, neque chori Clericos habentibus, duos suppressisse Canonicatus, ex quorum Praebendis et reditibus instituit quatuor Praebendas Canonicales pro totidem Presbiteris choro addictis. Quibus positis, sic Episcopus Vellucci responsiones exposuit: – Ad illud tandem ex eo petitum, quod suppressorum Canonicatuum finis eluderetur ad ampliorem illustrioremque divini cultus maiestatem propositus, cum duobus extinctis Canonicis, non quatuor, sed duo Beneficiati substituti viderentur, reponit Orator, per duos tantum Presbiteros, minori addictos Ecclesiae chorique servitio, Praebendarum auctoris menti, universove eisdem incumbenti oneri apte et cumulate responderi. Statim ac enim duo intersunt choro Presbiteri, versus lectiones et responsoria recitantur, lumina deferuntur, lectorilia praeparantur et libri, epistolae decantantur et Evangelia, quin ullus Canonicorum humiliora haec munera obire compellatur, ita ut, quod Episcopus Pamphilus Praebendas instituendo proposuit, duobus sic agentibus Presbiteris expleatur. Insuper extant in praesens huius ven. Seminarii Alumni, quorum deficientia Episcopi Pamphili temporibus deflebatur, et quorum opera amplior et illustrior splendescit sacer famulatus et cultus –. Duo vero praeter alia, quae in suo libello diffuse Capitulum conscripsit, decebat potissimum observare: primum, quod Orator fallentiis quinque millibus in servitii praestatione notabatur, ideoque laudabiliter deservisse Ecclesiae non poterat affirmari; secundum, quod anno 1782 ineunte gratiam iubilationis alias postulavit, sed Sacra Congregatio, attento suffragio Episcopi Oratori contrario, die 16 martii eiusdem anni postulationem reiecit; ac renovatis pro gratia precibus, Sacra Congregatio die 23 novembris dicti anni 1782 rescripsit: – In decretis sub die 16 martii 1782 –. Observabatur autem, ab illa die aliud excurrisse biennium; ac depositio sex Sacerdotum exhibebatur, qui iurati testabantur, Seminarii Clericos in festis diebus bene pleneque supplere, cum in choro, tum in Missis solemnibus. Quoad fallentias 5000 advertebatur, diem quemlibet integri servitii punctis duodecim constare; si propterea fallentiarum huiusmodi in annos quadraginta tres partitio fieret, dies novem annus quilibet capiebat.

180. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An sit concedenda iubilatio in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, arbitrio Episcopi cum solitis clausulis - *in Signina Iubilationis die 11 Martii 1786.*

181. Nec etiam levitas servitii ullatenus impedit, quominus quis indultum iubilationis assequatur, quando reliqua ad illud obtinendum requisita concurrant; quandoquidem petivit anno 1778 Ioannes Ribecchi unus ex quatuor Capellanis Urbani in Lateranensi Basilica indultum iubilationis. Ab anno usque 1763 servitium, quod antea plenius erat, reductum fuit quoad omnes quatuor Capellanos ad omnes horas matutinas et vespertinas et interessentiam Missae solemni festis diebus matutinis horis tantum, eorum duo alternative festis diebus matutinis horis tantum et Missae solemni adesse iubentur; tribus hebdomadibus mensium iunii et octobris alternative choro intersunt, et demum adsunt tribus processionibus, nempe S. Marci Sanctissimi Corporis Christi et Dominicae infra eius octavam. Anceps fuit Capitulum in tam levi servitio locus esset indulto iubilationis; sed die 16 maii 1778 prodiit Rescriptum: - Pro gratia arbitrio Emi Archipresbiteri - *in Romana die 5 Februarii 1786* §. *Petivit.*

182. Idcirco si chori servitium praestari debet solis diebus festis, nihilominus post quadraginta annos praestiti servitii conceditur iubilatio *in Tuscanen. Iubilationis die 6 Augusti 1808* §. *Tria.*

183. Quapropter concessum fuit iubilationis indultum Beneficiato Ioanni Baptistae Casini, qui unus erat ex Capellanis Beneficiatis Aldobrandinis in Lateranensi Basilica, et quorum servitium cohibetur ad interessentiam Missae cantatae et secundis vesperis diebus festis primae classis, et alternative hoc est eorum duo soli Missae cantatae aliis diebus festis. Nihilominus auditus Emus Urbis Vicarius indulto iubilationis dignum censuit Oratorem Casini, - licet nihil praeter praesentiam processionibus et choro et quidem festis solummodo diebus praestare deberet -. Et in vota Emi Vicarii itum fuit per Rescriptum diei 11 maii 1782: - Pro gratia, arbitrio Emi Urbis Vicarii cum solitis clausulis - *in Romana die 4 Februarii 1786* §. *Die.*

184. Quin imo licet choris servitium quotannis cohibeatur ad viginti quinque dies cum lege residentiae, indulgetur gratia iubilationis, quoties servitium continuo et laudabiliter spatio quadraginta annorum fuerit praestitum *in Romana die 11 Martii 1786.*

185. Siquidem Alexander Tedeschi Prior Capellanus Capellae sub invocatione Beatae Mariae Virginis in Liberiana Basilica erectae et iurispatronatus familiae Burghesiae suppositae, cum per quadraginta et ultra annos inservierit, indultum iubilationis postulavit. Emus Protector in haec verba sensus animi sui aperuit: - Honestam Priori Tedeschi flagitanti missionem ob iustum liberaleque servitium quadraginta atque amplius annos Ecclesiae praestitum Collegarum nemo in disceptationem adducit, aut tamquam ipsi nocuum Ecclesiae, aut tamquam sibimet gravem, ut ex iniuncto evincitur testimonio, cui si merita sit fides, permitti huiusmodi vacationem petenti posse reor; eo magis, quod non honesta modo, verum etiam causata eadem missio censeatur facile propter podagram, qua ille saepius afflictatur, subindeque et ab incessu detinetur -. Addidit et alia, quoad permissam impositarum Missarum celebrationem, quoad Litanias Lauretanas aliasque functiones, quae ad rem praesentem haud pertinere videbantur, cum indultum iubilationis solum respiciat chori servitium. Patronus auditus indulto non refragabatur. Proposita cum fuerit haec Oratoris instantia in Congregatione diei 30 iulii 1785, mandarunt EE. PP., ut in folio describeretur. Ancipites enim ex una parte eos tenuit leve chori servitium, quod ad viginti quinque dies cohibebatur, in quorum aliquibus soli Missae cum Capitulo, in aliis solis Litaniis cum dicto Capitulo, in ceteris vero nonnullis canonicis horis mane et vespere et Missae solemni pariter cum Capitulo hi Capellani intererant; atque ex altera lex residentiae, quae semper hosce Capellanos premebat. Quod autem Sacerdotes huic Capellae cum Priore deservientes Collegium constituerent dubitandum non videbatur, ob praeclara Bullae Paulinae verba. Hinc denegandam haud esse contendit Orator huius Collegii membris gratiam iubilationis, quae ceteris Collegiatis Ecclesiis conceditur. Porro si interessentia choro tam rara et infrequens per se sola

considereretur, utique canonica indulgentia haud dignus videri potuisset Orator, utcumque per annos quadraginta et ultra Ecclesiae suae inservierit; sed expendendum esse reponebat, an cum levis iste famulatus grave haberet onus adnexum residentiae, hoc sub aspectu aequum iustumque videretur eius votis annuere, qui huic legi per quadraginta et ultra annos praeter chori servitium obtemperavit. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Romana die 11 Martii 1786.*

186. Locus hinc est iubilationi post quinquagenarium servitium continuo et laudabiliter praestitum, etiamsi Capitulum praetenderet, computandos esse dies tantum servitii, contrariam adesse observantiam, quae tamen reapse non existebat, ac praeiudicium inferri servitio chorali aliisque Canonicis, cum septem tantum pro actuali servitio, concesso indulto, remanerent *in Tuscanen. Iubilationis die 17 Septembris 1808.*

187. Enimvero annis gravis septuaginta, ex quibus quinquaginta sex consumpsit in servitio Basilicae Sanctae Mariae in Pantheon sita extra moenia Civitatis Tuscaniae, Canonicus Marcus Antonius Giannotti postulavit iubilationem. Capitulum acriter obstitit, Episcopus instantiae favit. Tria protulit Capitulum, ne iubilatio concederetur, licet non diffiteretur, Oratorem laudabiliter ac diligenter spatio quinquaginta sex annorum servitium praefatae Basilicae praestitisse, quatuor exceptis annis, quibus causa studiorum abfuerat. Nihilominus Capitulum primum obiecit, quod hoc quinquagenarium tempus ita calculari deberet, ut computandi essent dies tantum servitii, ad effectum obtinendi indultum iubilationis. Quare cum servitium non esset continuum, sed diebus festis et quibusdam aliis communibus, sequebatur, ut dies servitii ad sex mensium cursum singulis annis pertingebant; ideoque Canonici Giannotti servitium, etsi protractum ad sex supra quinquaginta annos, non ultra spatium duo de triginta annorum conficeret. Sed nova profecto esset, haec ratio calculandi quadragenarium servitium, et merito Episcopus observabat, – quod, hac enumeratione admissa, impossibile prorsus inservientibus dictae Ecclesiae iubilationis indultum videretur, nisi praedictum servitium huic Ecclesiae annorum octoginta praebuissent –. Secundo opposuit Capitulum contrariam observantiam: sed in hoc sibi aperte contradicebat, dum fatebatur, quod recentioribus temporibus duo essent in Ecclesia Cathedrali, qui iubilationem consequuti erant. Tandem Capitulum reiiciendam esse putavit iubilationem, quia vergebat in praeiudicium servitii choralis et aliorum Canonicorum. Nam undecim erant, qui choro inserviebant, atque ex his duo aberant studiorum causa, alter infirmitate impeditus praestare servitium non poterat. Idcirco Capitulum cogebatur advocare extraneos a gremio Sacerdotes, ut sacrae functiones decentius perficerentur. Hinc si indultum iubilationis concederetur, carerent altero individuo, et onus, quod huic incumbebat celebrandi Missas Conventuales, in ceteros reincideret. Verum cum servitium festis aliisque communibus diebus praestaretur, parum nocebat servitio chori unius absentia. Unde Episcopus censuit, quod – absentia unius Canonici et unius Beneficiati ratione studiorum, infirmitas alterius, unius Canonici provecta aetas, aliorumque absentia, quae accidere potest, praeiudicium afferre non posse iuri ab Oratore acquisito –. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus iubilationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Tuscanen. Iubilationi die 17 Septembris 1808.*

188. Quum autem Beneficiati Metropolitanae Ecclesiae Civitatis Valentiae praeter indultum annuae vacationis trium mensium etiam indultum iubilationis post quadragenarium laudabile servitium postulaverint, Sacra Congregatio mandavit, ut scriberetur Archiepiscopo iuxta mentem (1) *in Valentina Indultorum die 18 Iulii 1761* (2).

(1) Scilicet, ut Sacram Congregationem instruat super qualitate residentiae Beneficiatorum, an sit causativa tantum, vel praecisa, et an Canonici gaudeant indultis a Beneficiatis postulatis. De his faciat S. Congregationem certiorem, exprimendo ulterius eius votum quoad indultum iubilationis, *ut in Reg. Litt. lib. 32 die 18 Iulii 1761.*

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Beneficiati*, §. V, n. 12 ad 16, Tom. III.

189. At qui ex lege fundationis non tenetur residere, sed in absentia tenetur subire onus duarum Missarum qualibet hebdomada, nec non amittere distributiones quotidianas, si per quadraginta annos continuo et laudabiliter inserviit, meretur indultum iubilationis cum perceptione omnium fructuum ac emolumentorum et distributionum absque onere praedictarum Missarum in casu ipsius absentiae *in Pistorien. Iubilationis die 28 Augusti 1773.*

190. Siquidem in Cathedrali Ecclesia Pistoriensi Franciscus et Ioannes Baptista de Alfarolis Beneficium erexerunt, *Sacristiam* nuncupatum, quae esset octava et ultima Capituli Dignitas, atque huiusmodi erectionem s. m. Gregorius XV per suas Literas Apostolicas anni 1621 roboravit. Istius Beneficii Praebenda in Locis Montium fuit constituta, eiusque possessori concessum fuit stallum in choro nec non locum ac vocem in Capitulo in processionibus et in quibusque actibus capitularibus immediate post alias Dignitates. Admissus quoque fuit possessor ad participationem distributionum aliorumque emolumentorum a Capituli massa provenientium, dummodo tamen vel ex Praebenda, vel ab Institutoribus tota bona in eam collata fuissent, quae proventibus ab aliis Dignitatibus lucrari solitis responderent. Novae huic Dignitati onus iniunctum extitit interessendi singulis diebus horis dumtaxat diurnis nec non diebus Paschatis Resurrectionis aliisque solemnioribus infra annum festivitatibus etiam matutinis officiis; sed iis de familia Institutorum, qui Dignitatem possiderent, per alias Apostolicas Literas eiusdem anni concessum fuit, ut – perpetuis futuris temporibus... apud praefatam Ecclesiam residere minime teneantur, sed extra dictam Civitatem, quoties et quamdiu eis placuerit, degere et commorari possint et valeant, et ob non residentiam huiusmodi dicta Sacristia privari seu illius fructibus reditibus et proventibus in toto vel in parte mulctari, aut alias desuper molestari nequeant, ita tamen, quod interim distributiones quotidianas minime percipiant. Cum hoc tamen, quod quotiescumque a dicta Civitate absentes fuerint, duas Missas qualibet hebdomada in dicta maiori Ecclesia pro animabus ipsorum Fundatorum et eorum Consanguineorum celebrare seu celebrari facere teneantur –. Ab anno 1717 hanc Dignitatem possidebat Attho Maria Alfaroli a Fundatorum familia descendens. Hic per annos supra quadraginta continuo et laudabiliter Ecclesiae inserviit, omniaque sibi iniuncta onera adimplevit; cumque septuagenario maior pluribus adversae valetudinis praesertim oculorum incommodis afficeretur, quae illum a Civitate Pistorii abesse cogebant, idcirco iubilationis indultum efflagitavit, cuius vigore tum a choro recedere, tum ab onere duarum Missarum qualibet hebdomada in casu absentiae a Civitate eximi valeret. Episcopus, qui exposita confirmavit, testatus est, Capitulum Oratori assentiri, ipse vero existimavit eumdem Oratorem – dignum petita iubilatione cum perceptione omnium fructuum eius Canonicatus et Praebendae ac emolumentorum et distributionum, quae lucraret, si resideret, et ut antea inserviret, absque onere praedictarum Missarum in casu eius absentiae a Pistorio –. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Pistorien. Iubilationis die 28 Augusti 1773.*

191. Imo qui vi statutorum iuramentum praestitit, quo se abstenturum promisit a petendis dispensationibus a suo munere, exacto continuo laudabili quadragenario servitio, quin ullatenus indigeat absolutione a praedicto iuramento, iure meritoque petiit ac obtinet indultum iubilationis *in Caurien. Iubilationis die 30 Martii 1805.*

192. Iamvero in Cathedrali Cauriensi obtinuit primum Dignitatem Archidiaconatus, tum Prioratus de Galisteo Sacerdos Ignatius Osorio y Mesia. Iuramentum ipse praestitit, prout Statuta Ecclesiae iubebant, quo se abstenturum promisit a petendis dispensationibus a suo munere. Huius servitium diligentissime praestitit per annos sex supra quinquaginta, ac inde inclinata aetate ad annum octogesimum postulavit indultum iubilationis. Episcopus instantiae suffragabatur, nec Capitulum obstabat, – ut eum a residentia absolvatis sine praeiudicio quotidianarum distributionum, dummodo prius ei relaxetur iuramentum

abstinendi ab huiusmodi gratiis et dispensationibus, secundum statuta Ecclesiae de more praestitum –. De laudabili servitio Ecclesiae praestito nullum moveri poterat dubium; et quoad iuramentum perpendebatur, quod Ecclesiae statuta intelligi possent de indultis absque iusta causa non obtinendis, non autem de iis, quae ob continuum et laudabile servitium concedi solent ex consuetudine Sedis Apostolicae auctoritate confirmata. Quare si a censura statutorum huiusmodi indulta eximebantur, nec iuramentum obstabat, nec absolutio petenda erat, ut indultum iubilationis consequeretur. Propositis igitur dubiis: – I. An obstent statuta Ecclesiae Cathedralis Cauriensis et respective illorum iuramentum ad effectum obtinendi iubilationem, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro absolutione ad cautelam in casu etc. II. An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative, et non indigere. Ad secundum, Affirmative - *in Caurien. Iubilationis die 30 Martii 1805.*

193. Quapropter statutum Ecclesiae, quo cavetur, ne a Sede Apostolica vel a Legatis eiusdem privilegia impetrentur percipiendi in absentia fructus Canonicatuum et Praebendarum, ne quis eis impetratis utatur, et ne a iuramenti vinculo impetretur absolutio, nullatenus impedit, quominus indultum iubilationis petatur; eo enim non obstante, Sacra Congregatio declaravit, huiusmodi statutum nequaquam obesse ad petendum indultum iubilationis, nec ideo Canonicum, qui illud petiit, absolutione indigere; posito hinc continuo et laudabili quadragenario servitio per eumdem praestito, mandavit, concedendum esse indultum iubilationis *in Gerunden. Iubilationis die 15 Februarii et die 9 Maii 1772* (1).

194. Nec dubium, quin indultum iubilationis, quod quis uti Canonicus et Decanus Ecclesiae obtinuit, suffragetur etiam quoad Prioratum, quem is postea in eadem Ecclesia a Summo Pontifice obtinuit; quandoquidem – Ioannes de Iustis, attento servitio quadraginta annorum et ultra uti Canonicus et Decanus Ecclesiae Cathedrali praestito, iubilationem obtinuit, nuper autem collato sibi a Sanctissimo Prioratu eiusdem Cathedralis supplicat, vel sibi novam iubilationem concedi, vel potius declarari, eamdem sibi prodesse iubilationem respectu Prioratus. Die etc. Sacra etc., audita relatione Episcopi Fulginatensis, et attento quadragenario servitio et ultra laudabiliter et continuo praestito in eadem Cathedrali, censuit, Oratorem nova iubilatione non indigere, sed iam obtentam sub die 18 decembris 1688 eidem suffragari etiam respectu Prioratus, de quo fuit nuper a Sanctissimo provisus in omnibus et per omnia, servata forma eiusdem indulti – *in Fulginaten. die 22 Novembris 1691 lib. 41 Decretorum pag. 381 a tergo.*

195. Qua de re quum post continuum et laudabile servitium annorum quadraginta in Ecclesia Metropolitana Senensi Fabius Ballatus consuetum iubilationis indultum obtinuisset, et iam septem anni elapsi essent, ex quo fruebatur praedicto indulto, cumque idem subinde obtinuerit Dignitatem Decanatus in eadem Ecclesia, et supplicaverit Sacrae Congregationi pro continuatione praedicti indulti iubilationis, ac Archiepiscopus fuerit in sensu, quod foret annuendum petitis, et eo fortius, quia Oratoris merita et praestitum antecedenter continuum et laudabile servitium plene suadebant, ipsum quamdiu posset, non defuturum officio suo in solemnioribus, in quibus Decani praesentia maxime desiderabatur, proposito dubio: – An indultum iubilationis concessum Fabio Ballato olim Canonico Ecclesiae Metropolitanae Senensis eidem suffragetur post obtentam in eadem Ecclesia Dignitatem Decanatus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, dummodo in solemnioribus inserviat – *in Senen. die 16 Martii 1726.*

196. Itaque quum Canonicus post obtentum iubilationis indultum in mala versans valetudine obtinuit a Summo Pontifice Dignitatem Archidiaconatus in eadem Ecclesia cum Decreto cassationis indulti iubilationis, cuius onera ad servitium diebus festis choro praestandum reducebantur, illiusque mox confirmationem aut novum ex integro postulaverit, Sacra Congregatio respondit, attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum San-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Absolutio*, §. VII, n. 20 ad 32, Tom. I.

ctissimo pro gratia, exclusis tamen functionibus, si quae sunt, peculiariter Archidiaconatui addictis *in Recanaten. Iubilationis die 29 Martii et die 29 Novembris 1817.*

197. Siquidem emenso continuo et laudabili quadragenario chori servitio in Cathedrali Recanatensi, Canonicus Andreas Rossi, annuente Capitulo et probante Episcopo, indultum iubilationis ex Rescripto S. Congregationis diei 24 augusti 1816 consequutus est. Paulo post a Summo Pontifice evectus est ad Dignitatem Archidiaconatus ipsius Cathedralis, atque in Literis Apostolicis appositum fuit Decretum cassationis indulti iubilationis. Imploravit itaque a Sacra Congregatione, vel ut confirmaretur indultum iubilationis iam obtentae, vel ut ei ex integro concederetur, tum ob praestitum quadraginta annorum servitium, tum ob adversam valetudinem, de qua Phisici iurati deponebant. Re ad Vicarium Capitularem delata, ut votum suum aperiret, audito Capitulo, et referret de Ecclesiae Constitutionibus et exemplis, haud constabat, iterum exquisivisse Capituli sententiam, cum in suis Literis se referret ad Canonicorum consensum, cui innitebatur Rescriptum iubilationis diei 24 augusti 1816. Quo vero ad exempla haec habuit: – Neque ad rem exempla desunt haud vetera nedum in hac Lauretana, verum etiam in ipsa Cathedrali Recanatensi, cuius choro addicti honesta sunt missione donati post expletum quadraginta annorum servitium, licet non semper in eadem Ecclesia, neque uno eodemque titulo insigniti atque praerogativa inserviissent –. Pluribus hinc recensitis exemplis, affirmavit praeterea, – Oratorem cum Archidiaconatus Dignitatem consequutus est (ex qua non percipit, nisi octo ducata de Camera) nunquam cogitasse se hoc indulto privatum iri –. Unde eum commendavit, tum ob adversam valetudinem, tum etiam quia post obtentam a choro missionem, servitium ob suam devotionem non omnino deseruit. Proposito interim dubio: – An sit concedendum novum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 29 martii 1817 responsum dedit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta mentem –. Mens autem fuit: – Audiatur Capitulum in scriptis, et Episcopus referat de oneribus quoad servitium chori adnexis Dignitati Archidiaconatus, et utrum Orator possessionem ceperit dicti Archidiaconatus –. Habitis autem comitiis capitularibus die 12 iulii 1817, cunctis suffragiis petitio reiecta est. Episcopus contra ita animi sensum aperuit: – Praemisso itaque, praefatum Ioannem Andream possessionem Archidiaconatus cepisse, cuius onera ad servitium diebus festis choro praestandum reducuntur, ingenue proferam, indultum iubilationis, quod Rossius exposcit, nemini damno esse; non Ecclesiae, quia cum Archidiaconus aegritudinibus suis, inter quas est difficultas urinae, levatur interesse choro, tametsi honesta missione donatus, desineret; non item Dignitatibus reliquis, quandoquidem in Cathedrali Recanatensi, si forte Dignitates omnes simul abesse contigerit, supplere Canonici, probata consuetudine, solent, quemadmodum Oratorem ipsum solemnioribus diebus, quibus Dignitates addictae sunt, dum Canonicus esset, non semel praestitisse comprobatur. Quae cum ita sint, et praecipue ob adversam valetudinem, quae adhuc perseverat, Oratori, ut praemonui, iubilationis fuerit concessum indultum, neque usitata Literarum Apostolicarum formula obstiterit, ne ceteri indultum idem prorsus aequalibus in circumstantiis consequeretur, etiamsi Canonici secus sentire maluerint, novo tamen indulto locum non esse, sed vetus posse in suo robore permanere censerem –.

198. His mature perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum Sanctissimo pro gratia, exclusis tamen functionibus, si quae sunt, peculiariter Archidiaconatui addictis – *in Recanaten. Iubilationis die 29 Novembris 1817.*

199. Quum autem Philippus Von-Thenen Canonicus Decanus Collegiatae Ecclesiae divi Adalberti sitae in Civitate Aquisgrani Diaecesis Leodiensis, onus habens animarum curae in Canonicos aliosque addictos Ecclesiae servitio, post exactum quadragenarium tempus servitii praestiti dictae Collegiatae iubilationem, quam Capitulum ei negaverat utcumque petitam sub hac declaratione, quod – omnibus et singulis facultatibus decanalibus Ecclesiam et Capitulum ipsiusque negocia

concernentibus more solito et vigore iuramenti praestiti adamussim satisfacere non desinam –, eadem repetita declaratione postulaverit Sacrae Congregationi cum integra fructuum et quotidianarum distributionum perceptione, cumque praefatum Capitulum adhuc negaret iubilationis concessionem ex tribus, primo quia ob defectum Ministrorum inservientium choro divinum officium detrimentum pateretur, secundo quia praesentia in choro Canonici Decani necessaria erat, cum ad eum pertineret curare, ut divinum officium rite et decenter ab omnibus absolveretur, ac paterne monere negligentes, ac tertio quia licet esset concedendum postulatum indultum vacandi a choro, attamen Orator de distributionum parte, quae interessentibus accrescebat, participare deberet eo tantum casu, quo choro interesset, ob eam rationem, quia cum alii Canonici nunquam gaudere possent de illius absentiis, ita nec ipse aliorum absentiis frui deberet, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio, perpensis etiam iuribus a praedicto Canonico deductis, responsum dedit: – Dilata, et scribatur Episcopo – *in Leodien. Iubilationis die 7 Septembris 1776.*

200. Verum quum Capitulum Cathedralis, Canonico Nicolao Bretio iubilationem postulante, exposuerit, quod ex Constitutionibus capitularibus sub anno 1569 confectis nullus Canonicus, nisi infirmus vel ex iusta causa absens a servitio chori excusaretur, quod in dicta Ecclesia neque consuetudo concedendi iubilationis indultum, neque ullum dicti indulti aliquando impetrati exemplum reperiretur, quod petita iubilatio in maximum eiusdem Ecclesiae servitii divinique cultus detrimentum fuisset cessura, licet in praefata Ecclesia adessent Praepositus nec non duodecim Canonici et duo Beneficiati, qui sacris peragendis functionibus pares non censebantur, quod demum praefatus Canonicus Bretius annum sexagesimum quintum dumtaxat agens posset Ecclesiae commode inservire, dum negotiis domesticis reipsa incumberet, proposito dubio: – An indultum sit concedendum? –, Sacra Congregatio respondit: – Non esse concedendum – *in Civitatis Castelli Indulti die 27 Aprilis 1666 lib. 25 Decretorum pag. 107.*

201. Si enim praeter prohibitionem Constitutionum capitularium accedant etiam aliae circumstantiae ac praesertim diminutio cultus divini haud conceditur indultum iubilationis; quae quippe divini cultus imminutio dimitienda esse videtur a qualitate Ecclesiarum *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 15 Iulii 1820* §. *Quo.*

202. Unde prae oculis habendus est status Ecclesiae, in qua quis indultum iubilationis consequi exoptat *in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782* §. *Prae.*

203. Quapropter proposito dubio: – III. An indulgenda sit iubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum quadraginta, non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ecclesiae servitio, et quis sit parvus numerus inservientium in casu et ad effectum, de quo agitur? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, dabitur resolutio in casibus particularibus – *in Dubia Iubilationum die 17 Decembris 1718.*

204. Quum autem Iulius Felix Archidiaconus maior Ecclesiae Cathedralis Derthusensis iam septuagenarius post quadragenarium Ecclesiae servitium petierit indultum iubilationis, ut absens fructus et distributiones percipere posset, sed Capitulum se contradictorem praebuerit, excipiens, exemplum esse novum, ipsum tendere in detrimentum cultus divini, et petenti deficere quadragenarium et continuum servitium, Causa proposita non fuit, attento obitu Oratoris *in Derthusen. Iubilationis die 4 Iunii 1768.*

205. Hinc licet quadragenarium servitium cum qualitate continui probetur, et iubilationis indulto remunerari consueverit, nihilominus huiusmodi indulto nemo frui posse videtur, quoties Ecclesiae decus et divinus cultus detrimentum patiatur. Nam Gregorius IX in Cap. *Cum ad hoc* de clericis non residentibus Patriarchae Antiocheno his verbis scripsit: – Sane innotuit, quod Ecclesia Antiochena multis ex Servitoribus eius absentibus est fere destituta Ministris; unde mandamus, quatenus non obstantibus Apostolicis indulgentiis et Praedecessorum tuorum licentia absentes Canonicos et Assisios revoces ad residendum in Ecclesia supradicta, et si non venerint, tu de ipsorum Beneficiis, dum absentes fuerint, ipsi Eccle-

siae facias congrue deserviri, in utilitatem eiusdem, quod ex praefatis Beneficiis superfuerit, convertendo – *in Lucana Iubilationis die 8 Iunii 1771* §. *Licet.*

Item *in Lauretana Iubilationis die 11 Iunii 1774* §. *Ex; in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782* §. *Quamvis*

206. Nullum propterea dubium, quod locus non sit iubilationi, si per eam Ecclesia ac divinus cultus detrimentum patiatur *in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782* §. *Quamvis.*

Item *in Brictinorien. Iubilationis die 12 Maii 1792* §. *Haec; in Civitatis Castellanae Iubilationis die 15 Iulii 1820* §. *At; in Signina Missae Conventualis die 30 Martii 1833* §. *Accedit.*

207. Unde iuxta Sacrae Congregationis praxim, antequam iubilationis indultum concedatur, ipsa audire solet Capitulum: at huiusmodi consensus non ideo requiritur, ut ad gratiam concedendam vel denegandam omnino sit necessarius, sed solum, ut perspectum sit, an aliquid gratiae concessioni obsistat *in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782* §. *Verum.*

Item *in Nepesina die 7 Martii 1818* §. *Ne quid.*

208. Qua de re quum Capitulum Collegiatae Ecclesiae constaret ex Archipresbitero curam animarum exercenti et quatuor Canonicis coadiutoribus, quorumque alter per sexennium causa studiorum abfuerit, quin tamen indultum abessendi obtinuisset, nec non respectiva munera per alium expleverit, ac ideo post lapsum quadraginta duorum annorum a die institutionis indultum iubilationis petierit, Sacra Congregatio, attenta Capituli oppositione propter non completum quadragenarium servitium et detrimentum cultus divini, eo quod diebus solemnioribus, dum Missae canerentur, unus tantum Canonicus superesset, iure ac merito censuit, haud esse concedendum indultum iubilationis *in Nullius Sublacen. Iubilationis die 18 Martii 1815.*

209. Enimvero in Oppido Cerbariae extabat Collegiata Ecclesia, in qua Archipresbiter et quatuor Canonici praestabant servitium chori, ita ut diebus festis adsisterent Missae Conventuali, et de sero canerent vesperas, et praeterea curam animarum exercerent, Archipresbiter ut proprius Parochus, Canonici qua Coadiutores in administratione Sacramentorum atque in erudiendis Pueris in doctrina christiana. Duo vero ex hisce Coadiutoribus antiquiores Canonici participabant cum Archipresbitero de reditibus certis et incertis stolae, et vocabantur Canonici de massa. Quamquam autem Canonicatus huiusmodi essent de iurepatronatus; attamen, quia curam animarum exercebant, non aliter instituebantur, nisi praevio examine, ut de idoneitate constaret, uti ex Bulla erectionis Collegiatae data a s. m. Pio VI die 5 augusti anni 1790 constabat. Antequam vero haec Collegiata erigeretur, erant Canonici coadiutores. Ad unum ex his nominatus fuit Franciscus Antonius Archangeli anno 1772, qui cum per aetatem (habebat enim annos septemdecim, quippe qui natus anno 1755) non posset munia parochialia praestare, ita data ei est institutio a cl. me. Cardinali Canale Abbate Commendatario, ut ei liceret abesse causa studiorum, et servitium praestaret per designatum Vicarium Presbiterum Ioannem Baptistam Riccardi. Per sexennium itaque abfuit, et deinde servitium continuo et diligentissime praestitit. Cum exinde a die institutionis elapsi essent anni duo supra quadraginta, postulavit indultum iubilationis. Huic instantiae acriter repugnavit Capitulum; primo quia per sex annos abfuerat causa studiorum; secundo quia Ecclesiae cultus detrimentum caperet, tum in chori servitio, quia diebus, quibus solemniores canebantur Missae, unus tantum Canonicus in choro superesset, tum in cura animarum, cum aliis hoc onus redundaret. Contra haec Canonicus sibi prodesse putavit indultum absentiae causa studiorum, quia per Vicarium omnia munera implevit. Observandum tamen erat, Canonicum Archangeli abfuisse causa studiorum, nullo impetrato indulto, neque a Summo Pontifice, neque a Sacra Congregatione, sed tantum in Bulla collationis Canonicatus Emus Abbas Casale deputavit Vicarium, ut eius munera praestaret, durante eius absentia. Exponebat etiam Orator infirmitatem suae valetudinis, tum alio egritudinis genere, tum praesertim ictu apoplexiae debilitate, et ad id probandum utebatur te-

stimonio Phisici. Infirmitas tamen tantum non esse dixit Parochus, quae ineptum illum redderet coadiuvando praedicto Parocho. His itaque perpensis proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Nullius Sublacen. Iubilationis die 18 Martii 1815.*

210. Contra locus est gratiae iubilationis, quoties constat de laudabili servitio continuo et laudabiliter per Canonicum praestito, et iniusta ac indebita sit Capituli contradictio, cum haud subsistat, quod per iubilationem unius ex novem Canonicis praeter Archipresbiterum divinus cultus Ecclesiaeque Collegiatae servitium detrimentum patiatur *in Brictinorien. Iubilationis die 12 Maii 1792.*

211. Siquidem Capitulum Collegiatae Ecclesiae Civitellae ex Canonicis constabat novem et Archipresbitero, quibus praeter servitium chori et Missam conventualem onus erat celebrandi matutinam alteram et meridianam Missam per turnum. Servitium hoc praestitit Canonicus Franciscus Ronconi octogenarius per annos quadraginta et ultra; petiitque tandem indultum iubilationis cum perceptione emolumentorum omnium. Contradixerunt Capitulares, affirmantes iubilationem Oratoris divino cultui Ecclesiaeque servitio perniciosam esse; tum quia allegari potuisset eius exemplum a Canonico Bernardini, qui par habebat quadragenarii servitii requisitum, alteroque in grandaeva aetate orbatus erat oculo; tum quia a choro aberat Canonicus Theologus, dum sacram exponebat scripturam, aliique vel ad modulanda organa, vel ad res administrandas Capituli, vel infirmitatis causa, et sic pauci inserviebant choro. Notavit contra Orator, neque quotidianam esse, neque choralis servitii tempore fieri expositionem scripturae, extraneum vero adhiberi posse organorum Modulatorem, ne huiusmodi officii causa abesset Canonicus a choro. Satis idcirco superque ad divinum cultum censuit numerum Canonicorum octo et Archipresbiteri, qui praeter ipsum superessent. Episcopus de laudabili servitio a Canonico Ronconi praestito eiusque aetate, quae non tantum in eo senectutem, sed etiam decrepitatem ab incommodis non seiunctam constituebat; eumdem propterea iubilationis gratia dignum censuit, ac iniustam et indebitam Capituli contradictionem. Proposito igitur dubio: – An et quomodo sit locus iubilationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et amplius – *in Brictinorien. Iubilationis die 12 Maii 1792.*

212. Concedendum hinc est indultum iubilationis, quoties probetur, iubilationem nullius esse detrimenti canonicis ecclesiasticisque functionibus peragendis, et in annorum computatione non computari annos, quibus Canonicus abfuit a residentia causa studiorum, sed computari dumtaxat annos, quibus choro vacavit causa infirmitatis, reportato indulto abessendi a Sacra Congregatione *in Eugubina Iubilationis die 9 Septembris 1775.*

213. Iamvero Ubaldus Beni Praepositus Cathedralis Ecclesiae Civitatis Eugubinae post quadragenarium laudabile servitium supplicavit pro perpetua vacatione chori. Interrogatus Episcopus, qui referret, audito Capitulo, respondit: – Quumque sexaginta duorum annorum aetatem Orator attigerit et quadragenarii servitii circulum iam confecerit (dummodo ii computentur anni, quibus studiorum et valetudinis causa abfuit a choro) addita aliqua corporis infirmitate Phisicorum testimonio comprobata, dignus propterea videtur gratia, quam supplex implorat, et cui Canonici, quos requisivi, minime adversantur. Verum ante EE. VV. purgatissimos oculos ponere mihi non est omittendum, ex Senioribus octo Canonicis, qui alternis hebdomadis seorsim a Iunioribus divinas concinunt laudes in choro, duo iam iubilationis indulto gaudere; tertium, attentis corporis et capitis incommodis, Sacrae isti Congregationi preces iam obtulisse pro obtinenda a choro exemptione ad sex menses, quibus elapsis, quadragenarium servitium Ecclesiae iam explevit; quartum, senescenti constitutum aetate, gravi aurium surditate laborare; quintum vero Poenitentiarii Praebenda gaudentem, non semper choro adesse, ad excipiendas confessiones vocatum. Quapropter si Oratori petitum concederetur indultum, duo tantummodo, aut ad summum tres Canonici remanerent, quibus in hebdomada Seniorum divinum psallendum esset officium, ceteraeque ecclesiasticae fun-

ctiones peragendae –. Praepositus autem probavit, ipsum obtinuisse Praeposituram mense octobris 1730, eiusque possessionem apprehendisse die 15 ianuarii 1731, ita ut ab hac die usque ad diem 8 aprilis, qua petita fuit iubilatio, quadraginta quatuor completi numerarentur anni, ex quibus demptis primis tribus annis, quibus studiorum causa Bononiae degebat, adhuc unus supererat supra annos quadraginta. Sustinuit exinde, in annorum computatione numerandos esse postremos tres annos, quibus choro vacavit, quum vacatio fuerit causa infirmitatis, reportato indulto abessendi ab ipsa Sacra Congregatione. Probavit insuper Praepositus testimonio Vicarii Capituli dictae Cathedralis Ecclesiae, suam iubilationem nullius esse detrimenti Canonicis ecclesiasticisque functionibus peragendis, quoniam testabatur Canonicus Vicarius, – Canonicos pro divini Officii recitatione in duas classes disiunctos esse, veterem primam, ac recentiorem alteram nuncupatam: quod si pro aliqua iusta causa, puta iubilationis, classis numerus minuatur, moris est, ut alterius classis Canonici in illam transeant, atque ita Ecclesiae servitio et chorali muneri optime consulitur –. His igitur perpensis, proposito dubio: – An indultum iubilationis sit concedendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Eugubina Iubilationis die 9 Septembris 1775.*

214. Nam si actu divinus cultus nullum detrimentum patiatur, spreto consensu Capituli reiectisque conditionibus, indulgetur indultum iubilationis *in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782* §. *Verum.*

215. Idcirco quum Canonicus satis superque probaverit, se continuum et laudabile Ecclesiae servitium explevisse quadraginta annorum spatio, eumque iubilationis indulto dignum renuntiaverit Episcopus, sed exoptaverit, cogendum esse servitio chori singulis festis primae classis et in triduo maioris hebdomadae ad maius Ecclesiae decus et sacrarum functionum splendorem, Sacra Congregatio declaravit, constare de continuo et laudabili quadraginta annorum servitio, adeoque locum esse iubilationi, quin conditionem ab Episcopo optatam indicere censuerit, relinquens eius curae revocare Iubilatum ad servitium, si cultus divinus detrimentum pateretur *in Verulana Iubilationis die 26 Februarii 1825.*

216. Siquidem Sacerdos Antonius Cerroni, qui die 7 septembris 1784 in Collegiata Ecclesiae S. Mariae Frusinonis Verulanae Diaeceseos Canonicatum per resignationem obtinuerat, anno 1803 ad Praepositurum, dein ad Archidiaconatum, unicam in eadem Collegiata Dignitatem, Apostolicis Literis promotus fuit. Cumque annorum quadraginta expleturus iam esset chorale servitium, supplicem pro obtinendo iubilationis indulto Sacrae Congregationi obtulit libellum. Protulit hinc testimonium quinque Canonicorum fidem perhibentium, memoratum Archidiaconum spatio quadraginta annorum continuo et laudabiliter servitium praestitisse; nec non resolutionem capitularem, in qua omnes Canonici, praeter Dominicum Butti iam a quinque annis iubilatum et alterum Canonicum Nicolaum Marcocci causa studiorum absentem, Archidiaconum iubilatione dignum renuntiarunt. Praeterea Canonicis apprime concinuit Episcopus, qui etiam praefatum Buttium contradictorem refellere ac carpere iuste meritoque censuit. Quod si Archidiaconus Cerroni a choro aliquando abfuit, id non illius socordiae tribuendum erat, sed aut morbo, quo ipsum iamdiu vexari ex Medicorum constabat testimonio, aut praeteritorum temporum calamitati, qua ne capite periclitaretur, a patria recedere fuerat coactus. Si vero per calumniam in carcerem detrusus aliquot menses Romae morari debuit, paulo post ex capite innocentiae absolutus Frusinonem illico rediit et choro interesse denuo incepit. Nec eidem obesse poterant fallentiae post annum 1819 commissae; nam ad tramites capitularium Constitutionum cuilibet Canonico quotannis condonabantur 1485, Archidiacono autem fallentiae 2970; et Canonicus a Collegiatae grammatophylacio testabatur, eum nunquam numerum sibi competentem fuisse praetergressum. Contendit nihilominus dictus Canonicus Butti, continuum et laudabile non explevisse servitium; idque facile evinceretur, si extarent libri punctaturarum, quos ab Archidiacono surreptos fuisse iureiurando confirmare se paratum exhibuit. Ad illorum vero supplendum defectum attestationem protulit iuratam memorati Canonici Nicolai

Marcocci asserentis, Archidiaconum raro Ecclesiae inserviisse, et quando choro inserviit, distractionem et scandalum excitasse. Exhibuit quoque annorum 1813 1814 et 1816 fallentiarum libros, ex quibus depromebatur, plurimas Archidiaconum commisisse fallentias, a quo tamen eos confectos et quomodo penes ipsum, non penes Capitulum extarent, penitus latebat; nec non aliam attulit eiusdem Marcocci depositionem, testantis, se aliquot libros in Archivio capitulari existentes inspexisse, ubi fallentiae Archidiaconi Cerroni anno 1821 ad 2178 anno 1822 ad 1556 et anno 1823 ad 1470 adscendebant. Denique nullo in pretio habendum dixit quinque Canicorum testimonium de laudabili et continuo Archidiaconi servitio. Episcopus huiusmodi exceptiones Canonici Butti e medio quidem sustulit, et Archidiaconum Cerroni iubilationis indulto dignum renuntiavit, sed addidit: – Cuperem tamen, ut in singulis festis primae classis a primis vesperis usque ad secundas inclusive, et in triduo saltem hebdomadae maioris, ad maius Ecclesiae decus et sacrarum functionum splendorem, iungeretur ipsi onus personalis residentiae et servitii.

217. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de continuo et laudabili quadraginta annorum servitio, ita ut sit locus iubilationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Verulana Iubilationis die 26 Februarii 1825.*

218. Curatum namque diligentissime fuit, ne per has concessiones detrimentum cultui Ecclesiae inferretur, quod si evenerit, etiam Iubilatus ad inserviendum vocetur, ut in Aquilana 27 septembris 1659 ad secundum dubium; ac propterea arbitrio Episcopi datae sunt semper et aliquando etiam expresse cum ea facultate ad servitium, si opus est, revocandi *in Civitatis Castellanae die 20 Septembris 1766* §. *Curatum.*

Item *in Derthusen. Iubilationis die 14 Maii 1768* §. *Cautum; in Pisauren. Iubilationis die 7 Iulii 1770* §. *Id; in Signina Iubilationis die 4 Februarii 1786* §. *Cum; in Brictinorien. Iubilationis die 12 Maii 1792* §. *Haec; in Montis Falisci Iubilationis die 6 Decembris 1794* §. *Quadragenarium; in Eugubina Iubilationis die 29 Aprilis 1837* §. *Profecto; in Albinganen. Iubilationis die 27 Augusti 1859* §. *Propius.*

219. Hinc Episcopus quandocumque Indultarium ad Ecclesiae servitium, iuxta varias necessitates, pro suo arbitrio revocare potest *in Derthusen. Iubilationis die 14 Maii 1768* §. *Perpendendum.*

Item *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 15 Iulii 1820* §. *Haec; in Praenestina Dubiorum Iubilationis die 5 Septembris 1835* §. *Haec; in Eugubina Iubilationis die 29 Aprilis 1837* §. *Profecto.*

220. Qua de re si divinus cultus detrimentum patiatur, Iubilatus cogi potest ad inserviendum; proposito enim dubio: – IV. An, non obstante iubilationis indulto, Iubilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative – *in Dubia Iubilationum die 17 Decembris 1718.*

221. Iubilatus tamen cogi potest tantum ad inserviendum, quoties divinus cultus et chori servitium detrimentum patitur,non vero ex alia quavis causa; proposito enim dubio: – III. An ipsi Iubilati cogi possint ad inserviendum aliquando et saltem in festis primariis, dum saepius ad lucrandum manualia ambulant extra Civitatem per unum milliare, et cum intra Civitatem degunt, negotiis tantum secularibus incumbunt? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, cogi posse, quoties divinus cultus et chori servitium detrimentum patiatur – *in Aquilana Servitii die 27 Septembris 1659 lib. 21 Decretorum pag. 772.*

Item *in Sabinen. die 2 Octobris 1717 lib. 67 Decretorum.*

222. Itaque licet Episcopus renuisset exequi Rescriptum Sacrae Congregationis, ob parvum praesertim Canonicorum numerum, ne cultus divinus detrimentum pateretur, nihilominus Sacra Congregatio, luculentius adhuc probato servitio quadragenario laudabiliter praestito, mandavit, exequendum esse iubilationis indultum, salvo iure Episcopi Oratorem revocandi ad servitium chorale in casibus necessitatis *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 17 Septembris 1842.*

223. Iamvero Sacerdos Antonius Cicuti

in Cathedrali Ecclesia Civitatis Castellanae Canonicus Archipresbiter, cum ab anno 1791 ad annum 1823 choro inserviisset in praefata Ecclesia uti possessor Capellaniae seu Beneficii choralis, cui servitium diebus tantum festis adnexum erat, subinde ad annum 1835 in dignitate Archipresbiteratus, supplex petiit a Sacra Congregatione iubilationis indultum: ac non sine contradictione Antistitis, qui, deficientibus punctaturarum libris ad totum annum 1830, temporum iniuria absumptis, laudabile servitium non probari contestabatur, ac capitulari refragante resolutione, qua tria tantum ex undecim suffragiis propitia inventa sunt, petitum indultum retulit, exhibitis testimoniis de sua diligentia, sueto Rescripto dato sub die 30 aprilis 1836, quo – Sacra Congregatio benigne commisit Episcopo Civitatis Castellanae, ut, veris existentibus narratis constitoque prius sibi, quod Orator per quadraginta annos et ultra supradictae Cathedrali Ecclesiae continuo et laudabiliter inservierit, pro suo arbitrio et conscientia illi gratis indulgeat, ut, quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset –. Renuit vero Episcopus Rescriptum executioni committere: praeter alias causas, quas primum retulerat, inopia praesertim Canonicorum impedimentum parabat, - cum ex ipsis nonnulli adhuc in minoribus scholam frequentare debeant, et aliqui adversae valetudinis choro interesse nequeant, adeo ut pluries ob talem inopiam Missa Conventualis cum cantu minime celebrari potuerit; ac insuper ut horae canonicae rite persolvi possent, ad complendum requisitum numerum, ego ipse non semel in chorum descendere debui –. Verum quum Canonicus Cicutius luculentius probaverit, continuum et laudabile fuisse servitium quadragenarium Ecclesiae praestitum, advertebatur, parvum Canonicorum numerum haud impedimento esse, ut is iubilatione donaretur. Nam Episcopus iure pollebat eum revocandi ad chorum in casu necessitatis; adeoque Sacra Congregatio pluries iubilationis indultum concessit, etsi tres tantum in choro superessent. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo exequendum sit iubilationis indultum in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, salvo iure Episcopi Oratorem revocandi ad servitium chorale in casibus urgentis necessitatis – *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 17 Septembris 1842.*

224. Quapropter quum in Ecclesia Collegiata pro eiusdem servitio remanerent quatuor tantum Canonici et uno Coadiutore nec non novem Capellani, Sacra Congregatio resolvit, concedendum esse Canonico, qui continuum et laudabile quadragenarium servitium praestiterat, indultum iubilationis, cum facultate tamen eum revocandi ad servitium, quatenus divinus cultus detrimentum pateretur, arbitrio Archiepiscopi *in Lucana Iubilationis die 8 Iunii 1771 et die 19 Septembris 1772.*

225. Siquidem Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Petri Maioris Civitatis Lucae sex tantum Canonicis constituebatur, quorum munus erat vespertinas horas omnibus diebus festis, pluresque per annum praesertim solemnioribus diebus, Missas canere et nonnulla Anniversaria explere. Huic Ecclesiae per annos quadraginta laudabiliter inserviit Canonicus Ioannes Matthaeus Lombardi, qui in praemium laboris et diuturni servitii iubilationem expostulavit. Capitulum non dissentiebat et conveniebat etiam Archiepiscopus, qui tamen, post relatum exiguum Capitularium numerum ac moderatum Ecclesiae servitium, advertit, alterum ex Canonicis senectute confectum et adversa valetudine laborantem ad Ecclesiam accedere sacrasque functiones peragere non posse: hinc animadvertendum proponebat, quatuor tantum Canonicos, si iubilatio Oratori concederetur, superfuturos, qui Ecclesiae servitio vacare possent. Hinc attenta qualitate Ecclesiae loci aliorumque circumstantiarum videndum erat, an, concessa iubilatione Canonico Lombardi, quatuor, qui supererant, sufficerent ad sacras functiones, debito cum decore et absque divini cultus detrimento, peragendas. Proposito itaque dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 iunii 1771 respondit: – Dilata, et scribatur Archiepiscopo iuxta instructionem –. Scriptum hinc fuit Archiepiscopo, ut de qualitate servitii

de inservientium numero de sacris peragendis functionibus inquireret, ac referret, an ex Oratoris deficientia decor Domus Dei imminueretur. Archiepiscopus retulit, divina officia sacrasque functiones debito cum decore ac dignitate perfici, cum praeter Canonicos adesset etiam Prior, qui curam animarum exercebat, quique, etsi nulla chori obligatione teneretur, nihilominus in aliquibus solemnitatibus Missam canere et sacris functionibus solebat interesse; insuperque adesse novem Capellanos, qui in divinis officiis assistentiam praestabant, et in Missis Canonicalibus Diaconi et Subdiaconi munus exercebant. Addidit, Capitularibus inesse onus canendi Missam et Vesperas singulis Dominicis aliisque festis nonnullisque infra annum diebus, nec non explendi Anniversaria quaedam et exequias defunctorum sub Parochia decedentium, quibus omnibus tum Canonici, tum Capellani conveniebant. Deficientiam vero Oratoris nullum Ecclesiae detrimentum allaturam existimavit, praesertim quia alter ex Canonicis, qui ob adversam valetudinem interesse non poterat, Apostolica auctoritae sibi Coadiutorem adscivit. Fatebatur quidem, nulla in eadem Ecclesia S. Petri Maioris iubilationum exempla reperiri, id tamen evenisse putabat, vel quia nemo ex Canonicis quadragenarium servitium expleverat, vel quia nemo indultum obtinere curaverat. Advertit enim, in alia Collegiata S. Alexandri eiusdem Civitatis, quae idem habebat servitium, quaeque sex tantum Canonicis totidemque Capellanis constituebatur, plura iubilationum exempla numerari. Hinc conclusit his verbis: – Censerem, Oratorem voti sui compotem fieri perbenigne valere a singulari EE. PP. humanitate amplissimaque potestate –.

226. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative cum facultate tamen revocandi ad servitium, quatenus divinus cultus detrimentum patiatur, arbitrio Archiepiscopi – *in Lucana Iubilationis die 19 Septembris 1772.*

227. Quin imo in Sutrina diei 21 februarii 1824 relata inter supplices libellos Sacra Congregatio concessit iubilationis indultum, licet tres tantum Capitulares superfuissent *in Civitatis Castellanae die 17 Septembris 1842* §. *De altera.*

228. Hinc Sacra Congregatio censuit, concedendum esse indultum iubilationis Canonico quadragenario servitio laudabiliter praestito, non obstante relatione Episcopi, quod ex novem Canonicis, aliis necessario impeditis, tres tantum remanerent diebus solemnibus ad psallendum, et iubilandus optima polleret valetudine *in Ripana Iubilationis die 29 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

229. Enimvero – supplicavit huic Sacrae Congregationi Crucianus Crucetti Canonicus Ecclesiae Collegiatae Montis Prandoni pro consueto indulto iubilationis, attento servitio per quadraginta et ultra annos per eum praestito in dicta Ecclesia. Requisitus desuper informare Episcopus Ripanus retulit, vera esse ab Oratore exposita, et Canonicos eiusdem Ecclesiae vocatos assensisse petitae iubilationi tamquam rationabili, cuiusmodi alias de anno 1688 eam obtinuit ab hac Sacra Congregatione Petrus Matthaeus Francischettus, nihilominus ex eisdem Canonicis plerosque, ait, insinuari fecisse privatim ipsi Antistiti, vix dictam iubilationem ad praxim reduci posse, cum diebus praesertim solemnibus ex novis Canonicis, quibus comprehenso Praeposito componitur Capitulum, tres tantum superessent canentes et psallentes in choro, eo quod reliqui sex, unus ad organum, Praepositus et Parochus ad confessionale, tres ad Altare solemniter celebrantes, et Orator iubilandus abfuturi essent; adeo tamen, ut, inspecto parvo huiusmodi Canonicorum numero, factum putetur, quod Canonici nulla per annum potiantur vacatione. Addidit denique Relator, Oratorem ipsum bona pollere valetudine regulariter excludente ab huiusmodi indulto, ut apud Monacell. tom. 1 pag. 38 n. 3. Quod diiudicandum relinquitur EE. VV., quae nunc ex deducendis ab ipsomet Oratore citato semel et iterum Capitulo ad deducenda sua iura in Sacra Congregatione, eoque non comparente, exorantur decernere: – An iubilationis Indultum sit concedendum Canonico Cruciano Crucetti in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Ripana Iubilationis die 29 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

230. Quapropter etiamsi Capitulum gra-

tiae iubilationis acriter obsisteret, ex eo quod res esset de levi servitio chori diebus tantum festis, ac, ea concessa, tres tantum in choro adessent, cum reliqui iusta de causa abessent, nec non grave in Populum scandalum obveniret, nihilominus Sacra Congregatio declaravit, concedendum esse indultum iubilationis, sed non obstante huiusmodi indulto obtento, Iubilatus cogi posset ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum pateretur, iuxta resolutiones ad Dubia Iubilationum 1718 ad quartum *in Montis Falisci Iubilationis die 6 Decembris 1794.*

231. Siquidem Sacerdos Archangelus Pellegrini Collegiatae Gradulensis Canonicus iubilationis Indultum petiit: sed non favit Emus Episcopus pro Indulto, aliquantulum tamen a chorali servitio levandum censuit Oratorem. Duplicem a Capitularibus propositam dixit difficultatem, quod res nempe esset de levi servitio chori diebus tantum festis, ac Oratoris exemplum, cum gravi sacrarum functionum indecentia populique scandalo, tres alii grandiores et emeriti sequi potuissent Canonici: ad haec vero Oratorem respondisse, concedi solere iubilationis Indultum post quadragenarium sive grave, sive leve servitium; decem alios praeter se aliosque tres emeritos superesse Canonicos, qui sacras cum decore explerent functiones, sibique etiam esse incommodum herniae, atque ita Capitulares urgere. Capitulares admittebant profecto quadragenarium servitium; – sed omnibus rite perpensis, non idcirco statim iudicant modo expedire quaesitam hanc a choro abdicationem. Negant enim et pernegant, Oratori tribusque aliis iam emeritis hoc indulto concesso, decem superextare Canonicos, qui festis diebus absque Populi scandalo et admuratione de more choro, dum horarum canonicarum pensum exolvitur et Sacrum solemne peragitur, possint interesse. Ex hoc enim numero excipiendus Prior cum quatuor Coadiutoribus in animarum cura Canonicis, quorum singuli festis maxime diebus, excipiendis Christifidelium confessionibus vocati tum extra, tum intra Ecclesiam debent operam navare, quemadmodum iam in una Montisfalisconen. anni 1706 et rursus anni 1707 ab ista Sacra Congregatione, ut quaedam controversia inter Priorem et Canonicos coadiutores Gradulenses excitata dirimeretur, declaratum est. Tres alii pariter sunt excipiendi, quorum unus, videlicet Canonicus Basili, adeo valetudine affectus est, ut choro iam ipso iure ineptus deprehendatur; alter, nempe Canonicus Galeotti recitationi divini Officii ob aetatem quatuordecim annorum impar existit; tertius tandem, hoc est Canonicus Prosperuzzi, studiorum causa in Diaecesano absens versatur Seminario. Quamobrem calculo iterum supputato, tres tantum liberi reliqui essent, qui continuo possunt choro adesse. At vero, quo pacto, quaeso, in posterum consuetae solemnes Missae cum sacris Ministris decantari; quo pacto splendor ille ac decens maiestas, quae hactenus in sacris functionibus in hac Collegiata insigni a Paulo III erecta constantissime perspecta est, servatur? Conclamatum iam esset prope de tam conspicuo divini cultus honore, qui hanc Ecclesiam finitimis etiam hucusque Oppidis perillustrem reddidit et commendatam. Interim vero putandumne est, Gradulensem Populum, hisce assuetum a pueritia, a clamoribus dicteriis offensionibus se temperaturum? Verum herniae dolores longa in choro sessione exasperantur. Exasperantur potius, subiungunt, crebris forte hac illac per Oppidum circuitionibus; irritantur laboriosae forte venationis frequentia; quae tamen responsionis, non accusationis aut exprobrationis causa proferuntur –. Unde Emus Episcopus ita conclusit: – Ceterum quum nemo impedire possit iustam morbo levando, quo laborat, sedulamque procurationem, temperamentum istud subit mihi iustissimum, ut singulis annis per binos menses seu autumnali tempore (exceptis solemnitatibus primae et secundae classis interim occurrentibus) impune liceat Oratori a choro abesse, ut studiosius valetudini operam impendat –.

232. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, iuxta resolutiones ad Dubia iubilationum 1718 ad quartum – *in Montis Falisci Iubilationis die 6 Decembris 1794.*

233. Indultum igitur iubilationis concedendum est Canonico, qui continuum et laudabile servitium spatio quinquaginta quinque anno-

rum praestitit, etiamsi Canonici contendant, quod ob praetensum alternativae servitium tres tantum Capilulares Ecclesiae praesentes inservirent *in Terracinen. Iubilationis die 20 Aprilis 1771.*

234. Enimvero Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Ioannis Terrae Somneni constabat ex Archipresbitero et octo Canonicis, quos inter numerabatur Sacerdos Sebastianus Iannotta, qui spatio annorum 55 chori servitium complevit, ac senio confectus septuagesimum aetatis annis emensus erat. Itaque post tam diuturnum continuum ac laudabile servitium preces Sacrae Congregationi porrexit pro assequendo iubilationis indulto; sed Episcopus hac super re auditus novit, Canonicos sese praebere oppositores. Quum enim Archipresbiter ratione curae animarum ut plurimum a choro abesset, sic eveniret, ut, si uni ex octo Capitularibus indultum concederetur, septem tantum superessent, et ita frangeretur alternativa, quae non patiebatur, ut tres tantum Capitulares Ecclesiae praesentes inservirent; nec proinde aequum esset, ut ceteri sine lucro et absque spe temporalis emolumenti unius Indultarii oneribus supplerent. Non inficiabantur, duobus aliis eiusdem Ecclesiae Canonicis concessum olim fuisse iubilationis indultum; nihilominus respondebant, non fuisse tunc requisitum Capitularium consensum, et experientia compertum esse, quot damna divino cultui inde obvenirent. Verum Canonicus Iannotta iniuria consensum sibi denegari dixit, cum iam inoleverit recepta praxis iubilationem concedendi tum Canonicis, tum Beneficiatis, qui per annos quadraginta continuum et laudabile servitium praestitere. Minime vero in controversiam revocari posse sustinuit quadragenarium servitium laudabiliter expletum, illudque non assiduum modo, sed valde grave ac laboriosum, cum alii duo Canonici Iacobus Pontecorvo et Caietanus Rori indultum iubilationis obtinuerint et omnia onera in alios transfusa remanserint. Nec sibi obesse putavit iactatam alternativae difficultatem, quae si aliis Canonicis impedimento non fuit, quominus iubilationem assequerentur, nocere in praesens sibi non poterat ad illam obtinendam, ne eadem in causa diversum iudicium proferretur. Ceterum advertit, alternativae servitium legitime non potuisse in Collegiata Ecclesia Somneni unquam introduci, cum id vetitum fuerit in Bulla erectionis s. m. Clementis VIII, quae Canonicis diebus singulis choro interesse praecepit; ac per Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 12 de reformatione sublata fuerit facultas inserviendi alternis vicibus, non obstante quacumque contraria consuetudine aut statuto, ad firmata per Barbos. in collect. ad ad dictum Cap. 12 Concil. Trid. n. 3, et in tract. de Canon. et Dignit. cap. 31 n. 3 et 4, Ciarlin. controv. for. lib. 1 cap. 38 n. 29 et 30. Episcopus censuit, denegandam non esse eidem petitam iubilationis gratiam. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et scribatur Episcopo iuxta mentem (1) – *in Terracinen. Iubilationis die 20 Aprilis 1771.*

235. Quin imo etiamsi Collegiata Ecclesia ex Archipresbitero et novem Canonicis constaret, et ex his duo iubilationis indulto fruerentur, alii duo adversa laborarent valetudine, et alii per turnum gauderent vacatione, ita ut, si iubilationis indultum concederetur, tres tantum superessent Canonici, qui ad divina celebranda non sufficiebant, Sacra Congregatio, non obstante Capituli oppositione et adverso Episcopi voto, cum satis constaret de quadragenario servitio continuo et laudabiliter praestito, iure meritoque resolvit, concedendum esse indultum iubilationis, cum facultate tamen revocandi ad servitium, quatenus divinus cultus detrimentum pateretur *in Praenestina Iubilationis die 24 Aprilis 1784.*

236. Siquidem Sacerdos Stephanus Giorgioli, qui die 22 octobris 1741 possessionem

(1) Scriptum itaque fuit Episcopo, ut occasione discussionis praedictae iubilationis animadversum fuerit in Bulla erectionis Collegiatae Clementis VIII quotidianum Ecclesiae servitium praescriptum: hinc Episcopus sedula inquisitione investiget, quanam auctoritate a quotidiano ad alternativum Canonici declinaverint servitium; audito igitur Capitulo, Sacram Congregationem instructam reddat, *ut in Reg. Litt. lib. 33 die 20 Aprilis 1771.*

Canonicatus in Ecclesia Collegiata Oppidi Cavae apprehendit, et primis duobus annis ex indulto Sacrae Congregationis studiorum causa abfuit, indultum iubilationis petiit: sed petitioni restitit Capitulum, quia praefatus Canonicus per annum cum dimidio abfuerat a residentia causa studiorum, et deinde abfuit quoque per aliud tempus rusticationis causa, unde servitium quadragenarium revera dici non poterat continuum et laudabile. Ulterius advertit, quod Collegiata ex Archipresbitero et novem Canonicis constabat, et ex his duo iubilationis indulto fruebantur, et alii duo Canonici per turnum gaudebant vacatione, proindeque si abesset Canonicus Giorgioli, tres tantum supererant Canonici, qui ad divina celebranda non sufficiebant. Emus Episcopus retulit, Oratorem per biennium abfuisse causa studiorum, aliquando etiam abfuisse ad propria peragenda negocia, vel ad recreandum animum. Advertit tamen, computari non posse absentiae tempus, quia deerant antiqui fallentiarum libri et recentiores leves exhibebant notas. Post haec dixit: – Prout in mandatis habui Capitulum audivi, illudque obsistit gratiae petitioni, et ob tempus nondum impletum quadraginta annorum, et ob Ecclesiae necessitatem. Quid super primo sit notandum, iam superius in facto exposui. Vera est ceterum allegata Ecclesiae necessitas, ex rationibus in resolutione capitulari expressis, quarum causa oscitanter agitur divinus cultus, psalmorumque cantus saepe negligitur –. Contra vero Canonicus Giorgioli fassus quidem est, statim ac possessionem Canonicatus adeptus fuit, a residentia abfuisse, ut studiis operam daret, sed absentiae tempus non excessisse menses quinque, et indultum abessendi a Sacra Congregatione obtinuisse; et quamvis absentiae tempus protraheretur ad menses decem et octo, vel etiam ad duos annos, ut Capitulum et Emus Episcopus supponebant, nihilominus in hoc etiam casu verificari quadragenarium servitium Ecclesiae praestitum. Sustinuit praeterea, alienum a veritate esse, quod quandoque a residentia discesserit, vel rusticationis causa, vel ut suis privatis negociis incumberet, cum id assereretur absque probatione, immo contrarium resultaret ex depositione Archipresbiteri aliorumque trium Capitularium testantium, Oratorem adeo diligentem in servitio fuisse, ut non raro choro interfuerit etiam quando ex Constitutionibus Capitularibus inservire minime tenebatur. Addidit, iubilationis gratiam praepediri non posse ob exiguum Canonicorum numerum inservientium, cum ad obtinendam iubilationem observetur solum tempus servitii, nulla habita ratione ad eos, qui inserviunt, quique maiori onere gravantur, cum et ipsi expleto quadragenario cursu fruituri sint eodem beneficio.

237. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, cum facultate tamen revocandi ad servitium, quatenus divinus cultus detrimentum patiatur – *in Praenestina Iubilationis die 24 Aprilis 1784.*

238. Hinc legitima deficiente causa, haud exonerantur Capitulares ab obligatione inserviendi pro Canonico iubilato, licet Episcopus faveat; quandoquidem Capitulum insignis Collegiatae S. Michaelis in foro Civitatis Lucanae S. Apostolicae Sedi immediate subiectum inter cetera petiit – di toglier l'obbligo d'intervenire un Canonico alle ore di terza Messa e vespero di turno non obbligato, quando un altro del turno obbligato gode la giubilazione della S. Sede –. Episcopus retulit: – Causae, quibus innixi Canonici postulant gratiam, sunt tenuitas retributionis ac promissio defuncti Episcopi Sardi augendi in posterum reditus Praebendarum, quae postea adimpleri non potuit. Ita rebus se habentibus, cum adsint causae petitarum reductionum, et mori huius Cathedralis preces sint conformes, et Ecclesiae Dei nullum videatur damnum inferri, attento servitio Alumnorum ipsius Seminarii ad numerum 50 pertingentium, putarem preces Capituli benigne exaudiri posse –. Proposito vero dubio: – III. An et quomodo exonerandi sint ab obligatione inserviendi pro Canonico iubilato absente in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium. Negative in omnibus – *in Lucana Servitii chori die 2 Martii 1839.*

239. Attamen Canonici iubilati possunt pro aliis non iubilatis supplere, quin isti sint punctaturae subiecti; quandoquidem quum Capitulum insignis Collegiatae de Terra Cavarum autumaret, non posse Iubilatos pro aliis

supplere, proposito dubio: – IV. Utrum Canonici iubilati possint choro inservientes pro aliis non iubilatis supplere, adeo ut isti non sint punctaturae obnoxii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative, exceptis diebus, in quibus Iubilatus teneretur per se – *in Praenestina Dubiorum Iubilationis die 21 Novembris 1835.*

240. Canonicus vero iubilationis indultum assecutus neque per seipsum, neque per alium Missam Conventualem aut alias functiones, ut antea, per turnum obire obstringitur, nisi res sit de Ecclesia, ubi vigeat peculiaris consuetudo vel statutum praescribens, functiones quasdam debere a Canonicis Iubilationis quoque indulto munitis explere, secundum ea, quae ad rem notant Panimoll. tom. 1 dec. 20 adnot. 3 n. 70, Monacell. in form. leg. part. 1 tit. 1 n. 12, et resolvit Sacra Congregatio in Aquilana Servitii 27 septembris 1659 lib. 21 Decretorum pag. 772 ad primum dubium, in Causa, cui titulus: Dubium Iubilationis 7 iulii 1668 lib. 26 Decretorum pag. 29, in Lunen. Sarzanen. 30 septembris 1684 lib. 34 Decretorum pag. 346 *in Constantien. Iubilationis die 4 Maii 1737* §. *Ceterum.*

241. Unde Canonicus iubilatus non tenetur interesse Capitulis et Congregationibus, quae habentur pro tractandis negotiis Ecclesiae et Capituli; his enim in terminis proposito dubio: – An Canonicus iubilatus teneatur interesse Capitulis et Congregationibus, quae habentur pro tractandis negotiis Ecclesiae et Capituli? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Lunen. Sarzanen. Iubilationis die 20 Iunii et die 30 Septembris 1684 lib. 34 Decretorum pag. 346.*

242. Nec Canonici iubilati adesse tenentur, prout alii, quando Episcopus pontificaliter celebrat *in Aquilana Servitii die 27 Septembris 1659 lib. 21 Decretorum pag. 772.*

243. Quin imo licet affirmetur, in Capitulo invaluisse consuetudinem, ut Canonici, quamvis rude donati, Missam Conventualem canere compellantur, non propterea Capellani chorales iubilati munia suae hebdomadis explere debent; his enim in terminis proposito dubio: – II. An Capellani iubilati hebdomadis suae munia explere debeant in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative – *in Novarien. Capellaniarum et Distributionum die 16 Augusti 1828.*

244. Qua de re nec Canonici iubilati tenentur ad hebdomadae munus satisfaciendum substituendo alios Canonicos residentes *in Novarien. Iubilationis die 2 Octobris 1677.*

245. In facto igitur dum extat quadragenarium et laudabile servitium, nec detrimentum Ecclesiae infertur, eo quia demptis duobus iam iubilatis et altero infirmo decem et septem Capitulares remanent, nedum concedendum est indultum iubilationis, sed et conditio a nonnullis Canonicis proposita, quod Canonicus ad instar aliorum hebdomadam facere debeat et de fallentiis aliorum Canonicorum particeps non fiat, e medio prorsus tollenda est *in Civitatis Plebis Iubilationis die 23 Novembris 1782.*

246. Enimvero Capitulum Cathedralis Ecclesiae Civitatis Plebis ex viginti et uno Capitularibus constituebatur, computatis tum Canonicis, tum Capellanis. Hos inter accensebatur Canonicus Dominicus Pela, qui, completo iam quadragenario Ecclesiae servitio, supplicavit S. Congregationi pro obtinendo iubilationis indulto. Omnes autem Canonici licet faterentur, Oratorem spatio quadraginta annorum continuo et laudabiliter inserviisse, nonnulli tamen ex iis opposuerunt, sufficienti Psallentium numero Ecclesiam destitui, si petita iubilatio concederetur, cum alii duo extarent simili indulto donati, et alter propter adversam valetudinem frequenter a choro abesset, hinc petitioni assentiri recusarunt, nisi conditione adiecta, quod Canonicus Pela ad instar aliorum hebdomadam faceret et de fallentiis aliorum Canonicorum particeps non fieret. Verum Canonicus Pela contendit, nedum sibi concedendum esse indultum iubilationis, cum praeter quadragenarium et laudabile servitium accederet etiam senectus ac morbus, quia sexagesimum quartum aetatis annum iam compleverat, et dira oculorum laboraret infirmitate, sed et sustinuit, reiiciendas esse conditiones a nonnullis Capitularibus propositas, cum vigore iubilationis participare deberet etiam de aliorum fallentiis, quin recte opponi posset praeiudicium Ecclesiae obventurum. Advertit enim, quod numerus Canonicorum et Capellanorum Cathe-

dralis, demptis duobus iubilatis et altero infirmo, adhuc superessent decem et septem Capitulares, qui servato ordine alternativae divinum Officium psallere ceterasque sacras functiones decenter peragere poterant. Episcopus confirmavit continuum et laudabile servitium,refellit adductas a Capitularibus oppositiones, ac voto pro concessione indulti iubilationis aperuit. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, demptis conditionibus; et amplius - *in Civitatis Plebis die 23 Novembris 1782.*

247. Itaque Canonicus iubilatus neque per se neque per alium tenetur ad celebrationem Missae Conventualis per turnum; quandoquidem quum Ioannes Morellus Canonicus Ecclesiae Cathedralis iubilationis indultum obtinuerit anno 1695, atque hinc contenderet, se vigore dicti indulti amplius non teneri ad celebrationem Missae Conventualis per turnum, proposito dubio: – I. An Canonicus iubilatus teneatur vel per se vel per alium ad celebrationem Missae Conventualis per turnum? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Aquipendien. Iubilationis die 23 Martii 1697 lib. 47 Decretorum.*

248. Idcirco non obstante resolutione Capituli Metropolitanae Ecclesiae Calaritanae, qua anno 1814 etiam Iubilatos sub poena pecuniaria coegit ad celebrationem Missae Conventualis, Sacra Congregatio resolvit, Canonicos iubilatos cogi non posse neque per se neque per alium ad implenda huiusmodi onera; his enim in terminis proposito dubio: – III. An Canonici iubilati cogi possint ad eiusmodi onera sive per se sive per alium implenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative – *in Calaguritana Onerum die 17 Septembris 1831.*

249. Imo licet Capitulum nova Beneficiatis addat bona, non propterea potest eis addere onus celebrandi Missam Conventualem, quando indultum iubilationis consequuntur; quandoquidem Beneficiati Cathedralis Amerinae reductionem onerum ob redituum decrementum postularunt. Canonici autem in nova bonorum assignatione quatuor tantum Beneficiatorum Praebendas servari, illudque onus superimponere exoptarunt Beneficiatis, ut, si quando beneficio iubilationis Beneficiatos donari contigeret, non ideo eximerentur ab onere celebrandi Missam Conventualem per dies ipsis assignatas; notabile enim redituum augmentum, quod iidem tribuebant, aequiparari poterat novae dotationi, et adeo adiicere poterant conditiones antea non appositas. Unde Episcopus haec habuit: – Aequa pariter mihi videtur petitio Capituli, ut, si aliquis ex Beneficiatis post tempus statutum impetrare voluerit exemptionis beneficium, decernat hoc Sacrum Tribunal, quod per Beneficiatum exemptum supportetur onus Missae Conventualis cum cantu in sua hebdomada nec non eius operae in sacris functionibus festivorum dierum, sicuti antea –. Advertebatur tamen, quod hoc aliquo modo praxi S. Congregationis adversaretur, ut videri poterant Dubia Iubilationum 17 decembris 1718 et Aquipendien. Indulti 1 aprilis 1719. Proposito hinc dubio: – III. An et quomodo sit providendum in concessione iubilationis favore Beneficiatorum, qui de proximo expleturi sunt quadragenarium servitium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, serventur resolutiones S. Congregationis super dubiis iubilationum – *in Amerina novae Dotationis die 24 Augusti 1822.*

250. Quapropter quum Capitulum dubitaret, utrum Canonico post quadragenarium servitium Ecclesiae continuo et laudabiliter praestitum competere posset iubilatio, ob parvum Canonicorum numerum, qui chori servitio remaneret, ac exoptaret, ut is non participaret de emolumentis incertis ac onus canendi Missam Conventualem sustineret,sed Episcopus reprobans ac respondens obiectionibus praedicti Capituli censeret, concedendam ei esse iubilationem, Sacra Congregatio merito annuit pro concessione iubilationis cum solitis clausulis *in Spoletana et Reatina Iubilationis die 28 Augusti 1779.*

251. Siquidem Fabritius Ettore Canonicus Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae de Populo Terrae Leonissae, quae promiscue suberat iurisdictioni Episcoporum Spoletani et Reatini, post exactum quadragenarium et ultra tempus servitii praestiti dictae Collegiatae Ecclesiae, eiusque praesertim attenta ingrave-

scente aetate annorum sexaginta sex, utpote natus anno 1713, iubilationem postulavit cum integra fructuum et quotidianarum distributionum perceptione. Capitulum autem dubitavit, utrum iubilatio ei competere posset, aiens: – Essendo la nostra Collegiata composta di due masse distinte, che fanno numero di dodici Canonici, forma per conseguenza due Camerlenghi, i quali in alcuni tempi secondo il bisogno essendo obligati ad assistere agli interessi della Chiesa priva altresì di Beneficiati e Cappellani, e godendo quattro la vacanza di dieci giorni per mese, venendosi alla giubilazione di alcuno di essi, e mancando altri o per affari proprii, che non intervengono, per non lasciare il coro inofficiato, non so, se in tali circostanze possa godere il benefizio della giubilazione –. Unde - ogniqualvolta se gli accordi una tal giubilazione non sembrerebbe giusto, che il medesimo percepisse gli incerti, i quali competerebbero a quei, che intervengono al coro, come pure che a suo carico restasse l'obbligo di soddisfare a tutti i pesi consistenti nell'eddomada di cantar le Messe insieme colla celebrazione delle Messe pro Benefactoribus in genere –. Verum uterque Episcopus reprobans atque respondens obiectionibus Capituli sensit, postulatam vacationem a choro concedendam. Proposito hinc dubio: – An sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative cum solitis clausulis – *in Spoletana et Reatina Iubilationis die 28 Augusti 1779.*

252. Quum hinc nullum inesset dubium, quin Canonicus laudabiliter servitium Ecclesiae suae praestiterit spatio quadraginta et amplius annorum, Sacra Congregatio nedum declaravit, esse locum iubilationi, sed et delendas esse mandavit conditiones per Capitulum appositas, quod scilicet post iubilationem is ad satisfactionem Missae Conventualis teneretur, nec participare valeret de fallentiis distributionum quotidianarum *in Civitatis Castellanae die 29 Novembris 1766.*

253. Iamvero Paulus Samirrima Canonicus Civitatis Castellanae post quadragenarium laudabile servitium supplicavit de perpetua vacatione a choro. Interrogatus Episcopus, qui referret, audito Capitulo, respondit: – Exposita omnimodae veritati innituntur. Ipse etenim aetate iam septugenarius continuo eidem Ecclesiae ac laudabiliter per quadraginta et ultra annos in qualitate Canonicali inservivit, mox autem senio confectus, aliquo saepe saepius incommodo vel morbo laborat, quocirca ad instar emeriti ac veterani militis eumdem Canonicum satis Ecclesiae suae benemeritum exaudiendum fore opinarer, eo magis quia consensus etiam Capituli iam accessit, prout ex adiuncta Capitularis Secretarii attestatione dignoscitur, non obstante, quod huiusmodi consensus cum ea reservatione fuerit praestitus, quod scilicet Canonicus orator, etiam post sui iubilationem ad satisfactionem Missae Conventualis per turnum sive per se, sive per alium teneatur, et quod minime participare valeat de aliquibus fallentiis in Anniversariis seu exequiis fixis et per annum recurrentibus –. Certum hinc erat ex testimonio Episcopi et universi Capituli, praefatum Canonicum Samirrima per quadraginta et amplius solidos annos suam operam laudabiliter praestitisse, adeoque delendae videbantur conditiones, quas Capitulum non legitime apposuit. Proposito igitur dubio: – An et quomodo indultum iubilationis sit concedendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, demptis conditionibus – *in Civitatis Castellanae die 29 Novembris 1766.*

254. Quando itaque nullum movetur dubium de continuo et laudabili servitio Ecclesiae praestito nec divini cultus detrimentum extat, iubilationis indultum concedi debet absque onere celebrandi et applicandi Missam Conventualem, etiamsi Canonicus accepisse videatur huiusmodi conditionem sub obligatione camerali, ob eamque Capitulares assensum iubilationi praestiterit *in Nullius Foropompilii Iubilationis die 18 Iunii 1796.*

255. Siquidem in Oppido Foropompilii sub spirituali iurisdictione Capituli Vaticani insignis erat Collegiata S. Rufilli, quae undecim constabat Canonicis, Mansionariis octo. In ea primum ab anno 1745 Mansionariatum obtinuit Sacerdos Petrus Antonius Gardini, deindeque ab anno 1753 Canonicatum. Ob chorale igitur quadragenarium servitium supplicavit anno 1793 Sacrae Congregationi pro indulto iubilationis; eiusque Collegae assen-

titi fuerunt quoad interessentiam tantummodo horarum canonicarum sacrarumque functionum, non vero quoad onus Missae Conventualis, nec quoad communes contribuendas expensas Capituli. Immo Capitulares asseruerunt, vere se Gardinium ad celebrandam Missam Conventualem sub obligatione camerali devinxisse; idque fecisse, quod in similibus iubilationis casibus fecerunt eiusdem Collegiatae Canonici Selbaroli et Briganti, et servabatur etiam in Foroliviensi Capitulo, iuxta attestationem unius et alterius eius Canonici. Quod gratis autem enunciata fuisset illius obligatio in comitiis capitularibus, excludebatur ex testimonio Vicarii Generalis, quod – ipsemet Orator mecum fassus fuit, se non renuturum sua obire onera in hebdomada, uti nunc –. Promptum vero se paratumque Gardinius dixit ad communes contribuendas expensas Capituli, onus tamen recusavit Missae Conventualis (pro qua nullum erat emolumentum), eo quod neque ad eam per se,vel per alium celebrandam et applicandam emiserat obligationem, quam gratis asserebant Capitulares; neque, posito iubilationis indulto, de iure tenebatur. Hinc ponderandum erat, utrum ea servanda esset obligatio, ad quam assensum praestiterant Capitulares iubilationi Oratoris, vel potius tamquam irrationabilis abolenda, ut plenum iubilatio haberet effectum. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, dempto onere Missae Conventualis; et amplius – *in Nullius Foripompilii Iubilationis die 18 Iunii 1796.*

256. Hinc licet Capitulum assentitum fuisset indulto iubilationis conditione, quod Canonicus teneretur per se vel per alium celebrare per turnum Missam Conventualem, alias distributionibus gaudere non posset, et Sacra Congregatio illud concesserit adiectis solitis causulis, quin aliquid de Capituli conditione dixerit, atque Canonicus sponte per plures annos conditionem per Capitulum appositam impleverit, iure meritoque petiit inde redintegrationem eleemosynae pro Missis Conventualibus iam celebratis, nec non liberationem in futurum ab huiusmodi onere cum participatione fallentiarum; quandoquidem quum Sacerdos Matthaeus Pugliesi Nepesinae Cathedralis Canonicus ob expletum laudabile quadragenarium servitium iubilationis indultum a Sacra Congregatione obtinuisset a die 1 septembris 1809, solitis adiectis in Decreto clausulis, – ut quamprimum in posterum non inserviat, fructus nihilominus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, ac si choro et divinis officiis personaliter interesset –, quin aliquid in eo Decreto adiectum fuerit de conditione, quam praecedens resolutio capitularis proposuerat, nimirum – con questo però che sia obbigato soddisfare per seipsum vel per alium Canonicum tutti gli obblighi capitolari di turno, cioè prima Messa e Messa cantata, altrimenti non goda delle distribuzioni capitolari –, cumque reapse a die obtenti indulti praefatus Canonicus Missas Conventuales vel per ipsum vel per alium celebraverit, sed inde postulaverit tum reintegrationem eleemosynae pro Missis Conventualibus iam celebratis, tum liberationem ab hoc onere in futurum cum participatione fallentiarum ac si choro et divinis officiis interesset, propositis dubiis: – I. An Canonicus iubilatus teneatur vel per se vel per alios ad celebrationem Missae Conventualis in casu? *Et quatenus negative.* II. An eidem restituendae sint eleemosynae pro Missis Conventualibus celebratis a die concessi indulti in casu? III. An vigore indulti iubilationis debeantur distributiones ex fallentiis Canonicorum absentium a choro in casu? –, Sacra Congregatio, non obstante Capituli oppositione ac praetensa consuetudine, ad quam probandam plures afferebantur resolutiones Capitulares ab anno 1712 ad annum 1800, respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative a die obtentae iubilationis. Ad tertium, Affirmative – *in Nepesina die 11 Aprilis 1818.*

257. Quin imo licet consuetudo bis centenaria ac immemorabilis existeret, qua Canonici iubilati per turnum Missam Conventualem canerent, quum ea tamen ex devotione potius et ex arbitrio, quam ex vera obligatione invecta videretur, Sacra Congregatio, petente Capitulo, renuit ipsam confirmare, ut obligatoria fieret pro Iubilatis, sed Episcopus in casu necessitatis uti deberet remediis sibi a iure concessis, ne quid detrimenti cultus

divinus pateretur *in Signina Missae Conventualis die 25 Maii 1833.*

258. Enimvero ex pervetusta consuetudine, quae erat praeter hominum memoriam, in Cathedrali Ecclesia Signina in more positum erat, ut Canonici iubilati Missas Conventuales per turnum, sicut ceteri Canonici, sive per se, sive per alium canerent. Id Canonici inductum arbitrabantur praesertim ob exiguum ipsorum numerum, qui cum quatuordecim essent dumtaxat, Sacrumque solemne semel quotidie, identidem vero bis ter et fortassis etiam quater perageretur, deerat interdum ex Ordine, qui id muneris obiret: censendum proinde erat, necessitati huic Canonicos, honesta licet missione donatos, occurrere voluisse, illudque onus sibi imposuisse, ne chorale illud officium ex ipsorum absentia praetermitteretur, quod in divini cultus detrimentum contingeret. Postularunt idcirco Signinae Ecclesiae Canonici, ut consuetudo id genus maxime commendanda luculentissimo Apostolicae Sedis iudicio rata firmaque haberetur. Episcopus, qui de statu Ecclesiae suae referens hanc consuetudinem speciatim animadverterat, testatus est, revera illam ab omni antiquitate invaluisse, prout ex Capituli libris eruebatur, quibus de Conventuali Missa sueto more celebrata traditum memoriae erat, adeo ut annis fere ducentis id apud ipsos peractum fuisse constaret, cuperetque et ipse, rem ex Canonicorum voto decerni, quod et in ipsorum commendationem cederet et Sacrorum cultui summopere prodesset. Id enim iuri scripto maxime cohaerebat, cum privilegium iubilationis ex aequitate tantum exemplo Sacerdotum veteris legis ac Militum invaluerit. Si itaque Canonici iubilati Signinae Ecclesiae privilegio exemptionis a Missarum Conventualium turno servando usi non fuerant ob consuetudinem, quae binis seculis antiquior recensebatur, perstabat immotum in suo robore ius commune illarum celebrationem Canonicis praecipiens, qui proinde iubilationem assequuti ceteris dumtaxat Canonicorum oneribus forent exempti. Unde huiusmodi consuetudo vim legis habebat: nam consuetudo immemorabilis stat loco tituli omnium melioris et efficacioris, vel saltem praesumptionem inducit omni exceptione maiorem tituli apti ad eam constabiliendam firmandam ac probandam. Accedebat, studio divini cultus id oneris lubenter Canonicos iubilatos suscepisse: at videbatur causa id genus probare, huiusmodi consuetudinem fuisse inductam animo obligandi; notum enim erat, consuetudinem, quae sit rei gravis ac difficilis vel quae indultum conferat rei aut sacrae aut publicae ac per viros pietate ac prudentia spectatos servetur, obligationem existimari, Schmalzgrueb. part. 1 tit. 4 n. 16. Indultum quippe iubilationis ea conceditur lege, ne quid inde choralium officiorum cultus detrimentum capiat; quo fit, ut Episcopus in casu huiusmodi detrimenti iure potitur Iubilatos ad chorale pensum revocandi. Cum igitur in Cathedrali Ecclesia Signina absque divini cultus detrimento exemptio isthaec admitti nequiverit ob exiguum Canonicorum numerum, qui sibi invicem pro ordinis gradu in Sacro faciendo in ordinem succederent, iure merito Canonici iubilati peculiari illo privilegio usi non fuerant. Nec dubium, quin Capitulum facultate polleret constituendi sibi iura normasque, quibus pareret, nec non posset pariter consensu tacito et longo usu leges inducere, quibus legitime devinceretur, Reiffenst. tit. 4 lib. 1 n. 111 et 112. Patebat hinc, consuetudinem Signini Capituli rationabilem esse, ac legitime praescriptam, utpote quae percrebuisse dignoscebatur actibus frequenter uniformiter universo Collegio adprobante longo demum ac diuturno tempore gestis; adeoque huiusmodi consuetudo Apostolica auctoritate sancienda esse videbatur, cum praesertim haud absimilis capitularis statuti adprobatio ab Innocentio III Collegio Canonicorum Ecclesiae Tullensis fuerit decreta in Cap. *Cum accessissent* de constitutionibus.

259. Contra vero animadvertebatur, potuisse quidem Canonicos favori huic et privilegio non canendi Missam Conventualem cedere, cum quisque ex iuris regula possit renunciare iuri in sui favorem introducto, L. penult. ff. de pactis: sed abdicationem istam legitimi iuris personam abdicantis haud praetergredi valuisse, cum certum sit, – alteri per alterum iniquam conditionem inferri non posse –, L. 74 ff. de regulis iuris. At quod expressa renunciatio in alterius detrimentum non operatur, multo minus induci illud poterit

ex tacita, quae scilicet ex diuturna consuetudine promanat. Consuetudo enim est stricte interpretanda, nec extendi debet de casu ad casum, vel de persona ad personam. Praeterea cum actus agentium non operentur ultra eorum intentionem, cumque consuetudo vim nanciscatur, si actus ad eam necessarii eo animo fiant, ut obligationem inducant, dubitandi profecto locus erat de Canonicorum Signiensium mente, qui privilegio iubilationis donati onus canendi Missas Conventuales gessere, quin tamen legem indo vellent iniicere, quae deinceps vel inviti illigarentur. Hinc haud semel protestationes ab ipsis editas retulit Episcopus, quibus obligationis necessitatem se non admittere declararunt, idque officii persolvisse voluntarie ac pro lubitu et pietatis religionisque causa. Anno siquidem 1766 Leopardus Priori Canonicus iubilatus id scripto tradidit in Archivio capitulari, se nimirum cantaturum Missam Conventualem in turno – farlo però per sua devozione e beneplacito, non intendendo di pregiudicare nel tratto successivo agli altri Canonici giubilati –. Id retulit etiam Vicarius Cyptius Canonicus iubilatus fere nonagenarius, qui dixit –.ab immemorabili Iubilatos semper cecinisse vel per se, vel per alios, eos vero eximi consuevisse ab eo Sacro, si propter infirmitatem aut senio confecti non celebrant. Haec licet vera sint, (pergebat annosus Canonicus) non desunt in Archivo protestationes, quibus Iubilati inquiunt ex mera devotione, non ex iustitia sese huic canendi consuetudini subiici –. Atque hoc se animo esse novissime testatus Aloisius Missarius, quem scribebat Episcopus iubilationis beneficium adeptum, spopondisse quidem se consuetudini parturum, – non tamen ex obligatione aliqua, sed ex devotione, quod licet tunc temporis pollicitus scripto fuerit, in praesens tamen de sententia exquisita respondit, – se gaudere velle exemptione, qua ex iurium praescripto Iubilati gaudent, renuitque ullam literis consignare declarationem, ne facto probaret inveteratam consuetudinem, ne praeiudicium Successoribus inferat –. Notum autem in iure est, ubi de eorum voluntate quaeritur, qui divina officia obeunda suscipiunt, licet nulla ad id lege obstringantur, si de tali actione consuetudo invecta deprehendatur, – praesumendum esse, consuetudinem illam esse ex devotione potius et ex arbitrio, quam ex vera obligatione, sicque continere actus merae facultatis –, Reiffenst. ius can. lib. 1 tit. 4 n. 130.

260. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo confirmanda sit consuetudo Capituli Signini, ut obligatoria fiat Iubilatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et Episcopus in casu necessitatis utatur remediis sibi a iure concessis, ne quid detrimenti cultus divinus patiatur – *in Signina Missae Conventualis die 25 Maii 1833.*

261. Quum igitur Mansionarius seu Praebendatus post assiduum et laudabile annorum quadraginta servitium petierit indultum iubilationis, sed Capitulum assensum praeberet sub conditione canendi et applicandi Missas Conventuales per turnum, nec non celebrandi in aurora vel meridie singulis festis diebus, Sacra Congregatio attentis etiam grandaeva Oratoris aetate, ac morbis, quibus afficiebatur, merito censuit, indulgendum esse praedictum indultum iubilationis, deletis huiusmodi conditionibus, quin ullatenus obstaret, quod Missa Conventualis non celebraretur sumptibus massae communis, sed quisque ad eam applicandam teneretur aere proprio, quodque alii duo de gremio Capituli simile indultum iam obtinuissent *in Spoletana Iubilationis die 24 Novembris 1770.*

262. Siquidem Collegiata Ecclesia S. Michaelis Archangeli Oppidi Mevaniae sexdecim constabat Canonicis cum Priore, cui curam animarum commissa erat, praeter quatuor Mansionarios, quos vocabant Praebendatos, in cura animarum coadiutores. Ex his unus Andreas Marini post assiduum et laudabile annorum quadraginta servitium eidem Ecclesiae praestitum, iubilationis indultum efflagitavit. Capitulum vero quamvis illum vacatione dignum existimaverit, non aliter tamen petitioni assentiri posse censuit, quam sub conditione non solum canendi et applicandi Missas Conventuales per turnum, quod onus unicuique Praebendae adnexum dixit, verum etiam celebrandi Missas in aurora et meridie, prout a Praebendatis fieri solebat singulis festis diebus; illudque nonnulli ex Capitularibus etiam addiderunt, ut exemptus

esse non deberet ab onere coadiuvandi Priorem in exercitio curae animarum. Praebendatus Marini vero contendit, grandaevam eius aetatem gravesque, quibus affligebatur, morbos, non sinere, ut adiecta onera subire posset, ac potius id exigere, ut perpetua a quocumque munere vacatione donaretur, cum senectus et infirmitas impedirent, quominus Ecclesiae valeret inservire. Irrationabiles proinde atque omnino despiciendas renuntiavit conditiones a Capitulo adiectas, praesertim quoad onus canendi Missas in aurora et meridie, cum Iubilato onus huiusmodi imponi non debeat. Reiiciendam autem sustinuit exceptionem, quod alii duo de gremio Capituli iubilationis indultum iam obtinuerint, tum quia ii erant de coetu Canonicorum, non vero Praebendatorum, tum etiam quia sibi obesse non deberet gratia, quae aliis concessa fuerat. Episcopus de sua sententia requisitus dixit: - Quod vero attinet ad meum sensum, cum Missa Conventualis, quae est onus Capituli, non celebretur sumptibus massae communis, sed unusquisque illam celebret, et applicare teneatur aere proprio, crederem, iubilationem eximere quidem posse a celebratione personali, non tamen absolutione eleemosynae, quae accresceret aliis. Itemque crederem faciendum respectu Missarum in aurora et in meridie, licet sine applicatione. Ac demum respectu oneris coadiuvandi Priorem in cura animarum, et praesertim audiendi confessiones, cum agatur de obligatione personali, crederem, Oratorem ab hoc onere dispensari posse per indultum iubilationis, quatenus hoc et alia onera praedicta legitime adnexa sint Beneficiis, de quibus agitur -. His mature perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit locus iubilationi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, deletis conditionibus - *in Spoletana Iubilationis die 24 Novembris 1770.*

263. Idcirco iubilationis indultum post laudabiliter expletum per annos quadraginta Ecclesiae servitium conceditur cum omnimoda fructuum et emolumentorum perceptione, eiusque vigore Iubilati eximuntur ab onere celebrationis Missae Conventualis vel in aurora aliasque peragendi functiones et adimplendi onera Capitulo inhaerentia *in Pistorien. Iubilationis die 7 Augusti 1773* §. *Iubilationis.*

264. Unde Canonicus iubilationis indulto munitus eas tantum Missas, quae Canonicali suae Praebendae reperiuntur adnexae, aut eidem ex repartitione inter singulos Canonicos facta obtingunt, per seipsum, aut per alium teneretur celebrare *in Constantien. Iubilationis die 4 Maii 1737* §. *Ceterum.*

Item *in Pistorien. Iubilationis die 7 Augusti 1773* §. *Iubilationis; in Calaritana Onerum die 17 Septembris 1831* §. *Neque.*

265. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, Canonicum Vincentium Capponi iubilationis indulto praeditum teneri per alium celebrare Missas lectas ratione sui Canonicatus, non tamen Conventuales *in Praenestina die 11 Martii et die 1 Aprilis 1662.*

266. Similiter Sacra Congregatio declaravit, Iubilatos non teneri Missas Conventuales per turnum celebrandas per alium celebrare, bene vero lectas, si quas ratione sui Canonicatus, debet celebrare *in Dubium Iubilationis die 7 Iulii 1668 lib. 26 Decretorum pag. 29.*

267. Nullo hinc habuit in calculo Sacra Congregatio malum ex iubilatione futurum exemplum ex pari aliorum idem ius ad iubilationem habentium postulatione derivatum; ea namque est in hac materia Sacrae Congregationis praxis, ut, quoties constet de integro quadragenario servitio vel continuo et laudabiliter expleto, vel per posterius servitium sufficienter compensato, ceteras fere omnes exceptiones parvi pendat, quin vel ipsa florida aetas et bona valetudo paret obstaculum;inductum siquidem est iubilationis indultum ad alliciendos Praebendatos, ut servitium Ecclesiae suae laudabiliter exhibeant, quo quidem obtentu iis insuper exemptionibus et privilegiis muneratos voluit Iubilatos S. Congregatio,ut ab omnibus per iubilationem solvantur oneribus sive Missarum,iis exceptis, quae propriae inhaererent Praebendae ex peculiari fundationis lege, sive choralis servitii, et ab ipso residentiae vinculo in loco Beneficii reddantur immunes *in Narnien. Iubilationis die 27 Iunii 1857* §. *Nullo.*

268. Quapropter licet in statutis Capitularibus praescriptum sit, ut Canonici per turnum Missam celebrare teneantur ad Populi commoditatem circa meridiem et in Aurora, non propterea Canonici iubilati huius-

modi onus ferre tenentur; quandoquidem in Constitutionibus insignis Collegiatae S. Mariae de Terra Cavarum haec statuta habebantur: – Missa plana in singulis diebus festivis in Collegiata, absolutis divinis officiis et functionibus ab eo, qui proxime hebdomadario succedit, celebretur, ut laudabilis constans mos est –. Praeterea – qui hebdomadarii munus obivit, expleta sua hebdomada, Missam ad Populi commoditatem, retenta pro se applicatione per totam sequentem hebdomadam, in aurora celebret, aliter poenam iulii unius pro qualibet vice subeat –. His vero non obstantibus, proposito dubio: – III. Utrum iubilati Canonici censendi sint exempti a celebratione Missae ad auroram et ultimae circa meridiem in diebus festis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Affirmative – *in Praenestina Dubiorum Iubilationis die 21 Novembris 1835.*

269. Unde Canonici iubilati nec ad Missam Conventualem, nec tot alias Missas lectas earum vice celebrare et applicare tenentur, licet Canonici iubilati alterius Ecclesiae ad id ex consuetudine teneantur; quandoquidem autumavit Capitulum insignis Collegiatae S. Mariae de Terra Cavarum, Canonicos iubilatos Ecclesiae suae teneri Missas Conventuales feriales per turnum, vel tot alias saltem Missas lectas earum vice celebrandas et applicandas, prout Praenestinum Cathedrale Capitulum praestare solebat. Propositis vero dubiis: – I. Utrum Canonici iubilati Terrae Cavarum teneantur canere et applicare Missas Conventuales et feriales de turno in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An teneantur tot alias Missas lectas ad massam communem non pertinentes applicare iuxta morem Praenestinae Cathedralis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative – *in Praenestina Dubiorum Iubilationis die 21 Novembris 1835.*

270. Quum igitur Canonicus iubilatus non teneatur ad celebrationem et eleemosynam Missae Conventualis, nec ad eas, quae a Capitulo celebrantur pro Populi commoditate, deducta prius integra quota quotidianarum distributionum Canonico iubilato debita, ex reliquo detrahenda est eleemosyna pro Missa Conventuali, quae assignari debet non ad rationem taxae synodalis, sed taxae a Capitulo constitutae, eique debetur portio emolumentorum provenientium ab Anniversariis fixis, dummodo non obstet voluntas Testatorum, non vero debetur portio emolumentorum provenientium ab Anniversariis incertis et extraordinariis, neque portio debetur emolumentorum provenientium ex associatione cadaverum et ex respectivis funeralibus, multoque minus debetur portio emolumentorum provenientium ex Missis cantatis adventitiis, quae occasione festorum ad Benefactorum petitionem celebrantur a Capitulo in Ecclesiis Civitatis et territorii *in Lucana Exemptionis et Emolumentorum die 30 Ianuarii 1858.*

271. Enimvero Michael Gambogi Canonicus Collegiatae Ecclesiae Civitatis *Camaiore* ab anno 1837 iubilationis indultum ab S. Congregatione impetravit. Sed vero adversarium subinde expertus est Capitulum in pluribus, queis frui sperabat veluti indulti consectariis. Scilicet renuit Capitulum illum ab onere eximere suppeditandi eleemosynam pro Missis capitularibus de turno canendis, quatenus per alium id muneris explendum fuisset: noluit insuper participem eum reddere emolumentorum capitularium, quae adventitia nuncupabantur: obnoxium denique eumdem voluit oneri nonnullarum Missarum, ad quarum celebrationem diebus festis, pro Populi commoditate, quisque e Capitulo, haud excepto iubilato, solemniter capitulari deliberatione diei 27 aprilis 1839 sese devinxit. Suas quidem ad S. Congregationem detulit querelas Canonicus Gambogius, ut exemptiones ac iura Iubilati declararentur, et die 29 aprilis 1843 responsum obtinuit: – Dentur Resolutiones Sacrae Congregationis in Aquipendien. 1 aprilis 1719, et in Spoletana 29 novembris 1770, quibus Resolutionibus declarabatur, Canonicum iubilatum, etsi absentem, participare tum de aliorum fallentiis, tum de emolumentis Anniversariorum, dummodo non obstet voluntas Testatoris vel Dantis, nec non exemptione a canenda Missa Conventuali sive per se, sive per alium. Ast nihilominus, perstante Capitulo in sua oppositione, coactus iterum fuit Gambogius S. Congregationis implorare praesidium, ne alias sibi annis iam gravi

iubilationis indultum in irritum recideret. Actum hinc hac de re fuit in S. Congregatione habita die 27 novembris 1852 per Summaria precum. Archiepiscopus partibus Capituli favebat contendens, Iubilatum a Missis Conventualibus eximi non posse per solutionem saltem eleemosynae, quia secus ceteri Canonici imminutionem in respectiva canonicali quota pati contra aequitatem debuissent, cum non adessent pro huiusmodi Missis reditus peculiares; emolumenta insuper tantum, quae certa dicebantur, ipsi licere condicere, cum pro eventualibus personalis assistentia requireretur; quoad Missas demum ad Populi commoditatem celebrandas nullam adesse dubitandi rationem, quin huic oneri Iubilatus subiici deberet, quod nimirum non a canonicali titulo, sed a peculiari cuiusque obligatione scateret, et Gambogius in illud convenerat, quando iam indultum iubilationis assecutus erat. Placuit autem Sacrae Congregationi rescribere: – Quoad Missas Capitulares et emolumenta eventualia Capitulum pareat Decreto S. Congregationis diei 29 aprilis 1843: quo vero ad Missas ad Populi commoditatem celebrandas, lectum ad instantiam; et notificetur Archiepiscopo –. Non id tamen satis visum est ad removenda contraria Capituli studia et tutanda Iubilati iura; paulo enim post novum obtulit recursum Gambogius, quo exponebat, Capitulum, variis adhibitis artibus et machinationibus, nullius momenti reddere conari editas Resolutiones, atque adeo Sacrae Congregationis auctoritatem ad rem interponi expostulabat. Necesse itaque fuit scribere Archiepiscopo ad hoc, ut mandaret Capitulo, – ut omnino pareat Decretis Sacrae Congregationis dierum 29 aprilis 1843 et 27 novembris 1852, et contra renuentes procedat, quatenus opus sit, poenis arbitrio ipsius Ordinarii infligendis –. Cum vero nonnulli praeterlapsi essent menses, quin tamen negocium huiusmodi, frustra Gambogio adnitente, ad exitum perduceretur, hinc rursus ad Sacram Congregationem ipse confugit, precibus exhibitis, ut res, aliqua provisione adhibita, finem aliquando tandem haberet. Scriptum hinc fuit Archiepiscopo, ut, audito Capitulo, referret de resultantibus ex postremo Rescripto Sacrae Congregationis, et quid obstaret exequutioni Decreti diei 27 novembris 1852. Archiepiscopns retulit, Decreta fuisse Capitulo intimata, eique iniunctum, ut iisdem omnino pareret, et si quid animadversione dignum existimaret, coram ipsa Sacra Congregatione deduceret; paruisse interea Capitulum, nonnulla tamen ab ea animadvertenda proponi contra praefatas resolutiones, quae in separato libello recensebantur, quem transmisit.

272. Animadversionibus Capituli expensis, tota quaestio ad duo praecipue referebatur capita: alterum quoad eleemosynam suppeditandam pro Missis Conventualibus; alterum quoad participationem emolumentorum, sive quae certa, sive quae mere adventitia ac incerta erant. Propositis igitur respectivis dubiis: – I. An et ex qua distributionum quota detrahenda sit eleemosyna pro Missis Conventualibus, quarum applicatio Canonico iubilato per turnum incumberet in casu? II. An praedicta eleemosyna assignari debeat ad rationem taxae synodalis, seu potius taxae a Capitulo constitutae in casu? III. An Canonico iubilato licet non intervenienti debeatur portio emolumentorum provenientium ex associatione cadaverum et ex respectivis funeralibus in casu? IV. An debeatur portio emolumentorum provenientium ab Anniversariis fixis in casu? V. An debeatur portio emolumentorum provenientium ab Anniversariis incertis et extraordinariis in casu? VI. An debeatur portio emolumentorum provenientium ex Missis cantatis adventitiis, quae occasione festorum ad Benefactorum petitionem celebrantur a Capitulo in Ecclesiis Civitatis et territorii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, deducta prius integra quota quotidianarum distributionum, Canonico iubilato debita, ex reliquo detrahendam esse eleemosynam pro Missa Conventuali. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad tertium, Negative in omnibus. Ad quartum, Affirmativo, dummodo non obstet voluntas Testatorum. Ad quintum et sextum, Negative – *in Lucana Exemptionis et Emolumentorum die 30 Ianuarii 1858.*

273. Idcirco quum Canonici secundae erectionis et massam redituum distinctam habentes iam iubilati renuissent canere et applicare Missas Conventuales, adeoque plures

Missae haud applicatae pro Benefactoribus in genere existerent, ob idque Episcopus in sacra visitatione Decretum tulit, quo mandavit, ut praedictae Missae infra sex menses applicarentur, dempta eleemosyna ex reditibus Canonicorum iubilatorum, Sacra Congregatio declaravit, haud esse confirmandum, sed infirmandum praefatum Decretum Episcopi, etiamsi Canonici primae erectionis sustinerent, se non teneri eorum onus ferre, ex eo quod reditus essent distincti, ac parvus Capitularium numerus superesset, qui choralibus officiis inserviret *in Reatina Missae Conventualis die 26 Ianuarii 1850.*

274. Siquidem ex duodecim, quibus Collegiata Ecclesia S. Mariae Civitatis Leonissae in Neapolitana ditione decorabatur, Canonicis, partim primae erectionis seu liberae collationis Episcopi, partim secundae erectionis seu de iurepatronatus heredum quondam Ioannis Caroli de Conti nuncupati, Canonicus Franciscus Ettorre anno 1833, et Canonicus Caesar Giudici anno 1841, ambo secundae erectionis, iubilationis indultum obtinuerunt: et quoad Canonicum Ettorre die 3 aprilis 1841 Sacra Congregatio declaravit contra Capitulares, ipsum participare debere de punctaturis seu fallentiis aliorum Canonicorum, cum nihil obstaret vel ex statuto vel ex consuetudine. Mox alia ab iisdem Capitularibus excitata est controversia contra utrumque indultarium, ut scilicet uterque ad cantum et applicationem Missae Conventualis teneretur: sed uterque non dubitavit utrumque pensum omittere, quoties turnus ipsis pertingeret. Haec cum cognoverit Episcopus in sacra visitatione die 9 maii 1846 ac deprehenderit, Missarum Conventualium omissiones excrevisse ad numerum usque septem supra quinquaginta, declaravit, praefatos Canonicos iubilatos teneri implere Missarum onera suo Canonicatui adnexa, nec non teneri, ut antea, festis diebus applicare Missam Conventualem in sua respectiva hebdomada, alioquin fructus pro Missae cantu, ut plurimum in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis adsignatos, percipere haud poterant. Idcirco decrevit, quod – quum in Collegiata duo sint Administratores vulgo *Camerlenghi,* alter pro bonis reditibus ac proventibus Canonicatuum liberae collationis, sive primae, ut vocant, erectionis, et alter pro bonis etc. Canonicatuum de iurepatronatus sive secundae erectionis, huic proinde mandamus, ut infra sex menses celebrare faciat Missas septem et quinquaginta, quae applicandae supersunt pro Benefactoribus, assignata celebrantibus eleemosyna iuxta taxam vigentem in Diaecesi, eaque dempta ex reditibus Canonicorum iubilatorum; his autem Iubilatis mandamus, ut deinceps Missarum onera suo Canonicatui adnexa omnino impleant eo modo, quo ipsis magis placuerit sive per se, sive per alios Canonicos, quos alacres promptosque ipsis repraesentandis comperimus –. Statim ab huiusmodi Decreto ad Sacram Congregationem appellationem interposuerunt Canonici iubilati Ettorre ac Giudici existimantes, se vi obtenti indulti haud teneri canere Missam Conventualem per turnum nec eleemosynas persolvere, quin exemplum afferri posset, quo factum esset, ut, qui indulto donati fuere ex Capitularibus Civitatis Leonissae, Missam celebraverint aut eleemosynam solverint. Capitulum vero contendit, ideo teneri Canonicos Ettorre et Giudici Missam Conventualem canere et applicare, quia non una eademque erat Capitularium massa, sed una primae erectionis, ab alia secundae erectionis omnino distincta, interesse etiam utriusque seiungebat. Idcirco quoties aliquis ex Canonicis secundae erectionis deesset quavis ratione choralibus officiis satisfaciendis, vel e propria massa pendendum erat emolumentum iis, qui vices Indultariorum in Missae cantu sustinebat, vel reliqui eiusdem erectionis id onus ferre debebant, iuxta illud adagium: qui sentit commodum, sentire debet et incommodum, cum praesertim pinguior prae altera esset massa Canonicatuum secundae erectionis, onera iidem haberent separata eaque leviora, nam applicare tenebantur Missam Conventualem diebus tantum festivis, dum contra Canonici primae erectionis ad id adigebantur ter in qualibet eorum hebdomada. Accedere etiam necessitatem dixerunt ob parvum psallentium numerum: nam ex duodecim Capitularibus unus tantum Clericus aptus choro reperiebatur; demptis quippe praefatis duobus Iubilatis, nec non Canonico Cherubini absente ex indulto ob oculorum caecitatem, tres alii pectoris infirmitate laborabant, duo

Camerarii, alter Aeditui officio fungebantur, duo demum studiorum causa in Reatino et Spoletano Seminario morabantur.

275. Verum Canonici iubilati observarunt, ex distincta massa capitulari ac administratione redituum non ideo sequi, quod Canonici primae erectionis diversum efformarent morale corpus ab aliis Canonicis, qui ad alteram pertinebant erectionem. Omnes enim unum idemque Capitulum efformabant, unum idemque Ecclesiae servitium praestabant, omnibus indiscriminatim inhaerebat onus Hebdomadarii officium per turnum exercendi ac in sua hebdomada canendi applicandique Missam Conventualem. Unde iubilationis consectarium erat, ut Canonici choro interessentes implere deberent officia choralia, quae praestanda forent a Canonicis iubilatis, si huiusmodi privilegio non gauderent, ceteri Canonici indistincte, non ii tantum, qui secundae erectionis supererant, implere deberent pro ipsis onera choralia, proinde etiam canere et applicare Missam Conventualem. Augmentum itaque huiusmodi oneris eventuale ac temporaneum, reciprocum erat inter Canonicos iurispatronatus et liberae collationis, quia fieri poterat, ut et aliquis ex hisce postremis iubilationem obtineret, et tunc oneris choralis augmentum primos, idest Canonicos de iurepatronatus gravaret. Ad secundum quod attinebat obiectum ex necessitate Ecclesiae desumptum, advertebatur, binos Canonicos Camerarios et Aedituum recenseri a Capitulo inter legitime absentes, dum contra iure cautum est, hosce Capitulares pro eo tempore a choro vacare posse, quo negotia Ecclesiae suo muneri respondentia explent. Canonici vero, qui in Seminario commorabantur, et qui infirmitate laborabant, praecario tantum impediebantur, et de momento in momentum apti esse poterant ad chorale pensum obeundum. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit confirmandum, seu potius infirmandum Decretum Sacrae visitationis die 9 maii 1846 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Quoad Missam Conventualem, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Reatina Missae Conventualis die 26 Ianuarii 1850.*

276. Nam onus eleemosynae Missae Conventualis non est deducendum quoad Iubilatos a massa communi distributionum, antequam fiat earum repartitio *in Senen. Iubilationis die 9 Februarii 1760.*

277. Iamvero Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Senensis disputavit, eleemosynam Missarum Conventualium, tamquam onus capitulare infixum massae communi distributionum, esse deducendum, antequam fieret earum repartitio etiam quoad Canonicos iubilatos; quia licet Canonici iubilati nihil contribuere teneantur de propria crumena, attamen pati debent, ut onera intrinseca, sive infixa minuant quantitatem distributionum, et ante illarum repartitionem deducantur, ut notant Barbos. de Canon. Cap. 21 n. 26, et in collect. ad Concil. Trid. sess. 21 cap. 3 n. 7, Monet. de distribut. part. 3 quaest. 8 n. 5, Pignatell. consult. 163 n. 51 tom. 9. Quemadmodum de facto, ex fructibus hereditatis Capacci, qui distributionibus erant applicati, ante illorum repartitionem, deducebantur sine controversia onera praescripta a pio Testatore pro Anniversariis et Missis in suffragium eius animae celebrandis. Controversam autem eleemosynam Missarum Conventualium autumavit Capitulum esse onus intrinsecum et infixum massae distributionum, tum ex destinatione ipsius Capituli, iuxta capitularem deliberationem diei 18 septembris 1754, quod eleemosyna solvenda esset ex Massa hereditatis Capacci, tum ex epistola Encyclica s. m. Benedicti XIV inter eius Constitutiones 103 §. 18 tom. 1, demandante, ut eadem eleemosyna desumatur ex massa distributionum, tum demum ex mente Sacrae Congregationis, quae in Causa Ferrarien. proposita die 4 martii 1719 et resoluta die 18 dicti anni ad tertium dubium ita conceptum: – An pro eleemosyna Missarum Conventualium teneantur contribuere omnes constituentes corpus Capituli, sive sint Sacerdotes sive Diaconi sive Subdiaconi, et sive participent sive non de massa distributionum? –, respondit: – Affirmative, sed de massa distributionum –. Attenta psaesertim observantia introducta post dictam capitularem resolutionem anni 1754, ad cuius tramites quatuor Canonici iubilati sine contradictione passi sunt et patiebantur deduci controversam eleemosynam ante repartitionem massae Capacci; et ne alioquin melioris conditionis essent Ca-

nonici servientes, qui suam ratam distributionum consequebantur post deductam eamdem eleemosynam. Contra Canonicus Bandinelli iubilatus contendit, Missam Conventualem onus esse non fructuum et distributionum, sed ipsius Collegii Canonicorum, qui tenentur ad illius celebrationem, iuxta praescriptum Textus in Cap. *Cum creatura* 11 de celebr. missarum, et respondit Sacra Congregatio in Burgi S. Donnini 16 maii 1716; quin imo, addidit, Missam Conventualem esse primo intentam et praecipuam partem divinorum officiorum Canonicis incumbentium, et horas canonicas tamquam dispositiones ad eam ordinari. Hinc dixit, distributiones gravari ad ferendum onus eleemosynae Missae Conventualis, non taxative, sed demonstrative, tamquam peculium commune Canonicorum, et proinde Capitulum in deliberatione anni 1754 obligasse Canonicos recentioris fundationis non participantes de massa Capacci, ut deponerent suam ratam eleemosynae in pecunia, unde onus reale et intrinsecum distributionum dici non posse illud, quod non sequitur solas distributiones, sed ferendum est etiam a non participantibus de distributionibus. Idcirco si Canonici iubilati non tenebantur celebrare et applicare Missam Conventualem, pati non debebant deductionem eleemosynae eiusdem Missae ante repartitionem distributionum, ne hoc pacto gravarentur supplere per alium ferendo onus eleemosynae, a qua immunes eos declaravit Sacra Congregatio in Praenestina 11 martii 1662, quam refert etiam Panimoll. dec. 20 adnot. 3 n. 69 et 70. Nec proinde, subdidit, aut allegabilem esse contrariam consuetudinem, quae induci nequiverat per lapsum unius quatriennii, aut verificari posse, deteriorem fore conditionem Canonicorum inservientium illa Iubilatorum non inservientium; quia Canonici inservientes celebrando Missas Conventuales in suis hebdomadis integram consequebantur ratam distributionum sine ulla deductione; potiusque e contra per praeambulam deductionem eleemosynae Missae Conventualis a massa distributionum praeiudicium irrogabatur Canonicis iubilatis, eis tribuendo minorem portionem, quam consequuti fuissent, si personaliter inserviendo Ecclesiae Missam pariter in suis hebdomadis celebrassent; idque foret contra literam indulti, quo tribuebantur Iubilato omnes distributiones, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset.

278. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An onera capitularia infixa massae communi distributionum deducenda sint, antequam fiat earum partitio inter participes etiam quoad Canonicos iubilatos in casu etc. II. An onus eleemosynae Missae Conventualis sit infixum massae communi distributionum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An idem onus eleemosynae sit deducendum ab eadem massa communi distributionum, antequam fiat earum repartitio etiam quoad Canonicos iubilatos in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, providebitur in tertio. Ad tertium, Negative – *in Senen. Iubilationis die 9 Februarii 1760.*

279. Qua de re Canonicus iubilatus nedum neque per se neque per alium tenetur celebrare et applicare Missam Conventualem per turnum, sed nec contribuere tenetur eleemosynae Missarum Conventualium *in Senen. Celebrationis et Applicationis Missae Conventualis die 12 Maii et die 21 Iulii 1759.*

280. Siquidem exacto quadraginta annorum servitio, quod praestitit Ecclesiae Metropolitanae Senensi Canonicus Alexander Bandinellius rude donatus fuit, adiecta solita formula, – ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset –. Hinc petiit Bandinellius a Capitulo, ut eximeretur ab onere celebrandi Missam Conventualem, votique compos factus est die 4 augusti 1758, sub conditione tamen, quod firma esset de cetero capitularis resolutio diei 18 septembris 1754, – ut ex distributionibus provenientibus ab effectibus hereditatis Capacci solveretur quotidie eleemosyna Missae Conventualis –. Eamdem insuper exemptionem postulavit Bandinellius a Sacra Congregatione, quoad applicationem quoque eiusdem Missae Conventualis. Archiepiscopus transmisit libellum sibi a Capitulo porrectum pro ratificatione exemptionis concessae Bandinellio, cum declaratione, ut supra, – quod non intelligebat pro-

inde eum eximere ab onere contribuendi expensis quotidianae eleemosynae pro Missis Conventualibus –. Unde idem Canonicus obtulit preces EE. PP., quibus postulavit id declarari, an ipse sive per se, sive per alium facere teneretur, vel stipendium Sacrorum solvere deberet. Negavit enim Canonicus, cogi posse ad celebrationem sive ad applicationem Sacri Conventualis aut per se, aut per alium. Negavit etiam, teneri ad solvendum stipendium horum Sacrorum, quod consectarium est: nam si cogi non poterat ad celebrandum et applicandum Sacrum per alium, cogi quoque non poterat ad contribuendum stipendium; diceretur enim celebrare et applicare per alium, atque ita respondit Sacra Congregatio in Praenestina 11 martii 1662 apud Panimoll. decis. 20 annot. 3 n. 69 et 70. Propositis igitur dubiis: – I. An Canonicus iubilatus teneatur celebrare per se ipsum, vel per alium Missam Conventualem per turnum eamque applicare pro Benefactoribus in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An Canonicus iubilatus teneatur contribuere eleemosynae Missarum Conventualium in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 maii 1759 respondit: – Negative ad utrumque –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Senen. Celebrationis et Applicationis Missae Conventualis die 21 Iulii 1759.*

281. Unde onus eleemosynae Missae Conventualis non est deducendum a massa communi distributionum, antequam fiat earum partitio quoad Canonicos iubilatos, adeoque restituendae sunt Canonico iubilato distributiones a Capitulo detentae pro eleemosyna Missae Conventualis *in Terracinen. seu Privernen. Missae Conventualis die 24 Novembris 1827.*

282. Iamvero Paschalis Reali Privernensis Cathedralis Ecclesiae Canonicus post quadraginta annorum chorale servitium iubilationis indulto anno 1822 fuit donatus – cum facultate percipiendi omnes fructus et distributiones quotidianas sui Canonicatus, perinde ac si choro et Officiis divinis personaliter interesset –. Statim ad S. Congregationem confugerunt Canonici, ut ad Missae Conventualis vel per se, vel per alium celebrationem, iuxta nonnulla, quae afferebant, ipsius Ecclesiae exempla, Canonicus iubilatus obstringeretur. Nullius vero ponderis librata consuetudine, qua unice nitebatur Capitulum, die 21 novembris eiusdem anni 1822 Rescriptum prodiit: – Canonicum iubilatum non teneri –. Quo factum est, ut Canonici Missam quidem Conventualem canerent, illius autem applicationem omitterent. Verum haec corruptela haud pastoralem fugit sollicitudinem demortui Episcopi Manassi, qui in sacra visitatione anni 1823 quotidianam Missae applicationem mandavit, – salvis Partium iuribus –. Tunc Canonici nil directe proficere sentientes, indirecte ad Missae Conventualis applicationem Iubilatum devincere excogitarunt; edixeruntque, eleemosynam eiusdem Missae pendendam esse ex massa communi distributionum, eamque deducendam antequam fieret earum partitio etiam quoad Canonicos rude praeditos. De hac deductione conquestus est Canonicus Reali, imo legem, quae illam iussit, abrogari simulque sibi restitui postulavit eleemosynas a Capitulo detentas. Si enim fieret deductio eleemosynae Missae Conventualis, ipse integram distributionum ratam non consequeretur, quin praetensa consuetudo obesset; quandoquidem praeterquamquod Capitulum consuetudinem allegans quaedam tantummodo innuit exempla, quin frequentiam actuum ac temporis diuturnitatem, uti oporteret, allatis monumentis, demonstraret, illud accedebat, quod Sacra Congregatio obligationem a Capitularibus propositam et a Canonicis iubilatis accepto habitam subeundi onus Missae Conventualis veluti irrationabilem iugiter reprobaverit. Propositis itaque dubiis: – I. An onus Missae Conventualis sit deducendum a massa communi distributionum, antequam fiat earum partitio quoad Canonicos iubilatos in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An Canonico Reali sint restituendae distributiones a Capitulo detentae pro eleemosyna Missae Conventualis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative; et Episcopus curet suppleri per Capitulum tot Missis lectis pro Benefactoribus Missas Conventuales celebratas absque applicatione – *in Terracinen. seu Priver-*

nen. Missae Conventualis die 24 Novembris 1827.

283. Quin imo ob continuum et laudabile quadragenarium servitium Canonicis aliisque choro addictis indulget Ecclesia vacationem ab omnibus officiis et oneribus servitii chorâlis, quin tamen quidquam omittant ex iuribus ac fructibus sui Canonicatus, quum relate ad haec habeantur, perinde ac si continuo inservirent, ceu statuit Sacra Congregatio in Viterbien. 26 aprilis 1628 *in Reatina Missae Conventualis die 26 Ianuarii 1850* §. *Nemo.*

284. Idcirco Canonicus iubilatus percipere debet distributiones pro eo tempore, quo ob publicam percussionem Clerici cum baculo, fuit carceribus mancipatus; pro eo tempore vero, quo fuit censuris innodatus, antequam detur resolutio, praescribitur, ut exhibeatur sententia Iudicis appellationis, ac sciri debet, an fuerit ab Episcopo lata sententia excommunicationis *in Anagnina Distributionum die 30 Maii 1699 lib. 49 Decretorum.*

285. Siquidem – Iacobus Zancatus Canonicus Theologus Ecclesiae Cathedralis, ob publicam percussionem Clerici cum baculo, declaratus ab Episcopo excommunicatus, et post carcerationem condemnatus ad poenam pecuniariam Locis piis applicandam, appellavit ad Tribunal A. C., sed contrariam passus fuit sententiam praecedentis confirmatoriam. Verum praetendente Capitulo, eumdem Canonicum, licet ratione quadragenarii servitii indulto iubilationis suffultum, admittendum non esse ad participationem distributionum pro eo tempore, quo fuit censuris innodatus et respective in carceribus detentus; hinc delato recursu ad hanc Sacram Congregationem, post auditam relationem Episcopi, facti seriem comprobantis, praefixus fuit eidem Zancato usque de mense ianuarii praeteriti terminus quindecim dierum ad deducendum iura sua coram Sacra Congregatione, quo iamdiu elapso, dignabuntur Eminentiae Vestrae, utraque parte monita et informante, definitive declarare: – I. An Canonico habenti indultum iubilationis debeantur distributiones quotidianae pro tempore, quo fuit ex iusta causa publice excommunicatus? II. An itidem debeantur pro eo tempore, quo ex eadem causa fuit carceribus mancipatus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, dilata; et ad mentem: mens est, quod exhibeatur sententia A. C., et sciatur, an fuerit ab Episcopo lata sententia excommunicationis. Ad secundum, Affirmative – *in Anagnina Distributionum die 30 Maii 1699 lib. 49 Decretorum.*

286. Iubilatus enim nec tenetur ad residentiam; proposito quippe dubio: – V. An, non obstante iubilationis indulto, Iubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessentiam? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, Negative iuxta Decreta – *in Dubia Iubilationis die 17 Decembris 1718.*

287. Quapropter Sacra Congregatio declaravit, Canonico Iubilato deberi distributiones quotidianas, nec ad residentiam localem teneri; quandoquidem quum spectato servitio annorum quadraginta et ultra continuo et laudabiliter Cathedrali Ecclesiae praestito Canonicus Bartholomaeus Fabri iubilationis indultum obtinuerit, proposito subinde dubio: – An dicto Canonico iubilato non residenti debeantur distributiones? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Deberi distributiones, nec ad residentiam localem teneri – *in Sancti Angeli in Vado die 15 Aprilis 1690 lib. 40 Decretorum pag. 256.*

288. Unde vi iubilationis intelligitur derogatum statutum de danda fideiussione residendi per sex menses *in Novarien. Iubilationis die 12 Octobris 1677.*

289. Quin imo indultum iubilationis suffragatur non solum ad lucrandas distributiones ordinarias, sed etiam ad percipienda quaecumque alia emolumenta, uti communiter tradunt Pignatell. consul. 19 tom. 3, Monacell. tom. 2 tit. 13 form. 2 n. 76, Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 2 tit. 6 n. 17 et tit. 11 n. 26, et consonant Rescripta edita in Aquilana servitii 27 septembris 1659 lib. 21 Decretorum pag. 772, in Romana Iubilationis 29 Ianuarii et 5 martii 1678 lib. 30 Decretorum pag. 16 et 36, et in Perusina 17 martii 1688 lib. 38 Decretorum pag. 326 *in Mantuana Iubilationis die 16 Martii 1737* §. *Praecipuum.*

Item *in Brictinorien. Iubilationis die 12 Maii 1792* §. *Eorum.*

290. Quum igitur Capellaniae chorales prius fuerint mercenariae earumque posses-

sores ad nutum Capituli amovibiles, sed postea effectae sint vera Beneficia ecclesiastica, novi huiusmodi possessores iubilati iure pollent fruendi distributionibus etiam extraordinariis, licet choro non intersint, adeoque sunt eisdem restituendae, iis exceptis, de quibus aliter cautum fuerit in fundatione; his quippe in terminis propositis dubiis: – III. An Capellani iubilati licet choro non intersint fruantur extraordinariis distributionibus in casu etc. *Et quatenus affirmative.* V. An Capellanis iubilatis et Caeremoniario Frasconi sint restituendae distributiones extraordinariae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative. Ad quintum, Affirmative, iis exceptis, de quibus aliter cautum fuerit in fundatione – *in Novarien. Capellaniarum et Distributionum die 16 Augusti 1828.*

291. Qua de re nullatenus obstantibus parvo Canonicorum numero, antiqua consuetudine Ecclesiae, in qua iubilationes nunquam admissae fuerunt, nec non bona valetudine Canonici annum sexagesimum primum vix attingentis, nedum ob quadragenarium servitium continuo et laudabiliter praestitum Canonico conceditur indultum iubilationis, sed et eidem debentur distributiones feriales auctas ex dispositione pii Institutoris, etiamsi praefatus Institutor eas iis reliquerit, qui interessent choro cum lege punctandi absentes *in Bononien. Iubilationis die 27 Augusti 1695 die 16 Iunii 1696 et die 20 Aprilis 1697 lib. 45 46 et 47 Decretorum.*

292. Enimvero – petente Ioanne Alberto Plano Canonico insignis Collegiatae S. Mariae Maioris indultum iubilationis ob quadragenarium servitium ab eo laudabiliter praestitum, rescripserat Sacra haec Congregatio die 27 augusti 1695: « Pro gratia iubilationis quoad distributiones antiquas, relictis in suspenso distributionibus auctis de anno 1679 ex pia dispositione quondam Canonici Boninsegni »; sed reproposita Causa 16 iunii anni praeteriti, informante eodem Plano, responsum fuit: « Indultum iubilationis suffragari debere etiam quoad distributiones auctas ». Verum neutri ex dictis resolutionibus acquiescentes Canonici, instant hodie pro recessu a decisis; primo ob diminutionem divini cultus, quae ex dicto indulto obveniret, attento parvo numero decem Canonicorum, inter quos adsunt etiam alii in proximo statu consequendi iubilationem; secundo ratione antiquae consuetudinis eiusdem Ecclesiae, in qua huiusmodi iubilationes nunquam admissae fuerunt; tertio demum propter bonam valetudinem eiusdem Canonici Plani annum sexagesimum primum vix attingentis, atque ob servitium quadragenarium ab eo, ut asserunt, parum laudabiliter praestitum. Quatenus autem ex praedictis petitae revocationi non placeret annuere, instant, saltem moderandum esse indultum quoad distributiones feriales auctas ex particulari dispositione memorati Canonici Boninsegni pro solis Canonicis vere et non ficte interessentibus, sive quia verba illa testamenti: « Il residuo dell' entrate si debba distribuire tra i signori Canonici per le distribuzioni quotidiane di coro, intendendo a quelli, che interverranno alli divini officii, appuntando gli assenti », applicari posse non videantur huiusmodi Iubilatis, qui non sunt vere, sed ficte tantum interessentes, vel uti tales reputantur ex quadam iuris fictione, sive quia iubilatio et emerentia de iure non extendatur ad ea emolumenta et commoda, quae ex particulari provisione hominis destinata sunt pro speciali et distincto servitio, ex deductis apud Lauream alleg. 105 tom. 3 per totum et signanter a numero 20; hinc obtenta per Capitulum nova audientia, utraque Parte informante, resolvendum proponitur: – An sit standum, vel recedendum tam a primo, quam a secundo loco decisis? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decicisis, et amplius – *in Bononien. Iubilationis die 20 Aprilis 1697 lib. 47 Decretorum.*

293. Debentur proinde Iubilato fructus et distributiones quotidianae tam ordinariae, quam extraordinariae, nullatenus obstante, quod extraordinariae per Decretum Episcopi sint assignatae interessentibus tantum, adeoque retentae a Capitulo sunt restituendae a die intimati indulti iubilationis *in Burgi S. Donnini Iubilationis die 19 Aprilis 1704 lib. 54 Decretorum.*

294. Siquidem – consuetum iubilationis indultum obtinuit ab hac Sacra Congregatione Ioannes Iacobus Razzinus Canonicus Ecclesiae Cathedralis post quadragenarium servitium continuo ac laudabiliter expletum, quod ta-

men Capitulum et Canonici impugnant putantes, eidem Razzino suffragari non debere indistincte quoad omnes distributiones, quas intelligunt eas esse, quae per Decretum b. m. Episcopi Pallavicini de anno 1666 assignatae reperiuntur pro qualibet hora canonica, et interessentibus tantum debentur, ut ex copia dicti Decreti per manus circumferenda. Habito igitur ad hanc Sacram Congregationem recursu per Canonicum Razzinum supplicando declarari, omnes indistincte distributiones sibi deberi, cum virtute praefati indulti iubilationis in omnibus censeri debeat, ac si vere praesens esset, auditoque desuper Episcopo, dictam copiam Decreti anni 1666 unice transmittente, assignatus fuit competens terminus Capitulo praedicto ad deducendum sua iura, eoque iam elapso et Procuratore eiusdem Capituli ad informandum monito, praefatus Canonicus Orator enixe supplicat ab EE. VV. declarari: – I. An indultum iubilationis concessum Razzino sub die 29 aprilis 1702 suffragetur pro participatione omnium fructuum et distributionum etiam extraordinariarum et contentarum in Decreto b. m. Episcopi Pallavicini? *Et quatenus affirmative.* II. An dictae distributiones veniant per Canonicos restituendae a die intimati indulti in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad utrumque – *in Burgi S. Donnini Iubilationis die 19 Aprilis 1704 lib. 54 Decretorum.*

295. Quum autem Sacra Congregatio declaraverit, Iosepho Ribera uti Canonico antiquiori Ecclesiae Cathedralis Barchinonensis non competere iubilationem vigore praetensae consuetudinis, proposito dubio: – III. An Capitulum teneatur restituere distributiones hactenus retentas in casu etc. –, die 19 aprilis 1760 responsum tulit: – Ad tertium, Negative –. Canonicus Ribera autem rursus institit, quod privari nequivisset distributionibus; quia usque ad diem 24 novembris 1754 Ecclesiae inservivit per Coadiutorem; post id tempus, defuncto Coadiutore, bona fide cessavit a servitio Ecclesiae, ob praerogativas antiquioritatis ei concessas a Capitulo, ideoque autumabat, Rescriptum emanatum super tertio dubio interpretandum esse de solis distributionibus decursis post diem 14 iunii 1758, quo fuit in discrimen revocata concessarum praerogativarum efficacia, illasque afficere solum pro tertia parte, cum reliquae duae partes absorbentes maiorem quantitatem fructuum cedere deberent loco Praebendae. Capitulum vero non renuit compensare cum debito Canonici Ribera distributiones decursas tempore praeteriti servitii per Coadiutorem usque ad diem 24 novembris 1754: posteriores tamen distributiones debitas non esse defendit, non obstante asserta bona fide, quia bona fides suffragari poterat pro fructibus consumptis, non vero pro fructibus extantibus et nondum perceptis, et quia bonam fidem allegare nequibat Canonicus Ribera, quia ad praerogativas antiquioritatis complectentes immunitatem a servitio chori admitti petiit a Capitulo sciens, defectum illius potestatis et inefficaciam illius consensus admittendi absentes ad participationem distributionum, praesertim quum in Ecclesia Cathedrali Barchinonensi absentium fallentiae non accrescerent interessentibus, sed cederent commodo Ecclesiae, cui Capitulum praeiudicare non poterat; et, nullo documento probari, excepit, distributiones constituere maiorem fructuum partem. His itaque perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 19 aprilis 1760 super tertio dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis quoad distributiones decursas a die 24 novembris 1754; et amplius – *in Barchinonen. Iubilationis die 28 Februarii 1761.*

296. Hinc ratione quadragenarii servitii nedum fructus et distributiones quotidianae, sed et emolumenta provenientia ex Anniversariis fixis, in quibus non adest conditio dividendi inter praesentes tantum, debentur ei, qui indultum iubilationis cum perceptione fructuum et distributionum obtinuit, etiamsi intra ac extra tempus vacationis a Concilio Tridentino permissum nec non tempore Adventus Quadragesimae aliisque festivitatibus, in quibus cautum est per Apostolicas Literas, ne Canonici vacationibus utantur, a Civitate absit *in Patavina Iubilationis die 9 Iunii 1714 lib. 64 Decretorum.*

297. Enimvero – emerito quadraginta annorum laudabili servitio in Cathedrali Ecclesia, Canonicus Antonius Maria de Lazara beneficium iubilationis ab hac Sacra Congrega-

tione promeruit sub die 16 ianuarii praelapsi anni, consueta adiuncta dispositione, « ut, quamvis imposterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere possit, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset ». Huiusce indulti causa inter Capitulares dubitari cepit, numquid iam dictus Canonicus aliique iubilationis privilegio cohonestati, praeter distributiones quotidianas, fieri participes debeant Anniversariorum fixorum, quae a piis Testatoribus instituta fuere absque expressa lege, quod distribuantur inter praesentes, anne iidem Canonici iubilati a Civitate absentes percipere possint distributiones ac Anniversaria praefata intra et ultra tres menses vacationis permissos a S. Concilio Tridentino, etiamsi e Civitate digrediantur Adventus ac Quadragesimae tempore aliisque festivitatibus, expresse enunciatis in Apostolicis Literis s. m. Gregorii XIII, qui trium mensium vacationem Capitularibus est elargitus, clausula adiuncta: « dummodo vere resideant in toto Adventu et tota Quadragesima et in festivitatibus solemnibus Nativitatis etc. ». Siquidem Capitulum, licet iudicialis Contradictoris partes sustinere in hac controversia nolit, rationes dubitandi quoad memorata Anniversaria Emo Episcopo exposuit, quia in iubilationis indultis tantum de distributionibus disponitur, nullaque fit Anniversariorum mentio, cumque sub nomine quotidianarum distributionum, ut inquit, Anniversaria nunquam intelligantur, nulla est ratio, cur in huiusmodi privilegiis comprehendi debeant, quae stricte asseruntur interpretanda; bona tamen fide Capitulares fatentur, quod Anniversaria haec tum Infirmis, cum etiam aliis legitime absentibus, qui ad participandas distributiones admittuntur, ex immemorabili consuetudine elargiuntur. Quoad vero alteram partem dubitationis propositae, id ipsum Capitulum causam ambigendi proponit, cum in iubilationis Rescriptis non absolvatur Canonicus a residentia in Civitate, sed tantum ab interessentia in choro, urgente praesertim immemorabili consuetudine, qua Canonici Infirmi absentes a Civitate ultra tres menses vacationis a participatione quotidianarum distributionum excluduntur, nisi sint expresse a Sacra Congregatione privilegiati.

298. Remissis itaque precibus Emo Episcopo, qui iura, hinc inde coram ipso deducta, transmisit, restat, quod ex latius in Summario adducendis EE. VV. sapienter definire dignentur: – I. An ultra distributiones quotidianas, taxatas in Ecclesia Cathedrali Patavina in summa scutorum trium millium, admittendus sit Canonicus iubilatus ad participationem Anniversariorum fixorum, in quibus non adest conditio dividendi inter praesentes tantum in casu etc. II. An Canonicus iubilatus absens a Civitate intra et ultra tres menses vacationis concessos a S. Concilio Tridentino sess. 24 cap. 12 de reformatione percipere debeat distributiones quotidianas et Anniversaria praedicta in casu etc. III. An Canonicus iubilatus easdem distributiones et Anniversarsia percipere debeat, licet absens a Civitate tempore Adventus Quadragesimae aliisque festivitatibus contentis in Literis s. m. Gregorii XIII in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, secundum et tertium, Affirmative – *in Patavina Iubilationis die 9 Iunii 1714 lib. 64 Decretorum.*

299. Itaque Canonicus iubilatus tenetur quidem facere depositum tertiae partis fructuum Praebendae pro distributionibus quotidianis, prout faciunt ceteri Canonici, sed interim ipse participat de distributionibus, quas ponunt in massa ceteri Canonici etiam quoad fallentias, licet a choro abfuerit, nisi tamen obstent statutum seu consuetudo *in Aquipendii Iubilationis die 23 Martii 1697 lib. 47 Decretorum.*

300. Siquidem – Ioannes Morellus Canonicus Ecclesiae Cathedralis ob servitium quadragenarium laudabiliter praestitum obtinuit anno 1695 ab EE. VV. consuetum indultum iubilationis. Sed praetendente ipso, vigore dicti indulti amplius non teneri ad faciendum depositum tertiae partis fructuum pro distributionibus quotidianis, et nihilominus participare posse de massa distributionum, tam quoties ipse praesens est in choro, quam etiam quoties ab eo abfuerit, Canonici et Capitulum recursum habuerunt ad EE. VV. pro resolutione infrascriptorum dubiorum, auditoque desuper Episcopo, non gravabuntur EE. VV. declarare: – II. An Canonicus iubilatus teneatur facere depositum tertiae

partis fructuum Praebendae pro distributionibus quotidianis, prout faciunt ceteri Canonici? *Et quatenus negative.* III. An possit ipse participare de distributionibus, quas ponunt in massa ceteri Canonici, tam quoties ipse praesens est in choro, quam etiam quoties abfuerit? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative etiam quoad fallentias, nisi obstent statutum seu consuetudo – *in Aquipendii Iubilationis die 23 Martii 1697 lib. 47 Decretorum.*

301. Hinc geminae sunt distributionum species, in quarum prima numerantur fallentiae Anniversaria aliaque huius generis emolumenta, quae inter praesentes partiuntur, et super quibus non fuit a Testatoribus sive ab Ecclesia statutum dispositum. In altera vero distributionum specie comprehenduntur funeralia et Anniversaria incerta et extraordinaria aliaeque manuales obventiones, quae ex Testatorum mente consuetudine aut ex peculiari Ecclesiae statuto inter Canonicos dumtaxat choro inservientes distribuuntur. Prima enim distributionum species debetur Canonico absenti et iubilationis indulto munito. Non item quoad secundam distributionum speciem, ubi nimirum diversimode fuerit a Testatoribus vel ab aliqua capitulari dispositione praescriptum *in Leodien. Iubilationis die 17 Augusti 1776* §. *Demumque.*

302. Canonici enim iubilati, licet choro non intersint, habentur nihilominus tamquam praesentes, eisque debentur distributiones omnes, de quibus participant alii Canonici, atque etiam illae, quae ob aliorum absentiam interessentibus accrescunt, Ferrar. verb. *Canonicus* art. 9 n. 104, Benedict. XIV de synod. diaeces. lib. 3 cap. 4 §. 6 et lib. 13 cap. 9 §. 15, Pignatell. consult. 19 tom. 3, Monacell. tom. 2 tit. 13 form. 2 n. 76, consonantque responsa Sacrae Congregationis in Romana Iubilationis 29 ianuarii et 5 martii 1678 lib. 30 Decretorum pag. 16 et 36, in Perusina 17 iulii 1688 lib. 38 Decretorum pag. 326 *in Lauretana Iubilationis die 11 Iunii 1774* §. *Haec.*

Item *in Leodien. Iubilationis die 17 Augusti 1776* §. *Similiter; in Spoletana et Reatina Iubilationis die 7 Augusti 1779* §. *Videtur; in Civitatis Plebis die 23 Novembris 1782* §. *Canonicus; in Verulana Iubilationis die 27 Maii 1820* §. *Canonicus.*

303. Iamdiu quippe firmatum est, Canonico iubilato deberi absentium fallentias, nisi obstent Constitutiones particulares aut consuetudo, nec non ipsum participare posse, sive praesens sit, sive absit, nedum de omnibus distributionibus communis massae, verum etiam de emolumentis adventitiis anniversariorum et associationum cadaverum, dummodo a Testatoribus cautum non fuerit, ut actu tantum interessentes de iis participare debeant *in Verulana Iubilationis die 27 Maii 1820* §. *Quid.*

304. Qua de re postquam Sacra Congregatio resolverit, concedendum esse indultum iubilationis Praeposito Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Stephani Oppidi Castri Fidardi, quae duodecim Canonicis constabat, proposito dubio: – II. An Praepositus Bartolini, vigore indulti iubilationis, si choro non intersit, participare debeat de punctaturis seu fallentiis in casu etc. –, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative; et amplius – *in Lauretana Iubilationis die 2 Decembris 1775.*

305. Nam qui obtinuit indultum iubilationis cum solita clausula, – ut, quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, ac si choro et officiis divinis personaliter interesset –, participare etiam debet de punctaturis seu fallentiis; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Canonicus Seraphinus vigore Indulti iubilationis, si choro non intersit, participare debeat de punctaturis seu fallentiis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius – *in Aquipendien. Indulti die 1 Aprilis 1719.*

306. Proposito hinc dubio: – I. An Beneficiati Basilicae Liberianae exempti a choro propter servitium quadragenarium gaudere debeant fallentiis aliorum absentium et portionibus emolumentorum, si personaliter divinis officiis et anniversariis non intersint? – Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Romana Distributionum die 10 Maii 1692 lib. 42 Decretorum.*

307. Si enim nihil obstet vel ex statutis vel ex consuetudine, Canonicus iubilatus participare debet de punctaturis seu fallentiis aliorum Canonicorum, etiamsi choro non intersit *in Spoletana seu Reatina Punctaturarum die 3 Aprilis 1841.*

308. Enimvero iubilationis indulto auctus est per S. Congregationem anno 1833 Franciscus Ettorre Canonicus in insigni Collegiata S. Mariae de Populo Leonissae, appositis consuetis clausulis, – ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro personaliter interesset –. Nihil in Rescripti tenore de fallentiis, quas alii Capitulares in poenam negligentiae omittebant, expresse cautum invenientes Marialis illius Ecclesiae Canonici haud semel adniti sunt Collegam Ettorrium ab earumdem perceptione repellere, eas tamen debitas esse tum Antistes Cadolini, tum modernus Archipraesul declararunt. Tandem Ettorrius Sacram adiit Congregationem, ut id perpetuo sanciret. De statutis capitularibus ad rem facientibus nullum uterque Episcopus verbum fecit, licet rogatus, sive quod ea deessent penes Capitulum illud, sive quod nihil super controversia opportunum in iisdem reperiretur. Quum autem punctaturae subrogatae sint in locum distributionum, consequens est, ut in omnibus earum naturam et conditionem induerent. Hinc si punctaturae pro distributionibus quotidianis in themate acciperentur, putarunt una cum Reatino Episcopo Canonici Mariales Leonissae illud sequi absurdum, quod Iubilatus – bis distributiones perciperet, cum integram suam redituum quotam, in qua et distributiones comprehenduntur (siquidem deest peculiaris massa distributionum), adquirat. Nec non alterum ut punctaturarum, quae ab adquiescentibus solutae laborantibus adcrescunt, ut eorum studium et diligentia praemio afficiantur, sint quiescentes participes –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Canonicus Franciscus Ettorre participare debeat de punctaturis seu fallentiis aliorum Canonicorum, si choro non intersit in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, cum nihil obstet vel ex statutis vel ex consuetudine – *in Spoletana seu Reatina Punctaturarum die 3 Aprilis 1841.*

309. Unde Iubilatus nedum participare debet de distributionibus, sed etiam de fallentiis absentium, licet choro non intersit, dummodo vero non adsint contrariae constitutiones vel adversa consuetudo; quandoquidem proposito dubio: – An Canonico iubilato, vigore indulti iubilationis, debeantur distributiones et fallentiae Canonicorum absentium, etiamsi choro non intersit? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, dummodo non obstent Constitutiones particulares et consuetudo Ecclesiae – *in Reatina Distributionum die 19 Aprilis 1692 lib. 42 Decretorum pag. 117.*

Item *in Reatina Distributionum die 14 Februarii 1693 lib. 43 Decretorum.*

310. Quod si contraria extent statuta vel consuetudo, Canonico iubilato haud debentur fallentiae, si choro non intersit: nam Sacra Congregatio declaravit, – fallentias non deberi Canonico iubilato non interessenti choro – *in Romana Distributionum die 5 Martii 1678 lib. 30 Decretorum pag. 16 et 36.*

311. Qua de re Canonicus iubilatus nec de fallentiis aliorum, nec de emolumentis Anniversariorum, Processionum, Manualium ac similium participare potest, si contraria extent statuta ac consuetudo et observantia *in Reatina Iubilationis die 12 Maii 1770.*

312. Siquidem iubilationis indultum, quo Ludovico Perini Camarda Ecclesiae Cathedralis Reatinae Canonico venia data est quotidianas percipiendi distributiones, – perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interesset –, causam praebuit disputationi, num eidem deberetur quoque participatio fallentiarum aliorumque emolumentorum, quae percipiebantur ex Anniversariis Processionibus communiis aliisque similibus. Canonicus enim Camarda observavit, punctaturas esse poenas a iure inflictas Canonico absenti, eisque proinde non subiici Canonicum iubilatum, qui ex indulto tamquam choro praesens habetur. Idem procedere dixit quoad Anniversariorum emolumenta, quae inter fructus et distributiones canonicales recensentur, cum omnes huiusmodi fructus et distributiones ex ipso indulto vindicaret Canonicus iubilatus. Multiplici deinde ex capite

suadere conatus est, desumi nequaquam ex libris punctaturarum contrariam consuetudinem respectu Ecclesiae Cathedralis Reatinae; tum quia libri huiusmodi privati erant et apud acta non producti, et proinde ignorari, an revera existerent, et an vitio carerent; tum etiam quia in illis adnotata tantum esse poterant illorum nomina, qui sine iusta causa indebite aberant a choro, quod non obesset Canonico iubilato, qui interesse minime tenebatur. Addidit, consuetudinem in isto casu concludentissimam poscere probationem, cum opponeretur Sacrae Congregationis Decretis, quae vim habent legis, Fagnan. in Cap. *Quoniam* de constit. a n. 8, Barbos. de iur. eccles. lib. 1 cap. 4 n. 81, Rot. decis. 74 n. 4 de miscellan. coram Falconerio: nec contra legem expressam quamlibet sufficere genericam consuetudinem, sed eam requiri, quae in contradictorio iudicio fuerit probata; multoque minus hanc consuetudinem probari posse sustinuit ex libro Infirmorum, in quo Canonici, licet infirmi, olim punctabantur, cum hic liber semel atque iterum a Capitulo deletus fuisset, annis scilicet 1657 et 1713, nec proinde punctari in eo potuerint Canonici iubilati Anniversariis non interessentes. Nil praeterea obstare putavit, si unus fortasse aut alter ex Canonicis iubilatis fallentias et Anniversariorum emolumenta non perceperat, cum Praedecessorum negligentia ex remissione proprii iuris officere Successoribus non posset: et ceteroquin Praedecessorum negligentiam excludi ex facto Canonici Innocentii, qui licet iubilatus, anno tamen 1713 ad maiorem taxam fuerat admissus, sive, ut aiebant, primarium punctum inter alios percepit, quia tunc temporis Infirmorum liber iam fuerat a Capitulo ablatus. Insuper si de facto existeret huiusmodi consuetudo, eadem nedum legi, sed et rationi adversabatur, quia in Cathedrali Reatina fructus omnes in quotidianas distributiones erant partiti; et una erat communis massa, ex qua omnes sive Nocturnorum sive Anniversariorum distributiones depromebantur. Dixit itaque, quod si ab istorum participatione Canonicus iubilatus excluderetur, carere contra expressam indulti iubilationis literam cogeretur sui Canonicatus reditibus.

313. Contra vero Capitulum sustinuit, deneganda esse Canonico Camarda praetensa emolumenta ex iuris dispositione ex litera indulti iubilationis ex mente S. Congregationis ac ex immemorabili consuetudine. Indubium enim esse affirmavit, vigore statutorum et consuetudinis in Ecclesia Reatina vigentis, absentes ex quacumque causa aut privilegio excludi a participatione fallentiarum aliorumque emolumentorum provenientium ex Anniversariis Processionibus manualibus et his similibus. Quoad fallentias dixit, adesse statuta annorum 1584 et 1675: quod vero ad Anniversaria, in medium protulit statuta annorum 1455 et 1584; ac demum quoad processiones et manualia se retulit ad statuta annorum 1617 1618 1657 1689 1716 et 1672. Horum statutorum vim et efficaciam resultare ostendit ex ipsa confessione Canonici Camarda in suis precibus Sacrae Congregationi oblatis, nec non ex Episcopi relatione, eamque insuper deprehendi ex testimonio omnium Canonicorum et Clericorum Beneficiatorum Cathedralis Ecclesiae Reatinae; ac praeterea ex dispositione quatuor Canonicorum, qui Punctatoris munera functi sunt; ac demum ex re iudicata S. Congregationis, quae anno 1665 Archidiacono Cappelletti ex speciali gratia petenti indultum iubilationis cum participatione emolumentorum, quae ab Exequiis Anniversariis Nocturnis Communiis et huius generis retrahi solebant, nil aliud indulsit, quam ius percipiendi – fructus et distributiones quotidianas sui Canonicatus –. His omnibus consonam esse sustinuit eiusdem Cathedralis Ecclesiae consuetudinem, cuius vigore neque Capitulares infirmi, tempore infirmitatis a choro absentes, admittebantur ad participationem emolumentorum, quae inter praesentes et actu interessentes partiri solebant; quam consuetudinem constare dixit, ex iurata omnium Canonicorum et Beneficiatorum depositione anno 1768 edita, et ab ipso quoque Canonico Camarda propria subscriptione firmata. Unde iniquum esse arguit, quod Canonici iubilati potiori iure gauderent, magisque absurdum, quod Canonicus Camarda eam legem servare recusaret, quam olim quoad alios probavit, L. 1 ff. quod quisque iur. in alium statuit. Nulloque in pretio habenda esse censuit Decreta capitularia anni 1663 et 1713, quibus cautum fuit: – Infirmos haberi pro praesentibus, ac si persona-

liter in choro omnibus horis diurnis interessent, quibuscumque non obstantibus –. Advertit enim primo, huiusmodi Decreta respicere tantummodo Infirmos,non vero Iubilatos, qui ab emolumentorum, quae relata sunt, participatione fuerant perpetuo exclusi. Notavit insuper,eadem Decreta fuisse revocata. Ac demum addidit,capitulari Decreto anno 1716 cautum fuisse, ut Infirmi Iubilati aliique privilegium habentes eorumdem emolumentorum participes fieri non possent;hoc ipsum ad illam usque diem inviolabiliter servatum fuisse, quod satis erat ad legitimam praescriptionem inducendam. Accedebat, quod consuetudo et observantia mirifice cohaereret cum Literis Apostolicis s. m. Nicolai V datis anno 1453, quibus Praebendae omnes Cathedralis Reatinae in communem massam redactae fuerunt, ut in commodum eorum dividerentur, qui personaliter horis canonicis interessent.

314. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Canonicus Ludovicus Perini Camarda vigore indulti iubilationis, si choro non intersit, participare debeat de punctaturis seu fallentiis nec non de emolumentis Anniversariorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad fallentias Negative, et amplius; in reliquis, Negative – *in Reatina Iubilationis die 12 Maii 1770.*

315. Quod si consuetudo haud reapse subsistit, Canonico iubilato debetur emolumentum, quod obvenit Canonicis post laudum officia quadragesimae tempore antiphonam – Libera me Domine – canentibus, etiamsi Capitulum contrariam consuetudinem immemorabilem ac centenariam in medium proferre insudet *in Terracinen. seu Privernen. Emolumentorum die 23 Decembris 1826 die 16 Iunii 1827 die 16 Augusti 1828 et die 27 Iunii 1829.*

316. Enimvero Sacerdos Paschalis Reali Privernensis Cathedralis Ecclesiae Canonicus, quadraginta annorum emensus servitium, anno 1822 iubilationis indultum obtinuit, cum facultate percipiendi in posterum fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset. Inter cetera Capituli emolumenta recensebatur quaedam tritici distributio, quae obveniebat Canonicis post laudum officia quadragesimae tempore antiphonam – Libera me Domine – canentibus. Quamquam primo alteroque anno post iubilationis indultum huiusmodi emolumenti particeps factus fuerit Canonicus Reali, nihilominus postea Canonici, innixi consuetudine immemomorabili Ecclesiae Privernensis, contendere ceperunt, neminem sive rude sive alio indulto suffultum participem esse reddendum distributionis – Libera me Domine –, nisi reapse choro interesset et antiphonam caneret. At iura sua laesa existimans Canonicus Reali, controversiam ad S. Congregationem detulit dirimendam. Canonici itaque ad probandam consuetudinem immemorabilem plura attulerunt exempla, quae in capitularibus prostabant codicibus, quaeque ostendebant, iam inde ab anno saltem 1735 morem invaluisse, ut nihil praefati emolumenti tribueretur Canonicis, qui infirmitate detenti, sive iubilatione, aut alio indulto praediti, a choro abessent. Hanc longissimi temporis observantiam Canonici omnes, uno dempto Reali, confirmabant; atque eorum testimonio eo magis erat fides adhibenda, quod huiusmodi punctaturae Canonicorum absentium haud praesentibus accrescerent, sed in utilitatem Ecclesiae erogarentur. Rem inde conficere autumarunt Decretum anni 1776: nam Canonici animadvertentes, nonnullos haud interesse – alla solita frequenza della quaresima, e perchè per il passato si è praticato di perdonare *Liberae* tre alli Canonici sani, e cinque agli infermi, e avendo mancato di più non gli si è perdonata alcuna *Libera*, perchè si lucra solamente dai presenti –, maiori suffragiorum numero decreverunt, inductam servandam esse consuetudinem. Dein ex oraculis S. Congregationis ostendere conati sunt ope Defensoris, Canonicos absentes, licet iubilationis indulto auctos, repellendos esse a participatione eiusdem emolumenti. E contrario Canonicus Reali sustinuit, memoratum emolumentum fixum renuntiandum esse, cum singulis annis statisque diebus Canonicis distribueretur; ac propterea resolutiones S. Congregationis a Canonicis allatas ipsemet ad iura sua tuenda enixe invocavit. Quin imo se participem esse reddendum controversi emolumenti, quamvis adventitium putaretur. Cum igitur emolumenta ob cantum versiculi – Libera me Domine – sint

perpetua certa et ordinaria, ipsique Canonici faterentur, restabat, ut ad tramites resolutionum S. Congregationis Canonicus Reali particeps redderetur praedicti emolumenti, quamvis choro non interesset. Quin ullatenus obesse contendit consuetudinem, cum nec immemorabilis nec quadragenaria nec continua perhiberetur. Ex adductis enim exemplis Canonicorum, qui rude erant donati, patebat, consuetudinem ortum duxisse anno 1750, ac servatam ad annum usque 1763, eamque dumtaxat iterum inolevisse annis 1821 et 1822. Unde post annum 1763 interrupta dicenda erat; siquidem fieri non posse videbatur, ut septem et quinquaginta annorum intercapedine nullus ex Canonicis beneficium iubilationis esset assecutus, aut saltem oporteret, ut id Canonici idoneis evincerent documentis, cum allegans consuetudinem eam luculenter demonstrare teneatur. Nec ullum subsidium sibi comparare poterant Canonici ex Capitulari Decreto anni 1776. Praeterquamquod enim istud Decretum ostendebat, consuetudinem per aliquot annos inductam anno 1776 iam fuisse senescentem, illud accedebat, quod nullius esset roboris, utpote maiori tantum suffragiorum numero latum, contra regulam 23 iuris in 6 statuentem, quod omnes tangit, ab omnibus esse approbandum. In praesenti enim casu agebatur de actu voluntario ac de privato et singulari cuiusque Canonici interesse, ideoque etiam unius Canonici dissensus satis fuisset, ne viribus polleret, quod a ceteris gestum fuerat.

317. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Sacerdos Paschalis admittendus sit ad participationem emolumenti in casu? –, Sacra Congregatio die 23 decembris 1826 respondit: – Affirmative –. Huic Rescripto haud sibi acquiescendum arbitrantes Canonici, novae audientiae beneficium impetrarunt. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 16 iunii 1827 responsum dedit: – In decisis –. Nihilominus nec adhuc sibi quiescendum putarunt praedicti Canonici, ac die 14 decembris eiusdem anni 1827 ab R. P. D. Auditore Sanctissimi appellationem in devolutivo impetrarunt. Hinc Defensor Canonicorum allegationem distribuit, cuius summa erat, ut, prolatis tabulis administrationis ab anno 1693 ad annum 1823, exhibitisque Canonicorum testimoniis, plane evinceretur, Canonicos quamvis iubilatione donatos, nunquam fuisse admissos ad delibationem controversi emolumenti, nisi et ipsi statis diebus choro interfuerint, dum canebatur versiculus – Libera me Domine –. Ex hac immemorabili et centenaria consuetudine perspicuum censuit Capituli Defensor, Canonicum Reali iniuria participationem petere eiusdem emolumenti, nisi adstaret cantui illius versiculi. Reproposito interim dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 16 augusti 1828 respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo pro nova informatione super noviter deductis, inspectis libris distributionum –. Mandatis Sacrae Congregationis morem gessit Episcopus Aloisius Frezza ac retulit, a suo Vicario Generali, adstantibus Tabellione et viris ab utraque parte electis, expletam fuisse librorum inspectionem; huiusmodi libros inventos esse integros, nec ulla litura aliove infectos vitio, atque ex iis Tabellionem nonnulla deprompsisse fragmenta, quae ad rem facere videbantur, quibusque in novo certamine Partes uterentur ad iura sua pro tuenda. Misit praeterea quasdam animadversiones, quae viam quaestionis decisioni sternebant. In facto autem erat, Canonicum Zaccaleoni iubilatum ab anno 1775 ad annum 1786 percepisse memoratum emolumentum; et Canonicum Mattei pariter iubilatum anno 1814 praedictum emolumentum reclamasse. Qua de re praefatus Episcopus ex hisce aliisque arguit, nullum inesse consuetudinis fundamentum favore Canonicorum. Reproposito igitur dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et omnino pareant mandatis S. Congregationis – *in Terracinen. seu Privernen. Emolumentorum die 27 Iunii 1829.*

318. Unde Canonicus iubilatus iure pollet participandi de summa, quam solvit Canonicus ob absentiam causa studiorum, nec non de summa, quam ob sacra novendialia Municipes solvunt *in Verulana Iubilationis die 17 Iunii 1820.*

319. Siquidem cum constitisset de continuo ac laudabiliter expleto quadraginta annorum chorali servitio a Dominico Butti Ca-

nonico Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Frusinonis in Diaecesi Verulana, donatus ipse fuit iubilationis indulto 8 maii 1819, licet a Capitularibus Inservientium paucitas et choralis servitii detrimentum afferretur in medium, quod tamen Episcopus in sua informatione se conciliasse referebat, – non fore eum utendum indulto sine vera necessitate, vel saltem diebus festis accessurum ad chorum et suppleturum paucitatem Capitularium –; proinde iuxta consuetam S. Congregationis praxim rescriptum est: - Pro gratia iubilationis arbitrio et conscientia Episcopi cum solitis clausulis –; videlicet ut – fructus omnes et distributiones sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interesset –. Postquam indultum iam obtinuerat Buttius, preces instauravit tum mense iunii, tum mense novembris 1819, in quarum primis postulavit, ut exemptus declararetur a celebratione Missae Conventualis; in altero vero supplici libello petiit, ut etiam percipere posset eam summam, quam loco tertiae partis distributionum, ex inita conventione annuatim Capitulo persolvit Canonicus Marcocci, ex Sacrae Congregationis indulto absens causa studiorum, quaeque summa inter reliquos Capitulares partiebatur, nec non ut particeps fieret scutorum sex, quae annuatim a Municipibus pendebatur Canonicis, qui choralibus vestibus induti intererant sacris novendialibus, quae praemittebantur festis Sanctorum Pontificum Silverii et Hormisdae. Nihil de Missa Conventuali habuit Capitulum in suo voto, super quam iam videbatur provisum ab Episcopo in sua epistola, sed huic innixum excludere studuit Buttium a perceptione tum summae, quae persolvebatur ab absenti Canonico Marcocci, tum alterius, quae pendebatur a Communitate municipali ob sacra novendialia. Dixit enim, emolumentum hoc inter eventualia, non autem inter certa et fixa esse numerandum, cum paucis ab illinc annis suum exordium traheret isthaec solutio, a qua Municipes recedere poterant. Antea quippe ceram pro dictis sacris novendialibus persolvere solebant, quae deinde in Sacrarii beneficium cedebat; ex inita vero conventione loco illius quantitatis cerae sex scuta Canonicis suppeditabantur, quae inter praesentes partiebantur, ac proinde cum in praemium interessentiae esset eventualis distributio, nullum super hoc ius competebat Buttio Canonico iubilato iuxta praefatam Episcopi epistolam. Hinc Episcopus in sua informatione putabat, nec fallentias Canonici Marcocci Buttio iubilato deberi, aiens: – Si Buttius non intervenit functionibus, quibus inest emolumentum inter praesentes distribuendum, quomodo conqueri potest de gravamine? Nisi suppleat vices Canonici Marcocci causa studii absentis, ut alias concordatum, quarum distributionum particeps esse vult? –. Canonicus Butti e converso sibi deberi contendit utrumque emolumentum, quin obesset praetensa contraria consuetudo Ecclesiae Cathedralis et Collegiatae S. Erasmi; deficientibus namque Constitutionibus capitularibus, non ad Cathedralis et Collegiatae S. Erasmi statuta particularia, sed ad generalem legum dispositionem vel Sacrae Congregationis praxim esse recurrendum. At ea est generalis regula, ut Iubilatus de aliorum fallentiis particeps fiat, nisi aliud cautum fuerit ab eiusdem Ecclesiae Constitutionibus, unde ad fallentias Canonici Marcocci ius sibi competere putavit; ac idem ius sibi adstruere conatus est quoad alterum emolumentum scutorum sex a Municipibus persolutum ob sacra novendialia, cum illa non darentur ob unum praemium interessentiae. Etenim, ipsomet fatente Capitulo, antea certa cerae quantitas suppeditabatur Sacrario, cuius favore cedebat quidquid cerae supererat post expleta sacra novendialia; atque hinc Canonici quotannis minorem pecuniae vim impendebant pro cera in servitium Ecclesiae, et vicissim maiorem summam inter seipsos partiebantur, eodem igitur modo sex scuta cerae suffecta inter omnes indistincte debebant distribui, ad quae ipse vigore indulti ius habebat. Falsum omnino putavit, posse Municipium a praestatione recedere, cum ab immemorabili fierent sacra ea novendialia, et summa scutorum sex descripta esset inter expensas ordinarias et consuetas in tabella approbata a Sacra Congregatione Boni Regiminis.

320. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Canonicus iubilatus Dominicus Butti vigore indulti absens particeps esse de-

beat de summa, quae persolvitur quotannis a Canonico Marcocci absente ob causam studiorum in casu? II. An idem quamvis absens participare debeat de scutis sex, quae annuatim a Communitate persolvuntur ob sacra novendialia in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative - *in Verulana Iubilationis die 17 Iunii 1820.*

321. Quin imo Canonicus iubilatus participat de emolumentis adventitiis Anniversariorum, licet non intersit, si non obstet voluntas Testatoris vel dantis, non vero participat de emolumentis associationum cadaverum, si non intersit *in Aquipendien. Indulti die 1 Aprilis 1719* (1).

322. Si vero adsit consuetudo, Canonicus iubilatus participare debet non solum de emolumentis Missae Conventualis, sed etiam de emolumentis adventitiis Anniversariorum *in Hortana die 5 Iunii 1790* (2).

323. Iubilationis Indultum vero non suffragatur ad percipienda Anniversariorum emolumenta aliasque obventiones, in quibus diversimode fuerit a Testatoribus dispositum; quandoquidem proposito dubio: – An duo Canonici iubilati Collegiatae S. Gaudentii Civitatis Novariae frui debeant emolumentis Anniversariorum, quae fiunt intra annum, licet non assistant? – Sacra Congregatio die 2 octobris 1677 responsum tulit: – Affirmative –. Cumque in Bituntina Anniversariorum 1 iulii 1679 lib. 30 Decretorum S. Congregatio respondit, Iubilatum non esse admittendum ad participandum de emolumentis Anniversariorum, novus a Capitulo Collegiatae S. Gaudentii Civitatis Novarum habitus est recursus ad S. Congregationem, allegato praedictae Causae Bituntinae exemplo. Reproposito hinc dubio sub formula: - An duo Canonici iubilati Collegiatae S. Gaudentii Civitatis Novariae vigore Brevis praefati frui debeant emolumentis Anniversariorum, quae fiunt intra annum, quamvis non assistant, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis? -, Sacra Congregatio respondit: – In decisis quoad Anniversaria fixa, et in quibus non est cautum a Testatoribus, ut interessentes tantum participent – *in Novarien. Iubilationis die 29 Novembris 1681 lib. 32 Decretorum pag. 44.*

324. Nam iubilationis indultum non suffragatur ad percipienda ea emolumenta, quae ex Testatorum mente consuetudine aut peculiari Ecclesiae statuto inter Canonicos dumtaxat choro interessentes distribuuntur, iuxta resolutiones editas in Aquilana Servitii 27 septembris 1659 lib. 21 Decretorum pag. 772 ad primum dubium, in Reatina Distributionum 19 aprilis 1692 lib. 42 Decretorum pag. 241, et 14 februarii 1693 lib. 43 Decretorum pag. 42, in Mantuana Distributionum 11 iulii 1694 lib. 44 Decretorum pag. 357, et in Aquipendii Indulti 1 aprilis 1719 lib. 69 Decretorum pag. 147 *in Constantien. Iubilationis die 4 Maii 1737* §. *Ceterum.*

Item *in Spoletana et Reatina Iubilationis die 7 Augusti 1779* §. *Videtur; in Brictinorien. Iubilationis die 12 Maii 1792* §. *Eorum.*

325. Idcirco Iubilati non participant de iis Anniversariis et emolumentis, quorum Testatores solis praesentibus dari et absentium portiones applicari Sacrario vel in alios effectus erogari voluerunt *in Novarien. Iubilationis die 2 Octobris 1677.*

326. Qua de re si ex consuetudine vel vigore statutorum vel ex conditionibus, a Testatoribus appositis, non debentur Iubilatis emolumenta Anniversariorum, haud est ampliandum indultum iubilationis ad huiusmodi emolumenta; quandoquidem propositis dubiis: – I. An Capitularibus iubilatis, quamvis non intersint, debeantur vigore indulti emolumenta Anniversariorum? *Et quatenus negative.* II. An indultum praedictum veniat ampliandum ad dicta Anniversariorum emolumenta? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad utrumque, Negative – *in Bituntina die 1 Iulii 1679 lib. 30 Decretorum pag. 359.*

327. Hinc vigore iubilationis debetur quidem Canonico portio emolumentorum provenientium ex Anniversariis fixis, non vero portio emolumentorum provenientium ex funeralibus et Anniversariis incertis et extraordinariis, multoque minus si Testator expresse

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Anniversarium*, §. II, n. 39 et 40, Tom. II.
(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Anniversarium*, §. II, n. 28 ad 33, Tom. II.

dixerit, nihil lucrari, qui non sint praesentes; siquidem propositis dubiis: - I. An vigore iubilationis, de qua agitur, debeatur Canonico licet non intervenienti portio emolumentorum provenientium ex Anniversariis fixis? II. An debeatur portio emolumentorum provenientium ex funeralibus et Anniversariis incertis et extraordinariis? III. An etiam in casu, quo a Testatore dispositum reperiatur, nihil lucrari eos, qui non sint praesentes? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum et tertium, Negative - *in Lunen. et Sarzanen. Iubilationis die 30 Septembris 1684 lib. 34 Decretorum pag. 346.*

328. Iubilato igitur vigore Brevis Pontificii deberi respondit Sacra Congregatio communia emolumenta processionum ceras Anniversariorum incerta et extraordinaria, etiamsi non interveniat, non vero in casu, quo dispositum sit a Testatore quod solum praesentes lucrentur *in Romana Iubilationis die 29 Ianuarii et die 5 Martii 1678 lib. 30 Decretorum pag. 16 et 36.*

Item *in Lunen. Sarzanen. die 17 Iulii 1688 lib. 38 Decretorum pag. 326.*

329. Idcirco cum Canonicus Carolus Baglionus indultum iubilationis obtinuisset, sed Capitulum Ecclesiae Cathedralis renueret ei communia tradere, ideoque supplicaverit pro declaratione: - An ipse quamquam divinis ceterisque functionibus non intersit communia lucrari valeat? -, Sacra Congregatio respondit: - Dandum esse Decretum editum die 5 martii 1678 - *in Perusina die* 17 *Iulii 1688 lib. 38 Decretorum.*

330. Quapropter iubilatus nequit participare ex emolumentis, quae Testator voluit, ut distribuerentur inter eos, qui revera ac formaliter in choro extent *in Mantuana Iubilationis die 16 Martii 1737.*

331. Iamvero in testamentariis tabulis sub diem 13 martii 1666 conditis Ioannes Romagnoli Praepositus Ecclesiae Cathedralis mandavit, ut heres celebrare faceret in praefata Ecclesia quotannis duas Missas solemnes cum musica, designata singulis pecunia, quae distribui deberet, addens: - voglio, sia distribuito egualmente a tutti quelli, che risideranno attualmente e formalmente nel coro nel tempo, che sarà celebrata ciascheduna delle dette due Messe -. Mandavit insuper, ut alii designati reditus - sieno questi distribuiti egualmente a tutti quelli, che formalmente ed attualmente assisteranno e risideranno al coro in detta Cattedrale a divini officii nelli mesi di agosto e settembre di ciaschedun' anno, ed espressamente comando, che la distribuzione sia fatta super signa -. Antonius autem Cappellari memoratae Ecclesiae Cathedralis Archidiaconus, ex eo quod iam obtinuerat iubilationis indultum sub consueta clausula, quod - quamvis imposterum non inserviat, nihilominus omnes fructus et distributiones sui Archidiaconatus percipere valeat, perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interesset -, contendit, ea quoque emolumenta sibi deberi, quae ex enunciatis binis legatis praedicti Romagnoli ceteris Canonicis obveniebant. Contra Capitulum autumavit, praefatum Archidiaconum non esse ad illorum participationem admittendum, tum ob contrariam Testatoris voluntatem, tum eo magis, quia Canonici, legitimo licet infirmitatis impedimento detenti, quominus possent solemni dictarum Missarum celebrationi interesse Ecclesiaeque duobus mensibus augusti et septembris inservire, nunquam eousque ex controversis emolumentis participare consueverunt. His mature perpensis, proposito dubio: - An Archidiaconus Antonius Cappellari vigore indulti iubilationis debeat participare ex emolumentis a Praeposito Romagnoli relictis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative, et amplius - *in Mantuana Iubilationis die 16 Martii 1737.*

332. Id enim etiam quoad Infirmos statuerat antea Sacra Congregatio, dum de memorata dispositione Praepositi Romagnoli actum fuit; proposito enim dubio: - An Infirmis et detentis in actuali servitio Cathedralis debeatur distributio legati facti a Praeposito? -, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Mantuana Distributionum die 31 Iulii 1694 lib. 44 Decretorum pag. 357.*

333. Alias ei, qui obtinuit indultum iubilationis cum perceptione fructuum et distributionum iuxta solitum, debentur emolumenta processionum, quibus non interfuit, etiamsi in praefato indulto expressa non sint *in Romana Iubilationis die 24 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.*

334. Siquidem – post quadragenarium servitium continuo ac laudabiliter praestitum per Simeonem de Maganinis Ecclesiae S. Mariae in Cosmedin in munere Canonici, ac benigne per eumdem reportatum ab hac Sacra Congregatione iubilationis indultum cum perceptione fructuum et distributionum iuxta solitum, orta fuit desuper controversia inter ipsummet Oratorem et Canonicos eiusdem Ecclesiae super emolumentis processionum, quae fieri solent in diebus Rogationum divi Marci et Sanctissimi Corporis Christi, an scilicet dicta emolumenta, licet non expressa in indulto, debeantur dicto Oratori non interessenti. Quamobrem idem Canonicus preces EE. VV. porrexit pro huiusmodi declaratione, super quibus, audito R. P. Organo Primicerio Ecclesiae supradictae, iste, auditis Archipresbitero et Canonicis, refert, hos neque dissentiri petitioni Oratoris, et proinde attenta consuetudine aliarum Ecclesiarum Urbis, nempe Basilicae Lateranensis Collegiatae S. Mariae in Via lata et S. Marci, prout ex attestationibus exhibitis, existimat, annuendum esse instantiae eiusdem octuagenarii, qui nedum Ecclesiae, verum etiam Sedi Apostolicae inter Minutantes Secretariae Status summa cum laude inservivit. Relatis autem huiusmodi precibus per Summarium in Congregatione habita sub die 17 augusti proxime praeteriti rescriptum extitit: « Lectum ». Cui tamen non acquiescens praedictus Orator, iterum supplex instat pro favorabili resolutione, ad tenorem alterius captae in una Romana 5 martii 1678 sub sequenti dubio: – An eidem Oratori iubilato debeantur emolumenta processionum, etiamsi illis non interfuerit in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Romana Iubilationis die 24 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.*

INFAMIA IURIS ET FACTI

1. Bonae famae ex adverso opponitur infamia, quae alia iuris, alia facti est *in Ferrarien. Praesentationis et Admissionis in Collegium die 25 Ianuarii 1851* §. *Bonae.*

2. Qui autem dicuntur infamia notati, habetur in Can. *Infames* 17 quaest. 1 caus. 6, ubi Stephanus Romanae Ecclesiae Episcopus ita scripsit Hilario: – Infames eas esse personas dicimus, quae pro aliqua culpa notantur infamia, idest omnes, qui christianae leges normam abiiciunt, et statuta ecclesiastica contemnunt; similiter fures sacrilegos et omnes capitalibus criminibus irretitos; sepulchrorum quoque violatores, et Apostolorum atque Successorum eorum reliquorumque Patrum statuta libenter violantes, et omnes, qui adversus Patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur; similiter et incestuosos homicidas periuros raptores maleficos adulteros de bellis publicis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiae abstrahunt iniuste, et qui fratres calumniantur aut accusant et non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam provocant, et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, et omnes, quos ecclesiasticae vel saeculi leges infames pronuntiant. Hi nimirum omnes, nec servi ante legitimam libertatem, nec poenitentes, nec bigami, nec illi, qui curiae deserviunt, vel non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem vel intellectum, aut inobedientes Sanctorum Decretis existunt, aut furiosi manifestantur; hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent provehi, nec isti nec liberti neque suspecti nec rectam fidem vel dignam conversationem non habentes, summos Sacerdotes possunt accusare – *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Non.*

3. Verum si huiusmodi crimina notoria non fuerint vel ordine iudiciario minime probata, permitti potest Clericis post peractam poenitentiam in susceptis Ordinibus ministrare. Nam in Cap. ult. de tempor. ordin. habetur: – Si proposita crimina, ordine iudiciario comprobata vel alias notoria non fuerint, non debent hi praeter reos homicidii, post poenitentiam in iam susceptis vel suscipiendis Ordinibus impediri – *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Non.*

4. Nam ad irrogandam infamiam iuris certum crimen infamia notandum ac iudicialem sententiam lex compulative requirit *in Mutinen. Capellaniae die 20 Maii 1854* §. *Quibus.*

5. Qua de re accusatio sive inculpatio processus confectio et carceratio, nisi sententia condemnatoria accedat, infamiam non inducunt, ex doctrina Bartoli in L. 3 ff. *Qui infamia* n. 3; maxime si accusatus consequutus fuerit exculpationem ab accusatore *in Lycien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1817* §. *Inquirendum.*

Item *in Ferrarien. Praesentationis et Admissionis in Collegium die 25 Ianuarii 1851* §. *Non.*

6. Nemo quippe infamia iuris notatur, cum nulla condemnationis sententia prolata fuerit, ceu docet Rota in decis. 34 n. 8 coram Rezzonico: – Ceterum adductae criminationes nihilominus praestare poterunt, quam ut Presbiterum Beneficii indignum evincerent. Quamvis enim admitteretur, Presbiterum pluribus ab hinc annis inquisitum fuisse processatum mancipatumque carceribus, attamen cum nulla criminum declaratio, nulla condemnatio intercesserit, hinc longe ab eo aberat infamia iuris, quae eum a Beneficiis arceret, Can. Infames 3 quaest. 6, Gonzalez in Decret. lib. 2 tit. 20 cap. 54 n. 2, Rot. in Recent. decis. 739 n. 23 part. 4 tom. 3, decis. 522 n. 23, et decis. 643 n. 12 part. 19 tom. 2 *in Ferrarien. Praesentationis et Admissionis in Collegium die 25 Ianuarii 1851* §. *Bonae.*

7. Idcirco Sacerdos, per Patronam nominatus ad Beneficium, repelli non potest, etiamsi contra eum demandata fuerit suspensio ad tres menses et ad spiritualia exercitia per quindecim dies in domo Religiosa, sed publice resipuerit, ac res sit de Beneficiato, qui ex tabulis fundationis recipi debeat in fratrem a Collegio Beneficiatorum, dummodo sit bonae vitae et famae *in Ferrarien. Praesentationis et Admissionis in Collegium die 25 Ianuarii 1851* (1).

8. Contra qui ob homicidium fuit ad exilium damnatus, dubio procul in infamiae sordibus versatur; quandoquidem quum quidam Sacerdos propter homicidium, quamvis sustinuisset torturae poenam, damnatus fuerit in exilium, proposito dubio: – I. An infamia laboret? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, in infamiae sordibus versari – *in Asculana Irregularitatis die 8 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

9. Nullam vero incurrisse videtur infamiam adolescens, qui mandatis Superioris dumtaxat obtemperans scloppum sumpsit, eumque casualiter sine dolo vel sui culpa ictu percussit lethali, unde post octo dies occubuit, cum huiusmodi infamiae nota, quae ceteroquin nulla est, ubi deest delictum, integre deleta fuerit, postquam innocentem eum Iudex absolutoria sententia declaravit, ad Textum in Can. *Habet,* Can. *Mennam* 2 quaest. 5, Cap. *Si quis,* Cap. *Ex tuorum* 8, et Cap. *Inter* de purg. canonica, docentque cum aliis Reiffenst. in ius can. lib. 5 tit. 34 n. 17, Zoes eod. tit. n. 7, Canisius n. 3, et Leuren. ibid. quaest. 467 n. 1 *in Andrien. Dispensationis ab Irregularitate die 20 Ianuarii 1781* §. *Animadvertendum.*

10. Ceterum his in terminis proposito dubio: – An sit locus dispensationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad cautelam, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Andrien. Dispensationis ab irregularitate die 20 Ianuarii 1781.*

11. At licet absque condemnatoria sententia irregularis non sit inquisitus de homicidio ex infamia iuris, Ferrar. in Biblioth. verb. infamia a n. 9, talis tamen censetur ex infamia facti, seu vulgata opinione delicti, Ferrar. loc. cit. verb. Irregularitas n. 48, et S. Congregatio in Novarien. 1 octobris 1661 lib. 22 Decretorum pag. 677 *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 16 Februarii 1788* §. *Licet.*

12. Nam infamia facti oritur ex enormi crimine *in S. Miniatis et Collen. Ordinationis die 20 Martii 1830* §. *Quoad.*

13. Unde infamia facti non deletur per absolutoriam cum clausula – novis supervenientibus indiciis –, quae accusatum ab inquisitione non eximit, eiusque innocentiam excludit, ut censuit Sacra Congregatio in Vigilien. 23 septembris 1613 lib. 28 Decretorum pag. 170; et in similibus terminis clausulae – ex hactenus deductis – tradunt Pignatell. consult. 93 n. 3 tom. 6, Ferrar. in

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Beneficia,* §. IV, n. 243 ad 254, Tom. III, ubi alia huiusmodi exempla prostant.

Biblioth. verb. Irregularitas n. 49, et Monacell. tit. 13 form. 3 n. 37 tom. 2 *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 16 Februarii 1788* §. *Licet.*

14. Idcirco Sacerdos Florentinus Silvestri, incusatus anno 1749 homicidii, et sponte se anno 1766 constitutus, atque condito difensivo processu dimissus cum clausula – novis supervenientibus indiciis –, et suspensione a divinis usquedum Apostolicam absolutionem consequeretur, absolutione egit ab irregularitate, in qua adhuc versabatur; his enim in terminis proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu etc. –, Sacra Congregatio, attenta vitae emendatione, responsum dedit: – Affirmative – *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 5 Aprilis 1788.*

15. Id siquidem statutum etiam habetur per Rescriptum ex audientia Sanctissimi editum. Nam accusatus fuerat Sacerdos Ioannes Bettini homicidii, eumque Archiepiscopalis Curia Beneventana ob retractationem delatoris dimiserat cum clausula – novis et non novis supervenientibus indiciis –; benigne hinc illius precibus Sanctissimus annuens – Literas Apostolicas in forma Brevis expediri mandavit, quibus Vicario Capitulari Beneventano mandetur, ut, cum Oratore super irregularitate, praemissa de causa contracta, dispenset – *in Beneventana die 6 Augusti 1763 lib. 113 Decretorum pag. 334.*

16. Hinc s. m. Urbanus VIII die 4 ianuarii 1635 sequens edidit Decretum impressum apud Corrad. in addit. ad tract. de disp. n. 55 –, ut imposterum tam Presbiteri seculares, quam cuiuscumque Ordinis Regulares damnati ad triremes perpetuae vel ad tempus, et qui cum effectu fuerit in eisdem triremibus remiges, finito tempore dictae poenae, nunquam habilitentur ad exercitium suorum Ordinum –. De hoc Decreto nonnulli dicunt, illud non esse declarativum iuris communis, nec esse eidem conforme, et locum sibi non vindicare extra Tribunal Sancti Officii, cum a Summo Pontifice fuerit editum in Congregatione sanctissimae inquisitionis, uti plene habetur apud Thesaurum de poenis ecclesiasticis part. 2 in verb. Missa cap. 5 §. Immo hodie: sed haec plene refelluntur a Raynald. in observat. crimin. cap. 8 §. 1 n. 45 *in Lavellana seu Romana die 8 Iunii 1726* §. *Sanctae et* §. *De.*

17. Aliqui autem censent, damnatum ad triremes effici infamem infamia iuris ex genere poenae, et per consequentiam irregularem, Navarr. cons. 16 n. 3, et cons. 17 n. 32 tit. de haereticis, Ugolin. de potest. Episcop. part. 2 alleg. 43 n. 15, Guazzin. ad defens. reorum defens. 33 cap. 4 n. 9, Lezzan. quaest. regul. tom. 1 cap. 16 n. 32, Ciarlin. controv. foren. cap. 207 n. 73. At opinio hodie recepta est, quod ex simplici damnatione aut transmissione ad triremes, quis non efficiatur infamis nec irregularis, nisi vel actu remigaverit, vel fuerit transmissus propter delictum, quod de iure habeat annexam infamiam, uti late prosequuntur Raynald. loc. cit. a n. 45, Monacell. in in formul. leg. tom. 3 pag. 173 n. 23, Ursaya instit. criminal. lib. 4 tit. 5 a n. 144 *in Lavellana seu Romana die 8 Iunii 1726* §. *Aliqui* §. *At.*

18. Siquidem Presbiter Ioseph Cataneus ad triremes damnatus et transmissus ob armorum delationem, absque eo quod remigaverit, quum supplicasset pro rehabilitatione ad Ordines, Sacra Congregatio, si Sanctitati suae placuisset, censuit, constito, quod non remigasset, esse eum per Literas Apostolicas ad exercitium suorum Ordinum rehabilitandum et restituendum *in Comen. Dispensationis die 14 Martii 1671 lib. 27 Decretorum pag. 54.*

19. Sodomiae autem crimen annexam habet infamiam tam de iure civili, quam de iure canonico, dummodo sit notorium notorietate iuris vel facti; uti plene probatur apud Thesaurum de poenis ecclesiasticis part. 2 cap. 1 verb. Sodomia *in Lavellana seu Romana die 8 Iunii 1726* §. *His.*

20. Idcirco Sacerdos, qui damnatus fuit ob huiusmodi scelus ad triremes per septennium, licet non remigaverit, ac plures facti circumstantiae eius favore concurrerent, expleta poena, assequi non valuit facultatem celebrandi Missam *in Lavellana seu Romana die 6 Iulii 1726.*

21. Enimvero Sacerdos NN., de nefando scelere accusatus, fuit a Curia Emi Urbis Vicarii die 31 augusti 1718 damnatus ad triremes per septennium, et licet fuerit transmissus, nunquam tamen remigavit, cum toto

tempore dictae condemnationis fuerit addictus servitio Hospitalis S. Barbarae, uti habebatur ex attestatione Prioris dicti Hospitalis. Expleto tempore poenae et praestito laudabili servitio memorato Hospitali, Sacerdos habuit recursum ad Summum Pontificem pro facultate Missam celebrandi, et a Summo Pontifice preces fuerunt remissae ad Sacram Congregationem. Emus Urbis Vicarius, post admissam limitationem, quod Orator transmissus ad triremes, licet non remigaverit, efficeretur infamis et irregularis, si crimen, propter quod fuit condemnatus, habebat de iure annexam infamiam, haec habuit: – Talis tamen limitatio applicabilis non videtur in casu praesenti, ubi crimen, pro quo Orator fuit damnatus, non aliunde probatum remansit, quam ex dicto eorum, qui socios eiusdem criminis se fecerunt, et quidem non coacte, sed ultronee, et qui ultra hanc nobilem exceptionem, ob quam eorum dictum nullis praesertim concurrentibus adminiculis, nullam prorsus fidem facit, alios insuper patiebantur defectus; nedum enim erant vilis conditionis, sed etiam plura deposuerunt inverisimilia, in aliquibus contrarii inter se deteguntur, ac semper voluntarie accessisse fatentur ad domum inquisiti, quae proinde exceptiones haud satis per leve sibilorum tormentum expurgatae remanserunt. Addito etiam, quod in processu nec praesumptiones neque coniecturae ullae relevantes afferri potuerunt adversus inquisitum, immo eius favore militabat qualitas sacerdotalis cum quotidiana celebratione Missae, gravis sexaginta et ultra annorum aetas ac solitum retinendi iugiter apertam ianuam eius cubiculi etiam de tempore, quo ibi visi fuerant Pueri, quemadmodum concorditer deposuerunt tres Testes repetiti ad instantiam Fisci, qui proinde dubitans per inquisitum purgari potuisse indicia ex dicto Correorum desumpta mediante illius tortura ad eam noluit devenire, sed consultius existimavit ad triremes damnare eumdem inquisitum, delictum constanter negantem, et ob suam pauperatem indefensum –.

22. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An petitis sit annuendum nec ne?–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Lavellana seu Romana die 6 Iulii 1726.*

23. Qua de re infamia iuris contrahitur ab eo, qui damnatur ex sententia famosa Can. *Omnes* 2 caus. 6 quaest. *in Beneventana Irregularitatis die 29 Novembris 1817* §. *Cum.*

24. Amplia, etiamsi haec sententia sit nulla, utpote lata a Tribunali laico contra Clericum, Reiffenst. in ius can. lib. 1 tit. 7 n. 37, contrahitur nihilominus infamia facti; maxime cum hac sententia tempore, quo potuit Reus non reclamaverit, sed potius remissionem poenae inflictae exoraverit, itaut implicite fassus sit crimen, de quo damnatus fuerat *in Beneventana Irregularitatis die 29 Novembris 1817* §. *Cum.*

25. Nec igitur dubium, quin infamia iuris oriatur per sententiam declaratoriam delicti *in Acheruntina Privationis Paraeciae die 22 Septembris 1855* §. *Nec minus.*

26. Hinc et percussio statuae alicuius Sancti vehementem ingerit suspicionem haeresis Iconoclastarum damnatae in Synodo Nicena, Chartar. decis. crimin. n. 11 et 18, Pignatell. consult. canon. 89 n. 3 tom. 8, et Card. Albit. de inconst. in fide Cap. 31 n. 59, manifestamque haeresim redolet blasphemia in Beatam Virginem, ut tradit Albit. dicto Cap. 31 n. 50, idcirco infamia inde contracta, etiamsi non sit iuris, sed facti, huiusmodi criminis reum inhabilem reddit ad assequenda Beneficia, Pirhing in ius can. lib. 1 tit. 14 n. 28, Rot. in Recent. decis. 281 n. 1 part. 19, in Placentina Canonicatus 15 ianuarii 1742 §. 3 coram Peralta, et in Zamoren. Capellaniae 28 februarii 1755 §. 6 et 9 coram Card. Elephantutio *in Terulen. Beneficii die 3 Iulii 1762* §. *Haec.*

27. Nec aliquid prodest eius dimissio a Tribunali S. Officii, si non constet, ex capite innocentiae fuisse absolutum, ut firmat Rota in Recent. decis. 191 a n. 7 part. 19, et decis. 653 n. 15 et 16 coram Bichio *in Terulen. Beneficii die 3 Iulii 1762* §. *Haec.*

28. Itaque infamia iuris oritur etiam ex delicto stellionatus cum abusu confessionis, pro quo damnatus quis fuerit, ad tradita per Thesaur. de poenis eccles. part. 1 cap. 33 de poena infamiae iuris §. Tertio modo *in Caputaquen. Parochialis die 30 Iulii 1763* §. *Contra.*

29. Atque infamiam patitur non solum

qui calumniatur, sed et qui accusat in iudicio et non probat, Can. *Infames* 17 caus. 9 quaest. 1, Barbos. de offic. et potest. Episcop. allegat. 43 n. 26, nec non irregularitatem ab ea derivantem, Ferrar. Biblioth. can. verb. Irregularitas art. 1 n. 11, ac demum diffamationem ab ipsa inquisitione ortam, quae sat est ad exclusionem promovendi, iuxta Lotterium lib. 2 quaest. 34 n. 145, Rot. in Recent. decis. 501 n. 2 part. 10 tom. 2 *in S. Angeli in Vado Canonicatus die 26 Aprilis 1856* §. *Nec tantum.*

30. Quapropter his in terminis Sacra Congregatio post maturam discussionem declaravit, legitimam haud esse nominationem Sacerdotis huiusmodi infamia notati ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, quin propterea in eo esset instituendus *in S. Angeli in Vado Canonicatus die 22 Septembris die 1 Decembris 1855 die 26 Aprilis et die 22 Novembris 1856* (1).

31. Unde reproposito dubio sub formula: – An sit standum in primo, seu potius in secundo et ultimo loco decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis ultimo loco, et amplius – *in S. Angeli in Vado Canonicatus die 14 Februarii 1857.*

32. Compertum etiam est, crimen furti habet inustam infamiae notam ex iure Canonum, Can. *Infames* 17 caus. 6 quaest. 1, Cap. fin. de temp. ordin., et crimina infamiae notata irregularitatem secumferunt, si fuerint ordine iudiciario comprobata vel alias notoria *in Lycien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1817* §. *Inquirendum.*

33. Infames autem haud fieri videntur Debitores; quandoquidem in L. *Debitores* Cod. de quibus causis infamia irrogatur edicitur: – Debitores, qui bonis cesserint, licet ex ea causa bona eorum venierint, infames non fiunt –; ubi Baldus ait: – Nota, quod cedens bonis non est infamis, licet in quibusdam locis ligetur ad columnam –, et sequitur Scannarol. de visitat. carcerat. cap. 9 *in Atrien. die 23 Iunii 1725* §. *Pro.*

34. Idque si absolute et simpliciter procedit, a fortiori procedere videtur in hypothesi, in qua cessio facta sit absque ulla nota ignominiosa, iuxta praxim Regni Neapolitani, uti testatur Muscatel. in praxi magnae Curiae Vicariae super gloss. detinebitur n. 78 et 79, Rovit. super pragmatica de cessione bonorum 3, n. 7: unde communiter dicunt Doctores, quod qui cesserunt bonis possunt ad Ordines promoveri, dummodo cessio non cedat in dedecus Ecclesiae, quemadmodum concordantibus allegatis prosequuntur Sayrus de censuris lib. 5 cap. 14 n. 11, Castropal. oper. moral. tom. 6 de censuris disp. 6 punct. 13 n. 10. Absque eo quod quidquam relevet, quod hucusque deducta pertinent ad infamiam iuris et non ad infamiam facti; quandoquidem infamia haec facti, quae ortum habet ab hominum opinione, non constituit aliquem irregularem, ita ut in eius sequelam ascendere non valeat ad sacros Ordines, ut in durioribus terminis cessionis ignominiosae bonorum argumentatur Diana in edit. coord. tom. 5 tract. 5 resol. 58 n. 4: – Nec obstat, quod tales infames existimantur, nam ex opinione hominum non potest irregularitas induci, alioquin etiam Viri nobiles recusantes acceptare duellum essent arcendi a sacris Ordinibus tamquam irregulares, ut plurimum, vel qui invenit Sororem cum Amasio, et iniuriam condonavit, non posset Ordinibus initiari. Igitur infamiam inflictam a legibus, et non ex existimatione hominum, dicendum est, irregularitatem inducere – *in Atrien. die 23 Iunii 1725* §. *Idque* §. *Absque.*

35. E contra vero cedens bonis, si non de iure, saltem de facto expositus est vituperio: ideoque Hostiensis in Cap. *Quidam* de renunniat. n. 6 inquit: – Si cessio effectum habeat, infamis videtur saltem de facto, licet non de iure, quia dicunt homines, quod dissipator est, nec invenit de facili mutuantem –; et sequitur Card. Tuscus in verb. cessio bonorum conclus. 217 n. 7: – Licet non incurrat infamiam iuris, tamen incurrit infamiam facti, propter vituperium, quod fit cedenti –, in quo rerum themate sicut dici posset, cessionem cedere in dedecus Ecclesiae, quatenus cedens ad sacros Ordines promoveretur, sic concludendum esse videtur, non debere eumdem sacris Ordinibus initiari, iuxta auctoritates supra relatas *in Atrien. die 23 Iunii 1725* §. *E contra.*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonicatus*, §. V, n. 37 ad 43, Tom. IV.

35. Item cautum est in Cap. *Odoardus* de solutione, quod Clericus propter debita non detrudatur in carcerem, nec excommunicetur, sed quod praestet idoneam cautionem de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit; nec ad effectum, ut Clericus ad dictum beneficium dimittatur, oportet, ut bonis cedat, videlicet ignominia characteri clericali irrogetur, ut in dicto Cap. *Odoardus* firmant Abbas n. 8, Ancharanus n. 7, Fagnanus n. 58 de solutione, et late scribit Bellett. disquisit. cleric. part. 1 tit. de Clerico debitore §. 1 n. 35. Signum autem hoc esse videtur, quod cessio bonorum ignominiam et infamiam importat, non solum iuxta hominum opinionem, sed etiam iuxta sensum Ecclesiae *in Atrien. die 23 Iunii 1725* §. *Item.*

37. Rursus per cessionem bonorum cedens a debitis non liberatur, sed si ad pinguiorem fortunam devenerit, tenetur ex bonis superventis satisfacere creditoribus, quod absque dubio sibi vindicat locum, si cessio etiam cum ignominia facta sit, sed invitis creditoribus, uti bene ponderat Ursil. ad Afflict. decis. 379 n. 5, vel quando cessio dicitur facta absque ignominia, uti late docent Amostaz de caus. piis lib. 7 cap. 7 n. 6, Scanarol. de visit. carcerat. lib. 3 cap. 8 a n. 7, Constantin. ad statut. Urbis tom. 2 annot. 50 art. 2 a n. 142 ad 148 *in Atrien. die 23 Iunii 1725* §. *Rursus.*

38. Idcirco licet Clericus ob debita contracta fecerit creditoribus cessionem bonorum absque ulla ignominiae nota, nihilominus Sacra Congregatio declaravit, eum non esse promovendum ad sacros Ordines *in Atrien. die 23 Iunii 1725.*

39. Siquidem Michael Graecus Terrae Silvi Diaecesis Atriensis post completum studiorum curriculum a suo recepit Ordinario primam Tonsuram et quatuor Ordines minores; cumque spatio novem annorum in eo statu permanserit, cupieritque ad sacros Ordines ascendere, et id obtinere non potuerit propter defectum Beneficii et Patrimonii, ad nuptias carnales convolavit, et mercatorem agere cepit, sed adversantem sibi passus fortunam, post nonnulla contracta debita, ut se ab imminenti carceratione liberaret, cessit bonis in Curia laicali Neapolitana anno 1721, et sic quaecumque sua bona creditoribus dimisit. Anno 1722 Uxor Michaelis mortua est, superstitibus duobus liberis; cumque praedictus Michael, praevio Decreto et Episcopi permissione, clericalem habitum reassumpserit, et a quodam pio Benefactore sufficientis Patrimonii constitutionem reportaverit, ut ad eius titulum ad sacros Ordines ascendere posset, suas Episcopo exhibuit preces pro sacrorum Ordinum collatione, et Episcopo excipiente, se dubitare, an ipse propter infamiam ex cessione bonorum resultantem irregularis effectus esset, quaedam ab eodem Michaele querelae adversus Episcopi dubitationem Summo Pontifici in supplici libello expositae fuerunt, qui proinde earum examen ad Sacram Congregationem pro voto remisit. Episcopus, pro informatione requisitus, omnia supra relata confirmavit; addiditque, se oraculum expectare Sacrae Congregationis super scrupulo, qui sibi exortus erat occasione petitae a Michaele promotionis ad sacros Ordines, licet admitteret, cessionem bonorum fuisse absque ignominia, et absque eo, quod cedens pileum viridum deportaverit, aut aliud ignominiae indicium. Praeter tamen infamiae notam, quae inesse videbatur, advertendum serio erat, an expediret, Michaelem ad Ordines promovere propter periculum, quod bona ipsi assignata titulo sacri Patrimonii a Creditoribus occuparentur, cum non solum fructus Patrimonii sacri, sed Beneficii et Praebendae potuissent a Creditoribus occupari, iuxta Textum in Cap. *Pervenit* de fideiussoribus, dum id fieret in subsidium, videlicet in defectu bonorum propriorum Clerici, et dummodo ex proventu Beneficii Clerico debitori congrua relinqueretur, iuxta firmata apud Salgad. in laberintho creditorum part. 1 cap. 42 n. 10.

40. His mature perpensis, proposito dubio: – An cessio bonorum obstet Michaeli, quin ad sacros Ordines promoveri possit in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Non esse promovendum – *in Atrien. die 23 Iunii 1725.*

41. At crimina, et quae a crimine venit, infamiam personarum esse, non filiorum fratrum consanguineorum, ut quidquid vulgus imperitum opinetur, respondit Iureconsultus in L. *Crimen* ff. de poenis, et Leo IV in Can. 5 caus. 1 quaest. 4, et divus Chrisostomus et Augustinus, quos omnes uno consensu

sequuntur Maiolus Suarez Bonaccina Sayrus, et qui non alii? *in Amerina seu Interamnen. Ordinationis die 11 Augusti 1759* §. *Capellaniam.*

42. Infamia autem ex delicto non est, quando delictum deest, vel Iudex sententia innocentiam probavit, vel saltem integre deletur quando Iudex revocat sententiam de reatu, et innocentiam declarat, S. Congregatio in Bisacciarum 11 aprilis 1742 *in Taurinen. Irregularitatis die 24 Martii 1764* §. *Ait.*

43. Unde infamia facti non inducitur, nisi per plenam et concludentem delictorum probationem, ceu docet Rota in Trivicana iurispatronatus 17 iunii 1718 coram Foscaro *in Mutinen. Capellaniae die 20 Maii 1854* §. *Quibus.*

44. Amplia, quin difficultatis facessat criminalis inquisitio: nam ut diffamatio ex delicto oriatur, non una prodest criminalis inquisitio, cum sententia posthac delictum non constare decreverit, Rota in Recent. decis. 723 part. 16 n. 20 *in Mutinen. Capellaniae die 20 Maii 1854* §. *Quibus.*

45. Itaque infamia non oritur ex dicto duarum vel trium Mulierc ularum, sed tantum ex communi opinione ac fama penes probos Viros et maiorem Populi partem, Cap. *Inquisitionis* 21 §. Quaesivisti de accusatione, Pignatell. consult. 19 n. 6 tom. 7, et Rot. in Recent. decis. 207 n. 38 part. 17 *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Hinc.*

46. Nec fornicationis crimen infamiam iuris irrogat *in Sancti Miniatis et Collen. Ordinationis die 20 Martii 1830* §. *Quoad.*

47. Hinc sicuti ex inhonesta vivendi ratione nulla irregularitas incurritur, ita nulla ex poena exilii, iniuncta ob turpem consuetudinem, exorta est infamia, vi cuius is, qui huiusmodi poenam tulit, ab Altaris ministerio sit arcendus, Garz. de Benef. part. 11 cap. 3, et Suarez de censur. disp. 4 *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Hinc.*

48. Unde contracta non praesumitur a Clerico irregularitas, vel ob pravam eius consuetudinem cum femina, vel ex passa exilii sententia, cum irregularitas ex infamia in eo solum casu contracta censeatur, quo poena inflicta fuerit propter delictum infamiam irrogans, Raynald. observat. crimin. tom. 1 cap. 8 §. 1 n. 13, Ursaya instit. crimin. lib. 4 tit. 5 n. 144. Huiusmodi vero haud esse videtur prava cum inhonestis feminis consuetudo, quia licet ea de causa ab Altaris ministerio Sacerdos arceri debeat, nulla tamen a sacris Canonibus irregularitatis poena inflicta noscitur, Cap. *Etsi Clerici* §. De adulterio, Cap. *Significavit* de adulter. et stupr.; solumque Concilium Tridentinum in Clericos fornicarios suspensionis poenam indixit, et Episcoporum arbitrio reliquit eosdem Clericos ad primaeva iura restituere, si ad meliorem frugem fuissent reversi, Concil. Trid. sess. 25 cap. 14 de reformatione *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Nec.*

49. Hinc damnatus ob pravam cum libera consuetudinem nec infamiam nec irregularitatem contrahit, sed tantum suspensionem ex Decreto Tridentini sess. 25 cap. 14 de reformatione *in Lycien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1817* §. *Quamquam.*

50. Certum tamen est, ex turpi et inhonesta vivendi ratione infamiam contrahi, ad Textum in Cap. *Inter dilectos* 11 de excess. Praelatorum *in Agrigentina Dispensationis die 12 Decembris 1767* §. *Notandum.*

51. Verum si quis per triennium saltem a pristina vivendi norma resipuerit et probitatis specimen praebuerit, infamia detergitur, ut ex Can. *Si duo* 35 quaest. 6, et Can. *Nunquam* 14 dist. 56, ubi S. Chrysostomus inquit: – Ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat –; et tradunt Garz. de Benef. part. 7 cap. 8 n. 64, Barbos. de offic. Episcop. alleg. 43 a n. 21 *in Agrigentina Dispensationis die 12 Decembris 1767* §. *Notandum.*

Item *in Sabinen. Irregularitatis die 20 Maii 1786* §. *Neque; in Sancti Miniatis et Collen. Ordinationis die 20 Martii 1830* §. *Quoad; in Ferrarien. Praesentationis et Admissionis in Collegium die 25 Ianuarii 1851* §. *Bonae.*

52. Qua de re licet ex turpi et inhonesta vivendi ratione apud probos et honestos viros species cuiusdam infamiae ita contrahatur, ut ea notatus ab Altari arceri debeat et ecclesiastica Beneficia obtinere prohibeatur, uti per Textum in Cap. *Inter dilectos* 11 de excess. Praelatorum notant Abbas in

Cap. 10 de iurepatronat. n. 3, Reiffenst. in ius can. lib. 5 tit. 37 n. 60, Schmalzgrueb. eod. loc. n. 141; attamen si publice saltem a pristina vivendi norma resipuerit, et in loco, ubi antea delinquere consueverat, probitatis specimen praebuisse dignoscatur, nil vetat, quominus et ad Ordines promoveri et ecclesiastica Beneficia consequi possit, ut colligitur ex Can. *Si duo* 35 quaest. 6: – Infames effectos, donec ab incesti facinore desistant –, et tradunt Pirhing. de tempor. ordin. n. 19, Schmalzgrueb. in ius can. lib. 5 tit. 47 n. 74 *in Spoletana Parochialis die 19 Ianuarii 1737* §. *Primo.*

53. Opus quippe est, ad tollendam notam infamiae et abolendam memoriam criminis, ut poenitentia peragatur in loco commissi delicti *in Terulen. Beneficii die 3 Iulii 1762* §. *Haec.*

Item *in Ferrarien. Praesentationis et Admissionis in Collegium die 25 Ianuarii 1851* §. *De.*

54. Regulariter enim satis est ad hunc effectum resipiscentia trium annorum, ut firmant Barbosa de offic. et potest. Episcop. alleg. 43 n. 23, Pax Iordan. de re Benef. lib. 10 tit. 21 n. 63, et Rot. post cons. crimin. Farinacc. tom. 1 decis. 51 n. 9, in Recent. decis. 346 n. 10 part. 17, et in Senogallien. Canonicatus de Luchis 23 ianuarii 1710 §. fin. coram Aldovrando *in Terulen. Beneficii die 3 Iulii 1762* §. *Serranus.*

55. Quum siquidem in facto extet resipiscentia, abolita reputari debet, si non infamia iuris, saltem infamia facti ex diffamatione procedens, ad quem effectum sufficere lapsum unius anni tenet Fagnanus in Cap. *Omnipotens* de accusat. n. 5 et 6, vel lapsum biennii iuxta Gonzalez in dicto Cap. *Omnipotens* n. 10, vel ad summum sat esse triennium, per Textum in §. Si vero intra triennium Authen. de Monach. docet Massobr. in prax. haben. concurs. requisit. 5 dub. 2 n. 40 *in Salernitana seu Caputaquen. Parochialis die 9 Februarii 1760* §. *Et Demum.*

56. Nam infamia facti, non iuris, ex facto ipso tollitur, constanti nimirum emendatione, quam plurimi Doctores satis esse iudicant, si fuerit ad triennium ampliata, Abb. in Cap. 21 de accusat. n. 2, Silvester verb. infamia n. 11, Antonell. de regim. Eccles. lib. 1 cap. 6 n. 10 *in Sabinen. Irregularitatis die 20 Maii 1786* §. *Neque.*

57. Unde Habert in Theolog. dogm. moral. de dispens. ad ordin. part. 3 cap. 5 §. 8 inquit: – Irregularitas ex infamia facti tollitur absque dispensatione per eam vitae emendationem, quae maculas prioris non solum coram Deo, sed etiam in opinione hominum deterserit, ita ut sinistrae famae succesSerit bona existimatio – *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 16 Februarii 1788* §. *Ponderare.*

58. Idque eo vel magis locum habet, si agitur de iure iam quaesito ex praesentatione, quo difficilius privari Praesentatum ad Beneficium ratione infamiae firmavit Rota in decis. 32 n. 16 coram Ansaldo, et decis. 41 n. 11 coram Card. Tanara *in Terulen. Beneficii die 3 Iulii 1762* §. *Serranus.*

59. Nam cum de iure quaesito tollendo agatur, etsi diffamatio probetur, nullam, infamia iuris exulante, eam exerere posse vim arguitur, Rota in Trivicana Iurispatronatus 17 iunii 1718 coram Foscaro, et in Regien. Commendae super institutione 24 ianuarii 1749 §. 4 coram De Vais *in Mutinen. Capellaniae die 20 Maii 1854* §. *Quibus.*

60. Verum cum res sit de Beneficio iurispatronatus, quod ex lege fundationis debetur magis idoneo – literis et virtutibus –, quo casu non prodesse emendationem vitae dixit Rota in Recent. decis. 346 n. 9 part. 17 *in Terulen. Beneficii die 3 Iulii 1762* §. *Haec.*

61. Ceterum Sacra Congregatio, attenta longa et constanti vitae emendatione, ex aequitate canonica indulget dispensationem ad effectum assequendi Beneficium, licet alius ex tabulis fundationis pariter vocatus contradicat *in Terulen. Beneficii die 3 Iulii 1762 et die 24 Septembris 1763* (1).

62. Infamia autem notatus atque nondum expurgatus, merito ab assecutione cuiuscumque Beneficii ac praesertim Parochialis est arcendus, uti per expressos Textus in Cap. *Inter dilectos* de excess. Praelatorum, et in Cap. *Omnipotens* de accusat. tradunt Lotter.

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Beneficia*, §. IV, n. 225 ad 240, Tom. III.

de re Benef. lib. 2 quaest. 31 a n. 145, Card. De Luca ad Concil. Trid. disc. 12 n. 19, Pignatell. consult. 16 n. 6, et resolvit Sacra Congregatio in Vigilien. 23 septembris 1673 lib. 28 Decretorum pag. 170 ad primum dubium *in Capuana Concursus die 21 Novembris 1739* §. *Et.*

63. Nam satis est infamia facti, ut diffamatus a Beneficio repellatur, praesertim ubi impictum crimen fundamento non caret, quod utile esse potuerit diffamato *in Posnanien. Iuris Optandi die 2 Augusti 1755* §. *Festo.*

64. Eoque amplius haec custodienda esse videtur, si res non sit de privatione Beneficii, sed agatur, ne illud diffamatus assequatur, ex Text. in L. 2 §. ult. ff. de poenis tradunt Covarruv. lib. 2 var. resol. Cap. 8 n. 4, Garz. de Benef. part. 7 Cap. 8 n. 36, Card. De Luc. de praeeminent. disc. 38 n. 12, et disc. 70 n. 5 *in Posnanien. Iuris Optandi die 2 Augusti 1755* §. *Eoque.*

65. Itaque Sacra Congregatio, postquam declaraverit, constare de infamia, quandoque exinde rem ad Iudices Rei remisit; siquidem quum occasione concursus ad vacantem Parochialem Oppidi Caventini institissent nonnulli, ut reiiceretur Iacobus Philippus Bugattius tamquam adhaerens Antecessori dicta Ecclesia privato consocius illius criminis malisque moribus imbutus, proposito dubio: – An constet de diffamatione? –, Sacra Congregatio die 28 novembris 1693 responsum dedit: – Affirmative –. Reproposita dein Causa, respondit: – Ad Iudices suos – *in Mediolanen. seu Alexandrina Concursus die 13 Februarii 1694 lib. 43 et 44 Decretorum.*

66. At neque iuris neque facti infamia notatur Obstetricis officium; Obstetrices enim tum in legibus Romanorum, tum in sacris Canonibus plurimum aestimatae, cum eorum iudicio in pluribus deferatur etiam in Causis matrimoniorum, quae omnium gravissimae reputantur; hinc Obstetrices Medicae vocantur in iure Romano, ut observavit Merillius lib. 5 observ. iur. cap. 21 *in Carthaginen. Ordinationis die 26 Aprilis 1755* §. *Disputat.*

67. Hinc Sacra Congregatio respondit, infamiae notam non habere filium eius, qui actualiter officium Baroncelli Curiae laicalis in Civitate exercebat, et ideo posse absque dispensatione prima tonsura insigniri *in Aquen. die 26 Novembris 1650 lib. 19 Decretorum pag. 92.*

68. Nam infamia sive iuris, sive facti notati repelluntur ab ordinibus, non viles, quia in Ecclesia Dei non spectatur vilitas aut splendor natalium *in Carthaginen. Ordinationis die 26 Aprilis 1755* §. *Disputat.*

69. In iure tamen tralatitium est, Principis indulgentiam poenae quidem gratiam facere, infamiam vero criminis non tollere, L. 3 Cod. de generali abolitione, Peretius in Cod. lib. 9 tit. 43 n. 5, ita ut, si Reus in idem vel gravius labatur crimen, nulla de habita venia ratio habeatur, Richerius in univers. iurispr. tom. 12 pag. 308 §. 1279 *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *Clarius.*

70. Conceditur autem, dempta infamia, absolutio ab irregularitate; quandoquidem Sacra Congregatio respondit, concedi posse, si Sanctissimo placuerit, infamiae nota sublata, absolutionem ab irregularitate incursa *in Plocen. die 17 Martii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 56.*

INHIBITIO

1. Rescriptum Sacrae Congregationis: – Expectetur relatio Emi Archiepiscopi Mediolanensis, et citetur Pars –, litis pendentiam et inhibitionem inducit, Rot. in S. Severini Canonicatus 3 maii 1747 coram Millino *in Mediolanen. seu Novarien. die 19 Septembris 1767* §. *Concludunt.*

2. Quin imo Rescriptum Sacrae Congregationis, quo datur Episcopo epistola – pro informatione et voto, auditis interesse habentibus, litis pendentiam inducit, postquam Episcopus certiores fecerit praefatos interesse habentes *in Mediolanen. seu Novarien. die 19 Septembris 1767* §. *Praeterea.*

3. Quapropter his in terminis, proposito dubio: – II. An praetensa attentata sint purganda in casu etc. –, Sacra Congregatio die 10 maii 1755 responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative per viam nullitatis –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In

decisis, et amplius - *in Asculana Beneplaciti Apostolici die 2 Augusti 1755.*

4. Erui vero non potest inhibitio ex pendentia litis in Sacra Congregatione, si haec versatur super quaestionibus omnino diversis ab ordinationibus, quibus appingitur vitium attentatorum. Compertum enim est, ex una lite nullam prodire inhibitionem, ne Iudex a quo de altera lite prorsus diversa ex iure decernat *in Colonien. die 14 Februarii 1767* §. *Inhibitionem.*

5. Attentatorum autem effectus is est, nullitatis labe inquinandi quidquid, perdurante inhibitione, geratur, Cap. *Non solum* de appellat. in 6 *in Iuvenacen. Exemptionis et Institutionis die 22 Septembris 1860* §. *Consanata.*

6. Hinc acta inuri attentatorum nota non possunt, quum desit praecedens efficax inhibitio, sine qua non datur actio attentatorum *in Colonien. die 14 Februarii 1767* §. *Praemittunt.*

7. Unde inhibendi vi carent citatio specialis Signaturae Iustitiae ac Decreta eius R. P. D. Auditoris et Emi Praefecti, illa veluti expedita, haec tamquam lata adversus ordinationes editas in sequelam sacrae Visitationis pastoralis, cuius exequutio non retardatur vel suspenditur inhibitione cuiusvis Iudicis aut Tribunalis, illo Signaturae nominatim comprehenso, iuxta notissimam Constitutionem s. m. Benedicti XIV incipien. *Ad militantis Ecclesiae* de appellationibus et inhibitionibus concedendis vel denegandis, in qua re consentit quoque Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 8 de reformatione *in Colonien. die 14 Februarii 1767* §. *Inhibendi.*

8. Immo eaedem inhibitiones possunt impune sperni, tametsi Decreta, adversus quae data sunt, edita sint ab Ordinario extra visitationem. In his enim agitur de materiis vel ad Dei cultum pertinentibus, vel ad dispunctionem rationum redituum Ecclesiae, vel ad distributionem praesentiarum, vel ad Beneficiatorum residentiam, et ad huius generis alias species respicientes curam animarum. Haec omnia respuunt indistincte appellationem, per se reiiciunt inhibitiones ex dispositione tum iuris Canonici in Cap. *Relatum* et Cap. *Conquerente* de clericis non residentibus, tum etiam Sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 3 de reformatione, tum denique et latius ex citata Constitutione Benedictina *in Colonien. die 14 Februarii 1767* §. *Immo.*

9. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, non esse concedendas inhibitiones in Causis visitationis et correctionis, habilitatis vel inhabilitatis, nec non in Causis criminalibus ab interlocutoria vel alio gravamine, nisi gravamen per sententiam definitivam reparari aut ab ipsa definitiva appellari non possit *in Baren. anno 1595 lib. 8 Decretorum pag. 143.*

10. Idcirco inhibitiones in Causis visitationis et correctionis neque a Nuncio Apostolico sunt ullatenus concedendae, et concessae sunt revocandae *in Valentina die 11 Martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 2.*

11. Nec obstant inhibitiones A. C. vigore Eugenianae emanatae, quin Episcopus possit ad ulteriora procedere, ex dispositione S. Concilii Tridentini in Cap. 11 sess. 24 de reformatione *in Aquilana die 4 Iunii 1638 lib. 14 Decretorum pag. 744.*

12. Non est etiam relaxandá inhibitio, nec aliqua provisio facienda a Curia Metropolitana ad instantiam appellantis adversus sententiam definitivam latam ab Ordinario contra appellantem vere contumacem, quamdiu in contumacia perstiterit *in Arianen. die 28 Aprilis 1635 lib. 15 Decretorum pag. 191.*

13. Hinc Sacra Congregatio declaravit, inhibitiones emanatas contra formam praescriptam per Concilium Tridentinum in Cap. 7 sess. 22 de reformatione a Metropolitano, tamquam ipso iure nullas, posse contemni *in Nicoteren. mense Augusti 1587 lib. 5 Decretorum pag. 21.*

Item *in Segobricen. mense Decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 90; in Dubium anno 1604 lib. 10 Decretorum pag. 78; in Eugubina anno 1609 lib. 11 Decretorum pag. 79.*

14. Emanatae autem contra formam praescriptam a Concilio in Cap. 20 sess. 24 de reformatione sunt adeo nullae, ut Ordinarius possit ad ulteriora procedere, illis non obstantibus *in Avenionen. mense Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 187.*

15. Multo minus itaque suffragatur heredi inhibitio vigore Eugenianae, quin possit com-

pelli ad celebrare faciendum Missas a Testatore in certa Capella praescriptas, remediis per sacros Canones et Concilium Tridentinum statutis *in Maceraten. die 1 Decembris 1646 lib. 18 Decretorum pag. 243.*

16. Quapropter inhibitio A. C. non officit, quin ea non obstante possit Episcopus procedere ad exequutionem mandati expediti super implemento oneris Missarum *in Tyburtina die 18 Martii 1684 lib. 34 Decretorum pag. 64 a tergo.*

17. Nec etiam officit nec retardare potest nec debet solutionem taxae pro Seminario *in Sabinen. die 3 Iulii 1650 lib. 19 Decretorum pag. 63.*

18. Neque officit quoad effectum suspensivum contra Decretum Episcopi factum vigore Sacri Concilii Tridentini in Cap. 10 sess. 24 de reformatione *in Papien. die 15 Septembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 156.*

19. Nullum quoque dubium, quod Officiales fabricae S. Petri de Urbe inhibitione prohibere non debeant Episcopum, ne rationem administrationis a Deputatis Hospitalis exigat *in Andrien. mense Septembris 1588 lib. 5 Decretorum pag. 156.*

20. Nullam itaque Sacra Congregatio declaravit inhibitionem Vicarii Generalis de non contrahendo Matrimonio factam ob delationem in Curia, Virum Uxori defunctae venenum propinasse ad effectum nubendi cum alia, qua cum inhoneste vivebat, et post mortem dictaeUxoris sponsalia contraxerat, impugnatam a Viro per Testes de eius de probitate deponentes nec non inimicitia inductorum per Delatorem, contra quem praefata Sacra Congregatio mandavit procedendum esse per Ordinarium, prout de iure *in Lycien. Sponsalium die 26 Ianuarii 1709 lib. 59 Decretorum.*

21. Siquidem – post sponsalia de futuro inita de anno 1706 inter Medicum Lazarum Graecum nuper tunc Uxore orbatum et Puellam Donatam Chirizzi ambo loci S. Petri de Vernotico, ad ea impedienda, querelam detulit in Curia Episcopali Lyciensi Ioannes Camillus Pennetta sub assertiva, quod dictus Lazarus viventi Laurae Pennettae suae praemortuae Uxori, et in lecto decumbenti, virulenta medicamina propinasset, ex quibus mors dictae Laurae fuit sequuta, ad effectum sibi desponsandi antedictam Donatam, cum qua per antea inhonestam consuetudinem habuerat. Super hac instantia Vicarius Generalis, nulla facta recognitione cadaveris, processum construi iussit, in quo undecim fuerunt examinati Testes, duo scilicet Pharmacopolae, unus artis medicae Doctor, quatuor Mulieres, totidemque reliqui Viri, quorum nunnulli iurati deponunt, defuncta Laura, publicam pervulgatam esse famam in dicto loco S. Petri, eamdem Lauram interemptam occubuisse veneno ei propinato a dicto Lazaro viro. Ex eisdem insuper Testibus dictus medicinae Doctor asserit, se certo iudicare mortem Laurae evenisse, ex quodam pharmaco eidem a Viro exhibito; Pharmacopolae vero inquiunt, suspectas medelas fuisse ab ipsis requisitas per eumdem Virum, non tamen ab eis exhibitas, cuius quidem Viri inhonestam consuetudinem cum Donata per annum ante Laurae funus, nonnulli Testes referunt, certis tamen additis circumstantiis recensitis in eorum depositionibus. Ad horum autem Testium dicta et Personas reprobandum in termino defensivo ab eodem Vicario assignato, praefatus Lazarus duos induxit Testes, deponentes de probitate vitae Medici Lazari et de inimicitia seu affectione contrariorum Testium, ac aliis, quae sane depositiones una cum aliis supradictis Testium probatoriorum per extensum in summario dabuntur. Quibus sic habitis, idem Vicarius Generalis inhibuit novis Sponsis ulterioris Matrimonii prosequutionem, a qua inhibitione Lazarus recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem; hinc requisitus informare Episcopus Lyciensis transmisit authenticum exemplar processus desuper fabricati, atque confirmat, Matrimonii licentiam fuisse retardatam ab eius Vicario Generali, credit tamen, indulgendum eiusdem Matrimonii celebrationi, ad evitandum carnale commercium, quod adhuc durat, et forsan cum prole inter praedictos Sponsos.

22. Ex his monito in partibus dicto Pennetta querelante et instantiae renunciante, ut ex documento exhibito, supplex exposuit Lazarus definiri ab EE. VV. infrascriptum dubium: – An inhibitio Vicarii Generalis super Matrimonio contrahendo inter Lazarum Graecum et Donatam Chirizzi substineatur

in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ex deductis non substineri, ad effectum ulterius impediendi Matrimonium, de quo agitur, et Ordinarius procedat, prout de iure, contra Pennettam – *in Lycien. Sponsalium die 26 Ianuarii 1709 lib. 59 Decretorum.*

INSCRIPTIONES ET STEMMATA

1. Neminem profecto fugit, inscriptiones Benefactorum nomina ac merita exprimentes, cum sint posteris excitamento, ab ipsis civilibus legibus aperte probari, ad Textum in L. 3 ff. de oper. publ. *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Ad aliud.*

2. Nec minus per ecclesiasticas leges permittitur, ut inscriptiones atque insignia huiusmodi apponantur nedum a Fundatore insignique Benefactore, sed ab eo etiam, qui eleemosynam aliquam vel aliud beneficium contulerit, ob Ecclesiae restaurationem vel ornatum, ad late firmata per Amostaz de Caus. piis lib. 5 cap. 7 a n. 40, Barbosam aliosque Doctores ac sacrae Rotae decisiones *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Ad aliud.*

3. Certum itaque in iure est, quod conficiens aere suo opus aliquod etiam in Ecclesiis et ad cultum divinum possit in eo apponere insignia sua seu gentilitium stemma, prout post Textum in L. 2 et in L. fin. ff. de oper. publ., et Gloss. ibidem tradunt De Albertis de sacr. utens. cap. 4 n. 124, Tondut. resol. Benef. par. 1 cap. 13 n. 12, Rot. coram Cavalerio decis. 159 *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Ad inscriptionem.*

4. Ad publicum siquidem bonum interest istiusmodi inscriptionibus perennem pro beneficiis gratitudinem testari, et munificentiae memoriam ad posteros transmittere, ut constat ex citatis legibus et ex lege *Legatum* 4 in fin. ff. admin. rer. ad civit. pertinen., L. fin. Cod. de statuis et imaginibus, Rota in Romana Capellae 29 aprilis 1733 n. 60 coram Calcagnino *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Ad inscriptionem.*

5. Ceterum licet inter Patronos et Patres Carmelitas ope transactionis conventum fuerit, ut iidem in parte lateris dexteri Altaris maioris iuripatronatus subiecti apponere possent lapidem marmoreum cum inscriptione et stemmate gentilitio respectivae familiae, nihilominus Sacra Congregatio censuit, insignia huiusmodi cum inscriptione apponenda esse in basi inferiori lateris dexteri praedicti Altaris, quin unquam cooperiri posset a praefatis Patribus, iuxta votum Episcopi *in Melevitana die 26 Ianuarii 1782 et die 8 Februarii 1783.*

6. Iamvero iuspatronatus Capellae et Altaris maioris siti in Ecclesia Patrum Carmelitarum excalceatorum Civitatis *Cospicua* Diaecesis Melitensis ad duas pertinebat eiusdem Civitatis Familias, Azupardo Castelletti scilicet ac Testaferrata. Anno 1715 has inter Familias, exortis dissidiis, super dicto iurepatronatus, ea diremit transactio ipsas inter celebrata, assentientibus approbantibusque Patribus Carmelitis capitulariter congregatis. Inter pacta in eadem transactione conventa favore Azupardo Castelletti illud fuit, quod licitum eidem esset – nella facciata di detto ven. Altare verso la mano destra mettere le armi gentilizie della sua Famiglia in lapide marmorea o d'altra materia a lui ben vista coll'iscrizione, che li parerà o nell'istessa arme, o in un'altra lapide separata da ponersi in quel luogo, più gli aggraderà nella parte destra di detto ven. Altare, potendo ancora sopra detta iscrizione ponere un'altra lapide coll'armi gentilizie di sua Famiglia –. Canonicus Ioannes Maria eiusque Frater Azopardi Castelletti in executionem exinde praefatae transactionis apponere exoptantes marmoream inscriptionem cum stemmate gentilitio Familiae suae superiori basi, cui binae columnae dexteri Altaris lateris immediate nitebantur, voluntati Fratrum Castelletti sese opposuerunt Patres Carmelitae obnitentes, non appositioni marmorei lapidis cum gentilitio stemmate, sed loco dumtaxat illius appositionis, sustinentes, indecens esse gentilitium stemma profanumque monumentum affigere in dicto loco a Patronis praescripto, qui in eadem linea maneret, in qua erat Arae Mensa et Ciborium. Quare Fratres Castelletti Patroni pre-

ces porrexerunt Sacrae Congregationi postulantes, ut declararetur, ipsis licitum esse in praescripto loco marmoreum lapidem cum gentilitio stemmate collocandi. Vicarius Capitularis retulit, ipsum, instantibus Patribus Carmelitis, ad differentiae locum accessisse, Altarisque et Capellae delineationem cum loco controverso fieri mandasse, ac demum votum suum aperuit Patronis conforme.

7. His interim perpensis, proposito dubio: – An et in qua parte lateris dexteri Altaris maioris S. Theresiae apponendus sit lapis cum inscriptione et stemmate gentilitio Familiae de Azupardo Castelletti in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 ianuarii 1782 responsum dedit: – Dilata –; mandavitque, ut votum novi Episcopi exquireretur, qui recenter in Diaecesim advenerat. Supervènit relatio Episcopi, qui haec habuit: - Novum non est nec infrequens in Ecclesiis huius Insulae arma gentilitia et inscriptiones in Altarium lateribus Ciborio inferioribus apponere, vel in locis ab Altaribus omnino seiunctis; quapropter licet Patronis de Castellettis ius competat eorum insignia cum inscriptione collocandi in latere dextero Altaris maioris Ecclesiae S. Theresiae, incongruus tamen mihi etiam videtur locus ab ipsis designatus, basis nempe superior, quae Ciborio adamussim respondet, quod et Sanctissimi Sacramenti maiestati et universali consuetudini Ecclesiarum huius meae Diaecesis adversari innumera monumenta testantur. Neque hanc consuetudinem evertunt stemmata, quae inveniuntur in Ecclesia S. Mariae Magdalenae et S. Margaritae Monialium huius Insulae. Illa enim in Altari non existunt, sed super dictarum Monialium cratibus, ad Altare certe non spectantibus. Quamobrem nullum esse locum tam aptum lapidi apponendo pro insigniis praedictis existimo, quam basis inferior dicti Altaris maioris, quae ab omnibus cospici potest. Ne vero futuris temporibus huiusmodi inscriptio et stemmata adstantium oculos fugiant, ad consulendum Patronorum iuribus et excitandos Fideles ad similia opera pietatis, putarem, stemmata praedicta, cum inscriptione apposita in dicta basi inferiori lateris dexteri dictae Patronalis Capellae, nunquam posse in posterum quovis sub obtentu vel obstaculo a dictis Patribus cooperiri, ut inscriptiones et insignia ad hunc finem instituta omnibus pateant et occulta non lateant –.

8. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, et amplius – *in Melevitana die 8 Februarii 1783.*

9. Idcirco si quis accedente Episcopi consensu, Altare maius Cathedralis Ecclesiae propriis expensis construxerit, cum facultate apponendis in eo stemmate suae familiae, sed Episcopus exinde occasione restaurationis praefatae Ecclesiae stemmata amoverit, nullum sane dubium, quin praefata stemmata, absque ulla ob id expensarum refectione, sint in dicto Altari reponenda *in Balneoregien. die 29 Novembris 1783* (1).

10. Quum itaque Capellam in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Terrae Argenteae eiusdemque Altare exornasset heres Dionysius Porcari, ac stemma familiae de Martiis antiquae Capellae patronae abrasum videns, postulaverit, ut adstringerentur praedicti Fratres memoratum stemma in antiquo loco reponere, Sacra Congregatio responsum dedit negativum, sed simul declaravit, licere heredibus reponere illud propriis sumptibus *in Ravennaten. Applicationis Missarum die 17 Augusti 1737* (2).

11. Si vero res adhuc ex deductis manifesta non sit, Sacra Congregatio differt resolutionem; quadoquidem familia Donghia, patrona duarum Capellarum et Altaris maioris in Ecclesia Patrum Carmelitarum excalceatorum existentis, cum dicti Patres stemmata amoverint et illa Ordinis affixerint, lapidesque literatos, quibus onera Patrum inscripta erant, e celebriori loco in obscuriorem abditumque transtulerint, disputavit, restituenda esse stemmata Testatoris, et onerum inscriptiones eo, quo erant loco; neque ius esse Patribus Carmelitis apponendi stemmata eorum Ordinis, cum pateret, Testatorem usum tantum, non vero dominium Con-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Damna*, etc., n. 94 et 95, Tom. VII.
(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Attentata*, n. 436 ad 439, Tom. II.

ventus et Ecclesiae Patribus dare voluisse, neque amotione stemmatum Ordinis fraudanda esse iura patronatus honorifici, qui procul dubio erat penes familiam Donghiam, ut ex L. 2, et L. *Opus* ff. de oper. publicis, L. *Legatum* 4 ff. de admin. rer. ad Civit. pertin. docuerunt, uno consensu, Ancharan. cons. 113 n. 3 et 5, Gratian. discept. 210 n. 49, Pax Iordan. lucubr. vol. 2 lib. 10 tit. 7 de iurepatronat. n. 449, Tancredin. Cons. 6 n. 25, Ventrigl. in prax. annot. 19 §. unico n. 32 vol. 2, Card. De Luca de iurepatronat. disc. 52 n. 12, aliique innumeri. Proposito tamen dubio: – VII. An a supradictis Patribus Carmelitis possit apponi eorum stemma super muros Conventus et Ecclesiae ac etiam innovari vel destrui in eisdem absque consensu Patronorum pro tempore, et eorum stemma absque istorum consensu noviter depictum super dictos muros sit delendum, vel insimul apponendum etiam stemma Familiae Fundatoris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad septimum, dilata; et ad mentem – *in Ianuen. Capellaniarum die 26 Februarii 1752.*

12. Itaque ex insigniis alicuius Superioris, appositis et retentis in maiori ianua Ecclesiae et in parietibus Monasterii, validum desumitur subiectionis argumentum, Wesembec. cons. 21 n. 68, Tenzel. de iur. subiect. cap. 4 n. 11, Hoeping. de iur. insign. cap. 13 n. 108 *in Brictinorien. seu Nullius S. Ruphilli Iurium parochialium die 26 Novembris 1768* §. *Redit.*

13. Spernendum tamen est huiusmodi argumentum ex stemmate desumptum, cum censeri debeat appositum ad demonstrandum dominium soli in emphyteusim Monialium concessi, atque idcirco immerito trahitur ad spiritualem iurisdictionem suadendam, Rot. in Urbevetana Iurispatronatus 14 ianuarii 1756 §. 7 coram Bussio, et in Pampilonen. Iurispatronatus et Praeeminentiarum 11 maii 1759 §. 5 coram Francipane *in Brictinorien. seu Nullius S. Ruphilli Iurium parochialium die 26 Novembris 1768* §. *Spernendum.*

14. Unde Stemma gentilitium fallax et dubium est patronatus, ideoque obligationis indicium, quum et Ecclesiae Benefactores per stemmata indicari consueverint, Amostaz de Caus. piis lib. 5 Cap. 7 n. 40, Panimoll. decis. 10 annot. 1 n. 66, Rot. in Maceraten. Iurispatronatus Ecclesiae 17 Iunii 1748 §. 19 coram Vicecomite *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae 28 Augusti 1773* §. *Nec.*

Item *in Ferentina die 24 Martii 1832* §. *Quibus.*

15. Nemo vero insignia sua seu gentilitium stemma apponere potest, quando aere alieno opus confectum fuerit, ad Textum in L. 3 ff. de oper. publicis: – Inscribi autem nomen operi publico, alterius, quam Principis aut eius, cuius pecunia id opus factus sit, non licet –; et firmant communiter Doctores, signanter Cepolla de servit. praed. urban. *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Secus.*

16. Unde S. Rota in Nullius Montis Cassini Amotionis Insignium die 11 ianuarii 1734 n. 26 et 27 coram Calcagnino haec habet: – Qua de re cum in perficiendo opere non solum Canonici, sed aliae quoque Personae et Universitas ipsa contribuerint, haud permissum esse debet soli Capitulo sua arma seu insignia apponere, ad Textum in L. 3 ff. de oper. publ. tradunt Onded. cons. 100 n. 48, Pax Iordan. tom. 2 lib. 10 tit. 7 n. 455, Bassi de sodalit. quaest. 15 n. 7, Rot. in Recent. decis. 337 a n. 1 et per totum part. 14. Atque in durioribus perurget in hac re Episcopi Veronensis Cardinalis et S. R. E. Vicecamerarii exemplum, qui cum convertisset in fabricam maioris Ecclesiae fidelium eleemosynas, uni Capellae propria insculpsit insignia; haec porro Romanae Curiae iudicio abrasa fuerunt, ut originaliter refert Cepoll. de servit. urban. praed. cap. 71 n. 9, et post eum Carol. Anton. De Luca ad Franch. decis. 443 n. 1, Pax Iordan. loco citato; ob eam iustissimam rationem, quod apud ipsum, quemadmodum in subiecto casu, non existit plenum dominium pecuniae impensae, ita eidem liberum non erat propria apponere insignia, ad Textum in L. *Qui liberalitate* ff. de oper. publicis, quem in proposito reassumunt Petrus Gregor. Sint. iur. part. 1 lib. 3 cap. 21 n. 7 *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Secus.*

17. Quapropter cum probatum fuerit, Archangelum Fittipaldi in fabrica Ecclesiae parochialis Terrae Antii recenseri non posse inter insignes Benefactores, Sacra Congrega-

tio mandavit, inscriptionem super Ecclesiae foribus favore illius positam deleri debere, sed aliam omnes Oblatores exprimentem esse ponendam *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845 die 8 Augusti 1846 et die 26 Ianuarii 1850* (1).

18. Similiter Sacra Congregatio iussit removeri insignia Episcopi Melevitani ab operibus, quae facta fuerant impensis Capituli vel Fabricae Ecclesiae, uti videre est in Melevitana 12 decembris 1705 confirmata die 11 septembris 1706 et rursus 29 ianuarii 1707 addito – et amplius – relata per Adden. ad Constantin. vot. decis. n. 17 tom. 3 *in Acheruntina Odei die 25 Ianuarii 1845* §. *Similiter*.

19. Hinc nequit heres, contradicente Confraternitate, in eius Ecclesia, in qua Testator mandavit perfici ornamentum Altaris maioris, construere depositum praedicto Testatori, cum inscriptione et appositione insignium ipsius heredis ac Testatoris in lateribus dicti Altaris *in Romana Appositionis Insignium die 4 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum* (2).

20. Verum licet Fundator prohibuisset, ne in sepulchro gentilitio suae Domus in proprio existenti Sacello, quod in Ecclesia Regularium erat erectum, quisquam post Sororum obitum conderetur, utque suae gentis insignia in ipso sepulchro sculpta a nemine unquam amoverentur, Sacra Congregatio tamen, extincta penitus praedicti Fundatoris Familia, et annuentibus Regularibus, ac favente Episcopo, censuit, permittendum esse, ut Oratoribus liceret inferre cadavera in illud sepulchrum, atque in eo ponere suae Domus insignia a latere insignium Domus memorati Fundatoris, soluta dictis Regularibus eleemosyna, arbitrio Episcopi praefinienda *in Caven. Sepulchri die 22 Augusti 1835*.

21. Siquidem Laurentius Orilia Cavensis, testamentariis tabulis anno 1754 confectis, legati nomine reliquit Parocho Martino del Forno domum cum adiacente viridario, cuius possessionem iniret post mortem suarum Sororum, sub lege tamen, ut singulis annis assuetum festum perageret in suae Familiae Sacello, quod erectum erat in Ecclesia Fratrum Minorum S. Francisci sub titulo S. Mariae Gratiarum; ac statis diebus ab eo designatis celebrare ibi faceret Missas viginti, statuta eleemosyna assium, vulgo grana, duodecim cum dimidio pro quolibet Sacro, et carolenos quindecim monetae Neapolitanae rependeret iisdem Fratribus Minoribus pro sacris supellectilibus Altaris. Demum vetuit, ne in sepulchro gentilitio suae Domus, quod in eodem Sacello erectum erat, quisquam post Sororum decessum conderetur; utque suae gentis insignia in ipso sepulchro sculpta a nemine unquam amoverentur. Parochus del Forno legatum accepit, eiusque onera nitide adimplevit, quod etiam illius heredes diligenter executi sunt. Quoniam universa subinde gens Orilia ab annis septuaginta erat penitus extincta, petierunt Oratores del Forno, ut ipsis liceret inferre cadavera suae Familiae in illud sepulchrum, ac in eo ponere suae Domus insignia a latere insignium Domus Oriliae, non obstante superius relata Laurentii dispositione, ultro citroque annuentibus Fratribus Minoribus, quibus aliquam eleemosynam se collaturos esse etiam pollicebantur. Vicarius Capitularis confirmavit veritatem omnium, quae ab Oratoribus exposita fuerunt; addiditque, posse ipsis tribui petitam sepulchri veniam – avendosi riguardo, che la Famiglia del Forno, la quale si è mantenuta e tuttora si mantiene con decoro, appartenendo eziandio ad essa questo Illmo Monsignor del Forno già Vescovo di Trivento, benefattore ancora di detta Famiglia Religiosa, non abbia veruna Cappella e sepolcro gentilizio, e non fare rimanere quello inoperoso, ed anche perchè sarebbe meglio mantenuta detta Cappella, coll' obbligo di passare la promessa limosina a questa Famiglia Religiosa in suffragio dell' anima del suddetto Testatore Orilia e sua Famiglia –. Episcopus mox pariter Oratoribus favit. Id itaque concedi posse videbatur, ut scilicet Familiae del Forno liceret etiam in eo sepulchro ponere suae gentis insignia e latere insignium Fundatoris. Nam quamvis cautum iure sit,

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Fenestra*, n. 26 ad 29.
(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Heres*, §. I, n. 94.

arma seu insignia, in Ecclesia vel Sacello vel sepultura posita a Fundatore, amoveri nequaquam posse, sed ibi perpetuo in eius memoriam esse servanda, per legem *Qui liberalitate* §. Nec eius nomine ff. de operibus publicis, attamen certum aeque est, ex eadem lege, novum heredem, si alienae a Fundatore Familiae sit, posse etiam sua arma et insignia ibi collocare, dummodo primi etiam Fundatoris arma permaneant, quemadmodum in themate postulabant Oratores.

22. His igitur perpensis, proposito dubio: - An et quomodo annuendum sit precibus Familiae del Forno in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, iuxta votum Episcopi, soluta a Familia del Forno Patribus Conventus S. Francisci eleemosyna, arbitrio Episcopi praefinienda - *in Caven. Sepulchri die 22 Augusti 1835.*

23. Collegium autem Beneficiatorum, quum obtinuerit a Summo Pontifice indultum aggregationis, sed ob id indulgentiarum tantum communicatio concederetur, nequivit collocare in fronte eorum Ecclesiae et supra ipsius ianuam insignia et inscriptiones Ecclesiae Lateranensis, quae exemptionem ab Ordinarii iurisdictione innuebant, adeoque Sacra Congregatio declaravit, locum esse amotioni *in Barchinonen. Insignium die 25 Ianuarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

24. Enimvero - tametsi Collegium Sancti Severi Martyris, quod ex Beneficiatis aliisque Presbiteris Ecclesiae Cathedralis inservientibus componitur, intus eamdem Cathedralem propriam Capellam sub invocatione eiusdem Sancti retineret, aliam tamen Capellam in quibusdam domibus suis per viginti tantum passus ab ipsa Cathedrali distantibus anno 1691 construxit. Deinde anno 1693 Administratores dicti Collegii eorumque Syndicus Romae degens donarunt Capitulo et Basilicae Sancti Ioannis in Laterano nedum dictam antiquam Capellam in Cathedrali existentem, sed etiam omnes praedictas domos una cum alia nova Capella, quae in eis recenter constructa fuerat, impetrando eodem tempore a dicto Capitulo facultatem aedificandi aliam Ecclesiam in dictis domibus donatis, ac simul indultum aggregationis et exemptionis ab Ordinarii iurisdictione, ac si recentior Ecclesia in eisdem domibus donatis aedificanda in solo Lateranensi construi deberet. Reclamante autem Episcopo adversus huiusmodi aggregationem, non tantum quia ordinariae suae iurisdictioni praeiudicium irrogaret, sed etiam quia prohiberetur a Constitutionibus Apostolicis Clementis VIII et Pauli V uti carens ipsius Episcopi assensu, et facta in loco, ubi alia praecedens aggregatio ab altera Ecclesia obtinebatur, illa penitus infirmata et abrogata fuit, adeo ut mutua inter dictum Capitulum S. Ioannis in Laterano dictumque Collegium Sancti Severi omnium antea gestorum revocatio usque de anno 1694 intercesserit. Obtenta deinde per Administratores eiusdem Collegii licentia ab Episcopo dictam parvam Capellam in domibus suis erectam in ampliorem atque elegantiorem formam extruendi, illam usque adeo ampliarunt ac exornarunt, ut hodie divina officia omnesque aliae functiones ecclesiasticae satis decenter et commode in ea peragi valeant. De mense novembris anni 1703 in fronte dictae Ecclesiae et supra maiorem ianuam Insignia Ecclesiae Lateranensis cum inscriptione sequenti videlicet: « Sacrosanctae Ecclesiae Lateranensis Urbis et Orbis Ecclesiarum Mater et Caput » Administratores praedicti collocarunt. Re tamen ad Episcopum delata, ipse, instante Procuratore Fiscali, insignia et inscriptionem praefatam intra certum terminum sub poena censurarum amoveri praecepit. Quod quidem praeceptum, assignato alio breviori termino, postea renovavit, quia licet Beneficiati comparentes ad declinandam paritionem assererent, quod Episcopali Sede vacante, praevio Rescripto s. m. Innocentii XII, praedictis contrariis Clementis et Pauli V Constitutionibus derogante, eadem aggregatio post primae revocationem successive de anno 1698 sibi concessa fuerat, per eam tamen Indulgentiarum tantum communicatio habebatur, non vero etiam exemptio ab Ordinarii iurisdictione, prout ex insignis et inscriptione praedicta significari videbatur.

25. Cumque ad Sanctam Sedem Beneficiati praedicti appellaverint, Episcopus quoque preces desuper Sanctissimo porrexit, quibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, illa ab Archiepiscopo Tarraconensi informationem expetiit, qua transmissa, et omnia

praedicta comprobante, ab EE. VV. idem Episcopus Barchinonensis modo recenter quaerit: – An sit locus amotioni insignium et inscriptionis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Barchinonen. Amotionis Insignium die 25 Ianuarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

26. Idcirco quum Sodalitium SS. Matthaei et Francisci de Assisio Neapoli erectum, obtenta aggregatione Sacrosanctae Basilicae Lateranensis Urbis cum communicatione Indulgentiarum, ianuae Oratorii lapidem hisce verbis: « Visitantibus quotidie poenae indulgentur, sicut in Lateranensi Ecclesia » affixerit, sed reclamante Archiepiscopo Neapolitano contra praedictam aggregationem, proposito dubio: – III. An Lapis cum inscriptione: « Visitantibus quotidie poenae indulgentur, ut in Lateranensi Ecclesia » sit amovendus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative; et amplius – *in Neapolitana Indulgentiarum die 19 Iunii 1717 lib. 67 Decretorum* (1).

27. Inscriptiones vero, quibus Capitulum utitur, faciendae sunt iuxta solitum *in Urbanien. Inscriptionis die 18 Decembris 1745.*

28. Siquidem signum Capituli Cathedralis Ecclesiae Urbaniae, quo idem Capitulum utebatur, ab anno 1644, usque in praesens hanc habebat in orbem scriptam epigraphem – Praepositus Dignitates et Canonici –; eademque verba insculpta erant in marmoreo monimento, quod grati animi causa Urbano VIII Pontifici Optimo Maximo in eadem Ecclesia Cathedrali idem Capitulum pridem extruxerat. Haec duo monimenta animum dederunt Hostilio Savinio, qui in praesens Praepositi dignitatem obtinebat, ut contenderet, in omnibus capitularibus actibus hac inscriptione esse utendum, perpetuaque solemni formula in quolibet actu non Capituli et Canonicorum, aut Dignitatum et Canonicorum, ut eousque fieri sueverat, nomen esse inscribendum, sed idem semper esse carmen canendum – Praepositus Dignitates et Canonici –. Renuit Capitulum easdem semper inflare tibias: namque dixit, inscriptionem illam monstrare et designare praestantiam eminentiam et superioritatem, quarum nullam habebat Praepositus, qui, cum esset prima Dignitas Capituli, non praestabat ceteris; neque alios superemineabat, sed primus tantum erat inter plures, atque ob id collectivo Capituli nomine, quod omnes eius partes, quibus componebatur, complectebatur, utendum esse, cuius corporis pars erat Praepositus, esset licet pars prima. Nihilque obesse sustinuit quidquid actum fuerat anteacto tempore; tum quia numero plures erant contrarii capitulares actus; tum quia hi, qui a Praeposito proponebantur, facultativi erant, ut consequens esset, nullum ius acquiri ex iis potuisse Praeposito, nisi probaretur, vetitum fuisse Capitulo; ne diversa inscriptione uteretur, et Capitulum nihil excepisse patientiaque sua probasse et confirmasse, quod vetabant Praepositi, nullam autem prohibitionis, nullam patientiae huius probationem proponi defendit, ut, qui in praesens erant Canonici, adstringi nequirent veterum facto, quorum patientia signum capitulare cum adiuncta in orbem inscriptione factum fuerat; nec posse eam inscriptionem, quae indulgentia Capituli permissa fuit in signo, ius hoc tribuere Praeposito, ut eadem semper in quolibet actu utendum esset, cum in huiusmodi materia nequiret argui ad alium actum, nec unus porrigi ad alios actus, sed spectanda tantum esset possessio eius iuris, in qua quisque erat. Denique idipsum servari asseruit in vicinis aliis Cathedralibus Ecclesiis, et praesertim in Metropolitana Urbini, a qua normam regulamque accipiebant Ecclesiae suffraganeae, qualis illa erat Urbaniae.

29. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An et quomodo fieri debeat intitulatio tam in actibus capitularibus, quam in inscriptionibus et signo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Inscriptiones faciendas esse – Praepositus Dignitates et Canonici – *in Urbanien. Inscriptionis die 18 Decembris 1745.*

30. Qua de re quum inter Patres Oblatos Congregationis Sancti Caroli, qui in Ecclesia S. Christinae sine praeiudicio iurium parochialium recepti fuerant, et inter Capitulum Collegiatae S. Bartholomaei Oppidi Burgi Manerii, cui animarum cura illius Ecclesiae in-

(1) Species Causae huius prostat in Verb. *Indulgentia*, n. 35.

cumbebat, controversia super inscriptione in ianua Collegii dictorum Patrum apposita exarsisset, proposito dubio: – XI. An et quae inscriptio in ianua eiusdem Collegii veniat retinenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad undecimum, inscriptionem esse retinendam in ianua, ubi iam apposita fuit – *in Novarien. die 12 Decembris 1705 lib. 55 Decretorum.*

31. Quin imo licet Sacra Congregatio declaraverit, Ecclesiam parochialem S. Mariae de Fracta Terrae Castelli et alteram Ecclesiam parochialem S. Ioannis Baptistae Terrae Carifii non esse Collegiatas, earumque respective Archipresbiterum et Primicerium nullam habere dignitatem, attentis nihilominus rerum circumstantiis, censuit, tolerandum esse, ut Parochi et Presbiteri dictarum Ecclesiarum uterentur sigillo, nempe illi S. Ioannis Baptistae cum inscriptione – Collegium Terrae Carifii, et illi S. Mariae cum inscriptione – Collegium Terrae Castelli – *in Trivicana Collegialitatis die 1 Septembris 1731* (1).

INSTRUMENTA

1. Instrumenta publica in linea probationis praeferuntur Testibus *in Panormitana die 26 Martii 1763* §. *Sed petitae.*

2. Nam – monimenta publica potiora Testibus esse Senatus censuit –, L. *Census* ff. de probatione *in Verulana die 29 Novembris 1788* §. *Num.*

3. Hinc multo magis assertioni auctoritas praevalet publici instrumenti, Rota coram Olivatio decis. 155 n. 39 *in Imolen. Legati pii die 20 Septembris 1794* §. *Favere.*

4. Qua de re adversus publicum instrumentum luculentissime, et numeris omnibus absolutissimae probationes sunt afferendae, L. *Generaliter* Cod. de non numer. pecunia, Rot. in Recent. decis. 178 n. 18 part. 17, et decis. 108 n. 7 part. 9 *in Albinganen. Erectionis Abbatiae die 2 Augusti 1823* §. *Neque.*

5. Quin imo – attento iure Regio hispano, standum est instrumento publico, quando confectum est a Tabellione bonae famae, et ipsum instrumentum agnoscente, etiamsi Testes instrumentarii rem aliter se habere deponant –, ut per haec verba tradit Guttierez cons. 27 n. 1 tom. 13 *in Santandrien. seu Cubana Matrimonii die 26 Aprilis 1788* §. *Nullitatem.*

6. De iure autem Canonico – si Testes contradicunt instrumento, in quo scripti sunt, praevalent instrumento –, ut notat Glossa in Can. *Si Testes* Caus. 4 quaest. 3 *in Santandrien. seu Cubana Matrimonii die 26 Aprilis 1788* §. *Num.*

7. Unde instrumentum erectionis servandum est, et praevalet legi fundationis, donec per rem iudicatam fuerit correctum, iuxta responsum Ripae de iurepatronatus respons. 6 n. 7 et 8, de quo Rota in Bononien. Iurispatronatus 15 maii 1741 §. E conspectu coram Canilliac *in Urbinaten. Canonicatus die 26 Martii 1763* §. *Et his.*

8. Quod si quis iureiurando obtestatur, quod instrumentum fundationis ita fuerit exaratum, ut mentem suam nullatenus exprimat, adprobatur ex gratia instrumentum declarativum; quandoquidem quum Sacerdos Ioannes Orlandi publicis exaratis tabulis conquestus fuerit, quod Notarius Galitius Moranus suam voluntatem inordinate et confuse exposuerat, adeoque altero declarativo instrumento iureiurando mentem suam non fuisse, ut asserebatur, in primo instrumento declaraverit, nec voluisse instituere simplex Beneficium, sed Capellaniam laicalem in Ecclesia Cathedrali, et alia huiusmodi, quae omnia Episcopus comprobabat, Sacra Congregatio censuit, instrumentum declarativum esse attendendum ex gratia, ac executioni demandandum in forma commissoria *in Montis Pelusii Erectionis Capellaniae die 12 Maii 1714 lib. 64 Decretorum.*

9. Nihil tamen interest, actum a Notario in protocollis excriptum non fuisse ob tumultum eorum, qui in loco aderant, cum actus sine scriptura valeat, si aliter probari possit, iuxta Gaium in L. 4 de fide instrumentorum *in Albinganen. Capellaniae die 19 Septembris 1818* §. *Episcopo.*

10. Partem autem dispositivam instru-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Ecclesia Collegiata*, §. III, n. 90 et 91, Tom. VIII.

menti interpretationem sumere a parte proemiali docet Bartholus in Leg. fin. n. 3 de hered. instit., et Rot. in decis. 209 n. 7 coram Peutingero, et Piton. Discept. eccles. 14 n. 22 *in Civitatis Plebis Canonicatus die 23 Decembris 1826* §. *Iuspatronatus.*

11. Hinc parti dispositivae, si cum narrativa repugnaverit, adhaerendum esse firmat Rota in decis. 203 n. 18 coram Buratto, decis. 537 n. 2, et decis. 49 n. 5 coram Emerix *in Civitatis Plebis Canonicatus die 23 Decembris 1826* §. *At vero.*

12. Nullum itaque dubium, quin publica locationum instrumenta optimam reditus Capellaniae probationem constituant, Rot. in decis. 3 n. 1 coram Celso, decis. 309 n. 7 part. 17 Recent. n. 27, decis. 399 n. 3 et decis. 457 n. 3 coram Molin. *in Perusina Capellaniae choralis die 20 Ianuarii 1770* §. *Addit.*

13. Verum ex Concilii Aurelianensis III canone 23 relato in Can. *Abbatibus* Caus. 12 quaest. 2 sub poena censurarum interdicitur Regularibus, ne bona alienent, nisi auctorante Episcopo. Nam pertinet ad ordinariam Episcopi iurisdictionem probare contractus super rebus ecclesiasticis initis, Cap. *Cum Episcopus* de officio Ordinarii in 6 *in Fulginaten. Iurisdictionis die 23 Iulii 1803* §. *Ex.*

14. Siquidem quamquam ex Summorum Pontificum Constitutionibus et praecipue Gregorii XIII in Constitutione incipiente: *Apostolicae Sedis,* et altera, cuius initium: *Ex incumbenti* Regulares sibi quaesiverint privilegia, ut possent stipulari contractus, nulla impetrata venia vel a Sancta Sede Apostolica, vel ab Ordinario, attamen haec privilegia abrogata sunt ex Decreto iussu Urbani VIII lato a Sacra Congregatione die 7 septembris 1624 lib. 12 Decretorum pag. 185 a tergo, quo, sublatis facultatibus Generalibus et Protectoribus, prohibetur, ne sine venia S. Congregationis ullum pactum census impositio ceteraque huiusmodi fieri possint *in Fulginaten. Iurisdictionis die 23 Iulii 1803* §. *Ex.*

15. Idcirco nec Superior Regularis nec Syndicus Apostolicus intervenire possunt et praestare eorum consensum in stipulatione contractus sive instrumenti faciendi a Monialibus, quorum regimen tantum spirituale ad ipsos pertinet, sed dicti contractus et instrumenti stipulari debent cum consensu et interventu privativo Episcopi sive eius Delegati *in Fulginaten. Iurisdictionis die 20 Augusti 1803* (1).

16. Quod si Superior Regularis ordinariam exerceat iurisdictionem, ipse, non vero Protectores seu Curatores Monasterii Monialium intervenire debet in huiusmodi contractus stipulatione *in Mediolanen. die 12 Maii 1736* (2).

17. Quando autem non satis constet de iure rogandi huiusmodi instrumenta, Sacra Congregatio mandat, scribendum esse Ordinario pro meliori informatione iuxta instructionem; quandoquidem postquam Sacra Congregatio declaraverit, Protectores seu Curatores ven. Monasterii et Monialium S. Radegundae Civitatis Mediolanensis Ordinis S. Benedicti Ordinis Cassinensis intervenire non posse et praestare consensum in stipulatione cuiuscumque contractus sive instrumenti faciendi a dictis Monialibus cumulative cum Patre Abbate ven. Monasterii S. Simpliciani illarum superiore, sed contractus et instrumenta celebrari ac stipulari debere cum consensu et interventu privativo dicti Patris Abbatis vel ipsius delegati absque licentia et interventu dictorum Protectorum, proposito dubio: – II. An instrumenta, quae celebrari solent occasione vestitionum et professionum, nempe obligationis, quae fieri solent ab iis, ad quos pertinet, pro alimentis anni probationis, pro paraphernalibus, pro deposito dotis, pro annua praestatione vitalitia, solutione dotis et pro fine ac renunciatione, rogari possint per eadem acta cuiuscumque Notarii dictae Civitatis, sive potius privative per Notarium Cancellarium Curiae Archiepiscopalis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, dilata; et scribatur Emo Archiepiscopo pro meliori informatione, iuxta instructionem – *in Mediolanen. die 2 Iunii 1736.*

18. Similiter quum ex deductis non satis constaret, an iuxta solitum quietantiae et extinctiones obligationum rogari deberent per

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus,* §. VII, n. 63 et 64, Tom. IX.
(2) Resolutiones huiusmodi habes in Verb. *Episcopus,* §. VII, n. 65 et 66, Tom. IX.

eadem acta, per quae fuit rogata obligatio, et an protocolla instrumentorum post obitum Cancellariorum et Notariorum quorumcumque deferenda forent ad Archivum publicum Communitatis iuxta legem civilem, sed inde forte a S. Sede approbatam, Sacra Congregatio distulit resolutionem ad mentem *in Urbanien. die 4 Maii 1754.*

19. Siquidem Franciscus Maria II Urbini Dux Decreto suo cavit, – che nell'avvenire non sia lecito a Notaro alcuno rogarsi dei pagamenti dei crediti istromentali, se non sarà quello stesso, che si è rogato dell'istromento del credito, e non avrà appresso di se i rogiti del Notaro morto assente o impedito, nè possino le parti de' debitori o creditori andare ad altri Notari per far notare i loro pagamenti, se non a quelli, che averanno appresso di se, come di sopra, li rogiti, e rogandosi come sopra li Notari, che hanno appresso di se gli istromenti dei crediti, siano obbligati notare il rogito dei pagamenti, cassando l'istromento del credito o in margine o appresso di quello –. Legi huic saluberrimae, qua tollebantur lites et controversiae, quibus debitorum heredes subiiciebantur, ob ignorantiam extinctionum et liberationum, obtemperarunt omnes Notarii etiam fori ecclesiastici, inter quos Cancellarii Curiae Episcopalis Urbaniae, quorum protocolla delata fuerunt post eorum obitum ad Archivum publicum Communitatis, et debitorum extinctiones rogatae fuerunt a Notario Communitatis Archivi custode. Iactavit exinde Cancellarius Curiae Episcopalis Urbaniae, se legi illi a Principe laico latae non esse subiectum, eamque implere nolle. Vocatus itaque fuit in ius a Communitate coram A. C., sed huius Causae cognitio data fuit Sacrae Congregationi. Disputavit hinc Communitas, legem illam saluberrimam esse observandam, neque dici posse ab ea solutum Cancellarium Curiae Episcopalis, cum Decreta et Leges Ducum post devolutionem illius Ditionis ad Sanctam Sedem confirmata fuerint a s. m. Urbano VIII, ita ut Decretum Francisci Mariae ligaret ex confirmatione Pontificia.

20. His interim perpensis, propositis dubiis : – I. An iuxta solitum quietantiae et extinctiones obligationum rogari deinde debeant per eadem acta, per quae fuit rogata obligatio in casu etc. II. An et quae protocolla instrumentorum post obitum Cancellariorum et Notariorum quorumcumque Urbanien. deferri debeant ad Archivum publicum Communitatis Urbaniae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Urbanien. die 4 Maii 1754.*

21. Alias enim compertum est, exemplaria instrumentorum, quae conficiuntur pro constitutione Patrimonii sacri, deferri non debere ad publicum Communitatis Archivum, etiamsi consuetudo quaedam adesse videatur *in Sutrina die 23 Ianuarii 1773* (1).

22. Hinc Sacra Congregatio Immunitatis in Nicaeen. 28 septembris 1677 lib. 2 Decretorum Altoviti pag. 1461 Decretum edidit, quod habetur penes Ricc. Synops. Decret. et Resolut. eiusdem Sacrae Congregationis verb. Scripturae n. 1 his verbis conceptum: – Ecclesiastici non possunt cogi ad faciendam insinuationem in Cancellaria laicali instrumentorum dotalium Monialium Patrimoniorum et similium scripturarum – *in Sutrina die 23 Ianuarii 1773* §. *Cohaeret.*

23. Instante itaque Archiviorum Praefecto, Sacra Congregatio die 9 iulii 1825 haec statuit: – Decretum Sacrae Congregationis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum. Instetit R. P. D. Iosephus Ugolini Praefectus Archivorum ad evitanda scandala et controversias inter Episcopos et Communitates Civitatum, ut iterum declararetur a Sacra Congregatione, an servandae sint in Cancellaria Episcopali sequentes scripturae rogatae a Cancellario Episcopali, tamquam illius Curiae Cancellario, videlicet: Processus et acta civilia criminalia et mixta facta in foro Episcopali, sententiae in eisdem Causis latae. Compositiones cum Reis inquisitis in Curia Episcopali. Praecepta et Decreta quaecumque inter Personas ecclesiasticas aut etiam laicas, in Causis et negotiis spiritualibus, vel alias ad forum ecclesiasticum pertinentibus. Edicta cuiusvis generis statuta et ordinationes Ecclesiarum

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Archivium*, n. 78 ad 83, Tom. II.

mandata procurae pro gerendis negotiis Episcopatus. Scripturae mulctarum et poenarum: item supplicationum et absolutionum, acta Synodi visitationis Ecclesiarum Monasteriorum et Locorum piorum eorumque Decreta. Regestra Bullarum Apostolicarum ad eamdem Curiam directa. Collationes et institutiones Beneficiorum eorumque concursus et renunciationes et permutationes et scripturae omnes Beneficiales instrumenta traditionis possessionis eorumdem Beneficiorum uniones Beneficiorum erectionis Parochialium Beneficiorum Capellaniarum et Fontis Baptismatis. Acta cognitionum canonizationum patronatus tam Clericorum, quam Laicorum seu mixtorum. Scripturae concernentes executionem dispensationum ac aliarum Literarum Apostolicarum. Remissiones denunciationum et aliae scripturae matrimoniales. Explorationes voluntatum Novitiarum licentiae profitendi et aliae huius generis scripturae ad Monasteria Monialium spectantes. Interpositiones auctoritatis Decreti in renunciatione Novitiorum et alienationibus aliarum Personarum fori Episcopalis et instrumenta Monialium. Licentiae accedendi ad Monasteria Monialium aut in ea ingrediendi. Scripturae consecrationis Ecclesiarum Altarium Coemeteriorum campanarum et huiusmodi. Item professiones fidei: item scripturae visitationis Liminum, scripturae ordinationis et collationis Chrismatis. Monitoria ad finem revelandi. Approbationes Confessariorum et Curatorum Dimissoriae et Commendatitiae licentiae pro Parochis Canonicis et aliis Clericis abscedendi a Diaecesi cum Literis testimonialibus, scripturae erectionis et institutionis Seminarii. Item locationis in emphyteusim bonorum Episcopatus, et aliorum bonorum ecclesiasticorum. Ac praeterea, ut declaretur etiam, an idem procedat super quibuscumque contractibus locationum permutationum alienationum bonorum Mensae Episcopalis et aliorum bonorum ecclesiasticorum, sive ad Loca pia, sive ad Legata pia etiam laicalia pertinentium. Die 9 iulii 1825. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, inhaerendo declarationibus alias factis, rescripsit, scripturas omnes in superius descripto folio etiam postremo loco indicatas, et si quae aliae rogatae fuerint a Cancellario Episcopali, tamquam illius Curiae Cancellario, esse asservandas in Cancellariis Episcopalibus – *in Civitatis Castellanae die 2 Maii 1835* §. *Praeterea.*

24. Quapropter scripturae et instrumenta, a quovis Cancellario Episcopali, tamquam illius Curiae Cancellario rogata, reddendae sunt Cancellariae Episcopali ad formam in omnibus praecedentium resolutionum et praesertim diei 9 iulii 1825, et Episcopus curare debet exequutionem, adhibitis iuris et facti remediis, quin ullatenus obsit lex a Pio VII lata die 31 maii 1822, et quin etiam ad id exequendum expectari debeat obitus cuiusvis Cancellarii Episcopalis, etiamsi decessor Episcopi ei forte veniam eadem penes ipsum retinendi dedisset *in Civitatis Castellanae die 2 Maii 1835.*

25. Enimvero Episcopale suum tabularium in ordine digesturus, ut par erat, Civitatis Castellanae Episcopus probe animadvertit, pluribus ab annis (Cathedram illam moderante eius decessore Praesule De Dominicis) Tabellionem Iosephum Quadrini, olim Episcopalis Cancellarii officio perfunctum, nec non Ioannem Abundium Midossi, qui, Quadrinio eiecto, ex mandato Auditoris Sanctissimi in praefato munere suffectus fuit, suam domum asportasse tabulas authenticas, vulgo *originali o matrici,* instrumentorum ac scripturarum, quas conficere uti Episcopales Cancellarii debebant, nihilque prorsus in Episcopali tabulario reliquisse. Haud exigui sane detrimenti ecclesiasticae Reipublicae propter civilium et ecclesiasticorum negotiorum promiscuitatem, nec non cuidam Decreto pro ea Diaecesi edito a laudato Episcopo De Dominicis, quod confirmatum dicebatur a s. m. Pio VII, magisque explicatum a Sacra Congregatione, omnimode adversam huiusmodi Cancellariorum agendi rationem nactus est praefatus Antistes. Quare memoratum Quadrinium in primis admonendum curavit, ut originarios laudatos actus illico restitueret; is tamen, spreto Episcopi mandato, ad Archivorum Praefectum confugiens, iniuria prorsus hisce tabulis expoliari a Civitatis Castellanae Episcopo exposuit, atque ad eumdem Praefectum suas etiam querelas detulit Episcopus. Ille autem in voto Notarii Quadrini

concedendum censuit (1). Quum nihil penes Archivorum Praefectum proficeret Antistes, audito prius consilio Emi Praefecti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, rem omnem nitide explicavit Summo Pontifici petens, ut dictos Quadrinium ac Midossium ad originales restituendas tabulas cogeret. Negotium a Summo Pontifice ad Sacram Congregationem fuit ablegatum, quae die 14 ianuarii 1832 ita mandavit: – Scribatur eidem Episcopo, qui audiat in scriptis Ioseph Quadrini et Ioannem Abundium Minossi; et quatenus ipsi iura sua deducere velint coram S. Congregatione, eisdem praefigat terminum ad ea deducenda, ac de resultantibus certioret –, nec non – Audiatur R.P.D. Praefectus Archiviorum –. Episcopus retulit: – Iuxta EE. VV. mandatum denunciationem, cuius exemplar huic humiliter insero, ex-Cancellariis Episcopalibus Iosepho Quadrini et Ioanni Abundio Midossi per meae Curiae Apparitorem tradere feci. Postquam hanc recepit Quadrini supradictus, ad R. P. D. Archiviorum Praefectum confugit, a quo interdictum fuit, ne authographos, de quibus agitur, cuiquam absque eius licentia tradere auderet –. Tabulariorum Pontificiae Ditionis Praefectus, ex Sacrae Congregationis mandato auditus, eos animi sensus repetebat, quos dictus Episcopus iam explicaverat in suis Literis superius relatis.

26. Quadrinius et Midossius protulerunt itaque legem edictalem publici iuris factam a s. m. Pio VII die 31 maii 1822, quae sic praecipiebat: – I Notari non possono privarsi delle loro Matrici finchè vivono –. Idcirco Episcopus petere non poterat sibi consignari tabulas actorum *matrici,* nisi ille facultatem sibi sumeret abrogandi legem Supremi Principis, qui hac lege voluit in pristinum honorem restituere Tabelliones, quorum scripturis tam publica, quam privata Civium bona ac publica res in tuto collocantur, omnia autem in discrimen vocarentur, si scripturas pessumdari atque hac illac dilabi permitteretur. Gravissima etiam incommoda necessario sequi ipsi asseruerunt, si Cives noscerent, posse Notarios impune spoliari tabulis *le matrici,* quas ipsi exararunt, quasque in ipsis formularum libris, *Protocolli* vulgo appellantur, diligenter custodiri pro certo sciunt. Accedebat, id a Quadrinio factum non clam aut pro arbitrio, sed consentiente et probante Episcopo De Dominicis. Factum aut sui Decessoris ipse tenebatur servare; neque illud infirmare sine iniuria poterat. Episcopus aperte declaravit, nunquam suo animo hanc sententiam insedisse, ut Notarios Quadrinium et Midossium privaret tabulis instrumentorum, quas confecerunt, uti Notarii a Civibus rogati; eas tantum tabulas postulavit, quas ipsi confecerunt – nella qualità di Cancellieri Vescovili –, quaeque in Episcopali tabulario servari debebant. Neque dum hoc postulavit, insimulari ab ullo posse dixit, se in legem Summi Pontificis peccasse: etenim Summus Pontifex de Notariis tantum loquutus est et de actibus, quos ipsi absolvebant in negotiis ad privatos homines pertinentibus; nihil autem sancivit de Cancellariis Episcopalibus et de actibus, quos ipsi conficiebant pro munere Cancellarii. Noverat enim apprime Summus Pontifex, quaenam esset hac super re Ecclesiae praxis ac disciplina; neque ipsum latebat declaratio edita ab Sacra Congregatione die 20 septembris 1625, Praefecti munere apud eamdem Sacram Congregationem obeunte Cardinali Scipione Burghesio, quam prae ceteris refert ac de verbo ad verbum excribit Pignatellius in consult. 210 n. 3 tom. 4. In ea enim – orta controversia inter Episcopum et Communitatem Civitatis Ca-

(1) Unde datis ad Episcopum Literis die 6 augusti 1831 ita suos animi sensus promebat: – Prescrive la legge, che i Notari non possano mai finchè vivono privarsi delle loro matrici, e se momentaneamente per il caso di qualche verificazione processuale ne permette l'estrazione dei protocolli, deve ciò essere preceduto da una sentenza e da formalità infinite per il ritorno dell'originale ai protocolli. Ciò posto, ne discende per conseguenza legittima la illegalità delle pretenzioni affacciate su i rogiti del Quatrini. La declaratoria poi emanata nel 1825 della S. Congregazione del Concilio a petizione di questa stessa Presidenza, e dietro la confessione di Monsignor Segretario di detta Congregazione sull'inesistenza o irreperibilità di altra antecedente, che da molti si allegava, non può riguardare per ragion di epoca il Quatrini, o al più potrebbe soltanto emergere alla di lui morte, essendo quello solo il caso, in cui si potrebbe disputare sulla separazione delle matrici –.

stelli super asservatione scripturarum fori Episcopalis, Sacra Congregatio, auditis Partibus, censuit, scripturas omnes rogatas a Cancellario Episcopali, tamquam illius Curiae Cancellario, esse asservandas et custodiendas in Cancellaria ipsius Episcopi, et ne in huiusmodi scripturarum separatione oriantur controversiae et scandala, tibi (Vicario Perusino) quod facimus committendum duxit, ut illuc te transferas, et scripturas in folio his Literis adiuncto exaratas, ac si quae aliae rogatae fuerint a Cancellario, separes a scripturis Archivii Communitatis, et ad Cancellariam ipsius Episcopi deferendas cures, quod pro tua diligentia sedulo efficies –. Hinc post enumeratas singulas scripturas in Cancellaria Episcopali custodiendas, ita concludit: – Sacra Congregatio censuit, scripturas expressas, ac si quae aliae rogatae fuerint a Cancellario illius Curiae, esse asservandas in Cancellaria ipsius Episcopi –; quin obesset, quod index harum scripturarum, forte deperditus, non inveniretur apud acta Sacrae Congregationis, cum id Decreti veritati non officere dixerit Episcopus. Indicem enim recensent Canonistae, summo in pretio ab omnibus habiti; Decretum autem ipsum revera extat in Registro Literarum Sacrae Congregationis Concilii signato foris 1618-1625 lib. 11 Literarum Concilii existentium in Secreteria eiusdem Sacrae Congregationis. Hanc ipsam resolutionem etiam meminit ac in parte refert Ferraris in Biblioth. can. verb. Cancellaria n. 20 dicens: – Scripturae et instrumenta, quae conficiuntur et rogantur a Cancellario Episcopi, tamquam Cancellario, servari debent in Episcopi Cancellaria, non autem transferri debent ad Archivium Communitatis –. Hoc ipsum statuit Monacell. tom. 1 pag. 11 adnot.ad form. 5. Omnem autem difficultatem praecidebat Decretum S. Congregationis editum die 9 iulii 1825, quo idipsum verbis expressis fuerat statutum. Decretum hoc, post latam legem Pii VII editum, Quadrinium etiam afficiebat, quin expectari deberet eius obitus, cum finis a Decreto volitus haberi non posset, si scripturae ad vitam Notarii penes eum collocarentur. Quoad veniam autem datam a decessore Episcopo, Quadrinius eam non probavit; et licet probasset, id tamen concedentis vitam egredi non potuisset, nullumque vulnus inflictum hinc dici posset iuri ad Successorem pertinenti pro repetendis Cancellariae scripturis.

27. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quae scripturae reddendae sint Cancellariae Episcopali Civitatis Castellanae a Notariis Quadrinio et Midossio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad formam in omnibus praecedentium resolutionum et praesertim diei 9 iulii 1825; et Episcopus curet exequutionem, adhibitis iuris et facti remediis, et notificetur D. Praesidi Archiviorum – *in Civitatis Castellanae die 2 Maii 1835.*

28. Capitula autem tam Cathedralis, quam Collegiatae habere debent Archivium in loco tuto Ecclesiae, eique praeficiuntur duo Canonici cum clavibus diversis atque ibi asservantur sigillum Capituli Decreta capitularia libri omnesque scripturae spectantes, sive ad universos, sive ad singulos Canonicos, Gratian. discep. for. cap. 142 n. 27, Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 4 tit. 16 n. 14 *in Alatrina Mensae capitularis die 28 Aprilis 1827* §. *Addam.*

29. Unde Canonici extrahere nequeunt a capitulari grammatophylacio instrumenta ceterosqe libros *in Alatrina Mensae Capitularis die 28 Aprilis 1827* §. *Addam.*

Item *in Gallipolitana die 15 Martii 1828* §. *Tandem.*

30. Idcirco si Canonici instrumenta inventaria et sigillum ex tabulario Capituli eduxerunt, eaque domum vel alio transtulerunt, compellendi sunt ad eorum restitutionem *in Alatrina Mensae Capitularis die 28 Aprilis 1827* §. *Addam.*

31. Siquidem dum quaedam instrumenta et scripturae, quae penes Capitulare grammatophylacium Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Terrae Vici Alatrinae Diaecesis asservabantur, a Praeposito Pelloni eiusque Fratre domum fuerant asportata una cum Capituli sigillo, quo Praepositus pro suo lubitu et insciis Canonicis passim utebatur, proposito dubio: – II. An Praepositus sit cogendus ad restitutionem sigilli et librorum capitularium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative in omnibus; et Episcopus acriter moneat Praepositum Pelloni, ut se abstineat

a similibus – *in Alatrina Mensae Capitularis die 28 Aprilis 1827* (1).

32. Qua de re si Canonicus detrectet restituere integrum Archivium capitularem, praefiniendus est ei terminus, quo elapso, procedendum est ad gravatorias, nec non ad verificationem corruptionum unius ex libris, quem is forte vitiaverit; quandoquidem quum Sacerdos Onofri ex antiquioribus Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Bictonii Archivium capitularem integrum, non obstante praecepto Visitatoris Apostolici, restituere detrectaret, et unum ex libris forte vitiaverit, Emus Card. Mattei Relator haec habuit: – Urgenda quoque erit integri Archivii capitularis restitutio, et inquirendum etiam, utrum superius enunciatus liber vitiatus revera fuerit. Iuris igitur et facti remediis a Curia Episcopali Assisiensi Canonicus Onofri cogendus erit ad restitutionem infra breve terminum praefiniendum omnino peragendam, et insuper contra ipsum procedendum quoad libri corruptionem in omnibus iuxta votum Visitatoris Apostolici, nisi eadem Curia, inspectis peculiaribus circumstantiis super eadem corruptione libri, dissimulare iudicaverit –. His igitur perpensis, proposito dubio: – V. An et quomodo cogendus sit Canonicus Onofri ad restitutionem Archivii in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, Affirmative; et esse praefiniendum a Vicario Apostolico terminum Canonico Onofri pro restitutione Archivii, quo elapso, procedat ad gravatorias nec non ad verificationem apertarum corruptionum libri, iuxta votum Emi Relatoris – *in Assisien. die 12 Augusti 1843.*

33. Quod si Thesaurarius iusta de causa instat pro exhibitione omnium instrumentorum et iurium, quae respiciunt reditus praeeminentias et iura Dignitatis Thesaurariae et Canonicatus, Capitulum ad haec exhibenda cogendum est; quandoquidem postquam Sacra Congregatio declaraverit, constare de excessibus Capituli Collegiatae S. Mariae Urbis Tudelae in Iosephum Antonium Inguitum Canonicum Thesaurarium et provisum Apostolicum, atque eidem deberi fructus et distributiones a die possessionis, excepto primo anno solvendo heredibus defuncti, nec non deberi per Capitulum omnia damna et interesse passa ex causa molestiarum et litium ex causa Capituli inductarum, proposito dubio: – IV. An et sub quibus poenis cogendum sit Capitulum ad exhibenda omnia instrumenta et iura, quae respiciunt reditus praeeminentias et iura Dignitatis Thesaurariae et Canonicatus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 novembris 1727 responsum tulit: – Ad quartum, cogendum esse sub poenis pecuniariis, in quantitate arbitrio Nuntii, et in subsidium suspensionis a divinis –. Reproposito dein cum aliis praefato dubio sub formula: – An et in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 13 martii 1728 respondit: – Ad Emum dominum Cardinalem Belluga, qui auctoritate Sacrae Congregationis Partes inducat ad concordiam, et quatenus concordare nolint, eam faciat ex officio in Sacra Congregatione referendam –. Demum Reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, iuxta modum praescriptum a Sacra Congregatione et ab Emo Praefecto declarandum, et pro executione tam praesentis Decreti, quam ab ipso in futurum dependentium Episcopo Tirasonensi facultatibus Sacrae Congregationis; et amplius – *in Nullius Tudelae die 13 Augusti 1729.*

34. Quin imo nec ipse Episcopus iure pollet ex capitulari tabulario extrahendi scripturas Mensae Episcopalis, licet cogere queat Canonicum Archivistam, ut sibi ostendat scripturas vel earum exemplar exhibeat, Pignatell. consult. can. 66 n. 1 tom. 1, et cons. 16 n. 4 tom. 8, Ferrar. Biblioth. can. verb. Capitulum art. 1 n. 12 *in Alatrina Mensae Capitularis die 28 Aprilis 1827* §. *Addam.*

Item *in Gallipolitana die 15 Martii 1828* §. *Tandem.*

35. Quapropter Episcopus Gallipolitanus frustra praetendit, ut Canonici Cathedralis Ecclesiae tradere deberent authographas Literas Pauli V, quibus Pontifex quamdam donationem per antecessorem Episcopum eisdem factam roboravit, ad effectum eas asservandi in Archivio Episcopali, sed merito

(1) Reliqua, quae ad hanc pertinent Causam, habes in Verb. *Alienatio*, §. III, n. 529 ad 534, Tom. I.

praedicti Canonici sustinuerunt, se compelli non posse ad illarum traditionem, iam inde enim ab initio iidem curaverant, ut eiusmodi Literae in capitulari tabulario custodirentur, quod quidem consentaneum erat Constitutioni Sixti V diei 29 aprilis 1589, quae incipit *Provida Romani Pontificis,* ac Decretis peculiarium Synodorum, quas inter Concilium Romanum anni 1725 tit. 12 cap. 6 *in Gallipolitana die 26 Aprilis 1828* (1).

INTERDICTI CENSURA

1. Novum non est, quod Interdictum feratur, ob Populi nequitiam, uti habetur in Cap. *Si sententia* de sententia excommunicationis in 6; unde in celebri dissertatione impressa anno 1715 de sententia Interdicti haec habentur pag. 58: - Interdicti ob nequitiam Populi saepius iterati – *in Caputaquen. Iurisdictionis die 2 Octobris 1723* §. *Quoad.*

2. Unde, nequiter tumultu in Populo excitato contra Ministros Episcopales ac ipsum Episcopum, iure ac merito Episcopus extraiudicialiter in tumultuantes processit, nec non valide absque etiam citatione Oppidum seu Terram ac eius Populum, vim vi repellendo, Interdicto ecclesiastico locali supposuit, et Interdicto personali subiecit omnes illos, quos in calce Interdicti specialiter nominavit, quique tumultui causam dederunt *in Caputaquen. Iurisdictionis die 2 Octobris 1723.*

3. Siquidem antiqua erat controversia inter Episcopum Caputaquensem et Abbatem S. Mariae Angelorum Centulae, contendente hoc, se plenariam ab Episcopo iurisdictione habere exemptionem una cum territorio separato, et contendente illo, se posse in Terra Centulae omnem iurisdictionem plenariam exercere. Omissa autem serie antiquarum contentionum, operae pretium esse videbatur tantummodo adnotare, quod ab Sacra Congregatione die 10 maii 1698 et die 18 iulii 1699 commissum fuit Episcopo Caputaquensi, ut nomine eiusdem Sacrae Congregationis et sine praeiudicio iurium ambarum Partium, tam in petitorio, quam in possessorio, deveniret ad approbationem Confessariorum Terrae Centulae ad sex menses, et quod Abbas hoc interim iura sua deduceret super praetensa exemptione. In sequelam horum Rescriptorum assumptus fuit tractatus amicabilis concordiae, sed cum ille suum effectum habere non potuisset, et subsequenter expletae fuissent visitationes dictae Terrae ab Episcopis Caputaquensibus tam de anno 1703, quam de anno 1709, modernus Episcopus anno 1722 ad eamdem Terram accessit pro visitatione peragenda, et in Terra Centulae Ecclesiam et Sacramenta visitavit confirmationis Sacramentum administravit et Sacerdotibus confessariis examen indixit. Bini Sacerdotes ad examen accesserunt, et alii, qui ad examen accedere noluerunt, fuerunt suspensi a facultate audiendi confessiones, et suspensionis Edictum consignatum est Cursori Curiae Episcopalis, ut illud affigeret ad valvas Ecclesiae. Factum hoc tumultum in Populo excitavit, adeoque omne genus Personarum comparuit sclopis fustibus et aliis armis munitum in platea Palatii Episcopalis, cumque Cursores et ceteros Episcopi Ministros contumeliis, et uti praetendebatur, etiam verberibus affecisset, Episcopum ipsum per horam obsessum detinuit, usquequo sedato pacifice tumultu, potuit ipse a Terrae Centulae discedere et confugere ad Oppidum Pixunti, in quo tam auctoritate Ordinarii, quam, quatenus opus esset, auctoritate delegata a Sacro Concilio Tridentino,Terram Centulae et eius Populum, vim vi repellendo, Interdicto ecclesiastico locali supposuit, et Interdicto personali subiecit omnes illos, quos etiam in calce Interdicti specialiter nominavit, quique tumultui causam dederunt. Suam habuit Interdictum observantiam spatio circiter quindecim dierum; sed publicato quodam folio super Interdicti nullitate, publice et palam fuit Interdictum violatum, et consequenter celebrata fuerunt magna cum solemnitate officia divina. Validitati itaque Interdicti obstare haud videbatur defectus citationis, quia citatio fuisset

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Archivium,* n. 42 ad 45, Tom. II.

inopportuna, quoties, prout in casu, Episcopus vim vi repellendo extraiudicialiter procedere professus esset; et quatenus Interdictum validum non fuisset, subdidit Episcopus, semper locum esse posse declarationi incursus in excommunicationem propter impedimentum praestitum exercitio suae iurisdictionis in visitanda dicta Terra Centulae.

4. His mature perpensis, proposito dubio: – I. An Interdictum sustineatur, seu potius quibus poenis sit locus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Interdictum sustineri – *in Caputaquen. Iurisdictionis die 2 Octobris 1723.*

5. Idcirco sustinetur Interdictum, servatis de iure servatis, in Comitem eiusque Ministros ecclesiasticae iurisdictionis violatores ab Episcopo latum, qui etiam ob Interdicti contemptum iure ac merito ad declaratoriam excommunicationis devenit *in Leodien. Censurarum die 11 Martii 1702 lib. 52 Decretorum.*

6. Enimvero – cum Maximilianus Franciscus Gobertus comes de Rechem prohibuisset Parochis locorum de Rechem Borsem et Vhoven sui Comitatus celebrationem festivitatis S. Lamberti Patroni Civitatis et Diaecesis Leodiensis, Episcopus eiusdem Civitatis die 29 martii 1700 expedivit contra ipsum monitorium de recognoscendo loca praedicta esse de sua Diaecesi, ac de se abstinendo a dicta prohibitione sub poenis Interdicti, cui tamen praedictus Comes nedum non paruit, sed ulterius libere permisit Iudaeis dies festos de praecepto operibus prophanare; muro claudi fecit ianuam Ecclesiae parochialis de Rechem apertam auctoritate Archidiaconi Campiniae de anno 1694 in actu visitationis, reservato tantum aditu ad dictam Ecclesiam per portam Castri a militibus custoditam, et cuius claves de nocte ab ipso Comite retinentur; ecclesiasticas Personas collectis gravavit; ac demum defuncta Priorissa Monasterii praedicti Castri de Rechem, appositis Militibus in custodiam dicti Monasterii per Henricum Holtacher suum laicum ministrum ad impediendum accessum cuiuscumque alterius Personae, deveniri curavit Moniales ad electionem novae Priorissae, sequutae in Personam Ursulae Elias, quae vigore huiusmodi electionis possessionem per vim accepit, licet dicta electio facta fuerit per quatuor Moniales dumtaxat, ceteris se opponentibus ac de illius nullitate protestantibus, nec non etiam absque interventu et consensu Abbatis Bellireditus superioris eiusdem Monasterii, qui pariter de dictae electionis nullitate protestationem emisit. Quapropter Episcopus supradictus die 20 augusti eiusdem anni aliud expedivit monitorium tam contra Comitem praedictum, quam adversus Holtacher et Petrum Caenen eius officiales de revocando dictos actus ac removendo omnia impedimenta ad hoc, ut electio Priorissae iuxta sacros Canones et Ordinis Constitutiones libere fieri posset, cum praefixione termini novem dierum, et pariter sub poenis Interdicti, a quo interposita appellatione per dictum Comitem ad Nuncium Coloniensem, ac ab isto nil favorabile reportato, tandem ob ipsorum non paritionem dictus Episcopus sub die 23 novembris dicti anni 1700 eosdem in Interdicti poenam et censuras incursus declaravit. Verum his minime attentis, praefatus Comes claudi iussit praedictam Ecclesiam parochialem de Rechem impediendo cum Militibus armatis, ne Parochus eiusque Parochiani ingrederentur ad divina officia peragenda, et insuper celebrari fecit coram se et Holtacher et Caenen aliisque suis Ministris Sacrosanctum Missae Sacrificium per quemdam Presbiterum malae famae. Quibus attentis, Episcopus supradictus, alio expedito monitorio die 16 ianuarii proxime praeteriti adversus praedictos Comitem Holtacher et Caenen cum praefixione termini novem dierum de reparando praemissa attentata, ac satisfaciendo contemptui Interdicti per ipsos incursi sub poena excommunicationis, nullaque facta per eosdem paritione, ultimo die 11 sequentis mensis februarii devenit ad declaratoriam excommunicationis contra dictos Holtacher et Caenen dumtaxat, excepto Comite praedicto, eo quia allegavit declinatoriam iurisdictionis coram Vicario Generali, ac appellationem ad S. Sedem interposuit.

7. His igitur stantibus, habito per dictum Comitem recursu ad Signaturam iustitiae, et obtenta absolutione a censuris cum reincidentia per quatuor menses, Causa per R. P. Auditorem Sanctissimi ad hanc Sacram Congregationem remissa, ad instantiam Promo-

toris fiscalis Curiae Episcopalis Leodiensis sequens dubium EE. VV. decidendum proponitur: – An censurae substineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Leodien. Censurarum die 11 Martii 1702 lib. 52 Decretorum.*

8. Hinc validum declaravit Sacra Congregatio Interdictum appositum ab Episcopo Ecclesiae et Officialibus Confraternitatis, ex eo quod iidem subministrare recusarunt magno cum Populi scandalo et Episcopalis auctoritatis vilipendio candelas, iuxta solitum, ad peragenda statutis diebus divina officia in eorumdem Ecclesia, in quam ob id Episcopus et Capitulum accedebat *in Venefrana Interdicti die 26 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

9. Siquidem – consueverat Episcopus et Capitulum Venefranum ab antiquissimo tempore, attenta distantia Ecclesiae Cathedralis per medium milliare circiter a Civitate, accedere ad Ecclesiam Confraternitatis Sanctissimae Annunciationis in diebus Quadragesimae et Adventus, ad inibi canendum Missam solemnem et audiendam divini verbi praedicationem, quae ibidem pro commoditate Populi haberi solet ex permissione eiusdem Episcopi loco Ecclesiae Cathedralis. Ecclesia vero dictae Confraternitatis e converso subministrabat, pro dictis functionibus, non solum candelas necessarias ad usum Missae solemnis, sed etiam omnia alia paramenta ecclesiastica, et ita absque ulla controversia in praeteritum practicatum fuerat propriis semper sumptibus Confraternitatis, cuius annui reditus sunt valde pingues, tamquam excedentes summam octingentorum et ultra ducatorum. Cum autem in Dominica Passionis anni proxime praeteriti Episcopus iuxta solitum accessisset una cum Capitulo et Clero ad dictam Ecclesiam, ad effectum assistendi Missae solemni et divinae praedicationi, iamque omnibus cum superpelliceo et bireto in proprio loco assidentibus, ac Canonicus celebrans cum assistentibus essent sacerdotalibus paramentis induti pro Missa canenda, et Concionator quoque promptus esset ad verbum Dei annunciandum, praesente maiore parte Populi Civitatis, Prior et Officiales Confraternitatis, subtractis prius de eorum ordine, ut praetenditur, a maiori Altare candelis, illas iuxta solitum quamvis requisiti subministrare noluerant cum magno Populi scandalo, et Episcopalis auctoritatis vilipendio: quapropter cum ex hac causa divina peragi non valuerint in dicta Ecclesia, Episcopus ad praesentiam totius Capituli Cleri et Populi ex probata contumacia dictorum Officialium, illisque iterum et tertio requisitis etiam per Edictum, ad subministrationem dictarum candelarum, receptoque summario examine plurium Testium super antiqua consuetudine praefatae subministrationis, ecclesiastico Interdicto supposuit nedum Ecclesiasticos, sed etiam Priorem et Officiales praedicto cum affixione cedulonum in ianuis eiusdem Ecclesiae. Appellarunt Officiales ab huiusmodi Interdicto, tamquam praecipitanter et non servatis servandis, prolato ad Curiam Archiepiscopalem Capuae, obtentaque statim in honorem solemnitatum Paschalium absolutione, die 2 maioris hebdomadae Ecclesiam de facto, amotis cedulonibus, aperiri curarunt, eaque per Priorem Augustinianorum reintegrata, Missam inibi cum magno campanarum fragore celebrari, sibique ipsis Sacramentum Poenitentiae ab eodem Priore administrari fecerunt, quamvis in eodem actu de ordine Episcopi fuisset illi revocata facultas audiendi confessiones.

10. Post haec utraque Pars recursum interposuit ad Sanctissimum Dominum Nostrum, expeditaque coram A. C. ad instantiam Confraternitatis et Officialium nova absolutione cum reincidentia, Causa per Auditorem Sanctissimi ad petitionem Episcopi fuit ad hanc Sacram Congregationem remissa, delatoque processu ad Urbem, concordata fuerunt infrascripta dubia, super quibus non gravabuntur EE. VV. eorum sapientissimum oraculum proferre: – I. An Interdictum substineatur? *Et quatenus negative.* II. An et in quam poenam inciderit Episcopus? *Quatenus vero affirmative.* III. An absolutiones impartitae vigore facultatum Archiepiscopi et A. C. fuerint validae? *Et quatenus negative.* IV. An et in quas poenas inciderint absolventes? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, et quartum, ad mentem – *in Venefrana Interdicti die 26 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

11. Idcirco Episcopus, iure visitandi Sanctissimam Spinam coronae Domini nostri Salvatoris Capiti confixae in Ecclesia Regularium existentem pollens, valide, servatis de iure servandis, eorumdem Ecclesiam Interdicto supposuit, cum ipsi visitationi obstiterint *in Firmana Visitationis Sanctissimae Spinae die 5 Iunii 1700 lib. 50 Decretorum* (1).

12. Unde Interdictum in eorum Oratorium latum, qui nequiter Parocho obstiterunt, ne in dicto Oratorio suetas expleret functiones, validum declaratur, ac locus est relaxationi, quin contra praetensos complices procedi debeat; quandoquidem Praepositus Ecclesiae S. Leonardi die festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, praeeunte cum Cruce elata Clero Parochialis dictae Ecclesiae, ad Oratorium Confraternitatis Mortis et Orationis Casalis Maioris Missam cantaturus accessit; ideoque Confratres a celebratione eiusdem festivitatis abstinere statuerant, luminibus extinctis nudatoque Altari, prohibuerunt, ne dictus Praepositus in dicto Oratorio quidquam perageret, tametsi ille ex ipsa Ecclesia sua parochiali indumenta sacerdotalia aliaque necessaria utensilia deferri curasset. Unde Curia Episcopalis, recepto plurium Testium examine, praefatum Oratorium Interdicto confestim supposuit, eiusque Officiales et Confratres ad personaliter comparandum et ad dicendam causam, quare in poenas a iure statutas non incidissent, commonuit. Recurrentibus hinc ipsis ad Sacram Congregationem, propositis dubiis: – I. An substineatur Interdictum appositum in Oratorio Mortis Casalis Maioris per Curiam Episcopalem Cremonensem? *Et quatenus affirmative.* II. An relaxationi eiusdem Interdicti locus sit? III. An per dictam Curiam sit procedendum contra Confratres praetensos complices? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative ex satis – *in Cremonen. die 23 Ianuarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

13. Quin imo validum renunciatur Edictum Episcopi, quo is praecepit Capitulo, sub poena Interdicti Ecclesiae ipso facto incurrenda, ut imposterum, servatis ritibus a rubrica Missalis Romani praescriptis, benedictio et distributio candelarum sumptibus eiusdem Capituli comparandarum fieret; proposito enim dubio: – I. An Edictum Episcopi demandantis sub poena censurarum distributionem candelarum propriis sumptibus faciendam a Capitulo Terlitii die Purificationis Beatae Virginis Clero et Populo sustineatur? –, Sacra Congregatio die 22 septembris 1736 responsum dedit: – Ad primum, Affirmative –. Reproposito dein cum aliis dubio sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis in omnibus, et ad mentem – *in Iuvenacen. die 9 Februarii 1737* (2).

14. Nec dubium, quin Capitulum incidat in poenam Interdicti, si, Sede vacante, contraveniat dispositioni Cap. 10 sess. 7 de reformatione Concilii Tridentini; quandoquidem quum Sacra Congregatio declarasset, Vicarium, Sede vacante, qui concesserat aliter dimissorias, quam praescriptum sit in Cap. 10 sess. 7 de reformatione, puniri ab Episcopo, qui ad eam Ecclesiam vacantem promotus est, iuxta Cap. 16 vers. Episcopus vero sess. 24 de reformatione, pariter declaravit, Capitulum incidere in poenas Cap. 10 sess. 7 de reformatione *in Tarraconen. mense Februarii 1590.*

15. Hinc Episcopus valide Ecclesiam seu Oratorium per Abbatem Regularem, ipso inconsulto, aedificatum et benedictum, Interdicto supposuit, ac de iure in Sacerdotes tam Seculares, quam Regulares, qui in eo celebrarunt, procedere potest *in Eleven. die 9 Februarii 1754.*

16. Iamvero latifundia possidebat Abbas Ullissiponensis Monasterii S. Benedicti de Salute prope Villam Alandroal in Elvensi Diaecesi milliariis 75 a Monasterio dissita, in quibus vineta plantavit domumque extruxit, praeposito omnibus Ordinis sui Regulari, cuius commodo consulere cupiens prope domum Ecclesiam aedificari curavit, inconsulto tamen Elvensi Episcopo, quae duplicem habebat portam, alteram interiorem e domo, quam incolebat Regularis, externam alteram publicamque. Adstabat Ecclesiae turris cam-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. XIX, n. 319, Tom. IX.
(2) Speciem Causae huius habes in Verb. *Benedictio*, §. III, n. 44 ad 47, Tom. III.

panaria: opere impleto, Ecclesiam benedixit Abbas, inconsulto Episcopo, adscitis nonnullis Ecclesiasticis proximae Villae, qui Sacra egerunt in nova Ecclesia etiam diebus festis, Populoque sacratissimum Eucharistiae Sacramentum ministrarunt. Certior de his omnibus factus Episcopus Elvensis Ecclesiam Interdicto supposuit, processum instituit adversus Sacerdotes tam Seculares, quam Regulares, qui in eadem Ecclesia Sacra egerunt. Appellavit Abbas ad Tribunal Nunciaturae, et post appellationem novo muro Ecclesiam omnem circumclusit, ea fortasse mente, ut Ecclesiam faceret privatam: novus tamen hic paries ianuam habebat, quae ianuae Ecclesiae respondebat. At Episcopus a Summo Pontifice postulavit, ut, audito Nuncio, Causam ipse definiret. Proponebat Abbas urgebatque Ordinis sui privilegia, sed Nuncius animi sui sententiam aperuit secundum Episcopum. Episcopus itaque ursit iuris dispositionem, ex qua nulli licet Ecclesias aedificare sine consensu Episcopi, nulli licet, Episcopo inconsulto, Ecclesias benedicere, et in iis Sacramenta ministrare: id iuris custodiendum esse, licet res esset de Regularibus; privilegia enim, quae Regularibus data sunt a Summis Pontificibus, interpretari debent sine praeiudicio iurium Episcopalium. Hinc arguit, substinendum esse Interdictum: neque mutare, quod res esset de Ecclesia privata, non publica, cum non licuerit Abbati Ecclesiam, quae publica aedificata fuerat, privatam reddere,novo muro circumducto, licet ne ita quidem privata facta fuerit, cum murus exterior portam haberet ianuae Ecclesiae respondentem. Addidit, in idem recidere, etiamsi res esset de Ecclesia seu Oratorio privato; nam sine privilegio Apostolico et sine Episcopi destinatione vetitum est in Oratorio privato Sacra agere, ideoque poterat Episcopus de iure procedere contra Sacerdotes sive Seculares, sive Regulares, qui in eo Sacra egerunt, et Sacramenta ministrarunt.

17. His igitur perpensis, proposito dubio: – II. An substineatur Interdictum latum ab eodem Episcopo, ita ut possit etiam prout de iure pocedere contra Sacerdotes Seculares et Regulares, qui inibi celebrarunt aut celebrant in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, id Abbati non licuisse, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative – *in Elven. die 9 Februarii 1754.*

18. Qua de re Episcopus iure ac merito Interdicto supponit Ecclesiam, intra fines suae Diaecesis existentem, cum haud legitime erecta fuerit et benedicta *in Sulmonen. Interdicti et Censurarum die 24 Ianuarii 1699 lib. 49 Decretorum* (1).

19. Iusta hinc censetur causa subiiciendi Interdicto Capellam seu Oratorium, quum homines loci pessumdarent leges et pacta, quibus illius erectio permissa fuit, nec non contentionum origo ac fons esse videatur *in Albintimilien. Interdicti die 16 Iunii 1770.*

20. Siquidem a seculo et ultra deputari consueverat Capellanus Curatus in Capella S. Pancratii, qui curam animarum exerceret in finitimis campestribus regionibus Calvi Villatellae S. Antonii et Turrium, in territorio Albintimiliensi existentium, et in eadem Capella solemnia celebraret ac Sacramenta ministraret. In congruam istius Capellani sustentationem unaquaeque ex familiis earumdem regionum anno 1664 spoponderat publico instrumento quamdam frumenti ac vini quantitatem subministrare. Deinde homines regionis Turrium Episcopo supplicarunt pro constructione in eius ambitu novae Capellae sub invocatione S. Laurentii Iustiniani,et huic petitioni annuit Episcopus, – salvis tamen et reservatis iuribus parochialibus et episcopalibus, dummodo tamen Ecclesia construenda habeat ianuam in via et in loco publico, Sacramenta in ea absque expressa licentia non administrentur, neque oblationes et emolumenta a nemine recipiantur, neque construatur sepulchrum, neque in die Paschatis Resurrectionis, nec in die Pentecostes Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi aliisque solemnioribus anni diebus, Missa celebretur; et hac insuper adiecta lege, quod Oratores eorumque heredes et successores semper et singulis annis teneantur contribuere antiquissimum iuxta morem pro manutentione tum Capellae S. Pancratii, tum eius pro tempore Capellani, quin ullo unquam tempore, sub quovis praetextu vel casu hunc ad Missam in

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 71, Tom. IX.

nova Ecclesia construenda celebrandam adigere possint –. Quantum homines Turrium novam hanc Capellam construxerunt ornarunt et Capellano in ea Sacramenta ministrante mercedem solverunt, tantumdem neglexerunt promissam erga Capellanum Curatum S. Pancratii subministrationem implere. Quare reclamantibus anno 1767 aliarum regionum hominibus, Vicarius Capitularis promissam eidem Capellano S. Pancratii praestationem infra dies quindecim pendendam mandavit sub poena Interdicti; vetuitque, ne in Ecclesia S. Laurentii Sacramenta ulterius ministrarentur. Cumque intra praefinitum tempus paritum non fuerit praecepto, die 29 augusti eiusdem anni idem Vicarius Ecclesiam S. Laurentii Interdicto subiecit, quod tamen postea, die scilicet prima sequentis mensis septembris, fuit revocatum. Denuo tamen instauratae deinde sunt querelae coram moderno Episcopo, qui die 28 aprilis 1768 decrevit: – Neminem, nisi Capellanum pro tempore divi Pancratii, vel alias de nostra aut eiusdem Capellani licentia, in Capella seu Oratorio sub titulo S. Laurentii Iustiniani in regione Turrium noviter constructa Sacramenta administrare posse, nec Puerperas benedicere, neve oblationes aut eleemosynas recipere, minusve collectas facere, volentes, in praedicta Capella ab alio quovis non Capellano divi Pancratii, nec habente licentiam, nullas functiones ecclesiasticas exerceri posse, et solummodo Sacrosanctum Missae Sacrificium quotidie celebrari, exceptis tamen diebus Paschatis Resurrectionis Pentecostes Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, aliisque solemnioribus diebus –. Utque hominibus Turrium rem gratam faceret Episcopus, mandavit – Capellano pro tempore Capellae seu Oratorii divi Pancratii, ut in diebus Sanctissimae Conceptionis Beatae Mariae Virginis et SS. Laurentii Aloisii Gonzagae et Faustini in praedicta Capella seu Oratorio regionis Turrium Sacrosanctum celebret Missae Sacrificium –. Cum tamen his praescriptis legibus non paruerint homines regionis Turrium, idcirco Episcopus die 19 maii 1769 Capellam S. Laurentii Iustiniani iterum Interdicto subiecit.

21. Praefati homines ad Sacram Congregationem provocarunt; sed iura deducere neglexerunt. Promotor Fiscalis itaque contendit, Episcopum erectioni novae Capellae sub titulo S. Laurentii Iustiniani consensisse, cum expressa reservatione iurium Ecclesiae et Capellani S. Pancratii; homines autem regionis Turrium promissam istius favore contributionem postea denegasse, legesque erectionis et pacta fregisse, spretisque tum Vicarii Capitularis, tum Episcopi monitionibus, datarum legum neglexisse implementum; iure idcirco eamdem Capellam S. Laurentii fuisse Interdicto suppositam, Amostaz de Caus. piis lib. 5, Alter. de censur. tom. 2 disp. 10 de Interdict. cap. 1 litt. D. Perperamque, addidit, ab iisdem hominibus allegatam fuisse eorum distantiam ab Ecclesia S. Laurentii, cum non excederet milliarium unum italicum cum dimidio, et distantia haec perpaucarum domorum esset, non tamen regionis Turrium, quae nec ad unum milliarium distabat: hinc nec magna erat, nec via ullo flumine intercepta, aut adeo impervia, ut difficilis ad eam pateret accessus. Commode igitur dixit potuisse ipsos homines eamdem adire Ecclesiam, praesertim cum nunquam eousque casu evenerit, quod aliquis sine Sacramentis obierit, quin Capellanus Curatus praesto fuerit ad opem spiritualem ferendam. Demum advertit, nequaquam licuisse hominibus Turrium a promissa contributione resilire, ac leges et conditiones in erectione novae Capellae S. Laurentii adiectas posthabere. Episcopus postquam retulerit, illas regiones in praesens absque ullo Vicecurato existere, et duos ad illam Vicecuram missos minacibus verbis et male acceptos ab hominibus Turrium rediisse, vixque supradictas regiones posse contribuere ad unum alendum Capellanum, cum labore et industria viverent, ita conclusit: – Sensum meum in hac re aperiens, censerem remanere debere praedictam Capellam S. Laurentii Iustiniani suppositam Interdicto. Primo, quia iniustum est frui homines illo beneficio et gratia Capellae, non servatis conditionibus, sine quibus concessa non foret; secundo, quia Capella eadem fons est et origo harum omnium contentionum; tertio, quia secus de auctoritate Episcopi actum est, parvipenderant usque adhuc illius Decreta, et si per Sacram Congregationem Interdictum non sustineretur, imposterum vilescent –. Inspectio hinc erat, an iustam Epi-

scopus habuerit causam Interdicto memoratam Capellam subiiciendi. His igitur perpensis, proposito dubio: – An Interdictum Ecclesiae S. Laurentii Iustiniani sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Albintimilien. Interdicti die 16 Iunii 1770.*

22. Idcirco quum Episcopus Oratorium Interdicto supposuerit, ex eo quod illud non esset publicum, sed privatum, Sacra Congregatio resolvit, removendum quidem esse praefatum Interdictum, quatenus tamen designatae adimplerentur conditiones, quibus veluti publicum haberetur, quin etiam immunitate gauderet *in Pisauren. Oratorii die 19 Novembris 1707 et die 22 Februarii 1710 lib. 57 et 60 Decretorum.*

23. Enimvero – possidens Ioannes Baptista Antaldus nobilis Urbinatensis quoddam praedium cum habitatione rurali nuncupatum *il Bruscolo* in territorio Castri Montis Vetularum Pisaurensis Diaecesis, cupiensque in eo Oratorium construi, supplex adivit tunc temporis Episcopum Pisaurensem, qui post demandatum accessum ad faciem loci suo Vicario Generali habitamque ab eo favorabilem relationem, quae datur in Summario, praevia obligatione eiusdem Antaldi Oratorium manutenendi, ac quotannis recolendi festivitatem Sancti Titularis, de anno 1696 idemmet Episcopus pro illius constructione licentiam concessit. Sicque constructo Oratorio, divo Antonio Patavino dicato, in eoque pluries Sacro peracto, quin et de anno 1698 per Visitatorem ab eodem Episcopo deputatum perlustrato nonnullisque Decretis pro illius decentia editis, nihilominus modernus Episcopus in prima visitatione Diaecesis habita de anno 1704 recognito praefato Oratorio, cumque illud sibi visum fuerit publici Oratorii requisitis carere, Oratorium ipsum suspendit seu interdixit. Quapropter per dictum Antaldum recursus fuit habitus ad hanc Sacram Congregationem, et exquisitis de more eiusdem Episcopi informatione et voto, idem praenarrata comprobans, graphydem ex Oratorii structura desumptam transmisit, ac supradictam Vicarii Generalis relationem factam Episcopo praedecessori subreptitiam censet ex infrascriptis motivis, nempe quod idem Vicarius siluerit, quod Ecclesia tunc erigenda, nil aliud revera erat, quam cubiculum domus ruralis nomine Ecclesiae, quod longe distaret a publica via spatio 350 passuum, quod ostium intra domesticos parietes occultaretur, quod Ecclesia erat aedificanda in secundo plano seu ordine domus, quod subter eam aderat horreum ad servandum frumentum, quod scala eadem erat, quae ducit ad partem superiorem domus, quod Ecclesia aedificanda, etsi domui contigua, nullatenus tamen a domo esset separata, quod nullum signum publicae Ecclesiae praeseferret, quod semita, quae sternitur prope Ecclesiam, non publica esset, sed privata, quod Missa inibi non celebraretur, nisi in festo Titularis et diebus, quibus Nobiles de Antaldis ruralem domum inhabitant, ut fusius in relatione, quae in Summario exhibetur. Quae tamen omnia cum impugnentur pro parte praenominati Antaldi ex iuribus in Summario adducendis superest, ut EE. VV. monito Promotore fiscali Curiae Episcopalis definiant: – An sit locus remotioni suspensionis seu Interdicti Ecclesiae,de qua agitur,in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 novembris 1707 responsum tulit: – Emo Legato, qui mandet fieri Plantam iudicialem, et transmittat cum suo voto –.

24. In sequelam huius Rescripti idem Emus Legatus mox transmisit Plantam dicti Oratorii, approbatam tam ab Episcopo, quam a praefato Antaldo, et totam difficultatem redigit ad ambulacrum seu *loggia,* per quod itur ad Oratorium, quod videtur esse privati iuris, quo per illud liber cuilibet pateat accessus, cum ceteroquin via, quae ducit ad domum et Oratorium publica sit, et gradus, per quos ad ambulacrum ascenditur, nullo ostio nulloque repagulo claudantur. Rursus alteri difficultati circa domum, quae gauderet immunitate, cum ad eam nonnisi per dictum ambulacrum aditus pateat, occurrendum putat E. S. mediante Decreto et lapidea inscriptione, quod dicta domus nulla per hoc potiatur immunitate; sicque Oratorem voti compotem fieri posse existimat, quin et ipse Emus suas desuper preces adiicit, ex eius relatione danda in Summario. Qua de re Antaldus Orator demisse supplicat pro resolutione supraindicati dubii: – An sit locus remotioni suspensionis seu Interdicti Ecclesiae, de qua agi-

tur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta modum (1) – *in Pisauren. Oratorii die 22 Februarii 1710 lib. 60 Decretorum.*

25. Episcopus igitur interdicere etiam potest Ecclesiam parochialem et eius munia in aliam transferre provisionaliter, iuxta mentem et modum a Sacra Congregatione praescriptum, si eius restauratio negligatur *in Firmana Translationis et Unionis die 17 Iulii 1779 et in Firmana Interdicti et Translationis die 19 Maii 1787* (2).

26. Quin imo addi potest comminatio Interdicti ab ingressu Ecclesiae adversus Episcopos suffraganeos in literis inhibitorialibus, quae simpliciter vel una cum compulsorialibus conceduntur ab Archiepiscopis vel eorum Vicariis Generalibus, vigore appellantionis ad Curiam Metropolitanam interpositae, in casu non paritionis, ultra poenam excommunicationis et alias contra Vicarium Cancellarium aliosque dictorum Suffraganeorum Ministros *in Massalubren. Iurisdictionis die 26 Iunii 1688 lib. 38 Decretorum pag. 297 a tergo.*

27. Interdictum itaque generale locale Civitatis observatum ab Ecclesia Metropolitana debet etiam observari ab Ecclesiis in eadem Civitate sitis Ordinis Hierosolymitani, non obstante quavis consuetudine etiam immemorabili in contrarium *in Caesaraugustana Interdicti die 11 Iunii 1695 lib. 45 Decretorum.*

28. Unde Interdictum ecclesiasticum publicatum ab Episcopo observare debent etiam Regulares mendicantes *in Gienen. Observationis Interdicti mense Novembris 1584 lib. 4 Decretorum pag. 7.*

Item *in Vintimilien. mense Decembris 1587 lib. 5 Decretorum pag. 72; in Indiarum die 17 Decembris 1650 lib. 19 Decretorum pag. 97.*

29. Amplia, id locum etiam habet in diebus festis proprii Ordinis, non obstantibus quibuscumque eiusdem Ordinis privilegiis *in Pacen. die 1 Augusti 1606 ad cap. 12 sess. 25 de Regularibus Posit. 129 pag. 130.*

Item *in Nullius Privilegiorum die 18 Septembris 1660 lib. 22 Decretorum pag. 285; in Varsavien. Publicationis Interdicti die 18 Aprilis 1663 lib. 23 Decretorum pag. 571.*

30. Compertum hinc est, posse Episcopum in casu permissae visitationis exequutionem suorum Decretorum praecipere sub poena censurarum, ut respondit Sacra Congregatio in Calaguritana Visitationis 18 iunii 1701 ad septimum dubium lib. 51 Decretorum pag. 306 et 338, in Nullius seu Calaguritana Visitationis 24 ianuarii et 16 maii 1705 lib. 55 Decretorum pag. 25 et 175, et in Aprutina Visitationis 18 iunii 1705 lib. 55 Decretorum pag. 264; quo casu nullus requiritur ordo, praeter nudum praeceptum adimplendi sub poena censurarum ipso facto incurrenda, ut monet Thesaurus de poen. eccles. part. 2 verb. censura, nullaque desideratur causa, praeter nudam controventionem praecepto, cuius respectu posse ecclesiastico Interdicto subiici Ecclesiam exemptam, quae administratur a contraventoribus subditis Episcopo, tenent Card. De Luca de iurisdict. disc. 100 in supplem. n. 18, Monacell. form. leg. tom. 3 tit. 3 form. 6 n. 12 *in Derthonen. Visitationis die 12 Ianuarii 1760* §. *Demum.*

31. Interdictum enim uti et suspensio infligi non tantum per modum censurae potest, sed et per modum poenae ad instar aliarum poenarum ecclesiasticarum, Van-Espen de censur. Cap. 9 §. 1, Rousseaud De la compe in iurisprud. canon. verb. Interdictum n. 8 *in Spoletana Interdictionis oratorii die 20 Aprilis 1850* §. *Quae.*

32. Quando hinc per modum poenae illud infligitur, contumacia et canonicae monitiones haud requiruntur, Fleury Instit. iur. eccles. part. 3 cap. 21, Van-Espen. de censur. Cap. 9

(1) Scilicet censuit Sacra Congregatio iniungere Episcopo, ut si et posteaquam domini de Antaldis publico instrumento in Cancellaria Episcopali servando se obligaverint, atrium seu ambulacrum scalas situm ante easdem et viam, quibus itur ad Oratorium, cuicumque liberam in perpetuum servare, atque praedictorum omnium dominio et iuri cum effectu renunciaverint, et apposito in loco omnibus patente lapide cum inscriptione, quod domus cum omnibus supradictis locis nulla gaudet immunitate, praefatum Interdictum removeat, *ceu videre est in lib. 60 Decretorum pag. 76.*

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Ecclesia parochialis*, §. VII, n. 38 ad 41, Tom. IX.

§. 1, Suarez de censur. disp. 25 sect. 1 *in Spoletana Interdictionis Oratorii die 20 Aprilis 1850* §. *Quae.*

33. Alias vero quando Episcopus non processerit ad formam sacrorum Canonum, nullum censetur ac est Interdictum ab ingressu Ecclesiae, circumscriptis etiam omnibus gestis per dictum Episcopum *in Ugentina Archipresbiteratus die 6 Iunii 1716 lib. 66 Decretorum* (1).

34. Quapropter Regulares tenentur quidem intervenire ad processionem fieri solitam occasione primi ingressus Episcopi in Diaecesim, praevia intimatione facienda nomine eiusdem Episcopi, sed Episcopus nulliter eorum Ecclesias Interdicto supponit, cum nec dicta intimatio nec monitio nec interpellatio nec citatio praecesserint *in Albinganen. Processionis et Nullitatis Interdicti die 11 Iulii 1750.*

35. Siquidem advenienti novo Episcopo Albinganensi visitationis causa Terram Tabiae solemni pompa seu processione occurrit Clerus: defuere Patres Dominicani et Capuccini: Episcopus eorum Ecclesias Interdicto supposuit: confugerunt Patres ad Sacram Congregationem. Iniustas itaque dixerunt Patres nullasque censuras: iniustas quidem, quia nequibant Regulares cogi ad interveniendum processionibus, nisi publicis, iuxta Decreta a Congregatione particulari Urbani VIII, de qua Mattheuccius in offic. cur. eccles. cap. 40 n. 2; neque has inter recenseri eam, quae fit occasione primi ingressus sive visitationis Episcopi. Est enim non in honorem Dei, non in publicam utilitatem haec processio directa, sed in honorem et reverentiam solius Episcopi, qui honor et reverentia praestari debet hac ratione a subiectis, non vero ab exemptis, quales sunt Regulares. Numerabantur itaque hae processiones inter insolitas et extraordinarias, quibus Regulares interesse non teneantur. Dispositioni iuris addiderunt Patres consuetudinem, nec non loci distantiam: consuetudinem quidem, quae non solum non favebat Episcopo contra ius, sed favebat Patribus secundum ius, probarunt plures Testes, qui negabant, eosdem Patres affuisse quatuor processionibus, quae actae fuerant occasione ingressus quatuor praedecessorum Episcoporum. Distantiam vero loci, quae probabatur mensuratione facta a Peritis, legitimam esse causam, ob quam Regulares non ab his insolitis et extraordinariis dumtaxat, sed etiam a publicis atque universalibus excusentur, tradiderunt Ventrigl. in prax. adnot. 12 tit. de process. §. unic. n. 8, Ugolin. de potest. Episcop. part. 1 cap. 20 §. 2 n. 5, et alii. Nullas autem esse censuras disputarunt Patres, quia neque monitio, neque interpellatio praecesserat, sine qua notari et puniri non poterant ob inobedientiam et contumaciam, quae sane monitio necesse erat, ut legitima esset et personalis, ne Regulares a processionibus excusentur, ut docent Mattheucc. in offic. cur. quoad process. cap. 26 n. 4, Lezzana quaest. Regular. tom. 1 cap. 9 n. 47, Peyrin. tom. 1 ad Const. 2 Sixti IV §. 11 n. 57, a S. Ioseph dub. moral. tom. 2 tit. 180 n. 46. Nullas quoque dixerunt easdem censuras defectu citationis ad dicendam causam quare etc., sine qua relaxari non possunt.

36. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Patres Dominicani et Patres Capuccini Tabiae teneantur intervenire ad processionem fieri solitam occasione primi ingressus Episcopi? *Et quatenus affirmative.* II. An Interdictum sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, praevia intimatione facienda nomine Episcopi. Ad secundum, Negative; et amplius in omnibus – *in Albinganen. Processionis et Nullitatis Interdicti die 11 Iulii 1750.*

37. Itaque validum quidem declaratur praeceptum sub poena Interdicti per Curiam Episcopalem iniunctum Regularibus, ut ad processionem iuxta solitum accederent cum Statua, sed haud sustinetur Interdictum, pendente appellatione, appositum ab eadem Curia in Ecclesia dictorum Regularium, ob eorum contumaciam in non parendo eidem praecepto, adeoque cessat disputatio, an amotio cedulonum facta per dictos Regulares sustineatur, et an iidem deinde celebrando in eorum Ecclesia inciderint in irregularitatem et alias poenas sacrorum Canonum, nec non consequens est, ut cadaver eius, quae, pen-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Archipresbiter*, §. VII, n. 64 ad 67, Tom. II.

dente Interdicto, defuncta, delecta sepultura in ea Ecclesia, et interim contumulata in alia, sit restituendum ad Ecclesiam praedictorum Regularium, qui tamen suspensi, an sint reintegrandi ad audiendas Confessiones Sacramentales, attentis rerum circumstantiis, datur responsum, ad mentem *in Andrien. Processionis et Interdicti die 6 Iulii 1709 lib. 59 Decretorum.*

38. Iamvero - consuetum extat in Civitate Andriae quotannis recurrente festo divi Dominici die 4 augusti post vesperas peragi processionem cum Statua eiusdem Sancti, quae asservatur in Ecclesia Patrum Ordinis Praedicatorum, incipientem ab Ecclesia Cathedrali per loca dictae Civitatis, et ad eamdem Cathedralem terminantem. Cumque de superiori anno 1708 Syndicus Civitatis subaudiisset, dictam processionem fore perturbandam ob controversias inter dictos Patres et Canonicos Cathedralis vigentes, praeventive sub die 2 augusti institit in Curia Episcopali pro observatione soliti. Controversiae autem super eo vertebantur, quod Patres Dominicani praetenderent mox ante processionem asportare Statuam eiusdem Sancti ab eorum Ecclesia ad Ecclesiam Cathedralem cum associatione et elevatione Crucis, quam formalitatem Canonici aegre ferebant, ex eo quod Patres simplici associatione contenti esse deberent; atque exhibita per Syndicum attestatione quorumdam Testium Capitulo favorabili, Vicarius Generalis illico eadem die, attenta dicta attestatione, per modum provisionis decrevit, servari solitum tam per Patres, quam per Canonicos sub poena Interdicti localis Ecclesiarum respective Partium. Huic Decreto Capitulum immediate sese obtemperaturum exhibuit; sed viceversa Patres renitentes sub die 3 eiusdem mensis opposuerunt in dicta Curia suae exemptionis privilegia, provocando Communitatem Andriae ad comparendum coram Nuncio Apostolico Neapolitano tamquam eorum Conservatore. Ubi vero advenit hora 21 diei quartae augusti Fiscalis Curiae Episcopalis de mandato Episcopi denuo monuit et invitavit Patres ad sese conferendum in Ecclesia Cathedrali cum Statua divi Dominici, ut consueta fieret processio, qui reipsa Patres accesserunt, sine tamen Statua, contra assertam formam soliti, qua de re idem Fiscalis de eiusdem Episcopi mandato iterum Patres monuit et praeceptum fecit sub poena Interdicti localis eorum Ecclesiae, ut accederent cum Statua; sed his non attentis, Patres a Cathedrali discesserunt, nec amplius sunt reversi. Hinc perurgente supradicto Syndico Communitatis Andriae, eique adhaerente eodem Fiscali Curiae Episcopalis, atque e converso denuo protestantibus et appellantibus Patribus ad dictum Nuncium, ipsemet Episcopus Andriensis, praevio Decreto lato sub hora 23 cum dimidio saepedicti diei 4 augusti supposuit Interdicto Ecclesiam dictorum Patrum cum immediata subsequuta cedulonum expeditione; quos quidem subinde affixos in ianua eorum Ecclesia Patres ipsi amoverunt et lacerarunt, et Missas celebrare divinaque peragere perrexerunt. Recursu desuper habito per Communitatem Andriae ad hanc Sacram Congregationem, fuit de more requisita informatio Episcopi, qui praemissa confirmavit, et duos processiculos in hac Causa fabricatos, et supradictam facti seriem continentes, ad Sacram Congregationem transmisit, exorando pro definitione huiusmodi controversiae.

39. Citatis ipsis Patribus, fuerunt concordata infrascripta dubia, inter quae incidit sextum quoad restitutionem cadaveris Annae Lampi ad Ecclesiam Patrum, pendente Interdicto, defunctae, delecta sepultura in ea Ecclesia, et interim contumulatae in Ecclesia S. Mariae Matris Gratiae, atque septimum dubium quoad reintegrationem eorumdem Patrum ad Sacramentales Confessiones. Sicque Causa hodie proponitur, ut ex deducendis a Patribus hinc inde in eorum Summariis EE. VV. resolvere non graventur: – I. An Patres Dominicani Civitatis Andriae teneantur in die festivitatis S. Dominici Patroni dictae Civitatis asportare Statuam eiusdem Sancti ab eorum Ecclesia ad Cathedralem cum simplici associatione absque cantu et elevatione Crucis ad finem faciendi processionem per Civitatem cum Clero Seculari et Regulari? *Et quatenus affirmative.* II. An praeceptum iniunctum per Curiam Episcopalem eisdem Patribus Dominicanis sub poena Interdicti sustineatur in casu etc. III. An sustineatur Interdictum appositum ab eadem Curia in

Ecclesia dictorum Patrum Dominicanorum ob eorum contumaciam in non parendo eidem praecepto? IV. An sustineatur amotio facta eiusdem Interdicti in casu etc. V. An iidem Patres deinde celebrando in eorum Ecclesia inciderint in irregularitatem et in alias poenas sacrorum Canonum? VI. An sit restituendum cadaver Annae Lampi ab Ecclesia S. Mariae Matris Gratiae ad Ecclesiam dictorum Patrum? VII. An Patres suspensi sint reintegrandi ad audiendas Confessiones Sacramentales? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, et secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative. Ad quartum et quintum, provisum in tertio. Ad sextum, Affirmative. Ad septimum, ad mentem – *in Andrien. Processionis et Interdicti die 6 Iulii 1709 lib. 59 Decretorum.*

40. Unde si praeventiva extet protestatio cum appellatione, haud Interdictum sustinetur *in Ugentina Iurisdictionis et Censurarum die 16 Martii 1715 lib. 65 Decretorum* (1).

41. Idcirco Sacra Congregatio mandavit, revocandum esse tamquam nullum Interdictum ab Episcopo appositum Capellae Confraternitatis, pendente recursu eiusdem Confraternitatis penes Sacram Congregationem *in Mileten. Iuris visitandi die 18 Novembris 1690 lib. 40 Decretorum.*

42. Ceterum Interdictum post appellationem ab eius monitorio latum haud quidem substinetur, sed attenta rerum gravitate, poena in transgressores imponitur *in Cassanen. Censurarum die 7 Augusti 1745* (2).

43. Si itaque absit violentia nec etiam iusta extet causa haud substineri potest Interdictum ab ingressu Ecclesiae, non servatis solitis monitionibus, latum *in Vigilien. Interdicti die 2 Decembris 1730.*

44. Siquidem Pompeius Sarnellus Tabellam horariam anno 1694 confecit, illamque apponi curavit in appendice ad Synodum Diaecesanam, ac affigi in Sacrario Ecclesiae Cathedralis. His non obstantibus, vivente eodem Episcopo, qui per viginti et ultra annos supervixit, nunquam eadem Tabella servata fuit, nec pro illius observantia aliquod Edictum desuper promulgatum. Modernus Episcopus Vigilensis eius successor, qui anno 1724 Episcopatum obtinuit, exoptans dictae Tabellae observantiam, die 8 augusti 1728 post solitum campanae sonitum, et hora praescripta in dicta Tabella, convenit in Ecclesiam, ut divina Officia inchoaret; illa tamen peregit cum duobus tantum Canonicis et paucis Capellanis. Hinc idem Episcopus, terminato choro, sub motivo defensionis suorum iurium in actu manifestae inobedientiae, et tamquam si patens violentia sibi illata fuisset, vim vi repellendo, uti Pars et non Iudex, per organum sui Cancellarii Dignitates et Canonicos ibi nominatos ab ingressu Ecclesiae Cathedralis interdixit; et sic interdictos manere decrevit, donec paruerint, et ab eodem Episcopo beneficium absolutionis seu reintegrationis obtinuerint, et contra eos cedulones affigi mandavit. Ab hoc Interdicto Primicerius Melazzo statim ad Sanctissimum reclamavit, illique adhaeserunt alii quoque Canonici, recursum habentes ad Sacram Congregationem, a qua absolutionem cum reincidentia obtinuerunt. Interdictum itaque insubsistens censebatur, tamquam latum absque iusta causa, nec servatis solitis monitionibus, quae negligi non poterant sub praetextu assertae violentiae, iuxta facultatem Episcopis elargitam a Cap. *Dilecto* de sententia excommunicationis in 6. Etenim supposita etiam Tabellae horariae observantia, nil aliud imputandum erat Canonicis, nisi absentia a choro seu non interventus tempore debito, in cuius absentiae poenam impositae erant punctaturae, nec ullatenus procedendum erat ad aliam graviorem Interdicti.

45. His igitur perpensis, proposito dubio: – I. An Interdictum substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Vigilien. Interdicti die 2 Decembris 1730.*

46. Qua de re dum Episcopus iure visitandi Capellam ad Regulares ex Indulto Apostolico pertinentem non pollet, nulliter in eam fert Interdictum, eo quod Guardianus eam recludere et Episcopum visitantem excipere renuit, licet eam pluries absque con-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Excommunicationis censura*, n. 58.
(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Excommunicationis censura*, n. 66 et 67.

tradictione visitaverit *in Salutiarum Iuris visitandi die 7 Augusti 1756* (1).

47. Nam iusta exulante causa haudquaquam sustineri potest Interdictum; quandoquidem quum occasione plurium oblationum, quae Capellae Beatae Ioannae Principissae Portugalliae offerebantur,exortae fuerint controversiae inter Parochum et Fundatricem, et Vicarius Capituli, Sede vacante, Interdicto supposuerit, proposito dubio: – I. An Interdictum ecclesiasticum per Vicarium Capitularem Portugallensem appositum in Ecclesia seu Capella publica patronali Beatae Ioannae substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative – *in Portugallen. die 11 Ianuarii 1727.*

48. Unde si causa, ob quam Ordinarius Interdictum tulerit, non subsistit, nec ipsum Interdictum nec suspensio a divinis in eiusdem violatores subsistere debent *in Compsana Censurarum die 31 Maii 1704 lib. 54 Decretorum* (2).

49. Nisi propterea adsit gravis et iusta causa, Interdictum non sustinetur; his enim in terminis proposito dubio: – IV. An Interdictum sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 iunii 1717 responsum tulit: – Ad quartum, audiatur –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius; et nihil de nova audientia – *in Neapolitana Indulgentiarum die 10 Iulii 1717 lib. 67 Decretorum* (3).

50. Qua de re Presbiteri compelli quidem possunt poena pecuniaria, non vero poena Interdicti, ad accedendum quotannis in locum, ubi residet Ordinarius, pro obedientia eidem praestanda *in Nullius Montis Casini die 19 Novembris 1757.*

51. Enimvero Synodus coacta anno 1592 ab Abbate Montis Casini constituit, ut universus Diaeceseos illius Clerus quotannis die festo S. Benedicti aut dedicationis Ecclesiae Montis Casini accederet ad obedientiam canonicam seu manus osculum Abbati praestandam; qui non accederet interdictus esset suspensusque a divinis. Rem exequutione difficilem ob locorum distantiam praetermiserunt posteriores Synodi habitae annis 1626 et 1652. Neque tamen cessarunt Abbates eam iubere, propositis saepius Edictis indictisque poenis etiam pecuniariis duorum carolenorum in recusantes. Hinc plures Sacerdotes Sancti Germani confugerunt ad Sacram Congregationem contendentes, teneri Clericos et Sacerdotes omnes canonicam obedientiam Episcopo praestare osculo manus, sed in actu visitationis, non vero ut possit Episcopus ad id evocare Clericos et Sacerdotes e suis sedibus, eosque ad accedendum, ubi sit, compellere, ut explicant Archidiac. in Cap. *Romana* n. 1 verb. de pluribus in 6, Fagnan. in Cap. *Procurationes* n. 20 de censibus, et Pax Iordan. lucubrat. can. lib. 7 tit. 18 n. 14. His autem perpensis, proposito dubio: – IV. An Presbiteri dictae Civitatis Sancti Germani compelli possint ad accedendum quotannis ad Coenobium Montis Casini pro obedientia Abbati praestanda sub poena Interdicti vel pecuniaria, iuxta formam Edictorum et Decretorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quartum, Affirmative, moderata tamen poena ad duos carolenos tantum – *in Nullius Montis Casini die 19 Novembris 1757.*

52. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, Episcopum non posse statuere in Synodo, Interdicto subiacere Confraternitates seu aliorum bonorum piorum Administratores causam agentes Confraternitatis, seu Loci pii apud Iudicem laicum *in Lauretana anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 60.*

53. Non sustinetur itaque nec est exequendum Decretum, quo Episcopus omnes Capellas rurales Oppidi Interdicto supponit, ex eo quod cum sint per rura et vineas dispersae, non sunt ab eodem visitatae, ac non constat de illorum legitima fundatione et dotatione, sed ipse singillatim in visitatione providere debet *in Sancti Marci Decreti die 2 Iulii 1707 lib. 57 Decretorum.*

54. Siquidem – cum Episcopus S. Marci in nuperrima suae Diaecesis visitatione com-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. XIX, n. 300, Tom. IX.
(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 69, Tom. IX.
(3) Speciem Causae huius habes in Verb. *Indulgentia*, n. 35 ad 37.

pererit in territorio Oppidi Belviderii plerasque Capellas per rura dispersas sacrisque supellectilibus destitutas, cupiensque edoceri de earum legitima fundatione et dotatione, huiusce tenoris Decretum protulit: « Ad nostram pervenit notitiam in Terra Belviderii huius S. Marci Diaecesis adesse innumeras Capellas rurales, quae cum sint dispersae per rura et vineas, non sunt visitatae ab Episcopo, nec nobis constat de illarum legitima fundatione et dotatione, prout de iure requiritur; ideo per praesentes mandamus, ut infra terminum decem dierum a praesentium affixione, omnes et singuli habentes Capellas rurales in dicta Terra Belviderii coram nobis exhibeant et exhibere debeant fundationes et dotationes dictarum Capellarum, et licentias de Sacro faciendo in dictis Capellis cum notulis de paramentis et supellectilibus illarum, alias dicto termino elapso, et exhibitione praedicta non facta coram nobis, omnes et singulae Capellae rurales sint interdictae, prout praesenti Decreto illas interdictas declaramus ». Ab huiusmodi Decreto appellavit Communitas laicalis dicti Oppidi ad A. C.; at de mandato R. P. D. Auditoris Sanctissimi Causa remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem, suspenso interim Interdicto. Unde hodie Partes ipsae infrascriptum dubium concordatum humiliter proponunt EE. VV. resolvendum: – An Decretum Episcopi super Interdicto Capellarum ruralium sustineatur et sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et Episcopus singillatim in visitatione provideat – *in Sancti Marci Decreti die 2 Iulii 1707 lib. 57 Decretorum.*

55. Idcirco Episcopus nulliter suspendit a divinis Capellanum Ecclesiae publicae nec non nulliter eam Interdicto subiicit, ex eo quod in ea, nulla obtenta licentia, in festivitate Paschatis Resurrectionis Missam celebraverit *in Savonen. die 9 Septembris 1724* (1).

56. Nullum hinc declaratur Interdictum ab ingressu Ecclesiae ex eo ab Episcopo inflictum, quod quis paschale praeceptum non satisfecerit in Parochia, cuius subditus censebatur, dum tamen illud in Cathedrali adimplevit *in Tolentinaten. Interdicti die 23 Aprilis 1712 lib. 62 Decretorum.*

57. Iamvero – contendens in Curia Episcopali Alexander Angelicus Rector Ecclesiae parochialis Villae S. Angeli, quod Andreas Buccolinus paschale praeceptum anni 1711 in propria Parochia non perfecisset, expediri contra ipsum curavit praeceptum seu intimationem personaliter exequutam sub die 21 mensis maii eiusdem anni cum comminatione Interdicti, nisi de eiusdem praecepti adimplemento docuisset, saltem in tertia Pentecostes festivitate; atque subinde reiterata eadem intimatione sub die 8 iunii subsequentis cum termino dierum octo ad parendum, tandem nihil attento, quae pro eius parte adducebantur, sub die 13 eiusdem mensis iam dictus Andreas Buccolinus declaratus fuit interdictus ab ingressu Ecclesiae, et sepultura ecclesiastica privatus, eousque praecepto obsequeretur. Hac sane censura innodatus, statim ipse Andreas benignitatem Sacri huius Consessus imploravit pro absolutione reportanda, condolens, immerita poena perculsum esse, cum Sacrum Pascha celebrasset in Cathedrali Ecclesia, cuius parochiali curae subest. Quandoquidem iam ab anno 1707 iuxta praetensam consuetudinem ab Ecclesiae parochialis S. Angeli gremio se disiunxit, atque curae Cathedralis adscriptus fuit, cui deinceps parochialia obsequia praestare cepit, ibique Sacramenta etiam paschalia quinque annorum spatio pacifice suscepit; ultra quod domicilium urbanum in Civitatem apertum retinet, atque tandem Decretum ipsum, quo Interdicto subiacere declaratus fuit, patenti nullitatis vitio laborat. Verumtamen praelibatus Alexander Angelicus Rector Villae S. Angeli, Causam suam agendo, eumdem Andream Buccolinum suae Parochiae addictum autumat, quo Maiorum suorum lares in eadem Villa incolit, ibique pleraque fortunae bona possidet. Siquidem in ipsa parochialis Ecclesiae S. Angeli erectione de anno 1619 auctoritate Centini Episcopi Maceratensis et Tolentini expleta cum reservatione iurispatronatus favore eiusdem, Incolarum inter alios, qui Parocho recens instituendo, praestationem scutorum triginta pro eiusdem congrua annuatim persolvere se obstrinxerunt, recensetur Ioseph Buccolinus eiusdem avus; quin etiam in distributione eiusdem annuae prae-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Immunitas ecclesiastica*, n. 8 ad 11.

stationis facta de anno 1691 inter Incolas dictae Villae describitur ipse Andreas Buccolinus, qui ulterius suffragium praestitisse comperitur in sui praesentatione ad eamdem curam S. Angeli. In transactione tandem quarumdam praetensionum, quas adversus Dominicum eiusdem Ecclesiae Camerarium suscitaverat, expressam obligationem emisit recognoscendi in suam Parochiam memoratae Villae, eiusque Parocho solvendi annuatim iulios tres, conditione tamen adiecta, quod isthaec obligatio pro infecta haberetur, nisi in publica Congregatione laudaretur, quemadmodum evenisse idem Parochus supponit.

58. Perventa igitur Episcopi relatione eidem Parocho favorabili in Summario exhibenda, infrascriptum dubium inter Partes concordatum fuit, quod ex utrinque deducendis EE. VV. subiicitur iudicio examinandum, quo definiatur: - An Interdictum sustineatur, seu potius sit revocandum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative - *in Tolentinaten. Interdicti die 23 Aprilis 1712 lib. 62 Decretorum.*

59. Nec sustineri potest poena Interdicti inflicta adversus Ecclesias, quae amitterent formularium doctrinae christianae *in Neritonen. die 3 Decembris 1757 et die 18 Februarii 1758* (1).

60. Quum itaque Confratres in functionibus non parochialibus non teneantur adhibere et requirere Parochum, sed eas explere valeant per proprios Capellanos, irrequisito Parocho, Episcopus nulliter Interdicto supponit Capellam seu Oratorium, ne in eo huiusmodi functiones peragantur; his quippe in terminis proposito dubio: - I. An Interdictio Capellae seu Oratorii Confraternitatis Poenitentium vulgo *Burras* substineatur in casu etc. -, Sacra Congregatio die 2 decembris 1758 responsum dedit: - Ad primum, Negative. Reproposito dein dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis die 2 decembris 1758 in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis et amplius - *in Apten. die 11 Augusti 1759* (2).

61. Qua de re nullum declaratur Interdictum in Ecclesia seu Capella publica ab Archiepiscopo appositum sub praetextu, quod Patroni leges fundationis in damnum Parochi pessumdarent, servatis tamen conditionibus in fundatione appositis et praescriptis Concilii Romani anni 1725 tit. 1 cap. 5 *in Spoletana Interdictionis Oratorii die 20 Aprilis 1850.*

62. Siquidem anno 1823 fratres Martinelli Pagi Murgnani Spoletanae Archidiaeceseos supplicem Archiepiscopo Spoletano dedere libellum, quo postulabant erigere Capellam in eorum domo in praefato loco Murgnani sita, quae ab Ecclesia parochiali distabat, ut eorumdem Genitores aetate graves et mala affecti valetudine nec non aliae Familiae eiusdem loci ibi Missam audire possent. Votis cessit fratrum Martinelli Archipraesul, qui facultatem illis est impertitus - Ecclesiam publicam in loco et situ in precibus expresso aedificandi et construendi..., salvis tamen et reservatis iuribus parochialibus et episcopalibus..., et dummodo praefata Ecclesia construenda habeat ianuam in via seu loco publico, ac nulla in ea sit communicatio sive transitus ad contiguam domum, nec non e domo in eam prospectus aut alia servitus existat, Sacramenta absque expressa Parochi licentia non administrentur, nec oblationes aut eleemosynae a quocumque recipiantur, nec sepulchrum construatur, nec in diebus Paschatis Resurrectionis Pentecostes et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi Missa celebretur. Prima autem Missa, postquam praedicta Ecclesiola erit constructa, non celebretur, nisi prius a nobis vel ab alio deputato fuerit benedicta, et licentia celebrandi concessa, et cum expresso onere perpetuo per Oratores manutenendi tam fabricam eiusdem Ecclesiae, quam necessaria et decentia supellectilia pro ornamento Altaris et pro celebratione Missae -. Statim familia Martinelli operi manum imposuit, illudque maxima, qua potuit, celeritate perfecit. Verum antequam Aedicula in honorem divi Marci dicanda publico donaretur cultui, iidem Martinelli a Summo Pontifice Leone XII obtinuerunt facultatem in ea odeum aperien-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Doctrina christiana,* n. 29 ad 32, Tom. VIII.
(2) Speciem Causae huius habes in Verb. *Capellanus Sodalitii,* n. 47 et 48, Tom. VI.

di, et executoriali Archipraesulis Decreto huiusmodi privilegium fuit roboratum. Benedicta demum Ecclesiola, ac proinde Missam celebrandi facta facultate, praelaudatus Pontifex die 13 iunii 1825 Martinelliis potestatem fecit – construendi ianuam ingressus ad usum et commoditatem Oratorum aliorumque de familia et Sacerdotum ad Ecclesiam accedentium pro celebranda Missa aut aliis ecclesiasticis functionibus exercendis –. Per lapsum viginti trium annorum ab Ecclesiolae fundatione pacifice res processerunt, quousque Parochus loci fuit Gregorius Martinelli, Oratorum frater, eoque vita functo, Oeconomi vices gessit Sacerdos alter Aloisius Martinelli. Ast ubi primum anno 1847 huius Pagi Parochus Antonius Campius fuit renunciatus, querimoniae et contentiones suboriri ceperunt ipsum inter et fratres Martinelli, quibus causam potissimam praebuisse videbatur iudicialis controversia, exorta super remotione Marci Martinelli ab administratione bonorum Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti ipsi credita a Spoletano Archiepiscopo, in reintegrationem summae scutatorum 230 mutuo datae a familia Martinelli pro constructione turris campanariae Ecclesiae parochialis et alterius campanae additamento. Atque adeo res perducta fuit, ut Parochus recursum habuerit ad Archiepiscopum, a quo, exponens, Martinellios publico uti Oratorio contra sancita a sacris Canonibus, nec non contra patulam concessionis literam, expostulabat Oratorii ipsius interdictionem. Benignas requevera praebuit aures Archiepiscopus Parochi recursui, et per suum Pro-Vicarium Generalem fratribus Martinelli indixit die 24 decembris 1848, ne Oratorio uterentur, quousque ostenderetur privilegium; quod statim fratres Martinelli praesentarunt, sed frustra. Nam Parochus Campius interim recursum habuit ad Sacram Congregationem, ut Oratorium suspenderetur, aut, clausa porta ac dempta campana, illo familia Martinelli dumtaxat uteretur, nec non Edictum Ordinarii circa festorum observantiam firmum maneret, ac Martinelliis prohiberetur, ne a Populo eleemosynas, ad solitas extra Ecclesiam parochialem festivitates peragendas, exciperent. Hinc Sacra Congregatio mandavit Archiepiscopo, ut, – constito de factorum veritate, provideat ad formam sacrorum Canonum et Diaecesarum Constitutionum –; qui mox die 10 ianuarii 1849, Oratorium omnino interdixit sub poenis et censuris in casu transgressionis, donec res a Sacra Congregatione decideretur.

63. Gravate nimis tulerunt fratres Martinelli Archiepiscopalem censuram, adeoque et ipsi supplici libello petierunt a Sacra Congregatione, ut libere publico Oratorio ad formam primaevae concessionis ac privilegiorum subinde obtentorum uterentur. Archiepiscopus de more rogatus in ea fuit sententia, ut – Oratorium privatum familiae Martinelli ad quaecumque pietatis exercitia non adhibeatur, absque Parochi in scriptis licentia, toties quoties concedenda –. Itaque sub die 24 martii 1849 Decretum prodiit: – Ponatur in folio, servato interim Decreto diei 10 ianuarii, et notificetur eidem Archiepiscopo, ut moneat fratres Martinelli ad deducenda iura sua in Sacra Congregatione, et ad mentem. Mens est, ut, si Archiepiscopus pro sua prudentia expedire iudicaverit, sinat fratres Martinelli uti interim Oratorio ad formam primaevae concessionis –. Verum quia iuxta panditam mentem, facilem haudquaquam experti sunt Martinellii Archiepiscopum, ideo urserunt, ut Interdictum e medio tolleretur. Nam iidem documenta in medium protulerunt de legitima obtenta facultate erigendi publicum Oratorium, eoque utendi una cum aliis privilegiis a Pontifice concessis, quin unquam ipsis abuterentur. In facto quippe erat, Missam in eo celebratam fuisse, postquam Parochus Sacrum expleverat: quod si quandoque in Oratorio Missa celebrata fuit ante illam Parochi, id contigit, quia Parochus celebrationem distulit ad meridiem; et in Oratorio publico Missa de iure celebrari potest ante Missam a Parocho celebratam absque eius consensu, nisi aliter Episcopus rationabiliter disponat. Nec aliter dicendum de confessionibus, quae de sola Episcopi licentia absque Parochi consensu in publico Oratorio excipi possunt; et eucharisticum panem fidelibus Missam celebrantes licite dispensat etiam in privatis Oratoriis. Quod si vir Religiosus ob generalem consuetudinem Diaecesis paschalem communionem duabus feminis administraverit, id errore factum fuit, et ob id haud plectendi

erant fratres Martinelli, sed poena ad summum affici debebat praefatus vir Religiosus, culpa siquidem suum tenet auctorem. Excludebantur etiam collectiones eleemosynarum a pluribus fide dignis Testibus. Idcirco cuncta, quae a Parocho exponebantur, falsa ac illegitima ad sustinendum Interdictum renunciabantur. Nullum praeterea Interdictum edixerunt Martinellii, eo quod legitimo ritu prorsus despecto, illud fuit latum, neque in eo recensebatur causa, ob quam fuerit inflictum. Vel enim Interdictum ab Archiepiscopo infligebatur, uti censura, ut a crimine fratres Martinelli desisterent, et tunc, ut in mora constituerentur, canonicae monitiones erant praemittendae. Vel Interdictum infligebatur per modum poenae in vindictam patrati criminis, et tunc huiusmodi delictum erat enunciandum saltem in Archiepiscopi Literis, Van-Espen. tom. 6 tract. de censur. Cap. 9 de Interdict. §. 1. At neque canonicae monitiones fuerunt ab Archiepiscopo praemissae, neque causa fuit expressa, ob quam ipse ad infligendum Oratorio Interdictum devenerit.

64. His igitur perpensis, proposito dubio: – An Interdictum ab Archiepiscopo Spoletano appositum in Ecclesia seu Capella publica divo Marco dicata sustineatur in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, servatis tamen conditionibus in fundatione appositis et praescriptis Concilii Romani anni 1725 tit. 1 cap. 5 – *in Spoletana Interdictionis Oratorii die 20 Aprilis 1850.*

65. Hinc Sacra Congregatio nullum edixit Interdictum, quo Episcopus supposuit Ecclesiam Patrum Reformatorum, quia iidem tumulaverant cadaver Impuberis in sepulcro suorum Maiorum in dicta Ecclesia existente, praetendente Parocho, quod illud tumulari deberet in sepulcro Puerorum in Ecclesia parochiali; his quippe in terminis proposito dubio: – XI. An Interdictum, de quo agitur, sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad undecimum, Negative – *in Novarien. Funerum et Iurisdictionis die 15 Martii 1704 lib. 54 Decretorum.*

66. Quin imo non modo non sustinetur Interdictum ab Episcopo Iudice delegato Apostolico latum in Archiepiscopum, ex iniusta causa sibi turbatae iurisdictionis, sed et ipse consulere tenetur suae conscientiae *in Turritana Nullitatis Censurarum die 22 Maii 1706 lib. 56 Decretorum* (1).

67. Unde quoties de validitate Interdicti non constet, nemo in censuras ob assertum eiusdem spretum incidit, nec Ecclesia seu Oratorium est absolvendum *in Derthonen. Visitationis die 30 Iunii 1759 et die 26 Ianuarii 1760.*

68. Iamvero Episcopus Derthonensis, ut omnes fugeret lites, visitationem Oratorii S. Rochi, iam Monasterio S. Mariae Pietatis Familiae Dominicanae Literis Apostolicis uniti una cum Hospitali, in quo erectum erat Sodalitium Sanctissimi Nominis Iesu, iure delegato indixit. Restiterunt primo Patres S. Mariae Pietatis, sed inde laeti lubentesque visitationem voluerunt. Ex visitatione plura agnovit; unde providentissima tulit Decreta ad ea e medio tollenda, praefixitque Sodalibus ad eam implenda anni terminum, quo transacto, iisque non adimpletis, Oratorium illico esset interdictum. Neve horum Decretorum ignorantiam praetexere possent Sodales, denunciata publice Patribus et Sodalitio fuerunt. Decretorum exequutionem neglexerunt Sodales, et Oratorium ipso iure in interdictionem incidit. Laicos Iudices adierunt Sodales; sed nihil impetrarunt. Postremo itum est ad Curiam Metropolitanam, quae, spreta oppositione Promotoris fiscalis Curiae Derthonensis, Literas inhibitorias concessit, et suam esse huius rei notionem declaravit, absolvitque Oratorium ab Interdictione ad tres menses cum reincidentia. Appellavit Promotor Derthonensis, et, appellatione pendente, Sodales Decretum Curiae Metropolitanae exequi voluerunt. Re autem delata ad Tribunal Signaturae, Causae universae notio Emis Patribus data fuit. Auditis itaque iam et Episcopo Derthonensi et Emo Archiepiscopo, propositis cum aliis dubiis: – XXIII. An constet de validitate Interdicti Oratorii S. Rochi? *Et quatenus affirmative.* XXIV. An Confratres ceciderint in censuras ob assertum spretum dicti Interdicti in casu etc. XXV. An sit dictum Oratorium absolvendum

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Episcopus*, §. VIII, n. 83 et 84, Tom. IX.

in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 iunii 1759 respondit: – Dilata cum absolutione ab Interdicto usque ad exitum Causae, et ad D. Secretarium pro remissoria ad effectum compulsandi iura –. Hinc Episcopus vindicare conatus est validitatem Interdicti lati contra dictum Oratorium S. Rochi, allegando dispositionem Concilii Tridentini sess. 25 cap. 8, ac resolutionem in hac ipsa Causa alias ab Sacra Congregatione editam die 6 septembris 1604, et Epistolam Episcopo scriptam die 17 septembris 1672. Spretus vero Interdicti inexcusabilis contendebatur, non obstante appellatione interposita ad Curiam Metropolitanam,et reportata ab ea absolutione cum reincidentia, tum attenta pendentia litis in Sacra Congregatione, tum attento defectu potestatis in Curia Metropolitana recipiendi appellationes in Causis, in quibus Episcopi procedunt iure delegato, vigore facultatum eisdem a Tridentina Synodo indultarum, ut referendo etiam resolutionem Sacrae Congregationis firmat Fagnan. in Cap. *Ad audientiam* n. 47 de ecclesiis aedificandis, ac praescriptum fuit in Concilio Romano tit. 14 cap. 1 relative ad Decreta Sacrae Congregationis Episcoporum impressa in appendice 13 §.7 post idem Concilium. Confratres vero nullitatem Interdicti urserunt ex defectu,iurisdictionis non minus, quam ex defectu ordinis et causae; indeque arguerunt, haud ipsos incurrisse in censuras, aut cogendos esse petere absolutionem. Nam illud etiam accedebat, quod Tribunal Metropoliticum Mediolanense sibi ius asserebat decernendi appellationes etiam in Causis per Suffraganeos expeditis iure delegato vigore Concilii expeditis, quod erui contendebatur ex Codice Rituum illius Curiae edito anno 1718.

69. His utrinque perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad vigesimum tertium, Negative. Ad vigesimum quartum, Negative. Ad vigesimum quintum, provisum in vigesimo tertio – *in Derthonen. Visitationis die 26 Ianuarii 1760* (1).

70. Attentis autem rerum circumstantiis, quandoque responsum datur, ad mentem; siquidem postquam Sacra Congregatio declaraverit, non licuisse Patribus S. Augustini Civitatis Suessanae in die Dominico Resurrectionis Domini Nostri devotionis causa administrare Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Clerico Antonio de Paulo, quoad Interdictum ob id ab Episcopo in eos comminatum, proposito dubio: – II. An sustineatur comminatio Interdicti Ecclesiae supradictorum Patrum facta ab Episcopo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, ad mentem; et amplius – *in Suessana Iurium parochialium die 14 Ianuarii 1736.*

71. Similiter inter cetera dubia, quae in Congregatione diei 2 iunii 1736, ad provocationem Bernardini Perozzi Parochi Ecclesiae S. Mariae loci Rapagnani autumantis, sibi ius esse peragendi in Ecclesia Sodalitatis Sanctissimi Suffragii ibi recens erecta privative quoad Rectorem eiusdem Confraternitatis solemnes functiones, proposita fuere, discussum primo est: – An Sacerdotes deputandi ab asserta Societate Suffragii possint solemniter canere Missas in Ecclesia seu Oratorio sub titulo Suffragii absque licentia Parochi S. Mariae, vel potius Missae solemnes, quatenus in dicta Ecclesia seu Oratorio canendae sint, celebrari debeant ab eodem Parocho, etiam invitis Confratribus? –, prodiitque Rescriptum: – Affirmative quoad primam partem de licentia Archiepiscopi, Negative quod secundam –, ut in lib. 86 Decretorum pag. 125. Hac edita resolutione, Sodales praelaudatae Confraternitatis iuxta eorum institutum ceperunt pietatis opera exercere; cumque occasione explendi nonnulla Anniversaria putantes, Archiepiscopi licentiam in praefato Rescripto enunciatam multo pridem sibi concessam dici posse, sive spectatis Synodalibus Constitutionibus, ubi ita praescribebatur: – Eleemosynae, quae pro celebrandis Missis in suffragium animarum in Purgatorio detentarum colliguntur, generalibus Missarum Officiis impendantur, et quidem in parochiali Ecclesia, si in eo loco specialis Ecclesia vel Sacellum non sit pro huiusmodi pio Opere exercendo –, sive inspectis statutis eiusdem Confraternitatis per Archiepiscopum approbatis, in quibus sic habebatur: – Tutte le feste, che si faranno nella nostra Chiesa, le

(1) Speciem Causae huius plenius habes in Verb. *Episcopus*, §. XIX, n. 379 ad 381, Tom. IX.

solennizzeranno con Vespri e Messa cantata di canto fermo o sia corrente –, et inferius – occorrendo celebrarsi Officii nella nostra Chiesa, tanto generali, che particolari, dopo cantata la Messa, dovranno far cantare il Libera me Domine –; facultate ab Archiepiscopo non impetrata, plures Missas a suo Capellano fecerunt cum cantu celebrari, Archiepiscopus die 20 ianuarii 1737 eamdem Ecclesiam in haec verba interdixit: – Declaratur supposita ecclesiastico Interdicto locali generali Ecclesia sub titulo Suffragii Castri Rapagnani huius Firmanae Diaecesis, eo quia absque licentia Archiepiscopi reservata a Sacra Congregatione Concilii in decisione dubiorum in dicta Sacra Congregatione propositorum 2 iunii 1736 in Causa Firmana Functionum parochialium inter RR. Parochum ex una et Societatem Suffragii dicti loci ex altera, Capellanus seu alter Sacerdos pluries celebravit Missam cum cantu in eadem Ecclesia, et dicto Interdicto subiecta sit, donec Interdictum revocatum fuerit –.

72. At delatis ad Sacram Congregationem Sodalium querelis, proposito dubio: – An Interdictum sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad mentem – *in Firmana Interdicti die 29 Martii 1738.*

73. Quum itaque Episcopus ad sedandas rixas inter Parochialem et Oratorium exortas, eo quod utrique Planetam ornatissimam praetenderent, interdixit in tota sua Diaecesi, Sacra Congregatio distulit resolutionem ac mandavit, ut scriberetur Episcopo iuxta mentem *in Derthonen. die 8 Augusti 1789.*

74. Siquidem duo prae ceteris parochiali Ecclesiae Villae Rezoalii a duplici lapide suberant Pagi animarum circiter 300, *Brignole* nempe et *Piano.* Horum Incolae facultatem ab EE. PP. sub diversis conditionibus obtinuerunt aedificandi publicum Oratorium, ut commodius dies festos concelebrarent. Ad dubium enim: – An sit locus aedificationi Ecclesiae etiam cum facultate celebrandi Missas?–, responderunt die 30 maii 1778: – Affirmative, salvis iuribus parochialibus, et ad mentem; et mens est, quod Episcopus quam citissime curet constructionem et erectionem unius Ecclesiae seu Oratorii publici in situ per eum designando, qui commodior sit omnibus Incolis Villarum Brignolae et Plani, eligatque Sacerdotem idoneum, qui in erigenda Ecclesia seu Oratorio Sacrum celebret in omnibus diebus festis de praecepto hora commoda Populo, et praevio triplici sonitu campanae cum distantia unius quadrantis ab uno sonitu ad alium, nec non Pueros doceat rudimenta doctrinae christianae, et pro constructione dictae Ecclesiae seu Oratorii prout etiam pro sacris supellectilibus eorumque respectiva manutentione, ac pro congrua eleemosyna arbitrio eiusdem Episcopi Sacerdoti subministranda, taxam imponat Incolis dictarum Villarum, iuxta eorum vires eorumque respective patrimonium, et quatenus non sufficiant, suppleat ex fructibus ad Ecclesiam matricem pertinentibus ad formam Concilii Tridentini sess. 21 cap. 5 de reformatione –. Ad formam huiusce Rescripti erectum fuit sub titulo S. Mariae ad Nives Oratorium: ornatissima ad illius usum comparata est Planeta, ut sub iuramento testabatur Antonius Bacigalupo Brignolensis, qui eam emit Mediolani, pluresque in ipso diebus festis aliquamdiu celebratae sunt Missae. In sacra tamen visitatione anni 1780 Missarum pturalitatem et Planetam sub poena suspensionis interdixit Derthonensis Episcopus, causamque Oratoribus dedit implorandi EE. PP. auctoritatem, ne utraque re privarentur. Pluralitatem Missarum prohibuit Episcopus, cum id esset contra formam erectionis, et gravia induceret mala et scandala. Et quoad Planetam Episcopus retulit: – Titius loci Rezoalii, Mediolani degens, Planetae emptor, ipsam ad proprium Patrem transmisit, ut medio statuto pretio Ecclesiae parochiali, si eam Priores exoptarent, traderent; sin minus Oratorio Villae Brignolae –. Ortam hinc dixit inter Parochialem et Oratorium quaestionem, – eo quod utrique eamdem Planetam absolute praetenderent (vana fuisset facilisque decisionis Oratorii praetensio, si Planetae emptor legem dedisset, ut praelative traderetur Parochiali) et ita exarserunt animi, ut rixae fuerint excitatae, et ad ipsas vitandas Iudex secularis Planetae depositum penes Officium decreverit –; ideoque Planetam in tota sua Diaecesi interdixisse. Recte itaque ad vitanda scandala interdicta Planeta censeri poterat. Quis tamen fuerit contentionis auctor, quae eius causa, emptor ipse expo-

suit. Dum illam germani ipsius Fratres e Mediolanensi Civitate ad Villam Brignolae eiusque Oratorium deferebant, Parochum in itinere offenderunt. Planetam is quasi curiosius inspicere voluit, eamque pro sua Parochiali retinuit. Quo motus facto, illius depositum secularis Iudex mandavit. Iusta nec ne esset causa ista, ut sua Brignolenses privarentur Planeta, et num haec in aemulationem Parochialis, quam divini cultus augmentum in Oratorio censeri deberet acquisita, EE. PP. decernere debebant. Ornatiora siquidem utensilia divinae magis conveniunt Maiestati mentemque ad caelestia excitant; nec quavis idcirco de causa interdici debent, Albert. de sacr. utens. cap. 4 a n. 35.

75. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineatur Decretum duodecimum ab Episcopo editum in Sacra visitatione quoad celebrationem Missarum in Oratorio, de quo agitur, in casu etc. II. An sustineatur Interdictum Planetae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, dilata; et scribatur Episcopo iuxta mentem – *in Derthonen. die 8 Augusti 1789.*

76. Qua de re quum Capitulum post latam ab Archiepiscopo excommunicationis censuram in Decanum permiserit, ut hic choro et divinis Officiis interesset, ac eapropter dubitaretur, an dictum Capitulum remanserit interdictum, Sacra Congregatio primum commisit Ordinario viciniori, ut reciperet probationes super iustitia excommunicationis, dein instante Capitulo pro Causae propositione, sed huiusmodi probationibus adhuc non perventis distulit resolutionem, ac mandavit, ut praefatus Ordinarius procederet ad ulteriora *in Calaguritana die 26 Novembris 1701 lib. 51 Decretorum* (1).

77. Proposito hinc dubio: – An visitationi Ordinarii subiaceat Oratorium in praedio *della Bagnarola* et nullum sit Interdictum illius cum omnibus inde sequutis? –, Sacra Congregatio respondit: – Dandas esse remissoriales hinc inde directas Episcopo viciniori ad effectum probandi, an Oratorium sit publicum, vel privatum, nec non circa notitiam Interdicti – *in Caesenaten. Iurisdictionis die 23 Septembris 1690 lib. 40 Decretorum.*

78. Idcirco quum Episcopus mandaverit, per Universitatem reaptari tectum Ecclesiae parochialis sub poena Interdicti eiusdem Ecclesiae, sed ea huiusmodi onus reiiciebat, Sacra Congregatio censuit, coadiuvandas esse probationes, firma remanente suspensione Interdicti usque ad exitum Causae *in Beneventana Reparationis Ecclesiae die 28 Martii 1716 lib. 66 Decretorum* (2).

79. Quando enim Causa non resolvitur eadem die, qua proponitur, nec gravis urget ratio, Sacra Congregatio facile indulget suspensionem Interdicti usque ad exitum Causae; quandoquidem quum Canonici et Beneficiati Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Paganica Civitatis Aquilanae ob quaestionem inter ipsos vertentem compromissum fecissent in persona Eoiscopi, qui laudum suum promulgavit et poenam ducatorum quinque Locis piis applicandam in transgressores imposuit, nec non adversus Canonicos Thomam de Rubeis et Hieronymum Morini, qui moniti nec laudum observare nec poenam solvere voluerunt, processit ad Interdictum ab exercitio divinorum, proposito cum aliis dubio: – IV. An censurae et Interdictum sustineantur in casu etc. –, Sacra Congregatio distulit resolutionem, – suspensis censuris et Interdicto usque ad exitum Causae – *in Aquilana die 18 Aprilis 1722.*

80. Unde quum Archiepiscopus censuras excommunicationis suspensionis et Interdicti tulerit contra Patres S. Francisci de Paula, qui ei visitationem in Oratorio S. Mariae Lauretanae eorum claustro adiecto, et in quo quaedam Sarcinatorum Societas erat erecta, peragenti restiterunt, proposito cum alio dubio: – II. An excommunicatio suspensio et Interdictum sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et proponatur in prima, suspensis excommunicatione suspensione et Interdicto usque ad exitum Causae in Sacra Congregatione, amotis interim cedulonibus – *in Consentina Visitationis et Censurarum die 17 Septembris 1722.*

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Excommunicationis censura*, n. 47 et 48.
(2) Speciem et resolut. Causae huius habes in Verb. *Ecclesia parochialis*, §. I, n. 9 et 10, Tom. VIII.

81. Qua de re quum Confratres propria auctoritate Sacram Imaginem in Ara maxima Ecclesiae existentem amovissent, ac resistentiam fecissent, ne cadaver eius, qui in praefata Ecclesia sepulturam elegerat, tumularetur, ob idque Vicarius Generalis Ecclesiam et respective Confratres interdixerit, nec non praeceptum tulerit de consignando claves Ecclesiae et domum canonicalem moderno Rectori sub poenis et censuris, Sacra Congregatio, opponentibus Confratribus, sese parere haud teneri, ex eo quod Ecclesia non esset parochialis, sed particulare ipsorum Oratorium, cuius claves eosdem semper retinuisse, mandavit, ut, praevia repositione Imaginis in Ara maiori et restitutione clavium, suspenso Interdicto, proponeretur Causa super negocio principali in Sacra Congregatione *in Lucana Censurarum die 18 Aprilis 1711 lib. 61 Decretorum.*

82. Enimvero – eo sub fundamento, quod Confratres Confraternitatis S. Crucis existentis in Ecclesia S. Martini loci de Treppiniana propria auctoritate, nulloque iure innixi, amovissent sacram Imaginem collocatam in Ara maxima eiusdem Ecclesiae, nec non resistentiam fecissent, quominus cadaver Ioannis Baptistae Conti dictae Ecclesiae Rectoris tum nuper defuncti tumularetur in eadem Ecclesia, in qua vivens sibi sepulturam delegerat, Vicarius Generalis Lucanus sub die 19 aprilis 1710 praeceptum promulgavit adversus Priorem Camerarium et Subpriorem Confraternitatis praedictae, quatenus infra terminum dierum quindecim reponere debuissent dictam sacram Imaginem in Ara praefata, nec non patientiam praestare, ut cadaver Rectoris praedicti libere transferretur tumulandum in eademmet Ecclesia, sub poenis suspensionis dictae Confraternitatis et Interdicti dictae Ecclesiae, ipso facto incurrendis, utriusque respective contraventionis. Notificato praecepto sub die 23 eiusdem mensis comparuit coram Vicario supradictus Prior etiam nomine Confraternitatis sub die 8 maii tunc sequentis, et opposuit, sese recursum habuisse ad Emum Episcopum, ac ideo institit, declarari tempus, de quo in praecepto, non cucurrisse neque currere, quousque ab E. S. resolveretur, quid iuris desuper fuerit; qui quidem Vicarius monuit comparentem ad denuo comparendum coram eodem ad diem martis tum proxime futuram ad eius voluntatem audiendam, ac interim decrevit, dictum terminum quindecim dierum non currere. Successive sub die 14 mox dicti mensis Vicarius citavit dictam Confraternitatem et Confratres S. Crucis, nec non primodictos Priores et Officiales cum termino trium dierum, ad allegandam causam, quare declarari non deberet, eos incurrisse in poenas comminatas Suspensionis et Interdicti Ecclesiae ob non paritionem; subindeque executa dicta citatione in personas dictorum Officialium, ac per affixionem ad valvas eiusdem Ecclesiae, accusatisque contumaciis ad instantiam Promotoris fiscalis contra citatos, idem Vicarius, ex eo quod per eosdem non fuerit paritum praecepto, nec quid revelans deductum, declaravit Ecclesiam S. Martini interdictam, prout eam Interdicto locali subiecit, atque Confraternitatem et Confratres suspensionis censuram et poenam, personalis scilicet Interdicti, incurrisse, prout eam et eos suspendit et suspensos seu interdictos declaravit et denunciavit a divinorum officiorum et aliarum quarumcumque tam privatarum, quam publicarum functionum celebratione et exercitio, vetans imposterum eos se congregare ac bona et reditus administrare, deputando ad hunc effectum peculiarem Oeconomum, ac insuper iussit cedulones relaxari.

83. Post haec ita absoluta, idem Vicarius die 20 iunii eiusdem anni 1710 iterum citavit praefatos Officiales nec non Confratres ad dicendam causam, quare non deberent declarari incurrisse in poenas suspensionis et respective Interdicti localis, ob non paritionem praecepto de reponendo in dicta Ecclesia cadaver Rectoris Conti; ac ulterius aliud praeceptum adversus eosdem tulit de consignando claves Ecclesiae et domum canonicalem liberam moderno Rectori sub poenis et censuris. Sed executis tam citatione, quam praecepto die 1 iulii contra dictos Officiales, quibus quidem sub die 4 eiusdem mensis replicantibus sese parere haud teneri, ex eo quod Confraternitas sit laica, quodque Ecclesia non sit parochialis, sed particulare Oratorium ipsorum Confratrum, privative quoad alios, cuius claves semper fuerunt retentae ab ipsis, quod demum domus canonicalis ad eosdem

Confratres spectet, uti constructa eorum sumptibus; nihilominus Vicarius, instante Promotore fiscali, absque alia citatione sive monitione eademmet die 4 iulii, ob eorum non paritionem, decrevit, eamdem Ecclesiam esse interdicendam et Confratres suspendendos, prout respective interdixit et suspendit, cum relaxatione cedulonum eodem modo, quo supra, ut ex actis processus dandis in Summario. Ab huiuscemodi actibus appellarunt Confratres ad A. C., ab eoque advocata Causa per R. P. D. Auditorem Sanctissimi remissa fuit decidenda ad hanc Sacram Congregationem, in qua concordato infrascripto dubio, et Partibus monitis, restat, ut EE. VV. ex deducendis definiant: – An Interdictum Ecclesiae et respective Confratrum substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Praevia repositione Iconis S. Martini in Ara maiori et restitutione clavium, suspenso Interdicto, proponatur Causa super negocio principali in Sacra Congregatione – *in Lucana Censurarum die 18 Aprilis 1711 lib. 61 Decretorum.*

INVENTARIUM

1. Inventario plena fides, donec contrarium evincatur, omnino est habenda, L. ult. Cod. de iure deliberandi §. Licentia, Voet ad Pand. lib. 28 tit. 8 n. 15 *in Romana Redditionis rationis die 18 Septembris 1824* §. *In Silvani.*

2. Unde Inventarium ea ipsa vi, quam habet in conficientem, pollet contra illius heredes, et contra eos, qui ab ipso causam habent, ita ut ab his ea omnia restitui debeant, quae in inventaria adnotata leguntur, quemadmodum statuit Rot. in decis. 485 §. 2 coram Lancetta, decis. 530 §. 2 coram eodem, in Recent. decis. 185 §. 11 part. 11, et decis. 96 §. 2 part. 7 *in Anagnina Redintegrationis die 28 Ianuarii 1832* §. *Quod.*

3. Idcirco Inventarium bonorum a Testatore relictorum exhiberi oportet, ad probandam exceptionem, illum piam Causam dotasse ex bonis Beneficii personalis, ut inde dignoscatur, an alia bona praeter illa Beneficii, in eius hereditate extiterint, L. fin. §. Licentia Cod. de iure deliberandi, Rota decis. 246 a n. 3 coram Cavalerio *in Gerunden. Census die 24 Maii 1768* §. *Perperam.*

4. Nam, deficiente Inventario, onus utraque portio habet Legati, Text. in L. fi. §. Sin vero Cod. de iure deliberandi, et in Authen. de hered. et falcid. §. Hinc nobis *in Casalen. die 20 Decembris 1788* §. *Quae.*

5. Siquidem, deficiente Inventario, inducta censetur iurium confusio, ac propria heredis vel donatarii universalis evadunt quaecumque testamenti vel donationis onera, L. fin. Cod. de iure deliberandi, Pacion. alleg. civil. 159 n. 7 *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1788* §. *Affecta.*

6. Quare ubi quis ex defectu Inventarii qualitatem hereditariam contraxerit, confusae sunt rationes, et tenetur ex propriis bonis Legata implere, si bona hereditaria deficiant, veluti docent Cancer. var. res. part. 3 cap. 2, Rot. decis. 519 n. 4 coram Caprara, decis. 222 n. 7 coram Ratto. Maxime cum fructus hereditarios, dum erat lucrosa hereditas, perceperit, quos restituere debet, si iam qualitatem hereditariam abiicere vult *in Romana Legatorum die 29 Martii 1806* §. *Iterum.*

7. Idcirco sine legitimo Inventario Heres allegare nequit insufficientiam bonorum, nec se eximere ab integra praestatione Legati, iuxta firmata per Rotam in Romana Capellaniarum die 27 iunii 1725 §. Porro coram Gamaches *in Camerinen. Subsidii dotalis die 30 Maii 1761* §. *Quoad.*

8. Hinc dum non constat, quod Orator sive, eius Pater, sive eius Avus ullum Inventarium de bonis hereditariis pii Testatoris, vel legitimum vel iuxta Regionis morem, confecerit, ipse de proprio subire debet onera Maioratui adiecta, quamvis reditus eiusdem Maioratus ad ea ferenda non reperiantur idonei, ex traditis per Peregrin. de fideicomm. art. 4 n. 5, Card. De Luca eod. tract. disc. 167, Ioann. Bapt. de Thor. privileg. 203 apud Tiraquell. de privileg. Caus. piar., et Rot. coram Lancetta decis. 208 n. 12 *in Burgen. Reductionis die 1 Martii 1777* §. *Accedit.*

9. Ecclesia tamen aliaque Pia Loca privilegiis gaudent Fisci, et ita hereditariis creditoribus, non ultra quod repertum est, ob-

stringuntur, Arg. L. 1 §. An bona de iure Fisci, Voet ad Pandect. lib. 28 tit. 8 n. 28 *in Romana Redditionis Rationis die 18 Septembris 1824* §. *Verum.*

10. Hinc ultra vires non obstringuntur, tametsi, nullo confecto inventario, crevisset hereditatem, uti monet Abb. in Cap. *Ecclesia S. Mariae* n. 13 de Constit., Sperell. decis. 121 n. 86, et decis. 135 n. 20 *in Romana Redditionis Rationis die 18 Septembris 1824* §. *Verum.*

11. Quod si Testatrix dederit facultatem heredibus institutis non conficiendi Inventarium, haec non censetur concessa Substituto, adeoque Substitutus tenetur, Inventario haud confecto, solvere integrum Legatum quantitatis, etiamsi ex libris privatis educi videatur, quae et quanta fuerint bona praedictae Testatricis, quae subinde satis non sunt ad praestanda omnia Legata *in Romana Legatorum die 29 Martii et die 26 Aprilis 1806.*

12. Iamvero Ducissa Portia Caesia, scriptis testamentariis tabulis anno 1663, instituit heredes tres Sorores suas – Oblate in Tor de' Specchi –, eisque arbitrium dedit de re hereditaria disponendi – senza obbligo di fare Inventario o descrizione alcuna –. Quibus decedentibus substituit ven. Domum – di Tor de' Specchi di Roma –. Tam institutas Sorores, quam substitutum Locum pium pluribus gravavit Legatis, quae inter numerabatur legatum annuorum scutorum sexaginta Conventui Numentano Regularium Reformatorum S. Francisci relictum. Anno 1665 elata est Ducissa Caesia, et in possessionem eius hereditatis venerunt tres Sorores institutae, nulla facta descriptione bonorum, sive nullo confecto Inventario. Hisce sublatis institutis, delata est hereditas ad ven. Domum – di Tor de' Specchi –, quae in suis codicibus inscripsit omnia bona hereditaria, quae in Locis Montium 262 $^{34}/_{100}$ consistebant. Legata porro persolvit, usque dum inter publica rerum discrimina cessatum est a solutione fructuum Locorum Montium. Post vero reintegratam solutionem duplicis quintae partis fructuum, praefati Regulares Reformati Numentani postularunt nedum solutionem integri Legati in posterum faciendam, sed etiam in praeteritum decursorum annorum, in quibus Legatum insolutum fuit. Acta res est apud A. C. Ridolfi, qui ven. Domum damnavit ad solutionem Legati, prout dicti Regulares postulabant. Reclamatum est ad Signaturam, quae rescripsit die 8 augusti 1805, A. C. iterum audiat. Tum qui ven. Domum moderabantur supplicarunt Summo Pontifici, ut suprema sua auctoritate Legata minueret pro viribus hereditariis. Placuit Summo Pontifici ex Rescripto diei 30 iulii 1805, referente Emo Praefecto, preces Sacrae Congregationi remittere. Exquisita est sententia Emi Urbis Vicarii, qui putavit, si non ex iure stricto, ex aequitate saltem indulgendam esse moderationem Legatorum, ac proposuit: – Ut non maior summa in celebrandas Missas conferatur, quam scuta 144, quanta scilicet satis fuisset quatuor Capellaniis ratione scutorum 36 pro qualibet. Tandem si haec satis non essent, ut exitus reditui respondeat, dotes ad scuta 30 vel etiam 25 pro qualibet minui suaderem –. Interim a Summo Pontifice editum est Rescriptum die 10 decembris 1805: – Disputetur dubium: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo super implemento Legatorum –.

13. Favore itaque Regularium Numentanorum ponderabatur, rem non esse de legato quantitatis, quod ab herede praestandum erat, licet bona hereditaria deficerent, ex Textu in L. *Quidam* ff. de legatis, Bruneman in Pandect. lib. 39 tit. 1, Rot. in Recent. decis. 365 part. 5, et decis. 332 n. 5 ad 6 coram Molines. Maxime autem praestandum esse Legatum in casu, quo heredes nullum Inventarium confecerunt, quin Ven. Domui prodesset liberatio a conficiendo Inventario, quae a Testatrice institutis Sororibus concessa quidem fuit, non vero Substituto, cum praesertim fructus hereditarios, dum erat lucrosa hereditas, perceperit, quos restituere debebant, si qualitatem hereditariam abiicere volebant. Haec tamen praeoccupavit ven. Domus: contendit enim, quod ex aequitate moderanda essent Legata, quae in praesens viribus hereditariis erant prorsus graviora. Quandoquidem ex calculo exhibito constabat, quod pro hisce Legatis impendenda erant annua scuta 676 10, et ex fructibus Locorum Montium in praesens percipiebantur scuta 314 80, ita ut ex propriis bonis cogeretur ven. Domus annua scuta 361 30 erogare.

Quod si attente considereretur Testamentum Ducissae Caesiae, hoc ipsa in votis habuit, ut Legata ex propriis bonis implerentur, neque heres esset in damno. Nam augmentum Legatorum iussit, postquam cessata essent Legata vitalitia, ut census hereditarius augeri posset. Quare si praevidisset tempus futurum, quo bona hereditaria minuerentur, verosimile erat, quod ipsa Legata quoque minuisset. Ceterum nihil sibi nocere putabat ven. Domus defectus Inventarii. Nam aliunde educi valebat, quae et quanta fuerint bona hereditaria, quum aliis probationibus defectus Inventarii suppleri posset, ut alias definivit Rota coram Durano decis. 387 n. 17, coram Falconerio de usuris decis. 15 n. 23, in Romana seu Spoletana Fideicommissi 4 iulii 1755 n. 5 coram Figueroa. Hanc probationem desumpsit ex codicibus a ven. Monasterio pro hac hereditate peculiariter retentis et conscriptis ab anno 1691, postquam ipsa Domus in possessionem hereditatis venit, et Ratiocinator ipsius Domus testabatur, nulla alia bona reperiri, nec ab initio habuisse, nisi Loca Montium 262. Hisce vero codicibus licet privatis deferendum esse putavit ven. Domus, quia erant legaliter retenti, et ex ipso Testamento patebat, quod hereditas ex Locis Montium conflabatur, statim ac Testatrix mandavit, ut in casu extractionis Locorum Montium pecuniae erogarentur in investimentum aliorum Locorum Montium. Quum itaque libri, licet privati, haberent adminicula, iis deferendum esse tradit Genor. de scriptur. privat. lib. 4 n. 82, Card. De Luca de iudic. disc. 30 n. 16, Rot. in Recent. decis. 431 n. 1 part. 13. Exclusa ex hisce qualibet occultationis suspicione, tum sibi prodesse putavit ven. Domus liberatio ab Inventario conficiendo, quae licet a Testatrice concessa sit primis institutis, transferri quoque poterat Substituto, cum eadem concurreret ratio voluntatis. Ex aequitate igitur concedendam diminutionem Legatorum conclusit, eamque singulis aequa lance et instituta proportione pro rata, quia omnium una erat natura, et omnia pari studio complexa est pia Fundatrix. Neque habendam esse dixit rationem de fructibus perceptis, cum haec bona fide a ven. Domo percepta fuerint, nec restituere cogebatur, cum iam pares amplius non essent vires hereditariae, ut tradit Rota decis. 47 n. 7 coram Ottobono, in Recent. decis. 259 n. 8 part. 5. Si hinc spectabatur voluntas Testatricis praesumpta ex ordine scripturae, ipsa primum voluit Missas, deinde subsidium Regularibus Numentanis, tandem dotes, ita ut videretur, praecipere voluisse Missas, unde istae exemptae esse deberent a diminutione, quae, deficientibus reditibus hereditatis, cadere deberet super aliis Legatis.

14. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo super implemento Legatorum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 29 martii 1806 responsum tulit: – Dilata ad primam post Agnos –. Reproposito igitur dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Solvendum esse integrum Legatum scutorum 100 favore Conventus Numenti; et in reliquis, videatur particulariter – *in Romana Legatorum die 26 Aprilis 1806.*

15. Quin imo quum Testator reliquisset legatum animalium pro manutentione Capellae et applicatione unius Missae hebdomadalis, eorumque Administratorem constituisset, quin cuicumque Personae de mundo rationem administrationis reddere unquam teneretur, Sacra Congregatio declaravit, praefatum Administratorem teneri ad redditionem extraiudicialem tantum rationis nec non tradere notulam iuratam dictorum animalium, ac Missas celebrandas esse cum eleemosynis manualibus *in Larinen. Redditionis rationum die 10 Maii 1710 lib. 60 Decretorum.*

16. Siquidem – exarato testamento anno 1688, sub quo decessit Marcus de Vecchio Terrae Morroni huius Diaecesis, in eoque instituto herede universali Modesto del Vecchio eius nepote, id legatum condidit: « Dichiara esso Testatore, come da molti animali vaccini pecorini etc., quali attualmente si trovano dati dal detto Testatore in società a diversi cittadini di questa Terra di Morrone, quali animali vuole, che dopo la sua morte la ven. Cappella del detto glorioso Santo Niccolò eretta dentro la Chiesa matrice di detta Terra ne sia padrona di tutti detti animali, e quanti se ne troveranno dopo la morte di detto Testatore, quale dichiara aver fatto molti beneficii alla detta Cappella di S. Niccolò per indoratura del Quadro etc., quale

Cappella fu della quondam Angela di Forio moglie di detto Testatore, della quale Cappella esso Testatore se ne trova al presente in possesso etc. E detta Cappella o Altare si abbia da governare e amministrare da detto suo erede e suoi eredi di detta sua Casa del Vecchio in infinitum, senza darne conto a nessuna persona del mondo, e dell'usufrutto, che ne pervenirà da detti animali, se ne debba mantenere primieramente detta Cappella, e di quello che avanzerà se ne debba far celebrare in detto Altare o Cappella dalli Sacerdoti, che saranno di Casa del Vecchio in infinitum una Messa letta la settimana per suffragio dell'anima di detto Testatore, e quello che avanzerà si debba ponere in aumento di detta Cappella etc.». Iamvero praetendente nuper Promotore fiscali illius Curiae Episcopalis, Modestum del Vecchio administratorem dictorum animalium teneri rationes reddere Episcopo Larinensi suae administrationis, nec non eorumdem animalium conficere Inventarium, eoque tamen renuente, recursus fuit habitus ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione super taxatione eleemosynae pro supradicta Missa hebdomadali. Requisitus desuper informare praefatus Episcopus, praemissa confirmando, censuit, nihil suffragari Administratori prohibitionem reddendi rationes a Testatore factam, utpote nulla Apostolica vel Ordinaria auctoritate roboratam, adeoque eum teneri ad talem redditionem et Inventarii confectionem a die obitus Testatoris. Verum attenta probitate et legalitate dicti heredis Administratoris, existimat Relator, eumdem non teneri ad poenas omissi Inventarii, nec ad rigorosam redditionem rationis, sed tantum ut patefaciat, medio eius iuramento, animalia legata commixta cum propriis ipsius heredis, atque declaret eorum fructus; taxationem vero eleemosynae pro Missis credit faciendam ad rationem duorum carolenorum pro qualibet, iuxta praescriptum Synodi Diaecesanae, uti fusius ex eadem relatione in Summario pariter exhibenda.

17. Concordatis itaque inter Partes infrascriptis dubiis, humiliter quaeritur ab EE. VV. ex deducendis declarari: – I. An et quomodo Modestus del Vecchio, administrator animalium legatorum a quodam Marco del Vecchio favore Capellae S. Nicolai Terrae Morroni, teneatur ad redditionem rationis praefatae administrationis? II. An itidem teneatur conficere Inventarium dictorum animalium legatorum. III. An et ad quam rationem taxari debeat eleemosyna Missarum a Testatore ordinatarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad redditionem extraiudicialem tantum rationis. Ad secundum, teneri tradere notulam iuratam. Ad tertium, ad manualem – *in Larinen. Redditionis rationum die 10 Maii 1710 lib. 60 Decretorum.*

18. Testator vero potest etiam in praeiudicium Legatariorum Inventarium remittere, ut tradit Mangil. de imputat. quaest. 134 n. 9, Surdus decis. 30 n. 21, Rot. in decis. 1803 n. 2 coram Coccino *in Romana Legatorum die 29 Martii 1806* §. *Exclusa.*

19. Traditum enim est, ultima voluntate remitti posse Inventarium respectu legatariorum et fideicommissariorum, uti testantur passim Doctores, Monticul. de invent. Cap. 1 n. 40, et cum eo Paul. de Castr. Alex. Aret. et plerique alii in leg. *Nemo potest* ff. de legat. *in Romana Reductionis vel Suspensionis Legatorum die 13 Septembris 1856* §. *Ius.*

20. Quod si Testatrix voluerit quidem simplicem privatamve rei familiaris descriptionem per heredem confici una simul cum executore testamentario, qui descriptionem ipsam subscriberet, non vero legale Inventarium, sed si postea probetur, Legata haud de facto vires hereditarias excedere, Legata huiusmodi sunt integre praestanda, quin etiam ex aequitate sit locus reductioni, licet attentis rerum circumstantiis suspensio eorum ad tempus indulgeatur *in Romana Reductionis vel Suspensionis Legatorum die 13 Septembris 1856.*

21. Enimvero Magdalena Calidi ultimo 3 septembris 1832, quo cum decessit, voluntatis elogio, quamplurima tum pia, tum prophana Legata reliquit in summa scutorum 23592, adsignatis respective fundis et nominibus, adiectaque lege, ut quaedam incontinenti, quaedam post mortem heredis instituti adimplerentur. Voluit insuper simplicem privatamve rei familiaris descriptionem per heredem confici una simul cum Executore

testamentario Iosepho Bacchi, qui descriptionem ipsam subscriberet. Demum heredem universalem virum suum Felicem Alexandri nuncupavit - col peso non solo dei suddetti Legati da adempiersi e soddisfarsi nella maniera detta di sopra, ma coll'obbligo altresì, che qualora li detti stabili e crediti assegnati per l'adempimento non fossero bastanti, debba supplire con porzione della mia eredità alla totale esecuzione di quanto ho stabilito –. Descriptione confecta statum hereditatis activum in scutis 25, 227, 50, et passivum in scutis 24, 782, 65 conscendisse apparuit. Ceterum heres Alexandri nedum quae ex incontinenti, verum multa etiam quae et post Uxoris mortem implenda erant Legata, adhuc superstes exolvit; et cum diem vidit supremum, tunc nempe cum sui heredem pro virili secundam Uxorem Annam Ponti cum duabus filiabus Prixime et Maria Felici nuncupabat, nonnisi scuta 5690 praestanda supererant. Anna Ponti una cum filiabus hereditatem Viri et respective Patris adire curarunt beneficio legis et Inventarii; ex quo statum hereditatis activum ad summam scutorum 13193, 94, passivum vero ad scuta 14811,08½ ascendere cognoverunt; cui idcirco, obaerata cum esset, nuncium mittere debuissent, quod tamen exequi recusarunt, spe quadam illectae lucrifaciendi ex societate ab eorum auctore inita conductione feudorum *di Monte Porzio e Monte Compatri* cum Filonardio aliisque, qui rationes adhuc reddere debebant. Sed societas haec cum nullum cohaeredibus lucrum reddiderit ex instrumentorum deficientia, quae rapuit odiosa manus e temporis momento, quo uxor Anna pietatis officia Viro morti proximo praestabat; imo cum haec fuerit causa sine numero litium, quae penes Tribunalia adhuc exagitabantur, Administrator Viduae et Pupillarum Sacerdos Aloisius De Bianchi supplex extitit apud Congregationem R. Fabricae divi Petri exeunte fere anno 1845 pro absolutione in totum a reliquis praestandis Legatis, vel saltem pro reductione assequenda. Verum, refragantibus interesse habentibus, die 8 augusti 1846 super oblatis precibus inimicum prodiit Rescriptum. Administrator iterum eidem Sacrae Congregationi preces obtulit, quae post sciscitatos rursus interesse habentes, Rescripto diei 6 decembris 1847 ex audientia Sanctissimi concessit recurrenti reductionem Legatorum favore Pauperum *delle Comuni di Scarpa e Percile* ex scutis 2000 ad 1000, solutis tamen intra quinque menses proximos scutis 100 pro fructibus decursis et non solutis supradictis Legatis. Concessit quoque favore filiarum defuncti per decennium a die statutae erectionis Legati applicationem subsidiorum dotalium, quae Puellis pauperibus Paraeciam S. Augustini de Urbe quotannis distribuenda erant, nonnullis adhibitis cautelis, reprobataque petitione super absolutione vel reductione reliquorum Legatorum.

22. Tunc Administrator ad aliam studuit confugere Congregationem, et ineunte anno 1851 novas preces obtulit S. Congregationi Visitationis, ut, attenta viduae et filiarum defuncti Alexandri extrema egestate, absolutio indulgeretur a fructibus decursis et insolutis super Legatis, et per decennium proximum suspenderetur eorumdem praestatio pro litibus persequendis definiendisque, votique compos quodammodo effectus est; quandoquidem per Rescriptum diei 21 iulii 1851 a solvendis fructibus decursis absolutio elargita est, prorogatio praestationis Legatorum ad triennium cohibita, adiecta insuper commutatione duorum Anniversariorum per idem tempus in sex annuas Missas cum eleemosyna obulorum quinquaginta pro unaquaque celebranda in dicta parochiali Ecclesia S. Augustini, itemque reservatione expensarum rependarum, quae a Legatariis factae sunt pro tutandis Legatis, ac demum obligatione hypothecae inscribendae favore ven. Hospitii ad Thermas. Neque tamen hisce contentus novas insequenti anno 1852 preces obtulit Summo Pontifici idem Administrator postulans, ut iudicium super legitimis causis reductionis vel saltem suspensionis ad plures annos Legatorum, cum absolutione a fructibus decursis Sacrae Congregationi Concilii ablegaretur. Precibus exceptis, Emus Urbis Vicarius, pro informatione et voto requisitus retulit, Deputatos ven. Hospitii ad Thermas nullum dedisse responsum, Episcopum Tyburtinum pro reductione Legatorum favore Pauperum locorum *Percile e Scarpa* suum praebuisse consensum, reliquos omnes contrariam ostendisse sententiam: fructus solvendos totaliter

summam constituere scutorum 380. Negavit Emus Vir reductionis necessitatem; tum quia causae in precibus expensae, nimirum assertus Legatorum excessus relate ad vires hereditarias nec non petentium inopia, in facto non verificabantur; tum quia, etiamsi verificarentur, ex iure haud veniebant attendendae. Legata enim vires haereditarias non excedere contendit, si uterque hereditatis status, activus nempe et passivus, corrigeretur; activus, in quo fundorum quorumdam valor imminutus; passivus, in quo addita quaedam, quae omni ex capite demi debuissent; idque in facto demonstravit. Quin imo etiamsi excessus esset in Legatis et inopia in Oratoribus subsisteret, Legata haud imminui debebant. Nam Felix Alexandri pure et simpliciter et citra omnem vel actionum reservationem uxoris Calidi hereditatem adiit, qui supplere ex hereditate debebat, si credita pro Legatorum adimplemento satis non fuissent. Idcirco ex receptissima iuris censura Felix Alexandri tenebatur de suo Legatariis satisfacere, et per eum Oratrices heredes eius, cum id esset consectarium aditionis hereditatis absque Inventarii confectione. Censuit tamen concedi posse suspensionem per triennium, quo tempore lites definirentur, persolutis ab Oratricibus fructibus decurrendis Locis piis debitis, iisdemque exoneratis a praestatione fructuum decursorum. Contra vero Oratorum Defensor sustinuit, in facto vires hereditatis a Legatis excedi, eo praecipue quia status hereditarius sive activus, sive passivus corrigi nullo modo posset, utpote qui non erratus; idque pro viribus demonstrare studuit. Oratricum paupertatem deinde ex ipsa Emi Urbis Vicarii relatione confirmavit, dum dixit, in praesens nihil esse activi in patrimonio Alexandri, quin obstaret, quamprimum Oratrices assequuturas esse summam scutorum 12000 ex litibus, quae agitabantur, advertit enim cum Aristotile, spem esse vigilantis somnium, proinde in nulla consideratione de iure haberi posse. Nec ius Oratricibus obstare, sed favere contendit: primo, quia, demonstrata hereditatis impotentia ad onera Legatorum ferenda, ea retinenda erant veluti non scripta in quantum vires hereditatis excedebant; secundo, quia Alexandri non iure et simpliciter hereditatem adiit, sed descriptione confecta iuxta mentem Testatricis, et hanc simplicem descriptionem relate ad Legatarios loco esse solemnis Inventarii, cum ex mandato Testatricis remitti potuisset Inventarium respectu Legatariorum. Unde hoc in casu nihil de suo praestare heres legatariis tenebatur, praesertim ubi heres, sicut Alexandri, sedulo bona sua administrare curaverit.

23. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a fructibus hucusque insolutis in casu? II. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro Legatorum reductione seu suspensione in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, non retardata tamen solutione scutorum centum favore Pauperum Percile et Scarpa, et celebratione Missarum in Ecclesia S. Augustini. Ad secundum, quoad reductionem, Negative; quoad suspensionem, Affirmative ad triennium – *in Romana Reductionis vel Suspensionis Legatorum die 13 Septembris 1856.*

24. Administratoribus autem et Executoribus tempora ad conficiendum Inventarium non limitantur, Guerr. de Inventario tract. 1 lib. 1 cap. 2 n. 18 *in Faventina Reductionis Missarum seu Reintegrationis die 27 Augusti 1763* §. *Contra.*

25. Episcopus tamen tempus praescribere potest; quandoquidem quum Episcopus Savonensis Edictum proposuerit, quo inter cetera mandavit, ut Administratores Fabricae Ecclesiae Cathedralis, qui Massarii vocabantur, Repertorium seu Inventarium facerent bonorum sive mobilium, sive immobilium Ecclesiae, iuxta Constitutionem Benedicti XIII, cuius initium: *Maxima vigilantia,* statuto ob id certo tempore, proposito dubio: – An Edictum Episcopi publicatum die 22 februarii 1740 sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative – *in Savonen. die 29 Februarii 1744.*

26. Hinc ut Repertoria sive Inventaria ab Administratoribus facta legitima sint, tum Xisti V, tum Benedicti XIII Constitutionibus, tum denique Concilio Romano cavetur, – ut Episcopis pro recognitione et approbatione simul exhiberi debeant – *in Savonen. die 8 Februarii 1744* §. *Tertio.*

27. Compertum hinc est, confici debere Inventarium bonorum ad Beneficium pertinentium eiusdem sumptibus, si Testator id verbis expressis mandaverit; quandoquidem quum Capellanus sustineret, Testatorem Inventarium imperasse primo dumtaxat mortis suae tempore in haec verba: – Iussit Testator, quod post ipsius Testatoris mortis fiat unum Inventarium de omnibus bonis, et quod Commissarii sui teneant dictum Inventarium –, Sacra Congregatio mandavit, conficiendum esse Inventarium bonorum et iurium spectantium ad Beneficium, eiusdem non vero Capellani sumptibus, cum in illius utilitatem vergebat *in Cervien. die 7 Iunii 1788* (1).

28. Amplia, Inventarium bonorum ecclesiasticorum a Beneficiariis etiam iurispatronatus tradendum est Curiae Episcopali; nam praeter Constitutionem Xisti V diei 29 aprilis 1587, quae incipit *Provida,* lex apertissima est in Concilio Romano tit. 12 Cap. 1 *in Ferrarien. Exequutionis Rescripti Alienationis bonorum et Solutionis die 29 Iulii 1848* §. *De bonorum.*

29. Unde Crispinus de visit. part. 2 §. 27 n. 2 testatur, nil est efficacius ad Ecclesiae bona servanda statui posse, quam Inventariorium rerum Ecclesiae confectionem. – Per difetto de' quali (ita Crispinus) i beni delle Chiese spesso vanno in rovina, o sono defraudati ed occupati – *in Ferrarien. Exequutionis Rescripti Alienationis Bonorum et Solutionis die 29 Ialii 1848* §. *De bonorum.*

30. Quapropter ordinatio conficiendi Inventarium facta fuit a S. Carolo Borromaeo Parochis, ut patet in 4 part. act. mediolan., et de hac obligatione Inventarium conficiendi agit Giraldius in animadv. ad Barbos. de offic. et potest. Parochi part. 1 cap. 13 n. 3 et additione subiecta *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 24 Martii 1821* §. *Haec.*

31. Unde Concilium Romanum tit. 12 cap. 1 de fide instrumentorum, ut conservationi prospiceret bonorum Ecclesiae, ita statuit: – Ecclesiastica bona, quae sane Christi eiusque Ministrorum et Pauperum patrimonia sunt, ut sacrilegis ab usurpatorum manibus vindicentur, et primaevo suo ac legitimo iuri restituantur, in eoque, prout convenit, conserventur, officium et auctoritatem nostram interpellant. Itaque, sacro etiam approbante Concilio, et Motui proprio nos inhaerentes fel. rec. Sixti V infra cum aliis subiungendo, Capitula quaecumque et Collegia atque Ecclesiarum et Beneficiorum etiam simplicium et de iurepatronatus Rectores omnesque Hospitalium Confraternitatum Congregationum ceterorumque Locorum piorum quomodolibet etiam exemptorum Administratores requirimus, eisque et eorum singulis sub poena etiam Interdicti contra Capitula et Collegia ipsa, Suspensionis contra Clericos sacros Ordinibus initiatos, et Excommunicationis contra Laicos et reliquos Clericos in minoribus constitutos, in virtute sanctae obedientiae praecipimus ac districtissime mandamus, ut infra annum post huius Concilii promulgationem nostro respective et Episcoporum arbitrio ex rationabili tantum causa moderate prorogandum, eorumdem nos Episcoporum conscientias onerantes bonorum omnium, quavis ratione ad eadem Capitula Collegia Ecclesias Beneficia Hospitalia Confraternitates et Cengregationes pertinentium, quorumque cura ipsis, sive in communi, sive in particulari, commissa reperiatur, legale Inventarium conficere et perfectum nobis respective ac suis Episcopis infra idem tempus pro recognitione et approbatione simul exhibere habeant et debeant, servata in omnibus methodo et instructione, quam hic dabimus in appendice – *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 24 Martii 1821* §. *Sacrum.*

32. Nec dubium, quin huiusmodi Inventarium iuramento firmari debeat. Porro in fine Instructionis quoad modum conficiendi Inventaria §. XXVI XXVII et XXVIII, ubi subscribendi forma describitur, ita legitur: – Io N. Rettore... ho fatto il suddetto Inventario. E così giuro. Io N. sono stato presente, mentre si è fatto l' Inventario; e così giuro. Io N. per commissione di N. non sapendo esso scrivere mi sono sottoscritto per lui; e così giuro – *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 24 Martii 1821* §. *Sacrum.*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Beneficiati,* §. II, n.2 ad 6, Tom. III.

33. Idque novum minime fuit: nam et ante Concilium Romanum Synodus Balneoregiensis sub Episcopo Honuphrio Elisei anno 1711 celebrata, quaeque in ea Diaecesi observabatur, iussit confectionem huiusmodi Inventarii, atque in appendice, ubi de modo res erat, ea subscribendi verba legebantur: – E così giuro – *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 24 Martii 1821* §. *Haec.*

34. Frustra igitur, qui Inventarium iuratum conficere tenetur, ad iuramentum e medio tollendum has affert rationes. Licet haereticum esset cum Valdensibus Manichaeis et Anabaptistis asserere cuiuscumque iuramenti illicitudinem, nihilominus verba, quae leguntur in Epistola catholica S. Iacobi cap. 5 vers. 12: – Nolite iurare quodcumque iuramentum –, ita interpretantur ab Innocentio III in Cap. *Etsi Christus* 26 de iureiurando, ut non liceat iurare sine necessitate, et quidem pro re vera licita et honesta. Ac praeterea ex verbis Prophetae Ieremiae Cap. 4 vers. 2: – Iurabis... in veritate iudicio et iustitia –, deducunt Canonistae, et praesertim ex verbo – iudicio – pro licitudine iuramenti interesse debere maturam considerationem necessitatis et utilitatis iurandi, ita ut res adeo egeat iuramento, ut sine hoc comprobari nequeat, Leuren. in for. eccles. lib 2 quaest. 753 n. 2, Sanchez in Decalog. cap. 4 n. 2, Castropal. lib. 1 part. 5 n. 2. Et ratio est, quia iuramentum, quamvis sit licitum et bonum, non est ex eo genere bonorum, quae sunt frequentanda, uti oratio et eleemosyna, sed ex eo genere bonorum, quae, posita necessitate, bona sunt, ut explicat, Auctoritatibus adductis, Bonacina, in Theol. moral. tom. 2 disp. 4 quaest. 1 punct. 3 n. 1 *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 24 Martii 1821* §. *At.*

35. An autem contra eos, qui Inventarium iuratum conficere nequeunt, possit Episcopus procedere poena pecuniaria, seu potius debeat procedere per censuras iuxta sacrum Concilium Romanum, haec animadvertenda videntur. Si enim vetera sacrorum Canonum statuta perquirimus, a plerisque pecuniarias poenas probari, ab aliis vero improbari deprehendimus, cum primis experientia compertum foret, pecuniarias poenas magis timeri, quam spirituales censurarum, quae utpote spiritum tangentes a crassis et obcaecatis hominibus contemnuntur; aliis vero exploratum esset, facilius ea crimina admitti, quorum poena facile condonatur. Fuse utramque sententiam expendit Benedictus XIV de synod. diaeces. lib. 10 cap. 9. Sed haec controversia sublata est a Tridentino, quod nedum pecuniarias poenas decrevit contra irresidentes sive Episcopos, ut sess. 6 cap. 1, sive Clericos, ut in sess. 24 cap. 12 de reformatione, sed praeterea hanc facultatem Episcopis vindicavit etiam contra Laicos in sess. 25 cap. 3 de reformatione, ex quibus ita concludit laudatus Pontifex Benedictus XIV loc. cit. n. 6: – Unde nemini fas est dubitare, licere Episcopis mulctas pecuniarias delinquentibus indicere, si ad eorum emendationem aliorumque terrorem eas conducere existimaverit – *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 24 Martii 1821* §. *Tertio.*

36. At in re, de qua agitur, obstare posset Concilium Romanum, quod censurarum poenam imposuit tam Clericis, quam Laicis Inventarium conficere reluctantibus; unde cum res non sit amplius integra, et poena a Concilio fuerit iam statuta, non licere Episcopo pecuniariam poenam imponere, derelicta spirituali: atque id Sacrae Congregationis auctoritate probari posset. Cum enim in Synodo Brundusina statutum fuerit, ut Sacerdotes aliique inferiores Clerici inservire deberent Ecclesiae, cui erant adscripti, iuxta Tridentinum sess. 23 Cap. 6 de reformatione, singulis festis in octava Corporis Christi et solemnibus supplicationibus, sub poena ducatorum quinquaginta Seminario applicanda, Sacra Congregatio die 19 iulii 1818 admonendum censuit Episcopum, ne hanc poenam exigeret, quia Tridentinum eodem loco statuerat dumtaxat interdicendum esse Sacrorum exercitium deserentibus Ecclesiam, cui fuerant adscripti *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 24 Martii 1821* §. *At.*

37. E contrario vero dici posset, aliquando Episcopis licere spirituali poenae censurarum etiam pecuniarum adiungere. Exemplum est in Cap. *Quod super his* de maioritate et obedien-

tia, ubi statuitur, Episcopos suo arbitrio Abbates et Sacerdotes sibi subditos posse compellere per censuram ecclesiasticam ad Synodum venire. Quamvis autem Tridentinum cap. 2 sess. 24 de reformatione, ubi etiam exemptos ad Synodum ire statuit, nihil de poena dixerit, si nihilominus Sacra Congregatio eiusdem interpres censuit, posse Episcopum illorum contumaciam censuris aliisque poenis coercere, ut testatur memoratus Pontifex Benedictus XIV loc. cit. lib. 3 cap. 12 n. 1, et in sequenti numero probat, posse Episcopum spirituali poenae censurarum etiam pecuniarum adiungere. Utriusque autem poenae vel cumulationem, vel pecuniariae dumtaxat inflictionem, spirituali seposita, locum habere in casu, de quo agitur, duo suadent. Primum scilicet Xistum V in suo motu proprio diei 29 aprilis 1587, cui inhaesit Concilium Romanum, arbitrariam facultatem tribuisse Episcopis coercendi reluctantes Inventaria legalia conficere: – eosque (verba Motus proprii sunt) ad id per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia sibi benevisa cogant et compellant –. Alterum est, si in Synodo, licet ante Concilium Romanum celebrata, quae tamen adhuc observatur, iubeatur Inventarii iurati confectio sub poenis arbitrio Episcopi infligendis *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 24 Martii 1821* §. *E contrario*.

38. Quapropter in sacra visitatione mandari potest Clero Ecclesiae sub poena pecuniaria, ut conficiat Inventarium redituum eiusdem Ecclesiae; quandoquidem quum in visitatione praescriptum fuisset Clero Ecclesiae S. Nicolai Terrae Castellucci, ut repertorium, seu ut vocabant Plateam, redituum Ecclesiae faceret, quod cum factum non fuerit, exacta poena esset a dicto Clero ducatorum triginta, propositis dubiis: – V. An dicti Presbiteri teneantur conficere Plateam sive Inventarium in casu etc. *Et quatenus affirmative*. VI. An praefatus Episcopus Cassanensis teneatur restituere ducatos triginta exactos ob praetensam non confectam dictam Plateam sive Inventarium? –, Sacra Congretio respondit: – Ad quintum, Affirmative. Ad sextum, Negative in casu, de quo agitur – *in Cassanen. Visitationis die 14 Iunii 1749*.

39. Quin imo licet Concilium Romanm nihil habeat quoad renovationem Inventarii; attamen Xistus V in suo Motu proprio sub die 29 aprilis 1587, cui adhaesit Concilium Romanum, statuit, illud fieri debere per singulos Successores in administratione intra annum a capta possessione, non vero singulis decenniis, quod forsan onerosum visum est. Verum pleraeque Synodus Constitutiones iubere videntur eam renovationem quolibet decennio. Quoad haec duo sunt in iure observanda: primo Episcopos in Synodis non posse quidquam statuere, quod obviet canonicis institutis, cum nequeat Inferior Superioris legem abrogare corrigere immutare aut quidquam ei detrahere vel addere, Textu claro in Can. *Inferior* dist. 21, Cap. *Cum Inferior* de maioritate et obedientia, et in Clem. *Ne Romani* de electione, et ut late probat Benedictus XIV de synod. diaeces. lib. 9 cap. 1. Alterum vero est, posse leges Superioris per Inferiorem adiuvari, ut alicuius rei adiectione: aliud enim est, legem Superioris tollere corrigere immutare eique aliquid detrahere vel addere in commodum privatorum contra spiritum legis, quod Inferiori prohibetur; et aliud est, eam adiuvare aliquid addendo, ut melius servetur, arg. Cap. ult. de constit. in 6, quia non tollitur vel imminuitur prioris legis observantia, sed promovetur, quod sane Inferiori licet, Menoch. lib. 2 de arbitr. iud. cas. 398 n. 46, Reiffenst. lib. 1 Decret. tit. 2 §. 4 n. 75 et 76 *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 24 Martii 1821* §. *Inquirendum*.

40. Idcirco Episcopus nedum per notificationem adigere potest omnes, quorum mentio fit in tit. 12 cap. 1 Concilii Romani, ad exhibendum legale Inventarium iuramento firmatum, sed etiam ad illud renovandum singulis decenniis, nec non contra reluctantes procedere valet poena pecuniaria iam statuta, aut etiam, ea derelicta, iuxta illius arbitrium et prudentiam censuras et poenas in dicto capite Concilii Romani statutas per novam notificationem imponere potest *in Balneoregien. Visitationes sacrorum Liminum quoad Inventarium die 14 Aprilis 1821 et die 23 Ianuarii 1823*.

41. Siquidem in relatione status Ecclesiae Balneoregiensis anno 1817 transmissa haec

continebantur postulata, quae Episcopus his verbis exposuit: - In sacra visitatione per notificationem indixi, ut singuli tam Ecclesiarum Rectores et Beneficiorum Possessores, quam Confraternitatum aliarumque piarum Institutionum Officiales legale Inventarium omnium bonorum iurium etc. ad Ecclesias Beneficia Confraternitates aliaque Loca pia spectantium conficerent; illudque iuxta formulam praescriptam non solum in appendice Concilii Romani, sed in Diaecesana aliisque Synodis, in capitibus distributum, et iuramento firmatum, in Cancellaria Episcopali exhiberent, sub poena scutorum quinque, usibus piis applicandorum. Transacto iam anno, nonnulli Ecclesiastici conficere et tradere Inventarium recusarunt, quasi iuramenti religionem verentes. Quum experientia cognoverim absque iuramenti cautela nihil veri ex Inventariis erui posse, et quum contra laudati Concilii et Synodi Diaecesanae praescriptiones esset, eadem non iurata admittere, Inventaria absque iuramento recipere recusavi, sed poenam minime exegi. Considerans, Concilium Romanum tit. 12 cap. 1 de fide instrumentorum non poenam pecuniarum, sed censuras comminatum fuisse contra eos, qui Inventaria infra annum non exhibuissent, sequentia dubia Sacrae Congregationis decisioni proponenda statui –. Ex quibus tria postulavit: primo, an omnes, quorum mentio fit dicto Cap. 1 de fide instrumentorum, adigendi essent ad exhibitionem legalis Inventarii iuramento firmati; secundo, an ad illius renovationem singulis decenniis; tertio, an contra reluctantes procedi posset poena pecuniaria iam comminata, derelictis censuris in dicto Cap. 1 de fide instrumentorum statutis. Exquisita eiusdem Episcopi informatione et voto, auditis in scriptis Capitulo et Rectoribus Ecclesiarum recusantibus exhibitionem Inventarii, simulque requisita copia Constitutionum Synodalium ad rem facientium, Episcopus haec habuit: - Sperabam utique suasionibus et patientia, Canonicos omnes Cathedralis Ecclesiae absque alio urgentiori stimulo ad Inventaria huiusmodi tradendum me adducturum, et ideo in longum protraxi mandata EE. VV. eidem Capitulo patefacere. Non omnino spes frustrata remansit: nam quidam ex Capitularibus hoc temporis intervallo paruerunt, et absque obiecta iuramenti formidine ad unguem, quod exigebatur, praestiterunt. Sed remanent adhuc Inventarium huiusmodi tradere recusantes ex titulo miticulosae conscientiae, quae, ut aiunt, nullo pacto legi iuramenti acquiescere valet –.

42. Canonicus enim Hieronymus Vettori, qui a capitulari abfuerat resolutione, scripto probare studuit, se non posse Inventarium tradere iuratum, cum iurisiurandi exularet necessitas; quia rerum omnium notitia, quae suum Canonicatum respiciebant, ex instrumentis erui poterat in Episcopali Cancellaria existentibus. Quod ex defectu necessitatis deduxitCanonicus Vettori, deduxerunt etiam ex defectu veritatis in capitulari resolutione ii ex Canonicis, qui iurati Inventarii traditionem recusarunt. Gravibus enim stimulis conscientiam suam agitari metuebant, si Episcopo parerent, cum annuum reditum Praebendarum ignorarent. Nemo enim ex iis libros confecit exitus et introitus, praesertim cum nonnulli ex ipsis vel paulo ante post ipsam Praebendam adepti fuerint, a loco bonorum, quae vendita fuerant a Gallis, in praesens pensione fruerentur. Sed nec de invenditis bonis Massae communis iuratum Inventarium tradi posse autumarunt ii Capitulares ob lites, quae vigebant super iis cum Principe Santa Croce ceterorum bonorum emptore, nisi prius ad exitum perduceretur iam incepta transactio. Eadem rationum momenta attulit Canonicus Ioannes Dominicus Vezzosi, cuius Praebendae bona ad neutram Capitularem Massam pertinentia, dum deportatus erat, alienata fuere, si parva officina excluderetur; ac proinde arguit, nonnisi huius et pensionis censum tradere posse. Episcopus vero EE. PP. iudicio haec subiecit: – An excusationes, quae afferuntur, tanti sint momenti, ut legem ecclesiasticam etc. tali conventu, tanta ponderatione latam, et pluribus Synodalibus Constitutionibus tam ante, quam post Romanum Concilium repetitam, et iam ab anno 1711 in Synodo Balneoregiensi sub Episcopo Honuphrio Elisei praescriptam, tamquam conscientiae laqueum valeant insimulare? Et re sane vera si formido, quae a parendo retrahit Canonicos Balneoregii, vim tantam haberet, nunquam prorsus iurare licitum esset, cum humana cognitio ex pluribus

causis errori obnoxia esse possit. An nesciunt in iuramento, ut rectum sit, non requiri neque metaphysicam, neque physicam rerum cognitionem, sed sufficere tantum moralem? Miror equidem, quomodo extensor consultationis Canonicus Bonaventura Paparozzi, homo praesertim in rebus agendis diligentissimus, non reminiscatur quale emolumentum sibi obveniebat ex bonis alienatis, et sic de ceteris antiquioribus Canonicis dicendum. Appellant ad statum, quem anno 1790 absque iuramento exhibuerunt Dignitates et Canonici, sed perperam; ad proprium enim commodum tunc reditus extenuarunt, ut ipsi quoque fatentur. Dicendum igitur, optimo iure praescriptum fuisse in talibus assignationibus iuramentum, sine quo veritas non apparet, et hoc iuramentum non a Peritis, ut renuentes insinuant, sed ab ipsis Beneficiorum possessoribus Concilium Romanum et Diaecesana Synodus requirunt. Sed in praesenti rerum statu ad propositum finem nihil obstaret, quod in consultatione asseritur, paratos nempe esse Canonicos notam iuratam tradere de fundis, qui ad uniuscuiusque Praebendam ante confiscationem spectabant, desumendam ex assignationibus datis ab anno 1790, de compensatione, quam nunc a R. C. recipiunt, sed desinant, qui ita opinantur clamores emittere de incongruitate compensationis huiusmodi, et praesertim Canonicus Ioannes Dominicus Vezzosi, quem licet putem non adaequate ad iacturam percipere emolumentum, tamen tunc solum, ut arbitror, commiserationem merebitur, cum ex parte sua illam non omiserit praebere probationem, quam leges ecclesiasticae requirunt. Quanti demum faciendum sit votum Canonici Hieronymi Vettorii, qui ultra Canonicalis Praebendae assignationem, teneretur etiam tradere statum Beneficiorum simplicium, quae possidet ex folio, quod insero litt. C. EE. VV. ea qua pollent sapientia iudicabunt. Sed ad integrum Capitulum revertendo, prorsus inanis mihi videtur excusatio, quam consultationis extensor, in cuius verbo ceteri subscripserunt, in medium affert pro exemptione assignandi bona, ad utriusque Capituli massam, ut aiunt, spectantia, quae ad hastam una cum separatis Praebendis exposita minime fuerunt. De uno aut altero fundo, et quidem exigui valoris, controversia adhuc viget inter has duas mensas Capitulares, et D. Principem Santa Croce. Forsan consultationis extensor ignorat, quod in instructione apposita in calce Concilii Romani §. 22 23 24 de controversiis et litibus pendentibus insinuatur, nam alioquin facile cognoscere potuit, nihil tales causas impedimenti afferre ad Inventarium conficiendum. Immo non ultimum commodum ex Inventariis bene comparatis promanari existimo, quod ex hisce appareat, non solum quantum Ecclesia possidet, sed etiam iura, quae sibi competere possunt, innotescant. Hinc post tot rerum vicissitudines opportunum putabam, ut in Inventario ante assignationem praesentis provisoriae compensationis describeretur quantum Praebendae, dum integrae erant, respondebant; quod facili ratione ab antiquioribus praecipue Canonicis praestari poterat. Sed ne durius cum fratribus agam, licet nihil aliud mihi proposuerim, nisi eorum et Ecclesiae utilitatem, libenter amplecterer, ut statum efforment, prout in consultatione se paratos esse protestantur, dummodo formam Concilii Romani, quae pene cum Synodo Diaecesana concordat, observent, et Camerarii seu alii a Capitulo deputati non solum Mensae communis, sed Ecclesiae et et Sacristiae descriptionem proferant; uno verbo necessarium ducerem, ut id, quod nunquam satis accuratum factum est, nunc fiat, et ad sarta tecta iura Ecclesiae servanda Inventarium legale et iuramento firmatum in Episcopali Cancellaria servandum, omni praeclusa tergiversatione, a reluctantibus Canonicis tradatur –.

43. Quoad renovationem autem Inventarii singulis decenniis nihil statuit Concilium Romanum, nec in themate afferebantur particulae Synodorum, quae renovationem legalis inventarii bonorum ac iurium Ecclesiae praecipiebant singulis decenniis. Et ad poenam pecuniariam quod spectabat, haec imponi posse videbatur ab Episcopo, licet Concilium Romanum censurarum poenam imposuisset. Nam Xistus V in suo motu proprio diei 29 aprilis 1587 statuit, procedi posse per censuras et poenas; et in Synodo ab Episcopo Elisei, licet ante Concilium Romanum anno 1711 celebrata, quae tamen plene observabatur in Balneoregiensi Diaecesi, iubebat in-

ventarii iurati confectionem - sub poenis arbitrio nostro infligendis –.

44. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An omnes, quorum mentio fit in tit. 12 Cap. 1 Concilii Romani, adigendi sint ad exhibendum legale Inventarium iuramento firmatum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An tale Inventarium renovandum sit singulis decenniis in casu etc. III. An contra reluctantes procedi possit poena pecuniaria iam comminata, seu potius ea derelicta satius sit censuras et poenas in dicto Capite 1 Concilii Romani statutas per novam notificationem imponere in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 aprilis 1821 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, dilata; et Episcopus transmittat particulas Synodorum. Ad tertium, Affirmative ad primam partem; et quoad secundam, arbitrio et prudentiae Episcopi –.

45. Episcopus Sacrae Congregationis mandatis obtemperans, retulit: – Unam tantum particulam Synodi Diaecesanae habitae anno 1722 a Iosaphat Baptistellio Episcopo Fulginatensi, et a sacro vestro consessu confirmata invenire potui, qua haec decennalis status renovatio sancitur. En particulae verba: « Sed ut omnis via fraudibus obstruatur, iuxta nostrum suprascriptum Edictum, districte iniungimus omnibus et singulis et sub poenis ibidem expressis, ut ad formam Sistinae Constitutionis nostraeque in appendice subiunctae methodi infra sex menses a die apprehensae possessionis diligens conficiant Inventarium bonorum tam mobilium, quam stabilium ac iurium ad Ecclesias Beneficia vel pia Loca quomodocumque pertinentium, cuius quidem alterum exemplar penes se retineant, alterum nobis exhibeant in Cancellaria nostra asservandum, illudque quolibet decennio recognosci ac renovari volumus, ne ob confinium mutationes progressu temporis eorum memoria dilabatur. Ad asservanda autem huiusmodi Inventaria ac iura infra eumdem semestrium terminum, et sub poenis in ipso Edicto contentis, Archivium vel saltem opportunum Armarium sera et clavi munitum ab omnibus omnino provisum sit: iis, qui adhuc fuerint in alterutro refractarii, pro ultimo et peremptorio termino ad utrumque exequendum assignamus alium mensem ab editione praesentis Synodi, quo transacto, sciant nos ad poenas Edicti contra omnes irremisibiliter processuros » –. Hoc Synodi Fulginatensis statutum una cum integra Synodo approbatum fuit a Sacra Congregatione die 19 augusti 1724. Videndum hinc erat, utrum applicanda esset haec Fulginatensis dispositio in Diaecesi Balneoregiensi; scitum enim, quod una Diaecesis nihil commune habet cum altera, ita ut quod dispositum est in una non valeat in altera. At Episcopus Balneoregiensis Inventarium decennale praescripsit, non quia hoc statuit Episcopus Fulginatensis, sed quia utile suae Diaecesi esse censuit. Si vero hoc approbatum fuit in illa Diaecesi, videbatur etiam in hac approbandum, iuxta iuris principium, ubi eadem est ratio, eadem est iuris dispositio, Reiffenst. tit. 11 de const. §. 28 n. 410.

46. Reproposito hinc dubio: – An Inventarium renovandum sit singulis decenniis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative arbitrio Episcopi – *in Balneoregien. Visitationis sacrorum Liminum quoad Inventarium die 23 Ianuarii 1823.*

§. I.

IRREGULARITAS EX DEFECTU ANIMI

1. Irregularitas est impedimentum ad recipiendos vel exercendos Ordines a sacris canonibus constitutum, ut tradunt Bonacina de censuris disp. 7 Cap. 1 p. 1, Suarez de censuris sect. 3 *in Camerinen. Dispensationis die 1 Martii 1817* §. *Iam ipse.*

2. Idcirco irregularitas non est censura, quae in una Diaecesi possit subsistere, in altera secus *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817* §. *Iam ipse.*

3. Hinc illiterati sunt irregulares, Can. *Il-*

literatos dist. 36 *in Siracusana Irregularitatis die 26 Novembris 1803* §. *Dum.*

4. Et multo magis irregularis est Clericus, si amentia laboraverit, Can. *Maritum,* et Can. *Communiter* distinct. 3 *in Forolivien. Dispensationis ab irregularitatis die 16 Februarii 1816* §. *Triplex.*

5. Nonnulli autem putant, eum, qui a Daemone obsessus fuit,si a vexatione liberatus est, posse ad Ordines promoveri, nisi ex memoria morbi remanserit aliqua infamiae nota et occasio offensionis, Gonzalez in Cap. *Cum tua* n. 10 de corpore vitiatis, Gibalin. de irregular. cap. 3 consect. 9 per totum, Diana rer. moral. tom. 5 in edit. coord. tract. 5 res. 60 *in Mediolanen. die 10 Iunii 1724* §. *Scribentes.*

6. Alii e contra putant, ad Ordines promoveri non posse illum, qui fuit Energumenus, etiamsi liberatus sit, posse tamen in Ordinibus susceptis ministrare, si per spatium unius anni non fuerit a Daemone vexatus, et Episcopus eum dispensaverit, Suarez de censur. disp. 51 sive ultima sect. 1 n. 7, Sayrus eod. tract. de censur. lib. 6 cap. 9 n. 14, Bonacin. Oper. moral. tom. 1 disp. 7 de irregular. punct. 2 proposit. 1 n. 24, Maiol. de irregular. lib. 2 cap. 17, Leander oper. moral. part. 5 tract. 1 disp. 3 quaest. 14 et quaest. 16 *in Mediolanen. die 10 Iunii 1724* §. *Scribentes.*

7. Nec desunt admittentes, quod obsessus a Daemone, licet liberatus, ad ulteriores Ordines ascendere non possit, si sermo sit de ascensu ad Ordines maiores, secus autem si de ascensu ad Ordines minores, uti videri potest apud Bonacinam et Sayrum locis citatis, contendentibus aliis, praeclusam esse Arreptitio, quamvis liberato, viam ad Ordines ulteriores, sive sermo sit de ascensu ad Ordines maiores, sive ad Ordines minores, uti plene videri potest apud Leandrum loc. cit. quaest. 15 *in Mediolanen. die 10 Iunii 1724* §. *Scribentes.*

8. Unde quod attinet ad sacros Canones, in quibus unaquaeque ex Doctorum opinionibus suum constituit fundamentum, in nonnullis arceri videtur, tam ab Ordinum receptione, quam a receptorum administratione ille, qui est actu a Daemone obsessus, Text. 1 in Can. *Maritum* dist. 33: – vel afflictione Diaboli vexatus est –; et concordat Canon. 13 Concilii Toletani II: – Bene quidem Maiorum regulis definitum est, ut Daemoniacis aliisque similibus passionibus irretitus ministeria sacra tractare non liceat, cui praecepto, consensu rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a Daemonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeat ministrare Altaribus, vel indiscusse se divinis ingerat Sacramentis – *in Mediolanen. die 10 Iunii 1724* §. *Haec.*

9. Alibi quoad Obsessos, postquam Ordines receperunt, decernitur, eosdem in Ordinibus ministrare non posse, nisi saltem post unius anni spatium fuerint liberati, et Episcopus suum praestiterit assensum, uti legitur in Can. *Communiter* dist. 33: – Qui tamen et ipsi tamdiu erunt ab Officii sui Ordines et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniatur ab incursu Daemonum liberati – *in Mediolanen. die 10 Iunii 1724* §. *Haec.*

10. Quoad Obsessos vero et iam liberatos, an ad Clericatum, si adhuc Clerici non sint, vel ad maiores Ordines, si Clerici sint, ascendere et promoveri possint, aliqua adesse videtur in sacris Canonibus antinomia: in antiquo enim et venerabili Canone 78 inter eos, qui Apostolici dicuntur, sic legitur: – Si quis Daemonem habeat, Clericus non efficitor, sed nec cum fidelibus preces fundito. Mundatus vero non recipitor: et si fuerit dignus, efficitor –, scilicet Clericus; et e contra in Can. *Clerici* dist. 33 sic disponitur: – Clerici, qui in adolescentia a Daemonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere non possunt –. Et hinc factum est, quemadmodum visum est, ut nonnulli censuerint, obsessum a Daemone, sed liberatum, posse ad Clericatum et ad ulteriores Ordines promoveri, propter auctoritatem videlicet Canonis Apostolici, cui dicunt derogatum non fuisse ab allegato Canone *Clerici,* cum intelligi hic possit de obsessis a Daemone et non liberatis; et alii e contra senserint, Obsessum a Daemone, licet liberatum, esse perpetuo irregularem quoad Ordines suscipiendos, cum Canon Apostolicus editus fuerit tempore, quo pauci inveniebantur, qui Clerici esse vellent, et posterior Canon *Cle-*

rici praesentem statum respiciat, in quo homines non desunt, qui Altaris ministerio inserviant et clericatum assumant *in Mediolanen. die 10 Iunii 1724* §. *Haec.*

11. Postremam hanc opinionem Sacra Congregatio amplexa est in Panormitana Dispensationis 10 aprilis 1683 (1) *in Mediolanen. die 10 Iunii 1724* §. *Postremam.*

12. Nullum tamen dubium, quin Energumenus sive Arreptitius vel a Daemone obsessus sit de iure irregularis quoad Ordines suscipiendos, licet a duobus iam annis nullum recidivae signum dedisse videatur *in Mediolanen. die 2 Decembris 1724.*

13. Enimvero Hieronymus Antonius Bonacina Clericus Mediolanensis et constitutus in aetate annorum 23 exoptavit sacris Ordinibus initiari, supplicavitque pro dispensatione ab irregularitate forsan contracta, ex quo quatuor ab illinc annis fuit energumenus sive arreptitius vel a Daemone obsessus; duo enim iam anni elapsi erant, quorum decursu nullam, Deo dante, passus est a Daemone vexationem, quae circumstantia nedum in eius supplici libello exponebatur, sed etiam confirmabatur in informatione Emi Card. Archiepiscopi, in qua habebatur: – Cum itaque irregularitas in Causa per Oratorem proprio delicto aut defectui non sit adscribenda, iure merito sperare potest gratiam, pro qua supplicat; maxime cum iam labatur biennium, quo omnino liber ab omnibus reputatur, cum nullum recidivae signum dederit, fidem de praemissis facientibus de credulitate publicis Exorcistis –. His mature perpensis, proposito dubio: – I. An Orator sit de iure irregularis quoad Ordines suscipiendos in casu etc. –, Sacra Congregatio, negata etiam interim dispensatione (2), responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Mediolanen. die 2 Decembris 1724.*

14. Hinc et Bigamus irregularis censetur ac est; quandoquidem Apostolus in prima sua Epistola ad Timotheum Cap. 3 describens qualitates in Episcopis ac Diaconis necessarias inter cetera dicit: – Oportet, Episcopum irreprehensibilem esse unius Uxoris virum; deinde de Ministris eloquens, ait: – Diaconi sint unius uxoris viri –. In hunc Apostoli locum ita diserte ait clarissimus Estius: – Oportere Episcopum esse unius uxoris virum.... Denique propter hanc Apostolicam legem Ecclesia Bigamos a sacris Ordinibus semper repulit, Bigamos utique intelligens eos, qui priore Coniuge mortua duxissent alteram... His praemissis..., inhibitum est, ne Bigamus aut Viduae Maritus possit ad sacros Ordines promoveri; quia nec illa est una unius, nec iste est unus unius – *in Pisana die 25 Ianuarii 1823* §. *Secundo* §. *In.*

15. Qua de re Martinus Papa in Can. *Si quis* 8 dist. 50 statuit: – Si quis Viduam, quae ab alio relictam, duxerit, non admittatur ad Clerum, quod si irrepserit, deiiciatur – *in Constantien. die 10 Maii 1766* §. *De* (3).

16. Idcirco qui munus Notarii criminalis exercuit, quin unquam sententia sanguinis lata fuerit, nec non Bigamus erat, assequi non valuit dispensationem ab irregularitate ex bigamia contracta, licet qualitas Patroni activi concurreret *in Pisana die 22 Februarii 1823* (4).

17. Nec itaque dubium, quin etiam illegitimus quisque irregularitatis impedimento laboret, nec iuxta sanctionem Bonifacii VIII in Cap. 8 de filiis presbiterorum in 6 promoveri ad Ordines debeat *in Pientina seu Ilcinen. Ordinationis die 8 Augusti 1733* §. *Deest.*

Item *in Sancti Miniatis et Collen. Ordinationis die 20 Martii 1830* §. *Praeterea.*

18. In Neophitis vero nulla adesse videdetur irregularitas ad effectum suscipiendi Ordines, si post conversionem optimum vitae specimen ostenderint, et morum suavitate ac virtutum meritis indubium de constanti in catholica Religione perseveratia et futuro Ecclesiae servitio testimonium praebuerint. Et revera Concilium Nicaenum I celebratum anno 325 can. 2 non alia de causa prohibet Neophitos seu novos baptizatos ad Sacerdo-

(1) Resolutionem hanc habes in Verb. *Dispensatio*, §. VII, n. 45, Tom. VII.
(2) Ceu videre est in Verb. *Dispensatio*, §. VII,n. 46, Tom. VII.
(3) Reliqua latius habes in Verb. *Bigamus*, Tom.III.
(4) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Bigamus*, n. 34 ad 37, Tom. III.

tium promoveri, nisi quia nempe multo tempore opus est, ut novus baptizatus probetur, antequam ad statum ecclesiasticum recipiatur. Alexander III in Cap. *Eam se* de rescriptis scribens Episcopo Tornacensi, inter Canonicos recipi iussit, qui ex Iudaismo ad catholicam fidem conversus erat: – Dudum siquidem ante tuam promotionem literae a nobis (si bene meminimus) emanarunt, quibus Decano et Ecclesiae tibi commissae (ter adhuc in eodem Capitulo existente) mandatum dedimus et praeceptum, ut P. (qui de genere Iudaeorum originem duxit, et divina gratia fidem Christi suscepit) in Canonicum reciperent et Praebendam sibi conferre deberent... Pro eo quod Iudaeus extitit, ipsum dedignari non debes – *in Adrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783* §. *Ex his.*

19. Unde irregularitas descendens a Neophitatu, iuxta Canones a Gratiano relatos in dist. 48, sibi vindicat locum in eo, qui fuit baptizatus in adulta aetate, et qui novus est in Baptismate, uti ponderat Sanchez de censur. disp. 43 sect. 3 conclus. 2 n. 5; non applicatur vero illis, qui in infantili aetate constituti Baptismum receperunt, quemadmodum nec procedit quoad eos, qui, licet Baptismum in adulta aetate receperint, post aliquod nihilominus temporis intervallum et experimentum idonei ab Ordinario reputantur pro sacrorum Ordinum receptione, uti ponderat Gibalin. de irregular. cap. 3 proposit. 3, Diana in edit. coordin. tom. 5 tract. 5 resol. 47, Suarez loc. cit. n. 6 et 7, Sanchez in praecept. decal. lib. 2 cap. 28 n. 11, Bonacin. oper. moral. tom. 1 de irregul. quaest. 2 punct. 1 proposit. 3 n. 5, Corrad. in prax. dispens. lib. 3 cap. 7 n. 2 et 3, Ricciul. in tract. de Neophit. cap. 3 n. 4 §. Pugnantes *in Melevitana die 13 augusti 1718* §. *Praeter.*

20. Quoties propterea tempus huiusmodi effluxerit et certum suae vitae testimonium dederit, sic in eo abest irregularitas, ut nulla indigeat dispensatione *in Melevitana die 13 Augusti 1718* (1)

21. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, ducentes originem a Iudaeis non esse excludendos ab Ordinum susceptione *in Pacten. die 24 Septembris 1591 lib. 7 Decretorum pag. 24.*

22. Immo Iudaeus ipse, ad christianam fidem conversus, fuit dispensatus, ut ad Ordines posset promoveri, habens alia requisita a S. C. Tridentino praescripta ad eos suscipiendos *in Cremonen. Dispensationis die 27 Novembris 1683 lib. 33 Decretorum pag. 346.*

23. At ortus a Parentibus Iudaeis, et quinque ab annis sacro Regenerationis lavacro ablutus, nec non a duobus annis in Seminario commorans, adhuc irregularitate detinetur ad effectum, ne in clericali militia adscribi valeat, licet optimis imbutus sit moribus *in Adrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783.*

24. Siquidem Gregorius Donato in Civitate Rhodigii ex Parentibus Iudaeis natus, supplex imploravit dispensationem ab irregularitate, ut ecclesiasticae militiae nomen dare posset. Episcopus retulit, Oratorem – in Hebraismo ortum in Civitate Rhodigii, in eaque in praesens etiam commorantem, quinque ab hinc annis ad sacrum Baptismatis Fontem elevatum Venetiis in privilegiato loco Cathecumenorum, et duobus ab hinc annis Alumnum huius Seminarii humanis literis operam diligentissime navantem, aetatis suae modo annorum viginti duorum circiter, optimis moribus imbutum esse, pietate Sacramentorum frequentia et Religionis fervore praestantem, ideoque dignum, qui a S. Apostolica Sede super huiusmodi irregularitate clementer in Domino dispensetur, ita ut, Deo adiuvante, in clericali militia adscribi, et ad sacros etiam Presbiteratus Ordines promoveri possit –. Ambigi enim non posse videbatur, quod ipse adhuc irregularitate detineretur. Proposito igitur dubio: – I. An constet de irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Adrien. Irregularitatis die 31 Maii 1783* (2).

25. Hinc etiam ab Haereticis baptizati sunt irregulares, Text. in Can. *Ventum est* caus. 1 quaest. 1; et solum difficultas in hoc consistit, utrum haec irregularitas incurratur ab eo, qui adulta aetate fuit ab Haeretico baptizatus *in Romana die 21 Maii 1718* §. *In hoc.*

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Dispensatio*, §. VII, n. 12, Tom. VII.

(2) Concessit ei tamen Sacra Congregatio dispensationem, ceu videre est in Verb. *Dispensatio*, §. VII, n. 10, Tom. VII.

26. Pro irregularitate contrahenda etiam ab Infante facit Textus in Can. *Qui in qualibet* caus. 1 quaest. 7; et hanc opinionem tuetur Maiol. de irregularit. lib. 2 cap. 12: pro irregularitate vero contrahenda solum ab illo, qui in adulta aetate baptizatur, facit Textus in Can. *Placuit* et Can. *Qui apud Donatistas* caus. 1 quaest. 4; et hanc opinionem tuetur Glossa in Can. *Qui in qualibet* verb. baptizati caus. 1 quaest. 7, et fuse prosequitur Suarez de censur. disp. 42 sect. 1, ubi docet, crimen esse fundamentum huius irregularitatis, et crimen consistere in voluntaria susceptione Baptismi ab Haeretico *in Romana die 21 Maii 1718* §. *Pro.*

27. Doctores autem hanc statuere videntur differentiam inter haereticum et haeretici filium, quod haereticus, haeresi etiam abiurata, remanet irregularis, iuxta Textum in Can. *Presbiter* de poenitentia dist. 5: e contra vero haeretici filius non est irregularis, si Parentes catholicam fidem amplexi sint, ut docet Suarez in tract. de censur. disp. 3 sect. 3, et sequitur Card. Albitius de inconstantia in fide cap. 24 n. 75 et 76, et est de mente Sacrae Congregationis, ut colligitur ex eiusdem epistola anni 1591 epistolarum lib. 7 pag. 277 a tergo *in Romana die 21 Maii 1718* §. *Rursus.*

28. Ceterum iuxta veriorem sententiam, haereticorum filii sunt irregulares, Text. in Cap. *Quicumque* 2 §. haeretici, et in Cap. *Statutum* 16 de haereticis in 6 *in Romana die 21 Maii 1718* §. *Rursus.*

29. Certum tamen est, non esse irregularis, qui in infantili aetate Baptismum suscepit ab haeretico, neque filius natus ab haereticis parentibus ad fidem catholicam conversis *in Romana die 21 Maii 1718.*

30. Iamvero Guillelmus Melfort, origine Scotus, Londini natus est anno 1686 ex Genitoribus conspicuae et nobilissimae familiae, sed haeresis labe infectis, qui tamen haeresim abiurarunt, et catholicam Religionem subinde amplexi sunt, dum ipse erat in aetate annorum duorum, et postquam ab Administro Ecclesiae Anglicanae Baptismum receperit. Tempore, quo gloriosae memoriae Iacobus secundus Angliae Rex e Regno fuit expulsus, ipse cum suis Genitoribus Gallias, et deinde Flandriam petiit, et in Universitate Duacensi suorum studiorum cursum explevit, et ab Episcopo Attrebatensi Confirmationis Sacramentum suscepit; et post haec cum Gallias reversus fuisset, fuit ab Episcopo Nivernensi ad primam Tonsuram et ad quatuor Ordines minores promotus. Duobus ab illinc annis Romam venit, et a Summo Pontifice Archipresbiteratum in Collegiata Ecclesia S. Eustachii obtinuit. Quum itaque ex causa Beneficii ad sacros Ordines ascendere deberet, dubium exortum est, an is esset irregularis. Propositis vero dubiis: – I. An Orator sit irregularis, ex quo Baptismum ab Haeretico recepit? II. An irregularis, ex quo natus est a Parentibus haereticis? *Et quatenus affirmative.* III. An ei sit indulgenda dispensatio? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, satis provisum – *in Romana die 21 Maii 1718.*

31. Alias eo vel magis irregularitas contrahitur ab iis, qui munera publica gesserunt, speciatim si de criminum quaestionibus, ac praesertim si de capite iudicaverint. Siquidem in Can. *Si quis* 8 dist. 50 statuitur: – Similiter si homicidio aut facto aut praecepto aut consilio aut defensione post Baptismum conscius fuerit, et per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit, deiiciatur –. Glossa in verbo *Si quis* inquit: – Iudex Executor et Assessor in Causis criminalibus non possunt promoveri –. Et verbo *Aut praecepto* explicat – ut Iudex – *in Constantien. die 10 Maii 1766* §. *De.*

32. Itidem Innocentius Papa Episcopis in Toletana Synodis constitutis in Can. *Aliquantos* 1 dist. 51 haec mandavit: – Aliquantos ex his, qui post acceptam Baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, et obtinendi pertinaciam susceperunt, accitos ad Sacerdotium esse comperimus, e quorum numero Rufinus et Gregorius perhibentur: aliquantos ex militia, qui cum potestatibus obedierunt, saeva necessario praecepta sunt executi: aliquantos ex Curialibus, qui dum parent potestatibus, quae sibi sunt imperata, fecerunt: aliquantos, qui voluptates et editiones Populo celebrarunt, ad honorem summi Sacerdotii pervenisse, quorum omnium neminem ne ad societatem quidem Ordinis Clericorum oportuerat pervenisse. Quae si

singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus Provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus; idcirco remittenda potius haec putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestrae maturitas providere debebit, ut tantae usurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur, eo videlicet constituto, ut quicumque tales ordinati fuerint, cum Ordinibus suis deponántur –. Et explicat Glossa: – Dicuntur autem large Curiales omnes, qui aliquo modo sunt obligati Curiae, sive Milites sive Advocati forenses, sive Iudices, sive Officiati –. Et verbo Ad Sacerdotium: – Quicumque fuit Accusator aut Advocatus, aut Iudex, aut Testis, vel etiam Notarius in Causa sanguinis non potest promoveri – *in Constantien. die 10 Maii 1766* §. *Itidem.*

33. Apostolus enim in Episcopis et Diaconis inter cetera requirit, ut non sint percussores. Quapropter is, qui in iudicio criminali per capitis sententiam, utcumque legitimam, aut per quamlibet in iudicio capitali partem Notarii Assessoris Patroni vel Testis poenam sanguinis quomodocumque procuraverit, irregularis evadit, Alexander III in Cap. *Clerici* ne clerici vel monachi, et Innocentius III in Cap. *Sententia sanguinis* eodem titulo, Cap. 10 de excess. praelatorum, Cap. 4 de rapt. Hinc profecto patet, tunc tantum aliquem irregularem fieri, cum muneris sui ratione sententiam sanguinis procuravit. Id etiam abunde colligitur ex Canonibus Concilii Londinensis anni 1075 1102 et 1175, et praesertim ex Decreto Concilii Lateranensis IV: – Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, intersit. Nec quisquam Clericus literas scribat aut dictet pro vindicta sanguinis destinandas – *in Pisana die 25 Ianuarii 1823* §. *Apostolus* §. *Hinc.* §. *Id.*

34. Unde irregulares evadunt Assessores et Consiliarii, qui vel Iudici in ferenda sententia assistunt, vel suo suffragio aut consilio iuridice promovent. Advocati item Accusatores et Testes contra reum in Causa criminali poenam sanguinis inducentes, Can. *Aliquantos* distinct. 51, et Can. *His a quibus* 30 Caus. 23 quaest. 14 *in Senogallien. Irregularitatis die 25 Ianuarii 1772* §. *Hinc.*

35. Sacra Congregatio vero declaravit, irregularitatem non incurri ob eo, qui tamquam invenis Notarii A. C. processus et querelas criminales scripsit de ordine Substituti, Gubernatoris munus gessit, citra tamen ullam prolationem sententiae aut Decreti Capitalis, et in locationem tenuit a Thesaurario Dohanae nonnulla bona, et ideo nulla indigere dispensatione, ut possit ed Ordines promoveri *in Sutrina Irregularitatis die 28 Maii 1695 lib. 45 Decretorum.*

36. Nec irregularitatem contrahit Clericus, qui se immiscet in criminalibus inserviens pro Tabellione cuidam Gubernatori, si ex suis processibus nunquam resultavit sententia sanguinis ac mutilationis membrorum *in Dubium Irregularitatis die 10 Maii 1674 lib. 28 Decretorum pag. 151.*

Item *in Leodien. die 30 Septembris 1684 lib. 34 Decretorum pag. 328; in Cavallicen. die 22 Iunii 1686 lib. 36 Decretorum; in Romana die 2 Augusti 1687 lib. 37 Decretorum pag. 466; in Dubium Irregularitatis die 5 Martii 1689 lib. 39 Decretorum pag. 94 a tergo.*

37. Immo neque contrahit irregularitatem,etiamsi resultaverit sententia ultimi supplicii, effectu tamen non sequuto, vel quis ad perpetuas triremes effectu sequuto fuerit damnatus *in Spoletana die 14 Decembris 1630 lib. 14 Decretorum pag. 365.*

38. Irregularitatem tamen incurrit exercens officium simplicis scribae Curiae secularis absque ulla auctoritate aut subscriptione, scribens processus et acta contra Delinquentes ultimo supplicio affectos *in Dubium Irregularitatis die 19 Ianuarii 1686 lib. 36 Decretorum pag. 13.*

39. Non autem ii ex delicto arcentur, delictum enim non est munera Reipublicae gerere; ait enim Innocentius Papa: – Quaesitum est etiam super iis, qui post Baptismum administraverunt, aut tormenta saeva exercuerunt, aut etiam capitalem protulerunt sententiam. Nihil de his legimus a maioribus definitum: meminerant enim a Deo potestates has fuisse concessas, et propter vindictam noxiorum, gladium fuisse permissum, et Dei esse Ministrum vindicem in huiusmodi

datum – *in Constantien. die 10 Maii 1766* §. *Non.*

40. Solum enim id Clericis vetarunt Canones. Siquidem Alexander III in Cap. *Clericis* 5 ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant statuit: – Clericis in sacris Ordinibus constitutis, ex Concilio Toletano iudicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore privetur et loco. Iubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomiti aut Praepositi secularis. Si quis autem contra haec venire praesumpserit, et commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat – *in Terracinen. die 19 Aprilis 1766* §. *Verum.*

41. Nisi tamen cuncta luculenter pateant, Sacra Congregatio haud resolvit, an quis aliquod exercens Officium incidat in irregularitatem; quandoquidem quum Clericus Petrus de Larrianlegui Colon Toletanae Diaecesis in Aula Matritensi evectus ad munus Regii Auditoratus requirentis Causarum criminalium cognitionem obtinuerit ab Innocentio XII Breve praeservativum ab irregularitate ad triennium, dummodo a ferenda sententia in causa sanguinis se abstineret; sed assumptus postea in eadem Curia ad munus d'Alcado, ut aiebant, qui ferebat votum in Causa sanguinis, et uti Secretarius ex pluralitate votorum Decretum extendebat, et illi non subscribebat, unde petierit, num vigore dicti Brevis Innocentii XII absque incursu in irregularitatem posset modo supra enunciato consulere et votum ferre in Causa sanguinis, vel esset locus dispensationi, Sacra Congregatio mandavit, ut scriberetur pro meliori informatione, et ad mentem *in Toletana die 4 Februarii 1702 lib. 52 Decretorum.*

42. Qui vero accusator in iudicio criminali adstat, ex quo reus ultimum subiit supplicium, irregularitatem incurrit; quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, irregularem esse Clericum, propter accusationem, ex qua mortis poena secuta est *in Dubium Irregularitatis die 22 Aprilis 1673 lib. 28 Decretorum pag. 75.*

43. Denunciatio tamen extraiudicialis Rei homicidii, facta ad suum honorem protuendum molestiasque Curiae Episcopalis vitandas, penitus inepta est ad irregularitatem inducendam, Gonzalez in Cap. *De cetero* de homicid. n. 10; imo ab hac etiam ille excusatur, qui animo tantum res suas defendendi iudicialem querelam instituit, Cap. *Praelatis* de homicidio in 6 *in Senogallien. Irregularitatis die 25 Ianuarii 1772* §. *Hinc.*

44. Qua de re indulgetur dispensatio ad cautelam Sacerdoti, qui eius Famulam Infanticidii ream ob id tantum denunciavit ac locum confugii indigitavit, ut suum protueretur honorem molestiasque Curiae Episcopalis vitaret, cum praesertim de re publica ac notoria esset, unde praedicta Famula capitis poena mulctata est *in Senogallien. Irregularitatis die 15 Februarii 1772* (1).

45. At dubio procul irregularitatem incurrit, qui consuluit, ut honor sanguine defenderetur, unde occisio contigit; siquidem Sacra Congregatio declaravit, irregularem esse Clericum, qui consuluit, ut honor defenderetur sanguine, et de facto secuta fuerit occisio *in Dubium Irregularitatis die 15 Decembris 1674 lib. 28 Decretorum pag. 402.*

46. Hinc etiam qui adfuit tamquam Testis fiscalis in iudicio capitali, contrahit irregularitatem ex defectu lenitatis. In iure enim canonico solemne est, ut Clerici, in iudicio directe vel indirecte consilium et operam extremo supplicio praestantes, ex defectu lenitatis irregulares fiant, ut ex Can. *Si quis viduam,* et Can. *Clericus* dist. 50, et Cap. *Sententia sanguinis* ne clerici vel Monachi, et Cap. fin. eod. tit. in 6 *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817* §. *Accedit.*

47. Ut vero Clericus, qui Testis adest in iudicio criminali in irregularitatem incidat, debet voluntarie et non coacte sistere ad testimonium ferendum et coram Iudice de crimine digno sententia sanguinis, et docent Suarez de censuris disp. 44 sect. 3, Bonacina de censuris part. 3 n. 8, Palneo part. 13 §. 2

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Dispensatio,* §. IX, n. 254, Tom. VII.

n. 3, Salmaticenses c. 9 §. Secundum *in Camerinen. Dispensationis et Rehabilitationis die 1 Martii 1817* §. *Ad.*

48. Alias multo magis incurritur irregularitas ob rei traditionem Iudici laico, a quo fuit suspensus; siquidem Sacra Congregatio declaravit, irregularitatem incurrisse nedum Episcopum, qui, invocato brachio seculari pro captura occisoris Sacerdotis, eum captum consignavit Iudici laico, a quo fuit suspensus; sed et omnes partem habentes in dicta consignatione, non obstante, quod in actu eiusdem consignationis registrare fecerint in Curia saeculari protestationem, de qua in Cap. *Praelatis* de homicidio in 6 *in Dubium Irregularitatis die 23 Novembris 1680 lib. 31 Decretorum pag. 281.*

49. Unde dispensatio irregularitatis, facto verbo cum SSmo, concessa fuit Vicario Generali S. Sophiae Provinciae Beneventanae, in quam incurrere potuisse supponebatur, ob traditionem in manibus Curiae laicalis Nicolai Garofoli homicidae Uxoris *in Nullius S. Sophiae die 2 Maii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 252.*

50. Nec igitur dubium, quin irregularitatem incurrerit Diaconus, qui vicem Praetoris gerens, mandavit Satellitibus eiusque Curiae Apparitori, ut noctu per Oppidum vagantes in carceres traherent, unde inter eos cum iisdem contentione excitata, unus eorum occubuit; his quippe in terminis proposito dubio: – I. An constet de irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative – *in Terracinen. die 10 Maii 1766* (1).

51. Idcirco licet Sacerdos, iure feudi, habeat iurisdictionem temporalem loci, in irregularitatem incurrit, dum ex deductis eruitur, eum impulisse Satellites, ut nedum assertos facinorosos carceribus manciparent, sed et eos interficerent, qui de facto unum ex iisdem occidit *in Derthonen. Irregularitatis die 2 Maii die 3 Octobris 4711 et die 17 Iunii 1713 lib. 61 et 63 Decretorum.*

52. Siquidem – praesentem Causam in anteacta Congregatione per Summarium relatam placuit EE. VV. reiicere ad folium, eo quod series facti latius recenseretur. Hodie itaque mandatis parendo, ex processu criminali ab Episcopo transmisso, qua fieri potuit brevitate, infrascripta desumere visum est. Quod cum ad locum Alberiae accesserint Dominicus Ridella cum duobus sociis, Sacerdos Bozzini Praepositus Alberiae, ad quem pertinet, iure feudi, iurisdictio temporalis eiusdem loci, die 10 martii 1709 convocavit plures eius Subditos, ut armati carceribus manciparent dictos praetensos facinorosos, inter quos convocatos extitit Sacerdos Ioannes Dominicus Bozzinus nepos Praepositi, et alter Sacerdos Ioannes Baptista Barnus, qui quidem in executionem praefati mandati armati in diversos locos se diviserunt absconditi, et praesertim dicti Sacerdotes Bozzinus et Barnus armis igneis onusti intraverunt domum cuiusdam Capellani Varni, qui dixerat illis, iam abiisse praefatos homines; sed cum Bozzinius praedictus nepos Praepositi aperuisset fenestram, ac eos vidisset in via stantes, ictum sclopi explosit, prout alii eius Consocii egerunt, exindeque vulneratus Ridella, obiit. Porro in processu adesse videtur aliqua discrepantia, an prius illatus fuerit ictus sclopi ex dictis hominibus versus fenestram, sed vere potius videtur probari, primo fuisse explosos plures ictus e fenestra. Constat etiam, tempore homicidii Praepositum non extitisse in domo Varni, sed in eius propria, nec non eumdem convocasse homines armatos sub atrio domus parochialis, sic eos alloquutum: « Avete le vostre armi aggiustate, se non l'avete aggiustate, aggiustatele, vi sono qui in casa di Giacomo Belforte due furbi, voi andrete alli posti, ove vi metterà qui mio Nipote, e quando sarete alli posti, io manderò a dire alli detti, che venghino priggione ». Cui unus convocatorum replicando: « se fuggissero »: Praepositus ait « se fuggissero voi altri sapete quello, che dovete fare alli furbi ». Et alteri subdenti: « Ma signor Preposto, che li diamo, li diamo »; explicando eius verba: « Intendendosi, archibugiate ». Praepositus replicavit: « Vi torno a dire, che voi altri sapete quello, che dovete fare alli furbi; orsù andate con mio Nipote, che vi metterà alli posti ». Alius vero ex Testibus addidit, se dixisse Praeposito: « E che sarà poi di noi »;

(1) Species Causae huius prostant in Verb. *Dispensatio*, §. IX, n. 88, Tom. VII.

eumque respondisse: « V'averò da pensare io ». Quodque post eventum Praepositus reddidit gratias de obedientia ei praestita. Aliusque Testis subdidit ex dictis verbis Praepositi: « Sapete quello, che dovete fare colli furbi », intellexisse: « che volesse se li dassero dell'archibugiate, tanto più che disse sono due furbi, e minacciano la Chiesa e a me, e che se fossero scappati, dalla parte di detto Testimonio, l'averebbe tirato, stimando sua obbligazione dovere obbedire ». Imo idem Sacerdos Nepos Praepositi pluries examini subiectus tandem veritatem prius occultatam fatendo inter alia deponit, Praepositum dixisse: « Se fuggiranno voi sapete o saprete, che cosa si deve fare con simil gente ». Quodque cum fuerit eidem Nepoti suggestum melius fore pulsare campanam ad armorum signum, ait, finem Patrui esse carcerationem, ut se liberaret a perturbationibus eorum, quodque pulsando campanam fugam arripeperent. Tandem idem Praepositus deponit, dixisse hominibus armatis ab eo convocatis, « Son questi furbi, io non voglio, che siate offesi neppure nella pelle del minimo deto della mano, nè che offendiate loro, ma solo, che prendiate li posti, che poi li manderò a dire, che mandino l'armi, e che poi vengano a costituirsi priggione, e uno dei convocati disse, se fuggissero, soggiunse un'altro; e con li furbi non sapete come si fa, io replicai, che con li furbi non sapete quello che si fa; io ho detto bastantemente quello voglio facciate ».

53. Urgere ulterius probationes videntur in processu, praecessisse nempe controversias inter occisum et Praepositum, illumque recurrisse ad Superiorem feudi contra ipsum, et minas contra eumdem effudisse, sed concludenter id non probatur ex Testibus. Constat etiam ex processu defensivo praetensa mala qualitas occisi et sociorum. Super his de mandato Episcopi editum fuit votum Iurisconsultorum et Theologorum unanimiter sentientium, hic non agi de homicidio cum moderamine inculpatae tutelae, ideoque non posse Praepositum aliosque Sacerdotes excusari ab incursu irregularitatis, cum non fuerint inducti ex necessitate inevitabili, dum omnes erant tutissimi, nempe Praepositus in domo parochiali, et dicti Sacerdotes in domo Capellani Varni hominibus armatis consociati. Innituntur eo fundamento dicti Doctores consulti, quod minae occisi et sociorum non viderentur plene probatae, quodque si probarentur, licet inducerent aliquam defensionem quoad poenas temporales, non ita quoad irregularitatem, quod maxime deducebant, eo quia in executione intentionis non videbantur applicata media proportionata, sed aequivoca ad carcerationem et offensam, et demum ex effectu secuto; nam explosiones scloporum, ex quibus secutum erat homicidium, factae fuerunt, quando illi non fugiebant. Demum Episcopus in sua relatione advertit, degustari ex deductis in processu studium et diligentias per Praepositum adhibitas, et ad tegendas qualitates sibi et aliis complicibus praeiudiciales; proindeque fuisse a Congregatione Doctorum declaratum, eum incurrisse irregularitatem, et sic magis proficuum esse illi implorare benignitatem EE. VV., quam praetendere nullam incurrisse irregularitatem.

54. Usque adhuc non fuit exhibita exculpatio partis, hincque ex deductis ac aliis deducendis pro parte dicti Praepositi tantum exorantis, proponuntur decidenda in infrascripta dubia: – I. An Dominicus Bozzini Praepositus parochialis Ecclesiae loci Alberiae incurrerit irregularitem in casu etc. –, Sacra Congregatio die 2 maii 1711 responsum tulit: - Ad primum, Affirmative. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 2 maii 1711 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 octobris 1711 respondit: – In decisis -. Demum reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a sub die 2 maii et 3 octobris 1711 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis - *in Derthonen. Irregularitatis die 17 Iunii 1713 lib. 63 Decretorum* (1).

55. Unde Sacerdos in irregularitatem incidisse videtur, cum domi se continens armatos homines impellebat, ut missilia exploderent et Latrones eiicerent, et rursus dum ipse duxit armatos obviam latronibus, et ipse balista lignea usus est. Quamquam enim interemerit vel sauciaverit neminem; attamen si non ex delicto saltem ex defectu lenitatis irregularitatem contraxit, ut tenent Cano-

(1) Reliqua quoad dispensationem prostant in Verb. *Dispensatio*, §. VII, n. 62, Tom. VII.

nistae, quos refert Reiffenst. ius can. lib. 5 tit. 37 n. 9 *in Marsicen. Irregularitatis die 18 Martii 1815* §. *Sane.*

56. Quum itaque plures Testes penes Curiam Episcopalem rite interrogati testarentur, Clericum Antonium Marchiano, exhibita schedula ab eius Patre Iudicis munus exercente scripta, incitasse Satellites ad Demetrium Pisarra in vincula coniiciendum, atque catapultam explodentem unum ex praefatis Satellitibus interfecisse, e contra vero alii duo Testes iureiurando affirmarent, praefatum Clericum Marchiano, dicta schedula perlecta auditoque mandato, quod continebat, dixisse, nolle se tali negotio interponere, sed Magister actorum ageret ipse quidquid sibi agendum videretur, ac tertius Testis pariter iureiurando assereret, se audivisse unum ex Testibus a Fisco inductis dicentem, falsa esse, quae in Clericum Antonium Marchiano exposuerat, Sacra Congregatio, rebus sic stantibus, censuit, locum esse dispensationi ad cautelam *in Rossanen. Irregularitatis die 20 Martii 1734* (1).

57. Antequam vero Sacra Congregatio resolvat, an Sacerdos, qui ursit Satellites ad comprehensionem alicuius in mala versantis valetudine, unde ob id diem obiit supremum, inciderit in irregularitatem atque sit dispensandus, expectandum esse declarat exitum Causae, quae pendet coram Episcopo *in Ripana Irregularitatis die 12 Aprilis 1710 lib. 60 Decretorum.*

58. Enimvero – praetendente Promotore fiscali Curiae Episcopalis Ripanae, Presbiterum Thomam Foliettam Terrae Aquaevivae ob impulsum datum Birruariis pro carceratione Pauli Imperatoris eiusdem Terrae et Diaecesis, ex quo accidit mors dicti Pauli, incurrisse in irregularitatem, recurrit idem Presbiter ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione; quocirca iussus Episcopus desuper informare, haec retulit resultantia ex processu fabricato in Curia Episcopali, cuius Summarium transmisit. Quod cum reperiretur inquisitus in eadem Curia idem Paulus signanter de insultu facto cum armis in personam supradicti Presbiteri, eo quod simultates inter eos intercederent, occasione pertinentiae cuiusdam domus, fuit contra Paulum expeditum mandatum de capiendo, illudque Birruariis consignatum. Id resciens Presbiter Thomas in secunda die Paschatis Resurrectionis anni superioris misit ad Civitatem Ripanam Iosephum Leporem colonum suum, quo Satellites impelleret seu solicitaret ad Pauli comprehensionem eiusque traductionem ad carceres, sub spe promissi praemii iuliorum quindecim. Priusquam Satellites convenirent Terram Aquaevivae, occurrit germanus frater Presbiteri Tomae largitus eis iulium unum ad compotationem faciendam. Sicque Lictores profecti domum, in qua degebat Paulus, praevia machinatione praenominati Coloni et alterius Personae inibi permanentium de ordine Thomae, reserata ianua, introierunt, et Paulum graviter in lecto decumbentem circa tertiam noctis horam comprehenderunt. Inter haec certior factus Thomas ab uno ex Lictoribus de pessimo statu valetudinis Pauli, inquit; « Conducetelo pur via o vivo o morto, perchè finge e fa la gatta morta »; eidemque Spiculatori esculenta quaedam praebuit. Hincque Satellites Paulum male se habentem per noctis tenebras supra Asellum impositum Ripam traduxerunt, ubi illum recognitum lethali morbo aegrum Ministri Curiae Episcopalis libertate donarunt, subindeque ad Xenodochium ductus, paucis post horis, nec dum Sacramentis munitus obiit. Ad haec Episcopus addidit binorum Theologorum consultationes, quibus adstruitur, Presbiterum Oratorem irregularitate irretitum.

59. Quocirca ex deducendis ab eodem Oratore EE. VV. erit declarare: – I. An Orator incurrerit in irregularitatem? *Et quatenus affirmative.* II. An sit dispensandus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et expectetur exitus Causae coram Episcopo – *in Ripana Irregularitatis die 12 Aprilis 1710 lib. 60 Decretorum.*

60. Duo igitur requiruntur ad irregularitatem ex defectu lenitatis incurrendam: alterum, ut quis efficacem et proximam in necem Delinquentis causam dederit; alterum, ut non sua iura protuendi et prosequendi causa, sed tantum vel aestu vindictae, vel

(1) Reliqua cum resolutione latius habes in Verb. *Dispensatio*, §. IX. n. 252, Tom. VII.

ex levitate, aut protervia in punitionem conspiraverit *in Senogallien. Irregularitatis die 25 Ianuarii 1772* §. *Ad primum.*

61. Hinc Sacra Congregatio declaravit, Clericum haud incurrisse irregularitatem, ex eo quod praesens extitit, dum homicidium patrabatur, etiamsi eam ob causam inquisitus pluribus annis sub fideiussione de se repraesentando, novis supervenientibus indiciis, permanserit, et tandem nullis superventis indiciis fuerit absolutus *in Mediolanen. Irregularitatis die 20 Iunii 1693 lib. 43 Decretorum.*

62. Nec irregularitatem contraxisse videtur, qui occasionem mortis praebuit, non causam, cum is reus homicidii dici nequeat, ut ex Iurisperitorum sententia disputat Lesius de iust. et iur. lib. 2 cap. 9 dub. 15, Farinacc. de homicid. quaest. 127 part. 1 n. 25 *in Aversana Irregularitatis die 2 Augusti 1755* §. *Haec.*

63. Unde Sacra Congregatio primum quidem dispensationem denegavit Sacerdoti, qui homini occasionem mortis praebuit, seu causa mere accidentalis extitit, sed inde rerum circumstantiis maturius expensis, indulsit dispensationem ad cautelam *in Albinganen. Irregularitatis die 23 Martii 1697 lib. 47 Decretorum* (1).

64. Qua de re Sacri Canones ob id medicam etiam artem prohibuerunt, quae praesertim ustione sectione ac tota manibus administratur, atque idcirco chirurgiae nomen sortita est *in Nullius Montis Casini die 12 Maii 1764* §. *Iustius.*

65. Sacra Congregatio autem declaravit, irregularitatem non incurrisse Missionarium habentem a Sede Apostolica potestatem exercendi chirurgiam, ex eo quod, ad salvandum brachium et vitam vulnerati in digito, ipsum digitum inciderit *in Chinen. Irregularitatis die 9 Februarii 1669 lib. 26 Decretorum pag. 165.*

66. Indulgetur itaque dispensatio ab irregularitate ad cautelam Sacerdoti, qui ultra tempus in Apostolico Indulto praescriptum medicam artem exercuit, etiamsi non constet, aliquem ob ipsius imperitiam diem obiisse supremum *in Nullius Montis Casini die 12 Decembris 1761* (2).

67. Irregularitatem vero haud eum contraxisse, qui artem Pharmacopolae rite fideliter et publice exercuit, nec aliqua indigere dispensatione ex hoc capite ad Ordines suscipiendos declaravit Sacra Congregatio *in S. Marci Irregularitatis die 5 Iunii 1688 lib. 38 Decretorum dag. 253 a tergo* (3).

68. Idcirco multo magis in bello dimicare Clericis interdictum est. In Can. 82, qui Apostolici nuncupantur, statutum legitur: - Episcopus vel Presbiter vel Diaconus, qui militiae vacaverit, et simul utrumque retinere voluerit, tam Officium Romanum, quam functionem Sacerdotalem deponet; quae enim Caesaris sunt Caesari, quae Dei Deo – Et Clemens III in Cap. *In audientia* 25 de sententia excommunicationis mandat, quod Clerici militiae seculari adscripti, si a Praelatis suis tertio admoniti militaria noluerint arma deponere, de privilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debent – *in Visen. Dispensationis ab Irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Praestat.*

69. Nec solum Clerici amittunt privilegia, si militiam secularem sequantur, sed etiam irregularitatem contrahunt, si in bello dimicaverint. Patet id ex Cap. *Petitio* 24 de homicidio, in quo Honorius III Pelagio Presbitero sic respondit: - Petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum inimici Dominicae Crucis ac blasphemi nominis Christi Castrum quoddam, in quo morabaris graviter invasissent, exeuntibus inde habitatoribus, tam Clericis, quam Laicis contra eos, ac invicem conflingentibus hinc inde occisi quamplurimi extiterunt. Unde cum pro eo, quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse; mandamus, quatenus si de interfectione cuiusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio Altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in huiusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare – *in Visen. Dispensationis ab Irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Nec.*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Dispensatio*, §. IX, n. 278, Tom. VII.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Ars*, §. III, n. 28 ad 35, Tom. II, ubi plura habes, quae ad huiusmodi punctum iuris referuntur.

(3) Reliqua prostant in Verb. *Ars*, §. II, Tom. II.

70. Distinguunt tamen Doctores bellum iustum ab iniusto. Covarruv. in Clementina *Si furiosus* part. 2 §. 3 n. 2, Maiol. de irregularit. lib. 5 cap. 40 n. 5, Barbos. in Cap. *Petitio* n. 2, Fagnanus in dicto Cap. *Petitio* n. 11 ad 13 sustinent, quod Clerici ad bellum iniustum progredientes, irregulares fiunt, tam si aliquem occiderint vel mutilaverint, quam si solo consilio vel praesentia ad mortem vel mutilationem alicuius ansam dederint, licet mortis vel mutilationis auctores non fuerint. Inde autem inferunt, quod Clerici irregulares erunt, si socios Milites ad bellum excitaverint aut timorem adversariis incusserint, ut fugam arriperent, vel mors aut mutilatio sequuta fuerit, quia se defendere non potuerint, et rationem afferunt, quia nempe operam rei illicitae dederint *in Visen. Dispensationis ab Irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Distinguat.*

71. Si vero agatur de bello aggressivo, Card. Petra in comment. ad Constit. unic. Gregorii VII n. 13 cum aliis ab eo allegatis contendit, Clericos non incurrere irregularitatem, si bellum gesserint moraliter et probabiliter iustum, dummodo propria manu neminem occiderint vel consilium dederint pro occisione alicuius, etsi simul cum aliis, et ex eadem causa occisio evenerit, secus autem censet, si bellum sit iniustum, quia cum omnes partem belli constituant, idcirco si mors vel mutilatio, licet aliorum opera sequatur, irregularitatem incurrunt. Advertit tamen, quod bellum diversimode considerari debet iustum quoad Laicos, et quoad Clericos; nam Clerici, cum arceantur a militari actione, non possunt interesse bello etiam iusto, nisi pro rebus spiritualibus, nempe praedicatione verbi Dei et Sacramentorum administratione, et in id affert auctoritatem divi Thomae qui 2. 2 quaest. 40 art. 2 ad 2 ait: – Dicendum est, quod Praelati et Clerici ex auctoritate Superioris possint interesse bellis, non quidem ut ipsi propria manu pugnent, sed ut iuste pugnantibus spiritualiter subveniant suis exhortationibus et absolutionibus, sicuti etiam in veteri lege mandabatur Iosue 6, quod Sacerdotes sacris buccinis in bello clangerent, et ad hoc fuit concessum, quod Episcopi vel Clerici ad bella procederent, quod autem aliqui propria manu pugnent, abusionis est – *in Visen. Dispensationis ab Irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Si vero.*

72. Si tamen bellum sit iustum et defensivum Doctores relati a Card. Petra loc. cit. n. 5 tuentur, quod Clerici bello interessentes assistentes operam dantes arma deferentes atque aliis suadentes, irregularitatem non incurrunt, quamvis plurimorum hostium interitus sequatur, dummodo propriis manibus non occidant vel mutilent, aut specialiter occisionem vel mutilationem mandent. Hoc autem Clericis tantum licere existimant, si non adsit sufficiens numerus Laicorum ad defensionem parandam; nam Ecclesiastici in subsidium tantum bello adstare possunt. Sed idem Card. Petra loc. cit. n. 7 ait, quod si Clerici in bello defensivo et iusto propriis manibus occidant vel mutilent, etiamsi in subsidium praeliati fuerint, semper irregulares fiunt *in Visen. Dispensationis ab Irregularitate die 11 Septembris 1784* §. *Si tamen.*

73. Qua de re quum Capitulum Ecclesiae Zagabriae, quod iuxta leges Regni, si ageretur de bello pro catholicae fidei et patriae defensione, mittebat Milites, quibus praeerat aliquis de gremio Capituli, eam ob causam anno 1685 Milites misisset, iisque praeesset Archidiaconus, qui Vexilliferum Turcam necavit, dum se ab Exercitu Croato opprimi credebat, propositis dubiis: – I. An Archidiaconus ex causa praefata effectus fuerit irregularis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An cum eo sit dispensandum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad utrumque, Affirmative – *in Zagabrien. Dispensationis super Irregularitate die 17 Novembris 1685 lib. 35 Decretorum pag. 45.*

74. Quin imo quum supplicaretur, quod si contingat, aliqua homicidia a Capitulorum Militibus Capitaneis Praefectis et Aulicis, ubi habent Capitula dominium temporale, in reprimendis Haereticorum Schismaticorum et Sectariorum insultibus, committi Archiepiscopum Episcopos Capitula et Clerum propterea non contraxisse irregularitatem, Sacra Congregatio responsum dedit negativum *in Gnesnen. mense Februarii 1590.*

75. Hinc Subdiaconus irregularitatem contraxit, quia militiae nomen dedit, in quam in-

currunt Clerici ob defectum lenitatis, licet in bello neminem occiderit *in Forolivien. Dispensationis ab irregularitate die 17 Februarii 1816* §. *Triplex.*

75. Alii tamen ex Canonistis putant, ab irregularitate immunes esse, qui armatam militiam sequuti sunt, quia licet stipendia meruerint, attamen neminem saucium occisumque dimiserint: sed alii hoc negant de Clericis, quibus a primis Ecclesiae seculis et a Canone Apostolorum 82 prohibetur, ne militiae vacent, ita ut, cum operam illicitam praestent et contra animi lenitatem, si militare stipendium accipiunt, in irregularitatem incidant, licet in bello neminem mutilaverint aut occiderint *in Brigantien. Habilitationis et Dispensationis die 30 Martii 1805* §. *Primum.*

76. Hinc licet disputent Canonistae, utrum irregularis sit, qui militiam sequutus dubitat, aliquem nec ne occiderit vel mutilaverit, ut tradit Fagnanus in Cap. *De cetero* de homicidio, Card. Petra in comment. in Constit. unic. Gregorii VII n. 3, Pignatell. consult. 19 n. 1 tom. 7; attamen convenit inter omnes, irretiri Clericos irregularitate, si stipendia meruerunt, licet neminem occiderint. Nam a primis Ecclesiae institutis in Can. Apostolorum 82 Clericis prohibetur, ne militiae vacent, ita ut cum operam illicitam praestent, et contra animi lenitatem, si militare stipendium accipiunt, ita in irregularitatem incidunt, licet in bello neminem mutilaverint vel occiderint, et in hisce terminis Sacra Congregatio definivit, necessariam esse dispensationem, in Ipren. Irregularitatis die 13 februarii 1703 lib. 53 Decretorum pag. 1 *in Aveirenen. Irregularitatis die 30 Iunii 1804* §. *Multa.*

Item *in Aretina die 18 Martii 1815* §. *Licet; in Mathelicen. Irregularitatis die 13 Iulii 1816* §. *Deinde.*

77. Neque si vi coactus est militiam sequi, idcirco eximitur ab incursu in irregularitatem. Nam ex hoc non fit, ut irregularitatem non contrahat *in Aretina die 18 Martii 1815* §. *Neque.*

78. Quamobrem qui militares copias sequutus est, licet nunquam arma eduxerit, attamen cum eis coadiuvatus fuerit, videtur irregularitatem incurrisse, dum sacris iam erat constitutus, ut ex Can. *Si quis* distinct. 51, Can. *Clerici* 6 caus. 23 quaest. 8, Cap. *Dignum* 6 §. final. de homicidio, tradunt Navarr. in Manual cap. 27 n. 216, Covarr. in Clement unic. part. 2 §. 3 n. 2, Pirhing in ius can. lib. 3 tit. 12 sect. 4 §. 4 n. 114 *in Tropien. Irregularitatis die 24 Novembris 1804* §. *Quamquam.*

Item *in Brigantien. Habilitationis et Dispensationis die 30 Martii 1805* §. *Primum.*

79. Quum itaque quidam Sacerdos sese vendidisset Batavis pro servitio maritimo, inde vero egestate pressus arma sumpserit et in Indiis militiam exercuerit, proposito dubio: – I. An Orator praemissis ex causis inciderit in irregularitatem? *Et quatenus affirmative.* II. An cum eo sit dispensandum? –, Sacra Congregatio respondit: – Esse dispensandum – *in Salisburgen. Irregularitatis die 14 Maii 1689 lib. 39 Decretorum pag. 161.*

80. Compertum tamen est, in irregularitatem non incidere, qui militiae quidem descriptus sit, sed nunquam hostilibus actibus interfuit; quandoquidem Sacra Congregatio pluries declaravit, irregularitatem non contrahere descriptum militiae seculari, qui nunquam bellis vel hostilibus actibus interfuit *in Dubium Irregularitatis die 10 Martii 1674 lib. 28 Decretorum pag. 251 a tergo.*

81. Non solum autem ex homicidio, sed etiam ex infamia contrahitur irregularitas, cuius causa Infames ab Ordinum susceptione arcentur *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Non.*

82. Tum enim ex infamia iuris, cum ex infamia facti contrahitur irregularitas, ex vulgata scilicet opinione delicti, Ferrar. verb. Irregularitas n. 48, Sacra Congregatio in Novarien. 1 octobris 1661 lib. 22 Decretorum pag. 667 *in Lucen. Dispensationis ab irregularitate die 19 Decembris 1789* §. *Tum.*

Item *in Suessana Irregularitatis die 23 Novembris 1816* §. *Attamen; in Irregularitatis die 22 Maii 1841* §. *Ad.*

83. Unde ex infamia iuris, quae oritur ex sententia condemnatoria, ut ex Textu in §. 1 Inst. de pub. iudic., L. *Infamem* ff. eod. tit., contrahitur irregularitas, quemadmodum patet ex Textu in Can. *Qui aliquo crimine* 4 distinct. 51, Can. *Infamem* 17

caus. 6 quaest. 1, Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 37 n. 59 *in Firmana Irregularitatis die 8 Augusti 1808* §. *Ex.*

84. Qui itaque dicantur infamia notati, habemus ex Can. *Infames* 17 quaest. 1 caus. 6: – Infames esse eas personas dicimus, quae pro aliqua culpa notantur infamia, idest omnes, qui christianae legis normam abiiciunt et statuta ecclesiastica contemnunt; similiter fures sacrilegos et omnes capitalibus criminibus irretitos; sepulchrorum quoque violatores, et Apostolorum atque Successorum eorum reliquorumque Patrum statuta libenter violantes; et omnes, qui adversus Patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur; similiter et incestuosos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos adulteros, de bellis publicis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiae abstrahunt iniuste, et qui fratres calumniantur aut accusant et non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam provocant, et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, et omnes, quos ecclesiasticae vel seculi leges infames pronuntiant. Hi nimirum omnes, nec servi ante legitimam libertatem, nec poenitentes, nec bigami, nec illi, qui Curiae deserviunt, vel non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem vel intellectum, aut inobedientes Sanctorum Decretis existunt, aut furiosi manifestantur; hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent provehi, nec isti, nec liberti, neque suspecti, nec rectam fidem vel dignam conversationem non habentes, Summos Sacerdotes possunt accusare – *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Non.*

85. Verum si huiusmodi crimina notoria non fuerint, vel ordine iudiciario minime probata, permitti potest Clericis post peractam poenitentim in susceptis Ordinibus ministrare. Nam in Cap. ult. de tempor. ordin. habetur: – Si proposita crimina, ordine iudiciario comprobata vel alias notoria non fuerint, non debent hi, praeter reos homicidii, post poenitentiam in iam susceptis vel suscipiendis Ordinibus impediri – *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Non.*

86. Quapropter irregularitas ex infamia in eo solum casu contracta censetur, quo poena inflicta fuerat propter delictum infamiam irrogans, Raynald observat. crimin. tom. 1 cap. 8 §. 1 n. 13, Ursaya Instit. crimin. lib. 4 tit. 5 n. 144 *in Hydruntina Irregularitatis die 11 Iunii 1774* §. *Nec.*

87. Hinc ad excusandam irregularitatem opponi posset, quod Sacerdos nunquam fuerit ex crimine furti damnatus. Accusatio porro sive inculpatio processus confectio et carceratio, nisi sententia condemnatoria accedat, infamiam non inducunt ex doctrina Bartoli in L. 3 ff. qui infamia notantur n. 3; maxime cum Sacerdos consequutus sit exculpationem ab accusatore. Sacra Congregatio in Hydruntina Irregularitatis 30 iulii 1774, licet ageretur de Diacono Infanticidii accusato et exilio mulctato, attamen cum non satis certum esset crimen, de irregularitate dubitavit, et dispensationem ad cautelam concedendam censuit. Contra vero urget, quod crimen furti habet inustam infamiae notam ex iure Canonis *Infames* 17 caus. 6 quaest. 1, et ex Cap. fin. de tempor. ordin., quodque crimina infamiae notata irregularitatem secumferat, si fuerint ordine iudiciario comprobata vel alias notoria *in Lycien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1817* §. *Inquirendum.*

88. Nulla vero irretitus extat irregularitate Filius, ex eo quod Pater eiusque Frater ob furta ad triremes damnati fuerint *in Amerina seu Interamnen. Ordinationum die 11 Augusti 1759.*

89. Iamvero Capellaniam retinuit in Terra Sublaci Diaeceseos Interamnensis Ioseph de Carolis Amerinus et Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, cuius Pater et Frater, licet honesto loco nati, ob furta ad triremes damnati fuerunt a Sacra Consulta. Hinc cum Ioseph ad sacros Ordines ipsumque Sacerdotium promoveri postulaverit, iniecta dubitatio est, an ex infamia contraxerit irregularitatem, quae eum ab Ordinibus suscipiendis repelleret sine Apostolica dispensatione. Ad rem definiendam preces ipse obtulit Sacrae Congregationi. Auditus Episcopus Amerinus censuit, nullam contraxisse irregularitatem, audiendum tamen esse credidit Episcopum Interamnatem, cui Ioseph subiectus erat ratione Beneficii. Auditus igitur Interamnas Episcopus, hic quoque censuit, nullam ab eo

contractam fuisse irregularitatem, et se paratum dixit ad ei conferendos sacros Ordines. Disputavit itaque Ioseph, nulla irregularitate teneri, cum Paterni Fraternique criminis particeps non fuerit; quin ipse ob id infamiam contraxisset. Proposito igitur dubio: - An Clericus Ioseph de Carolis promoveri possit ad sacros Ordines per Episcopum Interamnensem, sive potius eidem obstet aliqua irregularitas, ita ut indigeat dispensatione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam - *in Amerina seu Interamnen. Ordinationum die 11 Augusti 1759*.

90. Crimina enim, et quae a crimine venit, infamiam, personarum esse, non filiorum fratrum consanguineorum, ut quidquid vulgus imperitum opinatur, respondit Iurisconsultus in L. *Crimen* ff. de poenis, et Leo IV in can. 5 caus. 1 quaest. 4, et divi Crysostomus et Augustinus, quos omnes uno consensu sequuntur Maiolus Suarez Bonacina Sayrus, et qui non alii? *in Amerina seu Interamnen. Ordinationum die 11 Augusti 1759* §. *Capellaniam.*

91. Hinc publica calumniae infamia suspensionem irrogat, Fagnan. in Cap. *Ad aures* de tempor. ordin. n. 8, et speciem quamdam inducit irregularitatis, secundum Van-Espen. in ius eccles. part. 2 tit. 10 cap. 6 n. 13 et 14 *in Lunen. Sarzanen. die 9 Iulii 1796* §. *Morari.*

92. Prava tamen consuetudo cum libera nec infamiam nec irregularitatem inducit, sed tantum suspensionem, Concil. Trid. sess. 23 cap. 14 de reformatione *in Lycien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1817* §. *Quamquam.*

93. Idcirco fornicationi ac etiam concubinatui nullibi a iure imposita est poena irregularitatis, Gloss. in Can. *Maximinus* dist. 8, Imol. in Cap. *At si Clerici* de iudic. n. 14, Farinacc. de delict. carn. quaest. 137 n. 16 *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Et.*

94. Amplia, etiamsi res sit de impudicitiae sordibus notorie inquinatis, Fagnan. in Cap. *Quaesitum* de cohabit. cleric. et mulier. a n. 13 *in Irregularitatis die 22 Maii 1841* §. *Ad.*

95. Nulla hinc irregularitatis poena inflicta est Clericis ac Sacerdotibus impudicitiae sordibus ac etiam immundo concubinatu inquinatis, nisi servatis poenarum gradibus praescriptis a sacro Concilio Tridentino sess. 25 cap. 14 de reformatione *in Beneventana Irregularitatis die 18 Novembris 1769* §. *Irregularitatis.*

Item *in Irregularitatis die 22 Maii 1841* §. *Ad.*

96. Qua de re irregularis est Clericus inquisitus confessus et condemnatus de adulterio *in Dubium Irregularitatis die 5 Maii 1657 lib. 20 Decretorum pag. 233.*

97. Quod si propter adulterium occisio contigit, Auctores distinguunt inter casum et casum; si enim Amasius temere Mulierem periculo mortis exposuit, tunc si Uxor a Marito occidatur, Amasius evadit irregularis; secus autem si mors Uxoris sequatur, eademque a Viro interficiatur, et cum sufficienti cautela Amasius se gessit, ita ut periculum mortis probabiliter praevidere aut timere non potuerit. In prima enim facti specie Amasius moraliter est causa necis Mulieris, quod in secunda facti specie verificari non potest *in Nullius Provinciae Compostellanae die 2 Octobris 1723* §. *Auctores.*

98. Siquidem Suarez in t. 5 disp. 45 sect. 6 n. 7 de censuris ita disserit: - Sic enim resolvendum censeo casum illum de Adultero; nam si temere accessit ad Uxorem alterius, exponens illam periculo mortis, irregularis manet, quia moraliter est causa talis homicidii, secus vero erit, si cum sufficienti cautela morali id fecit, quia tunc effectus nullo modo est voluntarius in tali causa –; et late pariter distinguendo prosequuntur Sayrus de censuris lib. 5 cap. 17 n. 20, Thesaur. de poenis eccles. part. 2 cap. 1 in verb. adulterium n. 2, Maiol. de irregular. l. 5 c. 48 §. 3 n. 15, Filiucc. oper. moral. t. 1, tract. 20 de censuris c. 3 n. 80, Gibalin. de irregular. c. 4 consect. 3 per totum, Salmaticenses in cas. moral. t. 2 tract. 10 c. 8 punct. 3 n. 36 *in Nullius Provinciae Compostellanae die 2 Octobris 1723* §. *Auctores.*

99. Unde indulgetur dispensatio ab irregularitate ad cautelam Sacerdoti, qui deprehensus a Marito cum Uxore se in latebris abscondere festinavit, sed dum in eum, stricto pugione, Maritus irrueret, Uxorem, quae se

in medium interponebat, vulneravit, unde paulo post diem obiit supremum *in Nullius Provinciae Compostellanae die 2 Octobris 1723.*

100. Siquidem Presbiter Alphonsus Sanchez Garido ex Villa Quintana Nullius Diaecesis Provinciae Compostellanae domum frequentabat cuiusdam Mulieris coniugatae, et cum paterne monitus a suo Ordinario, ut a frequentatione desisteret, monitioni non paruisset, contigit, ut Petrus vir praedictae Mulieris domum suam ex improviso petens, eum illic invenerit. Presbiter Alphonsus, ut sibi consuleret, in quoddam domus cubiculum se recepit, et sub lectisternio ibi existente latebras quaesivit; cumque adversus eum Petrus, stricto pugione, irruisset, Uxor se interposuit, brachioque Mariti apprehendo, eum rogavit, ne Sacerdotem occideret aut mutilaret, cumque memoratus Petrus Uxorem a se removere tentasset, ipsam accidentaliter vulneravit, vulnerata paulo post vitam cum morte commutavit. Dum haec peragebantur, Sacerdos fugam arripuit; dumque adversus ipsum processus contumacialis compilabatur, idem se coram suo Superiore constituit, a quo fuit condemnatus in exilium ad sexennium, et declaratus irregularis, et Ordinarii sententia fuit a Iudice appellationis confirmata. Cum itaque Vir intendens vulnerare aut occidere Amasium Uxorem accidentaliter vulneraverit et interfecerit, occasio oriebatur dubitandi, an cum notissima Doctorum distinctione in his terminis procedendum esset, vel potius dici deberet, Presbiterum absolute et simpliciter irregularitatem incurrisse. Propositis hinc dubiis: – I. An Orator irregularitatem incurrerit in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An cum eo sit dispensandum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Pro dispensatione ad cautelam – *in Nullius Provinciae Compostellanae die 2 Octobris 1723.*

101. Verum haud incidit in irregularitatem Clericus, qui cum Muliere coniugata deprehensus a Marito vulnere affectus fuit, ac dein a Marito iterum cum eadem deprehensus aufugit, ob idque Maritus Uxorem interfecit; quandoquidem in Sacra Congregatione fuit propositum et resolutum sequens dubium: – Clericus Palentinus Orator alias cum Coniugata deprehensus a Marito vulnere affectus fuit; post longum temporis spatium in idem commercium reincidit, ex quo factum est, ut quadam nocte, Marito superveniente, Orator aufugerit, sed Maritus de fuga animadvertit; quare Uxorem interfecit; propter hoc Ordinarius irregularitatis praetextu denegat Oratori ascensum ad sacros Ordines; proinde per libellum a Sanctissimo remissum, quaeritur: « An propter hoc incurrerit irregularitatem? », Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit: « Negative » – *in Palentina die 22 Aprilis 1679 lib. 30 Decretorum pag. 295.*

102. Hinc Sacra Congregatio declaravit, haud incurrisse irregularitatem Presbiterum Diaconum et Clericum, ex eo quod rem habuerant cum Cognata, neque per Virum detecta, illa apud eos per aliquot dies morata, deinde Viro reconciliata, atque negans adulterium, primum a Viro vulnerata, postea altero die interfecta fuit *in Aquinaten. Irregularitatis die 10 Decembris 1672 lib. 27 Decretorum pag. 489.*

103. Similiter – Sacerdos Emmanuel Cohelo quadam nocte anni 1677 permanens in domo Ludovicae non sine magna difficultate et periculo ab illius manibus aufugit, relicto gladio, cum quo Maritus infelicem Uxorem etiam pregnantem pluribus verberibus una cum foetu misere interfecit. Hac de causa Orator alias condemnatus in poenam exilii et pecuniariam, nunc, concordata Parte et Fisco, supplicat pro absolutione cum rehabilitatione ad Beneficia. Sacra Congregatio Cardinalium Conçilii Tridentini interpretum, audita relatione Nuntii Apostolici Ulyssiponensis, ac re mature perpensa, censuit, Oratorem non incurrisse irregularitatem – *in Ulixbonen. die 14 Aprilis 1696 lib. 46 Decretorum pag. 168 a tergo.*

104. Sodomiae autem crimen annexam habet infamiam, tam de iure civili, quam de iure canonico, dummodo sit notorium notorietate iuris vel facti, uti plene habetur apud Thesaur. de poen. eccles. part. 2 cap. 1; adeoque nec dispensatio indulgetur ei, qui ob huiusmodi crimen damnatus fuerit ad triremes *in Lavellana seu Romana die 6 Iulii 1726* (1).

(1) Resolutio Causae huius prostat in Verb. *Dispensatio*, §. IX, n. 317, Tom. VII.

105. Quin imo licet absque condemnatoria sententia irregularis non sit inquisitus de homicidio ex infamia iuris, Ferrar. Verb. Infamia a n. 9, talis tamen censetur ex infamia facti seu vulgata opinione delicti, Ferrar. verb. Irregularitas n. 48 *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 16 Februarii 1788* §. *Licet.*

106. Idcirco quum Sacerdos propter homicidium fuerat diffamatus, quamvis substinuisset torturam, et idcirco condemnatus tantum fuisset ad exilium, cum dubitatum subinde constiterit, an esset diffamatus et dici posset irregularis, Sacra Congregatio censuit, fuisse diffamatum et non esse dispensandum *in Asculana Irregularitatis die 8 Iulii 1690 lib. 40 Decretorum.*

107. Exploratum enim est, nedum ex infamia iuris, sed etiam ex infamia facti contrahi irregularitatem, quando scilicet vulgata adest opinio de tali patrato, propter quod bona delinquentis existimatio apud probos et honestos viros laeditur, licet infamia nec ab ipso iure expresse, nec per sententiam Iudicis irrogetur, ex Cap. ult. de testibus, et Cap. 4 de accusatione, nec non argum. L. 2 Cod. de dignit., Ferrar. Biblioth. verb. Infamia n. 3, Reiffenst. lib. 5 Decret. tit. 17 §. 3 n. 33, Pirhing loc. cit., Ingrius de censur. cap. 14 n. 1, Suarez disp. 48 sect. 2, Roman. cons. 208 n. 4, Card. Tuschius verb. Infamia conclus. 107 n. 10, Mansi tom. 3 consult. 215 n. 7, Garz. de Benef part. 7 cap. 8 n. 12, et hanc esse Sacrae Congregationis sententiam eruere est ex una Caietana 14 iunii 1823 trigesima tertia inter summaria precum impressa cura Emi Gamberini §. Deinde *in Suessana Irregularitatis die 23 Novembris 1816* §. *Attamen.*

Item *in Irregularitatis die 22 Maii 1841* §. *Ad.*

108. At id discriminis adesse inter infamiam iuris et facti Doctores animadvertunt, quod illa nunquam tolli possit, haec vero per laudabilem vitam saltem triennio transactam aboleatur, et bona fama recuperetur quoad omnia, Barbos. de offic. et potest. Episcop. alleg. 43 n. 23, Pax Iordan. elucubr. tom. lib. 14 tit. 17 n. 11, Monacell. form. leg. tom. 3 tit. unic. §. de irregularitate in particulari form. unic. n. 14, Mansi consult. 215 n. 9 t. 3. Hinc eum, qui ex praedicta infamia evasit irregularis, non esse proprie talem, sed large secundum quid animadvertit Garzias part. 7 cap. 8 n. 65, et in materia irregularitatis pro regula habendum esse, impedimentum illud, quod absque dispensatione tollitur et potest cessare facto, non esse proprie irregularitatem, et Gibalin. de irregularit. cap. 5 quaest. 4 de infamia facti disserens, eam existimat prohibere quidem posse ab Ordinibus suscipiendis, non autem a susceptorum administratione cum Bonacina disp. 7 quaest. 3 part. 1 n. 2 disp. 68 n. 37. Nec sine valida ratione: etenim in praefatis Capitibus, unde ista impedimenti species indicta est, sermo habetur tantum de promovendis ad Ordines, quae prohibetur, minime de susceptorum exercitio; indoles autem ipsa irregularitatis exigit, ne ad alios praeter a lege designatos effectus porrigatur *in Beneventana die 18 Novembris 1769* §. *Hinc.*

Item *in Irregularitatis die 22 Maii 1841* §. *Ad.*

109. Quapropter irregularitas ex infamia facti tollitur absque dispensatione per eam vitae emendationem, quae maculas prioris non solum coram Deo, sed etiam in opinione hominum deterserit, ita ut sinistrae famae successerit bona existimatio –, ut per haec docet Habert. Theolog. dogm. moral. de dispens. ad ordin. part. 3 cap. 5 §. 8 *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 15 Februarii 1788* §. *Ponderare.*

110. Ceterum Infamia facti non deletur per sententiam absolutoriam cum clausula, – novis supervenientibus indiciis –, quae accusatum ab inquisitione non eximit eiusque innocentiam excludit *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 16 Februarii 1788* §. *Licet.*

Item *in Ianuen. Irregularitatis die 20 Aprilis 1793* §. *Dimissus.*

111. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, indiciatum de homicidio negato delicto ac tollerata tortura per semihoram absolutum cum clausula, dummodo nova non superveniant indicia, licet ista non supervenerint, indigere dispensatione super nota infamiae ad hoc, ut ad sacros Ordines possit

promoveri *in Vigilien. Dimissorialium die 23 Septembris 1673 lib. 28 Decretorum pag. 170* (1).

112. Nec infamia facti deletur per sententiam absolutoriam cum clausula – ex hactenus deductis –, eiusque innocentiam excludit, ad tradita per Pignatell. consult. 93 n. 3 tom. 6, Ferrar. Biblioth. can. verb. Irregularitas n. 49, Monacell. form. leg. form. 3 n. 37 tom. 2 *in Nullius Montis Virginis Irregularitatis die 16 Februarii 1788* §. *Licet.*

Item *in Ianuen. Irregularitatis die 20 Aprilis 1793* §. *Dimissus.*

113. Quapropter qui fuit dimissus - praestita fideiussione de se repraesentando –, et, elapso tandem anno, ab hoc praecepto sententiam absolutoriam reportavit, tamquam non repertus culpabilis, irregularis adhuc censetur, cum neutra ex his formulis delictum omnino excludit, aut infamiam ab eo praecedentem tollit, ut tradit Raynald. observ. crimin. tom. 3 cap. 32 supplement. 2 n. 19, Ursaya inst. crimin. lib. 4 tit. 8 n. 13 *in Feretrana Irregularitatis die 15 Martii 1794* §. *Quamvis.*

114. Unde irregularis dispensatus cum clausula, - quod in sacris Ordinibus etiam in Altaris ministerio, non tamen in loco delicti ministrare possit –, non potest choro interesse nec distributiones lucrari in Ecclesia loci commissi delicti, immo nec Missam celebrare in Ecclesiis extra dictum locum et per viginti milliaria ab eo distantia *in Ripana die 29 Ianuarii 1684 lib. 34 Decretorum pag. 23.*

115. At ex levibus tantum indiciis commissi delicti, censuit Sacra Congregatio, nec irregularitatem fuisse incursam, nec dispensatione opus esse, nisi ad cautelam, ut prostant exempla *in Vigilien. die 23 Septembris 1673.*

Item *in Militen. Irregularitatis die 10 Novembris 1674; in Tyrasonen. Irregularitatis die 3 Augusti 1675; in Ugentina Irregularitatis die 27 Martii 1677; et in Brugnaten. die 11 Iulii 1693.*

116. Hinc nec irregularis esse videtur, qui licet a Iudice laico condemnatus fuerit uti particeps homicidii, a Sacra Congregatione tamen innocens fuit declaratus; siquidem Fagnanus in Cap. *Vestra* de cohabit. Cleric. et mulier. n. 139 haec habet: – Presbiter Sarsinatensis in contumaciam a Iudice laico condemnatus, uti particeps cuiusdam homicidii, cuius vere ipse innocens erat, obtinuit a Congregatione Concilii declarationem, ex hac sententia nullam se infamiae notam aut irregularitatem contraxisse. Sed quoniam Ordinarius sub praetextu, quod in sua Diaecesi esset publica vox et fama, ipsum fuisse complicem dicti delicti, illum non admisit ad celebrandum, petiit declarari se non irregularem, etiam ex praetensa fama, quae si modo extat, certe duxit originem vel a dicta sententia, vel a fratribus eorum, qui ob dictum homicidium fuere ad triremes transmissi. Die 25 maii 1613 Congregatio censuit, Oratorem nullam hac de causa irregularitatem contraxisse, ideoque significandum Episcopo, ut illum, nisi aliud obstiterit, ad ministrandum admittat in susceptis Ordinibus –. In Causa, in qua dicta resolutio emanavit, scripsit celebris Iurisconsultus Hyppolitus Merenda, uti habetur lib. 23 posit. fol. 406, et admisit, durare diffamationem ex delicto per sententiam declarato descendentem, etiamsi sententia sit iniusta et sine sufficientibus probationibus lata, et condemnatum remanere irregularem, quoadusque dicta sententia revocetur. Rursus in praedicta Causa, in qua allegata resolutio emanavit, nec ex actis, nec aliunde docebatur, Sacerdotem fuisse particepem homicidii, et sententia condemnatoria contra eum lata fuerat a Iudice laico, scilicet a Quarantia criminali Venetiarum, et uti lata a Iudice laico omnino incompetenti iam fuerat declarata nulla et invalida, uti praesupponitur in precibus, super quibus editum fuit praedictum Decretum, quemadmodum etiam adnotavit b. m. Altovitus olim Secretarius Sacrae Congregationis in suo suffragio exarato in quadam Causa Eugubina Irregularitatis proposita die 1 septembris 1685 *in Hispalen. Archidiaconatus die 26 Ianuarii 1726* §. *Rursus* (2).

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Dispensatio,* §. VII, n. 29, Tom. VII.

(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Archidiaconatus,* §. II, n. 63 ad 71, Tom. II.

117. Itaque cum Sacerdos Zolli damnatus fuerit ex sententia famosa, scilicet ob homicidium, certe quidem infamiam iuris contraxit et in irregularitatem incidit. Dubitari tamen de irregularitate ex eo poterat, quod sententia nullitate inficeretur, utpote lata a Tribunali laico contra Clericum, Reiffenst. in ius can. lib. 1 tit. 7 n. 37. Verum advertebatur, ab hac sententia saltem facti diffamationem oriri, unde quis irregularitate irretitur. Maxime cum ab ea sententia post restitutum Pontificium regimen non remissionem poenae exoraverit, ita ut implicite fassus sit crimen, de quo damnatus fuerat, ut tradit Sacra Congregatio in Bracharen. Irregularitatis 11 aprilis 1807. Idcirco Sacra Congregatio nec dispensationem primum ei merito concedere censuit, licet eam postea elapsis quatuordecim fere annis a patrato crimine indulserit *in Beneventana Irregularitatis die 29 Novembris 1817* §. *Cum die 20 Decembris 1817 et die 13 Februariii 1819* (1).

118. Similiter Sacra Congregatio, attenta diffamatione, renuit primum concedere dispensationem Parocho, qui licet accusatus uti complex homicidii, non tamen ob id, sed uti aliis criminibus affectus fuerat damnatus a Iudice laico, quam vero exinde indulsit *in Suessana Irregularitatis die 14 Decembris 1816 et die 21 Februarii 1818* (2).

119. Unde Sacra Congregatio primum resolvit constare de irregularitate, ex eo quod ob crimen impictum poculi amatorii Puellae praebiti damnatus fuerat a Iudice laico, ipso absente, ad triremes, sed ex deinde deductis, quae praedictum crimen excludere videbantur, censuit, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione ad cautelam *in Spalaten. Irregularitatis die 28 Augusti 1745*.

120. Enimvero Hieronymus Sintronich alias Alvevich in minoribus dumtaxat Ordinibus constitutus usque ab anno 1736 Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis praepositae supplicem porrexit libellum, in quo exposuit: – Come fu processato nella Curia secolare di Spalato di aver egli dato Filtrie amatorie, cioè bevande o cibo composte per conciliazione di amore ad una certa Giovane, e fu contumacialmente bandito con pena capitale da quel pubblico Rappresentante. Da che avendo appellato fu riformata la condanna in pena dell'esilio dal Proveditor Generale di Dalmazia: ma contravenendo a detto esilio, fu carcerato e condannato a causa di tal contravenzione alla galera per anni sette, dalla qual condanna fu poi assoluto con il pagamento di certa somma etc. –; fatensque se timere – poter essere incorso nella irregolarità a causa di detta condanna –, postulavit sibi impertiri dispensationem. Sacra Congregatio vero pluries dispensationem denegavit; et proposito dubio: – I. An constet de irregularitate in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 ianuarii 1743 responsum dedit: – Ad primum, Affirmative –. Orator exinde petiit, ut recederetur a decisis, ex eo quod crimen impictum poculi amatorii Puellae, quam deperibat, praebiti nulla ratione probaretur, et deceptus fuerit probe Archiepiscopus Spalatensis, qui cum nec causam ipse uti Iudex egerit, nec suo tempore acta esset, sed Praedecessoris Archiepiscopi Laghi Literas tamen ad Sacram Congregationem dederit, urgentibus, qui apud eum erant, Puellae affinibus, quibus et crimen nunquam probatum verum esse retulit, et plurima, quae ex facto non probabantur, adiecit. Crimen hoc igitur ex effectu tantum puniendum (effectum enim hunc rident Physici et qui hominum naturam scrutantur periti Medici, dum probe agnoverunt amorem odium aliasque mentis nostrae affectiones, et ut vocant passiones, a philtro et poculo et arcanis carminibus non pendere) crimen quippe hoc qualecumque esset, nulla ratione probari; quidquid enim apud laicos Iudices egerint, quidquid obtinuerint, absente Reo, Consanguinei Puellae, satis esse Decretum Supremi Magistratus Venetiarum, quo absolvebatur et restituebatur contra exilium, ad quod damnatus fuerat a Iudice laico: unde vero habuerit Archiepiscopus factum hoc ex gratia, quam pii Principes Sodalitio indulgent, ut ipse narrabat in epistola sua, prorsus ignorari, cum in Decreto Supremi Magi-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Dispensatio*, §. IX, n. 170, Tom. VII.
(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Dispensatio*, §. VII, n. 30, Tom. VII.

stratus Venetiarum nec vola esset, nec vestigium huius gratiae: pari ratione ea omnia, quae de montanis in tumultum atque iram contra Hieronymum actis narrabat Archiepiscopus, quaeque habebat de gestis in Urbe Venetiarum, nec verisimilia fieri, nec legitime probari, imo contrarium monstravit Hieronymus testificationibus Parochorum, qui in montibus illis erant, et nobilium virorum et pietate doctrinaque praestantium, qui Venetiis erant, ut poterant EE. PP. liquido agnoscere tum ex iis, quae in prima Causae propositione data erant, tum ex iis, quae in praesens proponebantur. Accedebat iudicium vicinioris Episcopi Macarensis, qui censuit, indignum illud facinus a Hieronymo admissum non fuisse, quique putavit, eum sacris Ordinibus et Sacerdotio ob morum probitatem posse honestari. Demum si quid adhuc dubitationis superesset, veniam postulavit sive dispensationem, cum ageretur de Clerico, qui per annos viginti huc atque illuc iactatus, probus semper et optimis moribus imbutus ubique visus est, et in praesens etiam Romae christianis virtutibus atque exercitiis perpetuo addictus laudabatur ab omnibus; praesertim cum nulla turpi macula notaretur, nulla infamia, contumaciales enim Iudicum laicorum sententiae exequutionem nullam habuerunt.

121. His igitur perpensis, reproposito dubio cum alio super dispensatione sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad cautelam – *in Spalaten. Irregularitatis die 28 Augusti 1745* (1).

122. Ne ullum tamen dubium, quin tollatur irregularitas per sententiam absolutoriam ex capite innocentiae, quae enim reum ab omni purgat criminis imputatione, ad Textum in L. *Licet* §. In factum ff. naut. caup. et stabul., et Ursaya Inst. crimin. lib. 4 tit. 8 n. 10 *in Feretrana Irregularitatis die 15 Martii 1794* §. *Quamvis*.

(1) Reliqua habes in Verb. *Dispensatio*, §. IX, n. 259, Tom. VII.

IMPRIMATUR

Fr. Augustinus Bausa Ord. Praed. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens

3 2400 00622 0762

DATE DUE

DEMCO, INC. 38-2931

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.

37249